




A  
6-20



97.

P. a. L. J.




Estado  
Cala 0  
Folio 25  
Folio 343

3

25-89

A  
6  
227

11860662



*Del Collegio della Compagnia di Gesù de Granada*  
R. 25 249

*B. a*

S V M M A  
**Q V A E S T I O N V M**  
**R E G V L A R I V M,**  
**S E V D E C A S I B V S C O N S C I E N T I Æ**  
ad personas Religiosas vtriusq; sexus valdè spectantibus.


Iuxta noua Decreta, Constitutiones, & Declarationes Summorum Pontificum,  
& Sacrarum Congregationum, ipsorumque Regularium priuilegia.

**PER P. M. IO: BAPTISTAM DE LEZANA**  
Hispanum, Matritensem, Socium Generalem Carmelitarum, & S. Congreg.  
Indicis Consultorem, ac in Sapiencia Romana publicum Lectorem.

*Opus quinque distinctum Partibus, Prelatis Regularibus, illorumque subditis, necnon & omnibus  
Theologiae Moralis professoribus apprimè utile, ac necessarium.*

*Quinta Editio, ex diligenti per ipsum Auctorem recognitione, emaculata, & singulis ferè paginis,  
nouis additionibus, quas notæ conspicientes indicant, locupletata.*

Volumen Primum continens Primam, & Secundam Partem.  
Cum duplici Indice, Capitulorum videlicet, necnon Rerum, ac Verborum magis notabilium  
alphabetica serie concinnato.



**VENETIIS, Apud Baba. M. D C L I V.**

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.




R. 22 2nd

QVAVESTIONVM  
REGVLARIVM

SEV DE CASIBVS CONSCIENITIAE  
ad personas Religioſas vtriusq; ſexus valde ſpectantibus  
iuxta nova Decreta, Conſtitutiones, & Declarationes Summorum Pontificum  
& Sacram Congregationum, ipſorumque Regularium privilegia

PER S. M. IO: BAPTISTAM DE LEZANA  
Hilarem, Mathematicum, Socium Generales Carmelitarum, & S. Congreg.  
Indis Conſultorem, ac in ſacris Romanis archidiaconum, & ſacrum

Operum diſtinctum Romanis, & Regularibus, ſubſtituere non potuit  
Theologiae ſacrae perſpectiva apponere, ac neceſſaria  
ſunt, & diſtinctum per ſe ipſum Auctorem recognitiones, emendationes, & ſignificatiue paginas  
comparationibus, quatenus conſiderationibus, locis, &c.  
Volumen Primum continens Prima, & ſecunda Partem  
Cum diſtinctis, Capitulum videlicet, nonnullum, ac Verborum magis neceſſarium  
alphabetice ſeorsim ordinato.



VENETIS MDCLIV

APERTIORVM PARRIVM ET PRINCIPIVM

DEIPARÆ VIRGINI MARIÆ  
DE MONTE CARMELO NVNCVPATÆ,  
SEMPER IMMACVLATÆ, SEMPER ILLIBATÆ,  
AB IPSO PRIMO CONCEPTIONIS MOMENTO  
COELESTIBVS DONIS,  
VIRTVTIBVS CUNCTIS DIVINITVS  
DECORATÆ,  
SANCTITATIS EXEMPLO,  
MIRACVLORVM MIRACVLO,  
IMMO MIRACVLORVM OFFICINÆ,  
SINGVLARI DEI SIMVLACRO,  
A NEMINE SATIS, A SOLO DEO DIGNE LAVDANDÆ,  
OMNIVM PISSIMÆ MATRI,  
OMNIVM AD OMNIA PARATISSIMO  
PROFVGIO,  
OPTIMÆ VIVENTIVM PARENTI,  
MAXIMÆ TOTIVS ORBIS DOMINÆ  
REGINÆ,  
SEMPER AVGVSTISSIMÆ,  
THESAVRIS SAPIENTIÆ, ET SCIENTIÆ DEI  
DITISSIMÆ,  
VIRGINEO CANDORE,  
VIRTVTVM OMNIVM DECORE,  
DONIS EXIMIIS  
PRÆROGATIVIS SINGVLARIBVS,  
SEMPER MAGIS ADMIRANDÆ,  
PLVRIMVM ADAMANDÆ,  
INCLITÆ  
OMNIPOTENTIS DEI MATRI,  
SPONSÆ, FILIÆ GRATISSIMÆ,  
ANTE PARTVM, IN PARTV,  
POST PARTVM PVRISSIMÆ,  
DE



DE MORTE TRIUMPHATRICI  
REDIVIVÆ,  
GLORIOSIS AVREOLIS  
REDIMITÆ,  
BEATITATE OMNIBVS SANCTIS  
MAIORI,  
SOLO, QVEM PEPERIT, DEO  
MINORI,  
CVIVS IN EMPYREO POTENS IMPERIVM  
AGNOSCVNT COELITES,  
BENEFICVM EXPERIVNT VR HOMINES,  
TERRIFICVM SENTIVNT DOEMONES.

OB  
INNVMERA SIBI COLLATA BENEFICIA  
PLVRA, QVÆ EXPECTAT  
IN VITA, ET MORTE,  
FILII TITVLM, QVEM INDIGNE PRÆFERT  
IN PVERITIA, IVVENTVTE, ET SENECTA,  
SVMMAM HANC QVÆSTIONVM REGVLARIVM  
QVANTA POTEST ANIMI DEMISSIONE  
DICAT, OFFERT, CONSECRAT,

ORATVS  
TALI PRÆSIDIO  
HOC QVALECVNQVE MVNVSCVLVM  
DEO GRATIVS,  
HOMINIBVS VTI LIVS  
IPSI VCVNDIVS  
FVTVRVM.

FRATER IOANNES BAPTISTA DE LEZANA  
CARMELITA.



# INDEX CAPITVLORVM.

Quæ in Primo Tomo huius Summæ continentur.

Cap. I.	<b>D</b> E obligationibus Regularium ratione status perfectionis, quem profitentur.	pagina 1.
II.	De obligationibus Regularium ratione professionis trium Votorum Religionis in communi.	3
III.	De regularium immunitatibus, & priuilegijs in cōmuni.	7
IV.	De obligationibus Religiosorum ratione Voti obedientiæ emissi in Professione.	13
V.	De obligationibus Religiosorum propter Votum Castitatis.	16
VI.	De obligationibus Religiosorum ratione Voti Paupertatis.	17
VII.	De obligationibus Religiosorum ratione Regulæ sui Ordinis.	28
VIII.	De oblig. Relig. ratione Constit. seu Statutorum Religionis.	32
IX.	De oblig. Religiosorum, quæ habentur in Iure, vel Concilijs.	36
X.	De obligationibus Regularium ad Constitutiones, & Decreta Summorum Pontificum, & S. Congregationum.	43
XI.	De his, in quibus tenentur obedire Religiosi Dominis Episcopis, & Principibus secularibus.	50
XII.	De Religiosis quo ad obligationem recitandi Diuinum Officium.	53
XIII.	De obligationibus Regularium, quo ad habitum Religiosum portandum.	60
XIV.	De oblig. Regularium, quo ad Sacros Ordines suscipiendos.	61
XV.	De oblig. Religiosorum, quo ad electiones faciendas.	64
XVI.	De oblig. Regularium ad manendum in Monasteriorum clausura.	70
XVII.	De oblig. Regularium, si fiant Cardin. Episcopi, Abbates, &c.	75
XVIII.	De obligationibus Prælatorum Regularium, facultatibus, & Priuilegijs ipsorum.	79
XIX.	De Confessoribus Regularibus, eorumque facultatibus, & obligationibus.	96
XX.	De concionatoribus Regularibus, eorumque obligationibus.	104
XXI.	De obligationibus Sacerdotum Regularium.	107
XXII.	De Regularibus transeuntibus ex vna Religione ad aliam.	113
XXIII.	De obligationibus Religiosorum ab ordine eiectorum.	116
XXIV.	De Nouitijs, eorumque obligationibus, & Priuilegijs.	119
XXV.	De Monialibus, earumque obligationibus, & Priuilegijs.	128
XXVI.	De Abbatissis, seu Priorissis Monialium.	138
XXVII.	De Iudice Regulari, seu modo procedendi iudicialiter in Causis Regularibus.	140



# INDEX CAPITVLORVM

Quæ in Secundo Tomo huius Summæ continentur.

Cap. I.	<b>D</b> e specialibus obligationibus, iuribus, & priuilegijs Regularium Mendicantium.	pagina 145
II.	De specialibus obligationibus, muneribus, & priuilegijs Monachorum.	159
III.	De Regularium Canonicorum specialibus iuribus, priuilegijs, & obligationibus.	165
IV.	De Regularium Clericorum iuribus, priuilegijs, & obligationibus.	168
V.	De Regularium militarium iuribus, & obligationibus.	173
VI.	De Regularibus Hospitalarijs, eorumque iuribus, priuilegijs, & obligationibus.	179
VII.	De Eremitis, eorumque obligationibus, & priuilegijs.	181
VIII.	De Conuersis, laicis, oblati, donatis, seu commissis Regularibus, eorumque iuribus, obligationibus, & priuilegijs.	183
IX.	De Dominis Cardinalibus Regularium Protectoribus, eorumque facultatibus, iuribus, & priuilegijs.	188
X.	De Conseruatoribus Religionum, seu Regularium personarum.	193
XI.	De Patronis Monasteriorum, seu Ecclesiarum Regularium, eorumque facultatibus.	203
XII.	De Capitalis, dietis, seu Congregationibus personarum Regularium eorumque obligationibus, & priuilegijs.	207
XIII.	De Prælaturis, gradibus, honoribus, dignitatibus, personatibus, præposituris, officijs, & administrationibus Regularium personarum, illorumque obligat.	221
XIV.	De Tertiarijs Regularium eorumque obligationibus, & priuilegijs.	229
XV.	De Confratribus, & Confraternitatibus Regularium personarum, eorumque obligationibus, & priuilegijs.	238
XVI.	De Familiaribus, seu seruatoribus Regularium personarum, eorumque priuilegijs.	249
XVII.	De Regularium procuratoribus, seu negotiorum ipsorum gestoribus, ipsorumque priuilegijs.	254
XVIII.	De Beneficijs Regularibus.	255
XIX.	De bonis, & possessionibus quibus capacia sunt Monasteria Regularium personarum, seu in quæ succedere possunt, & de eorum administratione.	264
	De Abbatibus, seu Prioribus Monasteriorum.	267
	De Iudice Regularium, seu modo procedendi in iudicio.	270

# INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM,

Quæ in primo, & Secundo Volumine huius Summæ continentur, nu. 1. Primum, num. 2. Secundum Volumen denotat.

- A**bbates non possunt Ordinare sibi non subditos. capite 14. num. 13. Nisi dimissorias suorum Superiorum, & specialem consensum Episcopi loci habuerint. ibid.
- Abbatibus aliqui Regulares primam tonsuram, & maiores Ordines suis subditis conferunt. c. 18. n. 64. Cum certis conditionibus. ibid. n. 65. Abbates alij benedicti alij non c. 2. nu. 36. Quid facere possint. ibid. An Tonsuram, & maiores Ordines conferre. 37. An iura Episcoporum præscribere. 38. Quibus gaudeant privilegijs aliqui ipsorum. 39. Quam habeant præcedentiam. 40. An gaudeant nomine Ordinatij. 41. Benedicant ne vestes, & Ornamenta Sacra. 42. De ipsorum residentia. 45.
- Abbatissarum duplex genus. cap. 26. num. 1. Illarum electio pertinet iure communi ad Monasterium. ibid. num. 2. In illa solum habent vocem Moniales professa. ibid. Non Conuersæ. ibid. Quis in talium electione præsideat, & qualiter. ibid. & c. 25. à num. 45. Requiritur pro illis ætas 40. annor. & octo post professionem. c. 26. nu. 3. Quid si in vno Monasterio non reperiat talis. ibid. In Italia solum durant per triennium. ibid. num. 4. Vocari debent per triennium. ibid. An vidua, vel corrupta eligi possit. ibid. num. 5. An illegitima. num. 6. An bigama. ibid. nu. 7. Possunt imponere Monialibus præcepta obligantia ad culpam. ibid. num. 8. Ea scilicet, quæ spectant ad bonum commune polyticum Monasterij. ibid. num. 9. Etiam in virtute S. Obedient. vel Spirit. sanct. ibid. num. 10. Non tamen sub pœna excommunicationis, &c. ibidem n. 11. Possunt, & debent cogere Moniales ad obseruantiam Regulæ, & Constitutionum. ibid. num. 13. Concedere illis facultatem dandi, & accipiendi, sicut Prælatis. ibid. num. 14. Nisi hoc sit illis specialiter prohibitum. ibidem. An possunt dispensare in aliquibus legibus Ecclesiasticis. ibid. num. 16. Nulla præfici potest duobus Monasterijs. ibid. num. 19. Non possunt concedere Monialibus licentiam egrediendi à Monasterijs, nec ipsæ exire. ibid. numer. 20. An in aliquo casu exire possint. ibid. Vide verb. *Moniales*.
- Absentes vocandi ad electiones. cap. 15. num. 8. Possunt de iure communi eligere per procuratorem. ibid. num. 9.
- Absoluerè possunt Prælati Regulares suos subditos à peccatis. c. 18. num. 25. Etiam à sibi reservatis. ibid. num. 28. Hæc tamen facultas regulariter debet delegari. ibidem numer. 29. Possunt etiam illos absoluerè à censuris Papæ reservatis, quæ in iure sunt commissæ Episcopis. ibidem nu. 30. Non ab illis, quæ sunt commissæ Episcopis, vt Legatis Sedis Apostol. saltè iure communi. ibid. A casibus Papæ reservatis non possunt absoluerè Prælati Regulares suos subditos iure communi. ibid. num. 31. Benè tamen aliqui ipsorum ex privilegijs. ibid. & nu. 33. 34. & 35. Idem de censuris. ibid. nu. 36. Probabiliter etiam de censuris ab homine laicis. ibid. numer. 37. Non à casibus, seu censuris Bullæ Cœnæ Domini. ibid. nu. 38. vide verb. *Prælatis*.
- Absoluentes à casibus in Bulla Cœnæ Dom. contentis sunt excommunicati. cap. 19. num. 43. Et excommunicatos à Canone, nisi in casibus iure expressis, vel excommunicatos per Statuta Provincialia, aut Synodalia. ib. Absoluentes, vel Sacramenta ministrantes pro pretio, vel aliquid dantes, aut accipientes, pro leui poenitentia, in iungenda sunt symoniaci. ibid. num. 40. Vide verb. *Confessio*.
- Accusatione quando procedit Iudex Regularis. c. 27. nu. 22. Conditiones pro illa necessaria. ibid. Releganda à Religiosis. ibid. Vide verb. *Iudex Regularis*.
- Accusator potest crimen etiam occultum deferre. cap. 27. nu. 23. An teneatur præmittere correctionem. ibid. Teneatur probare delictum. ibid. nu. 24. Non potest esse testis in illa causa. ibid. Iurat de calumnia. ibid. Quid requiratur, vt dici possit probare delictum. ibid. Quomodo puniendus si non probet. ibid. Qui repellantur a mutere Accusatoris. ibid. num. 25. Vide verb. *Denunciator*.
- Administratio honorum Monasterij iure communi pertinet ad Prælatos. cap. 18. num. 13. Expendentes autem in vanos, aut superfluos vsus sunt proprietarij. ibid. Tribus debet committi hæc administratio, ex Decretis Summ. Pontific. ibid. num. 74. Hi tres tam impensè, quàm in accepti sitigulis mensibus reddant rationem. ibid. num. 75.
- Administratio bonorum Monasterij ad quem pertineat. cap. 19. num. 52. Tres actus includit administratio. 53.
- Administratores bonorum Monialium cui debeant reddere rationem. cap. 25. num. 45. Vide verb. *Moniales*.
- Advocatus minus nequeunt exercere Religiosi, nisi, &c. cap. 9. num. 12.
- Aduocati Regularium an aliquibus privilegijs fruuntur. cap. 17. num. 10.
- Ætas 16. anno ad professionem requiritur. cap. 2. num. 10. Pro Nouitiu necessaria includit diem super additum in anno Bissextili. ibid. Pro professione, computanda à die natiuitatis extra vterum. ibid. Si professio est inualida ratione defectus ætatis legitima non obligat adhuc vt votum simplex. ibid. num. 28. Ætas pro Prælatis requisita. cap. 18. nu. 5. Pro Abbatissis, seu Priorissis, cap. 26. nu. 3. Ætas pro Ordinibus suscipiendis, cap. 14. num. 7.
- Alienare bona Monasteriorum prohibitum est Regularibus sub excommunicatione, & alijs penis. cap. 10. nu. 1. Privilegijs abrogatis. ibid. num. 2. Contractuum irritatio. ibid. Accipere pecunias ad cambium etiam prohibitum. ibid. num. 3. Quæ sint bona alienari prohibita. ibid. num. 4. Casus in quibus licita est alienatio. ibid.
- Alienatio bonorum prohibita Monasterijs Regularium. c. 19. n. 54. Qui contractus alienationis nomine intelligantur. 56. Mobilia non pretiosa alienari possunt. 47. An mobilia pretiosa. 57. In quibus casibus non requiritur licentia S. Congregat. 58. An possint alienari, saluo, vt dicitur, S. Apostolica consensu. 61. Quæ solemnitas requiritur ad alienationem. 62.
- Ambientes, seu procurantes pro se, vel pro alijs Officia in Religionibus, graues penas incurrunt. cap. 15. num. 24. Possunt tamen Religiosi procurare quod officia dentur dignis. ibid. Contra procurantes Officia, Gradus, &c. medijs fauoribus extraneorum. ibid. num. 27.
- Annunciationis festo, si veniat triduo ante Pascha, an dicenda Missa. cap. 21. num. 18.
- Annus Nouitiatus, vide verb. *Nouitiatus*.
- Antiquitas in Ordine quomodo computanda. c. 2. nu. 25.
- Anticipatio celebrationis Missarum quomodo licita. c. 21. num. 7.
- Anistes nominandus in Can. Missa quis sit. cap. 21. nu. 30.
- Appellare à correctione Superiorum maxime prohibitum Religiosis. cap. 9. num. 4. & 5. Non solum ad Iudices Laicos, & non competentes, sed etiam ad alios. ibid. nu. 6. In casu tamen notabilis, & euidentis iniuriæ licita est appellatio ad Iudices competentes. ibid. num. 7. Suspenditur executio. ibid. An, & quo ordine ad Sedem Apostolicam,

# I N D E X.

- licam, *ibid.* Oportet in appellatione grauaminis exprimere. *ibid.*
- 2 Approbatio Confessariorum Mendicantium pro secularibus qualis debeat esse. cap. 1. num. 18. Pro Fratribus, & Monialibus. 19. Pro Confratribus, cap. 15. num. 16. Pro Tertiarijs. cap. 14. num. 29. & 34. Pro familiaribus Regularium. cap. 16. num. 21.
- 1 Apostata est, qui discedit à Conuentu, vel Religione animo nunquam reuertendi. cap. 16. num. 12. Varias pœnas incurrit. *ibid.* & num. 13. Cooperantes ad Apostasiam non solum grauiter peccant, sed etiam tenentur ad damna inde sequuta, *ibid.* num. 14. Apostatas detinentes, occultantes, &c. sunt excommunicati. *ibid.* nu. 15. Apprehendi possunt, & debent Apostata à Superioribus. *ibid.* num. 16. & 17. Imò ab Ordinarijs. *ibid.* Redeuntes benignè sunt recipiendi. *ibid.* nu. 18. Quæ acquirunt in Apostasia pertinent ad Religionem, nisi, &c. *ibid.* num. 20. Ipsorum bona post mortem veniunt ad Cameram Apostolicam. *ibid.* num. 21. Vide verb. *Fugere, & Fugitiuus.*
- 1 Approbatio Confessariorum Regularium in vno Episcopatu non sufficit pro alijs. cap. 19. num. 4. Non est perpetua. num. 7. Potest ex rationabili causa restringi, & limitari. *ibid.* num. 8. Non expirat per mortem concedentis. *ibid.* num. 10. Nec requirit quòd detur in scriptis. Confessarij approbati ab Ordinario nomine qui veniant. *ibid.* num. 19. Qui confitetur non approbatus qua pœna puniendus. *ibid.* num. 41. Vide verb. *Confessarij Regulares, & verb. Confessarij pro Religiosis.*
- 1 Armatenentes Monachi intra septa Monasterij sine licentia Abbatum sunt excommunicati. cap. 9. num. 27. Secus habentes illa extra Monasteria. *ibid.* Aut venientes ad Monasteria cum illis. *ibid.* in statu etiam Mediolanensi illa habere sub grauissimis pœnis est prohibitum. *ibid.*
- 2 Assistentes Generalium aliqui habent votum decisiuum, aliqui solum consultiuum. cap. 13. nu. 20. Non sunt propriè assessores. *ibid.* Decet ferre suffragia incipiendo à iunioribus. 22. Debent detegere defectus publicos eorum qui proponuntur ad officia. *ibid.* Imò, & quandoque occultos non emendatos. *ibid.* Quando teneantur subscribere etiam contra propriam sententiam, *ibid.* An Generales possint sine illis aliqua decidere, 23. Tenentur secundum conscientiam respondere, 24. An illegitimi possint id munus subire, 50.
- 1 Assumpti ex Religionibus ad Cardinalatum, Episcopatum, vel abbatiam, manent veri Religiosi. cap. 17. num. 1. Nec soluantur à Votis Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, num. 2. Votum Obedientiæ ipsorum est ad Papam. nu. 5. Quæ acquirunt post assumptionem, Ecclesijs, quibus præficiuntur acquirunt. 5. Possunt disponere inter viuos de sui Episcopatus redditibus, sicut Episcopi seculares. num. 6. Non subiacent pœnis, aut censuris impositis in Religionibus. num. 7. Tenentur saltem secundum decenciam, & honestatem ad Obseruantias Regulares, quæ non impediunt munus, quod gerunt, & ad habendum socium sui Ordinis. num. 8. Habitum verò Religionis tenentur ex præcepto portare. num. 9. Conformem tamen in forma, seu figura habitui aliorum Episcoporum. *ibid.* Probabile est non teneri Votis alijs solemnibus præter tria essentialia. num. 10. Nec tenentur solvere Officium Diuinum iuxta ritum suæ Religionis, sed suæ Ecclesiæ, num. 11. Acquirunt suis Ecclesijs. num. 12. Quid verò dicendum sit de Episcopis Titularibus, nu. 13. Habentes diuorem supellestem peccant magis, quam Episcopi non Regulares, numer. 17. Gaudent aliquibus Priuilegijs suæ Religionis, num. 18. Dispensant secum in aliquibus casibus, num. 19. Reuertentes ad suam Religionem inhabiles sunt ad Officia, num. 21. Possunt transire ad strictiorem Religionem. cap. 22. nu. 28. Sed cum licentia Papæ. *ibid.*
- 1 Assumpti ad Prælaturam alterius Religionis tenentur. Votis solemnibus sui Ordinis, cap. 17. num. 15. Regula, & Obseruantijs ipsius, quatenus non contradicunt muneribus, quod gerunt. *ibid.* Vbi etiam de alijs ipsorum obligationibus.
- 1 Astrologorum, seu Diuinorum pœnæ. cap. 10. num. 27.
- 1 Attentio, seu Deuotio est necessaria ex præcepto recitan-
- tibus Officium Diuinum, ca. 12. num. 11. Vide verb. Officium Diuinum.
- B
- 1 Balnea ingredi prohibitum est Religiosis, c. 9. num. 24. Ex necessitate tamen id licet. *ibid.*
- 1 Banniti, decoctores, seu falliti non recipiendi à Regularibus, cap. 10. num. 21.
- 1 Baptizare non licet Religiosis nisi in casu necessitatis, & de licentia Parochi, cap. 9. num. 31.
- 1 Beguinas fouentes Religiosi sunt excommunicati, cap. 9. num. 30.
- 1 Benedicere Ecclesiastica ornamenta, quæ possint Regularium Prælati, cap. 18. nu. 57. An Ecclesias, seu Oratoria benedicere possint, *ibid.* num. 59.
- 1 Benedicere Mensam non est præceptum Religiosis iure communi, cap. 9. 28. Id tamen omittere, peccatum est veniale, *ibid.*
- 1 Benedictio petenda est à superiore antè, & post egressum è Monasterio. cap. 16. num. 6.
- 2 Benedictio Abbatum quando, & quomodo danda, capit. 2. num. 36. Non reiteratur. *ibid.*
- 1 Beneficia vacant per Professionem Religiosi, cap. 3. nu. 17. Non tamen propter illam redditur incapax Beneficiorum. *ibid.* De facto tamen ad id requiritur Papæ licentia. *ibid.* & cap. 16. num. 24. Reuertentes tamen ad Religionem Carmelitæ non possunt in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus admitti, aut habere aliquod Officium sine licentia Generalis, *ibid.* Beneficium, quod habet Nouitius non debet prouideri ante transactum Nouitiatum, cap. 24. num. 37.
- 2 Beneficia an vacent probationis anno, cap. 2. num. 21. Quomodo inseruii debeant beneficia Nouitiorum, *ibid.* An sint illorum capaces, 22. Vacant per professionem, 23. Cur Regulares non debeant habere beneficia secularia, cap. 18. num. 1. Quid sit beneficium. *ibid.*
- 2 Beneficiarij Regularia quæ sint, cap. 18. nu. 1. Regulares sunt capaces illorum. 2. Eisdem debent prouideri. 3. Eiusdem Ordinis. *ibid.* Debent esse professi, vel professuri. 4. In eadem Religione. 5. Non sunt beneficia simpliciter, sed manualia. 6. Ad quem spectat prouisio illorum. 7. An requiratur examen, & approbatio Episcopi. 8. Possunt Regulares cogi ad illa acceptanda. 12. Quando vacent. 17. & 18. An possit vnus habere duo beneficia. 29. An possint seminariorum vniri. 31. Collatores illorum an possint aliquid accipere. 39. In beneficia Nouitiorum an succedant Monasteria, cap. 19. num. 34.
- 2 Beneficiarij Regulares quibus subsint. cap. 19. num. 9. & 10. Non debent vocari ad concursum. 11. Quibus obligationibus abstringantur. 14. Cui acquirant. 15. Quibus prouidere debeant de bonis beneficiorum, *ibid.* Quibus debeant obedire. 16. An, & quomodo possint amoueri à num. 17. vsque ad 23. Bona ab illis acquisita an possint deferri ad Monasteria. 28. Quid sit illis concessum in Indijs. 32. In quæ debeant suos redditus expendere. 33. An illegitimi possint hoc munus subire. 34. Ex Carmelitis assumpti non admittuntur in Capitulis. 35. & 36. An teneantur facere professionem fidei. 38. An adire Congregationes casuum conscientie. 40.
- 1 Bigama an eligi possit in Abbatissam. cap. 26. num. 7.
- 1 Bona Religiosi, qui propter fraudem, dolum, & cupiditatem Prælati emisit Professionem, non pertinent ad monasterium, sed ad hæredes, cap. 2. 19. Bona acquisita à Religiosis particulatibus, non ab ipsis, sed ab Officialibus Monasteriorum debent recipi, possideri, & expendi, cap. 6. num. 25. Bona acquisita Religiosis ex illicita negotiatione, aut contra Sacros Canones post eorum mortem pertinent ad Cameram Apostolicam, cap. 10. nu. 5. Quæ sint talia bona, *ibid.* Bona Regularium extra claustra degentium post ipsorum mortem pertinent etiam ad Cameram Apostolicam, cap. 16. num. 31. Bona Religiosorum assumptorum ex Religionibus pertinent iure communi ad Ecclesias post ipsorum mortem, ca. 17. numer. 12. Quæ acquisierunt ante assumptionem pertinet ad Religionem, *ibid.* nu. 14. Bona stabilia prohibita Regularibus etiam de licentia Superiorum. cap. 6. num. 19. & cap. 18. num. 71. Bona incerta Nouitiorum, cap. 24. num. 39.

# I N D E X.

- num. 39. Bona Monialium derelicta, capit. 25. num. 48.  
 Bona Regularium decedentium ad quem spectant, cap. 1. num. 40. Bona inuenta, incerta, male acquisita, aut destituta an applicari possint Monasterijs, cap. 19. num. 48. 49. & 50. Quanto tempore prescribatur contra ipsa. 63.
- 1 Bona stabilia quae Monasteria possident, cap. 19. nu. 1. Quae dicantur talia. 3. Quae transeant ad illa ratione Religiosorum. 27. & 28. Transeunt quae ad illos spectabant. 31. Exceptis ijs, quib. renunciarunt. 35. Et quae sunt legitima filiorum, aut patris. 36. & 37. A quo tempore. 38. & 39. In quae bona non succedant Monasteria num. 40.
- 1 Breuia Sacrae poenitentiarum aperire an possint Confessarij non graduati, cap. 19. num. 38.
- 1 Bulla Cœnæ Dominæ apud Confessarios retinenda, cap. 19. num. 44.
- 2 Bulla Cruciatæ quae priuilegia Regularium suspendant, cap. 1. num. 59.
- C
- 1 Campanam pulsare non possunt Regulares Sabbato Sancto ante Cathedralē, vel Matricem Ecclesiam, c. 9. num. 45. Secus alijs diebus, ibid.
- 2 Campanæ quando, & quomodo à Regularibus pulsandæ, c. 1. num. 43. & 44.
- 2 Candelarum quae fratribus dantur non debetur portio Canonica, cap. 1. num. 48. Quomodo diuidendæ, ibid.
- 2 Canonici Regulares vnde dicuntur, cap. 3. num. 1. & 2. Sunt verè Religiosi. 5. An comprehendantur nomine Monachorum. 6. Forum institutum quale, & quomodo differat ab alijs Religionibus. 7. Præcedentia. 9. Priuilegia. 10. Quae illis prohibita. 11. 12. 21. 22. 23. 24. 25. & 26. Quae illis præcepta. 13. 14. & 20. Habent beneficia Regularia. 16. & 17. Ad exequendas litteras Pontificias an sint capaces. 18. Ad quas dignitates sint assumptibiles. 19. A quibus puniantur. 28. A quibus visitentur. 29.
- 1 Canonica portio Parochialis non soluitur à Religiosis, cap. 3. nu. 12. Nec hoc priuilegium abrogatur à Concilio Tridentino quoad ea Monasteria, quae ante annos 40. soluebantur. Et solum de illis quae afferuntur cum corpore defuncti, ibidem.
- 1 Capellani Religiosi etiam Sedis Apostolicæ manent subiecti eorum Superioribus, cap. 17. numer. 20. Capellani Monialium, cap. 25. num. 40. De quo debeant dicere Missam, ibid. num. 43.
- 2 Capitulum Regularium quid sit, ca. 12. num. 1. Quotplex, ibid. In quibus consistat eius auctoritas. 2. Nequit statuere aliquid contra ius commune. 3. Quid possit facere. 4. Quibus circumstantijs celebrandum. 5. Debent in eo morari Religiosi de obseruantia litterarum Apostolicarum ad Officium S. Inquisitionibus pertinentium. 15.
- 2 Capitulum Generale omnimodam habet auctoritatem, cap. 12. num. 6. Condit leges, ibid. Quomodo se habeat cum Præsidente, ibid. Nihil statuit contra ius commune, ibid. Quid possit facere circa Generalem. 7. An exercere iurisdictionem ipsius, ibid. Eligere debet sex Patres pro eijciendis ab Ordine. 8. Statuta arctiora num ponat. 9. Restaurat Regulam collapsam. 10. Priuilegia restringit, & tollit. 11. Reseruat casus. 12. Quando celebratur. 13.
- 2 Capitulum Prouinciale quomodo celebratur, cap. 12. num. 18. Quae eius auctoritas, ibid. Non eijcit professos. 19. in Indijs quid possit. 20.
- 2 Capituli Conuentualis auctoritas, cap. 12. nu. 24. Circumstantiæ, ibid.
- 2 Cardinalium maxima dignitas, ca. 9. nu. 1. Epitheta, ibi. Dati ad defensionem Religionum. 2. Vide ver. *Protectores*.
- 2 Carmelitæ sunt Mendicantes ex Regula, & à iure, capit. 1. num. 1. Quae ipsorum Regula, ibid. Discalceati Patres, quae bona non possint possidere. 2. & 7.
- 2 Carnium usus an prohibitus Monachis, cap. 2. num. 33. Canonici Regular. cap. 3. num. 15. Clericis Regul. capit. 4. numer. 6.
- 1 Carcerem habere debent Monasteria Regularium, cap. 9. num. 41. & tota Prouincia, c. 23. num. 3.
- 1 Cardinales Religiosi. Vide ver. *Assumpti ex Religionibus*.
- 1 Carnes comedere feria 6. & Sabbato, casu quo Natalis Domini his diebus inciderit, prohibitum Regularibus, cap. 7. numer. 27. An verò oppositum facientes peccent contra ius commune, an solum contra Regulam, ibid. Carmelitæ autem carnes comedentes feria 4. aut Sabbato, in quibus Natalis Domini occurrerit, non idè perdet priuilegium Bullæ Sabbathinæ, ibid.
- 1 Carthusiani laudabiliter à carnibus abstinent, etiam cum periculo vitæ, cap. 8. num. 19. In casu tamen quo sit alius cibus quo vti possint, ibid. Non tamen tenentur tunc ab illis abstinere, ibid. Vide verbo *Transiūs Religiosi*.
- 1 Castitas Religiosa irritat Matrimonium sequens, et si consumetur, cap. 5. num. 1. Qui post illam contrahit est irregularis, ibid. num. 2. Per eam tenetur Religiosus abstinere ab omni actu venereo, siue interno, siue externo, ibi. num. 3. & 6.
- 1 Ceremonialis, seu Ritualis obseruantia, cap. 8. numer. 32. Quale peccatum sit transgressio illius, ibid. Specialiter de Ceremoniali Carmelitarum, ibid.
- 1 Cella vnica Religioso assignanda, & quali suppellectili, cap. 18. nu. 77. Etiam Superioribus, ibid.
- 1 Chirurgiæ artem cum incisione, vel adustione non possunt exercere Religiosi, c. 9. nu. 15. Etiam pietatis causa, ibid. Id facientes secuta morte sunt irregulares, ibid. Exercere etiam prædictam artem sine incisione, & adustione probabilius est non posse, ibid.
- 1 Choro assistere debent omnes, cap. 10. nu. 20. In ipso psallere horas Canonicas tenentur Regulares, cap. 12. num. 9. Ad Chorum deputatus potest transire ad Ordinem Laicorum, c. p. 22. nu. 25. Omnes etiam Superiores, & Graduati tenentur Choro interesse, c. 18. nu. 70. Cum quibus dispensari potest, ibid.
- 1 Claustrum aliqua tenentur omnes Religiosi, c. 16. nu. 1. Consistit in duobus, in non egrediendo è Monasterio sine licentia, & in non apostatando, ibid. Potest religiosus ex legitima licentia viuere extra claustra, retento habitu, ibid. num. 23. Conceditur tamen solum à Sede Apostolica, ibid. Etiam propter necessitatem parentum, ibidem. num. 25. Et propter obsequium alicuius loci, vel personæ ibidem, num. 33. Qualiter prædictos possint corrigere, & reuocare Prælatus Religionum, & quòd sine ipsorum licentia non possint id minus habere, ibid.
- 1 Clamorosa insinuatio quid sit, c. 27. nu. 6.
- 2 Clerici Regulares qui sint, c. 4. num. 1. Quale eorum institutum, 1. & 2. Verè Religiosi. 2. Eorum instituti ab alijs differentia, ibid. Præfectio. 3. An censeantur nomine Monachorum. 4. Obligationes, & prohibitiones. 5. 6. 7. & 8. Specialia vota, à nu. 9. vsque ad 18. Approbatio, & priuilegia, à nu. 19. vsque ad 27.
- 1 Coarctatio in electionibus an, & quomodo fieri possit, cap. 15. num. 21.
- 1 Comam nutrire an permissum Monialibus, cap. 25. nu. 50.
- 1 Comædijs, & similibus spectaculis assistere non licet Religiosis, nisi quando sunt de rebus honestis, & seclusis alijs prauis circumstantijs, c. 10. nu. 7.
- 1 Comparere in iudicio nequeunt Religiosi sine licentia Superiorum, cap. 9. num. 11. Etiam pro iniuria sibi illata in persona, honore, &c. ibid. Secus quando Superior multum distat, aut si agant contra Religionem in casibus licitis, ibidem.
- 2 Commendæ an sint materia simoniæ, c. 5. num. 26. An sint beneficia Ecclesiastica. 25.
- 2 Commendatarij milites qualiter habeant redditus annuos, & alia bona, c. 5. nu. 22. 23. 24. & 28. An fructus recipere possint viuendo otiosè. 27. An possint ludendo perdere. 28. An instituere maioratus. 29. Perpetui computantur pro Prælatis. 35. Tenentur eleemosynas elargiri, & suarum Ecclesiarum necessitatibus succurrere. 36. Quando peccant contra votum paupertatis. 30. & 31.
- 2 Commissariorum Generalium auctoritas, cap. 15. num. 16. an delegabilis, ibid. Quando expiret. 18.
- 2 Confirmator quam electionem confirmet, cap. 12. nu. 39. Quam non debeat confirmare. 40. & 43. Priuilegium ordinis Prædicat. quoad hoc. 41. tempus dandi confirmationem. 42. an electio per sortes confirmanda sit. 44. an facta ex vi renuntiationis. 45. an illius qui causam scandalis præbiturus est. 46. an quæ facta est per abusum secularis potestatis. 47.
- 2 Confraternitates quid sint, cap. 15. nu. 1. & 2. an pœ, & religiose

# I N D E X.

- Religiosa dicenda*, 3. privilegia quibus gaudent, 4. 5. 6. Conditiones quibus institui debent, 8. 9. 10. 12. & 13. gratia, & Indulgentia ipsarum, 10. & 14. elemosina, 15. confessoriorum auctoritas, 16. omnes innovanda, 19. Littere pro institutione ipsarum, 20. poena contrauenientium, 21. quae determinata sunt à Sede Apostolica circa illas, 22. 23. 24. 25. & 26. visitantur ab Episcopis, 27. contribunt pro seminatio, 28. de ipsarum capellanis, 29. An pro receptione possint aliquid accipere, 30. statuta pro quibusdam, 31.
1. Confraternitatis Beat. Mar. de Monte Carmelo antiquitas, cap. 15. num. 32. privilegia, & Indulgentia, à num. 33. vsque ad 43. conditiones pro fruendis privilegijs, à num. 42. vsque ad 46. à quo, & quibus conditionibus instituantur, à num. 47.
2. Confraternitas S. Ros. Vide verb. *Rosarij Confraternitas*.
3. Confraternitatis Cordis S. Francisci institutio, cap. 15. num. 63. Gratia, ibid. conditiones, 64.
2. Confraternitatis S. Augustini institutio, c. 15. nu. 65. vn. 65. & 66. gratia, 66. & 67.
1. Coniugati an validè possint emittere professionem, & quae licentia ad id requiratur, c. 2. num. 31.
1. Confessarij Regulares, cap. 19. requiritur pro illis praesentatio, & approbatio Episcoporum ad audiendas confessiones saecularium, ibid. num. 2. nec sufficit ad hoc consensus Parochi, ibid. nec requiritur, si facultas concessa est independenter ab ipso, ibidem. In locis alienis possunt subditos Diaecesis, ubi sunt approbati, audire, nisi illi mutauerint domicilium, ibid. num. 6. approbati ab vno Episcopo possunt à successore iterum examinari, & approbati, non tamen ab eodem, ibid. num. 7. Non possunt suspendi ab audendis confessionibus nisi ex noua causa, & quae ad confessiones pertinet, aut ob non seruatum interdictum, ibidem, num. 9. Nec possunt simul omnes confessarij vnus conuentus priuari, ibidem. Aliqui etiam confessarij Regulares possunt in Diaecesi ubi sunt approbati audire confessiones omnium saecularium quarumcumque Diaecesis, ibid. num. 11. Audire tamen confessiones aliorum Regularium non possunt nisi cum licentia, ibid. Si audiant confessiones contra voluntatem suorum Superiorum peccant, licet validè absoluant, ibidem, num. 12. publicè excommunicati, vel suspensi neque licet, neque validè absoluant; occulti tamen validè, ibid. nu. 13. absoluant ab omnibus non reseruatis, ibid. nu. 14. & omni excommunicatione minori, ibid. & omni etiam maiori non reseruata, ibidem. Nunquam tamen dispensant in irregularitate aliqua, nisi ad id habeant speciale privilegium, ibidem. à casibus, seu censuris Papae, aut Sedis Apostolicè reseruatis poterant olim aliqui confessores regulares, propter specialia privilegia absolueri, ibid. 15. nunc autem non ita, nisi extra Italiam, & in Vrbes, ibid. & numer. 16. In Italia verò extra Urbem limitata sunt talia privilegia, ibidem, à casibus autem in Bulla Cœnae Domini contentis, nec intra, nec extra Italiam absolueri possunt, ibidem, & nu. 17. Idem de casibus Episcopilibus, ibidem. virtute Bullae Cruciatæ, ubi viget, absolueri possunt iuxta tenorem ipsius, ibid. num. 18. sed non ab aliqua irregularitate, licet aliqui oppositum sentiant, ibid. debent etiam absolueri poenitentes à casibus reseruatis si id possunt, nisi fortè, &c. ibid. num. 21. an possint absolueri plenariè religiosos sui Ordinis semel in vita, ibid. numer. 27. an in articulo mortis, ibid. num. 28. dubitans an sit idoneus ad audiendum confessiones, superioris præcepto excusatur, nisi certò sciat se indignum, ibid. nu. 30. qui in domibus laicorum confessiones audiunt, Parochum admonere tenentur, & relinquere fidem pro medicis, ibid. num. 31. & 32. non possunt audire confessiones in ædibus alienis, nisi, &c. ibid. num. 32. qualiter id faciendum, ibid. confessarij delinquentes in confessione qualiter, & à quibus puniendi, ibid. num. 33. 34. & 35. Confessarij secretum detegentes qua poena puniendi, cap. 19. num. 42.
1. Confessarij pro Religiosis à Prælati designandi, capit. 18. num. 29. & cap. 19. num. 36. quo numero designandi, ibi. quid de casibus reseruatis, ibidem, & numer. 37. non requiritur pro illis approbatio Episcoporum, & quid de Religiosis militibus, cap. 18. num. er. 27.
1. Confessarij Monialium, c. 25. num. 40. an absoluant à reseruatione, num. 42. à quo approbandi, & quomodo, & etiam amouendi, ibid. num. 45. & 46.
1. Confessione in principio Missæ nihil addendum, capit. 21. numer. 33.
1. Confirimator electionum, Vide verb. *Electiões*.
2. Congregationes capitulares Regularium quid sint, cap. 12. num. 1. aliqua vocantur intermedia, 14. auctoritas ipsarum, 14. congregationes prouinciales, 22. debent in quacumque congregatione moneri religiosi de obseruantia Litter. Apostol. ad S. Officium Inquisitionis pertinentium, 15. & 23.
2. Conseruatores Religionum, Vide ver. *Indices Conseruatores*.
1. Conseruari semel in Mense creditur esse obligationem Monachorum, c. 9. num. 22.
1. Concionatores Regulares nequeunt prædicare sine licentia suorum Superiorum, cap. 20. nu. 1. Ad prædicandum in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum sunt, requiritur etià benedictio ordinarij; ad prædicandum verò extra suas Ecclesias vterius exigitur illius licentia, ibid. num. 2. an si in hoc deficiant, puniendi sint ab Episcopis, num. 3. an aliquando sufficiat licentia Parochi, num. 4. Licetum est etiam prædicare in plateis, & locis publicis, ibid. num. 5. etiam sine licentia Episcopi, dummodo non contradicat, ibidem. etiam prædicante Episcopo, & non contradicente, ibid. num. 6. an semel præsentati, & approbati possint iterum ad id compelli, ibid. num. 7. Prædicantes errores, aut scandala quomodo puniendi, ibid. numer. 9. A quibus abstinere debeant in Concionibus, ibid. num. 10. Quomodo concionandum, ibid. num. 11. Qualiter de Conceptione B. V. ibid. num. 12. Qualiter de Priuilegio Scapularis. B. V. M. de Monte Carmelo, ibid. numer. 13. Concionantes in peccato qualiter peccent, cap. 20. num. 15. Qualiter possint, aut non commendare pauperes, prædicare Indulgentias, miracula, & de quibus Euangelij prædicandum, num. 17.
1. Concionatores Monialium, cap. 25. num. 40.
1. Conseruatores Iudices eligere possunt Religiosi, cum certis tamen conditionibus, cap. 3. num. 11.
1. Consecrare Calices, aut Patenas non possunt Prælati Regulares, cap. 18. num. 58. An Altaria, vel Ecclesias, ibi. num. 59.
1. Constitutiones Religionum comparantur cum Regularibus, sicut in naturalibus formæ accidentales cum substantialibus, cap. 8. num. 1. Differunt à Regularibus, & in quo differant, ibid. num. 2. Possunt obligare ad culpam, ibidem, num. 3. Constitutiones Generales regulariter solum à Generali cum Capitulo Generali fieri possunt, ibid. Ut obligent in conscientia debent esse de rebus concernentibus explicitè, vel implicitè Regulam, ibid. num. 4. 5. & 7. An possit per illas præcipi aliquid contra ius commune, ibid. numer. 6. Obligatio obseruandi illas aliquando est sub mortali, aliquando sub veniali, aliquando sub nulla culpa, sed solum sub poena, ibid. num. 8. Quando sunt de rebus alijs iure Diuino, vel naturali præceptis, aut prohibitis, transgressio illarum erit, qualis fuerit transgressio talium præceptorum, ibid. num. 9. Quando fuerit de rebus directè spectantibus ad Vota essentialia Religionis illarum transgressio erit mortalis, nisi paruitas materiae solum inducat veniale, ibid. Etiam quando obligant solum ad poenam possunt dici obligare indirectè ad culpam, ibidem, numer. 10. Quando ponuntur in virtute Sanctæ Obedientia, sub poena Excommunicationis, vel simili modo obligant ad mortale, ibidem numero 11. 13. 14. & 15. Nisi res quæ præcipitur, aut prohibetur sit euidenter leuis, ibidem, num. 12. & 13. Similiter quando ponuntur sub poena mortis, mutilationis membri, tritemium, carceris perpetui, & similibus, credendum est transgressionem esse mortalem, ibidem numero 16. Consuetudo transgrediendi illas, quæ non obligant ad mortale ex se non est peccatum mortale, ibi. dem numero 18. Per accidens tamen potest esse mortale, ibidem. Constitutiones non obligant quando sunt impeditiue charitatis, ibidem, num. 19. Nec cum metu, aut probabili periculo mortis, ibid. Nec quando obseruantia

# I N D E X.

- uantia earum repugnat bono communi, ibidem num. 20.  
 Constitutiones auctoritate Papæ confirmatæ nequeunt mutari à Religionibus, nisi quando, &c. ibidem num. 22.  
 Ad hoc quod obligent, requiritur ipsarum promulgatio, ibidem num. 27. Obligantur etiam supremi Superiores Religionum ad illas, cap. 18. num. 11. Etiam quoad vitam coactiuam, ibid.
- 1 Consuetudo legitimè præscripta, & cum debitis circumstantijs habet vim legis, & potest abrogare contrariam, cap. 8. num. 24.
- 1 Confraternitates Religionum quomodo, & quibus conditionibus instituendæ, cap. 19. num. 88. Gratia, seu Indulgentia ipsis concessa, ibid. num. 89.
- 1 Confratres qualiter absoluedi à Confessarijs, cap. 19. numero 20.
- 1 Contemptus quid sit, cap. 8. num. 17. Non consistit in maledicta, indignatione, praua consuetudine, &c. ibid. Sed in eò quod quis violet legem, aut præceptum quia non vult subijci ipsi, aut Superiori. ibi. Transgredi quamcumque legem, aut præceptum ex contemptu peccatum, mortale, ibid.
- 1 Conuersi qui dicantur, cap. 8. num. 1. An sint Religiosi. 2. 3. & 4. Personæ Ecclesiasticæ. 5. Quibus gaudeant priuilegijs. 6. 7. & 8. Non sunt capaces proprij. 12. Acquirunt Religioni. 14. Testari non possunt. 16. Ad quæ sint incapaces. 18. 19. 20. & 22. Ad quæ teneantur. 23. In quibus Monasterijs recipi possint, & quibus conditionibus. 24. 25. 26. 27. Quid de illis qui recepti non sunt in locis designatis. 25. 26. & 27. Quibus priuilegijs potiantur. 30. 31. 33. & 34.
- 2 Crux quomodo portanda à Regularibus in processionibus defunctorum, cap. 1. num. 31.
- 1 Corrigitur subditos pertinet ad Prælatos, cap. 18. num. 15. Id omittentes facillè peccant mortaliter, ibid. Quandoque etiam si peccata subditorum solum sint venialia, ibidem. Hæc corrigendi obligatio est aliquo modo ex iustitia. Ibid. Regulariter correctio faciendâ tempore visitationis, cap. 27. num. 1.
- 1 Credo quando dicendum in Missis votiujs, cap. 21. num. 27. Omisio illius quod peccatum, ibid.
- 1 Criminosi ad Ecclesias Regularium confugientes, qui tradendi, vel non, Curia seculari, cap. 18. num. 83.
- 1 Curati Regulares tenentur interesse cum alijs Curatis congregationi casum conscientia, cap. 19. num. 44.
- 1 Curias Principum adire prohibitum Monachis aut Canonicis Regularibus absque licentia suorum Superiorum, cap. 9. num. 33. Imò, si vt inferant damnum suis Prælati excommunicationem incurrunt, ibidem. Secus si animo nocendi priuato Religioso, aut alij alterius Ordinis, ibid.
- D
- 1 Dammati ad triremes, cap. 16. num. 32.
- 1 Dantes, siue accipientes ex pacto pecunias, epulas, &c. pro ingressu Monasterij sunt excommunicati, cap. 9. num. 37. Vide verbo *Simonie*.
- 2 Damnicantes bona Regularium an incurrant aliquas penas, cap. 19. num. 51.
- 1 Debita contracta à Nouitijs ante professionem an soluenda à Monasterio, cap. 24. num. 38. Debita personis incertis quibus soluenda, ibid. numer. 39. Debita contracta à Professo ex licentia Superiorum debent solui à Monasterio, cap. 2. num. 18. Idem dico si fuerunt ipsi vtilia, ibid. Orta verò ex delicto Religiosi non debent solui à Monasterio, nisi in illud eo senserit, vel inde aliquid emolumentum habuerit, ibid.
- 1 Decimarum solutio, cap. 3. num. 15. religiosi illas vsurpantes sunt excommunicati, cap. 9. num. 33. Et, si ab illis soluendis alios retrahant, ibid. num. 26. Et, si scienter consentibus conscientiam non faciunt de ipsis soluendis, suspenduntur, ibid.
- 1 Decreta de Celebr. Missar. & de Apostatis, & Eiectis debet legi à regularibus saltem bis in anno, cap. 10. num. 25.
- 2 Decretum electionis ad Confirmatorem mittendum, cap. 12. num. 49.
- 2 Defunctorum corpora quomodo associanda à regularibus, cap. 1. num. 31. & 46.
- 2 Delegati an possint esse ad Litteras Apostolicas exequentes Canonici regulares, c. 3. num. 18.
- 1 Defunctorum corpora quomodo efferenda, aut leuanda à Regularibus, cap. 10. num. 18.
- 1 Delegare possunt Prælati Regulares aliquas facultates sibi concessas in priuilegijs Pontificum, nisi oppositum in illis, aut alibi declaretur, cap. 18. num. 4.
- 1 Delinquens extra Claustra Religiosus Episcopo infante, à sub Superiore punitur, cap. 16. num. 26. Qualiter hoc faciendum ex Decreto Clem. VII. ibid. Quid circa hoc permittatur Episcopo, ibid. num. 27.
- 1 Dementia, quæ omnino mente priuat professionem irritat, c. 2. num. 24.
- 1 Denunciatio quando procedit iudex Regularis, cap. 27. num. 1. Est duplex alia Evangelica, alia iuridica, ibidem. Quid sit vtraque, ibid. Quomodo in illa procedendum, ibid. num. 19. Ad illam non prærequiritur infamia, ibid. Non semper admittenda, ibid. numer. 21. Quid in illa faciendum, ibid. num. 26.
- 1 Denunciator culpam deferri debet ad Superiorem, cap. 27. num. 19. Præmissa correctione fraterna, ibid. Et prius ad ipsum vt Patrem, quam vt Iudicem, si speratur remedium, ibid. An teneatur probare delictum, ibid. num. 20. Differentia inter ipsum, & Accusatorem, ibid. Vide verb. *Accusator*.
- 1 Deposita habere an liceat Religiosis, c. 6. num. 23.
- 1 Descendentes ex genere infecto Hebræorum, Sarracenorum, &c. possunt de iure communi admitti in Religionibus, c. 24. num. 25.
- 1 Dies festi ab Episcopo designati seruandi à Regularibus, c. 9. num. 46. Qualiter id faciendum, ibid.
- 1 Discontinuatio Officij Diuini qualiter liceat, cap. 12. nu. 16. Discontinuatio Missarum S. Gregorij an possit fieri, c. 21. num. 22.
- 1 Differre Professionem an liceat, vel irritet factam, cap. 24. num. 41.
- 1 Dispensare possunt Prælati in Regule Obseruantijs, cap. 7. num. 29. & cap. 18. num. 54. Ad hoc requiritur iusta causa, cap. 7. num. 29. Etiam in Constitutionibus quoad aliquos casus, cap. 8. num. 23. & cap. 18. nu. 54. Aliqui etiam Prælati dispensare possunt in irregularitatibus quibuldam, cap. 18. numer. 49. Quæ in hoc consideranda, ibidem numer. 41. & 42. Et in aliquibus pœnis priuationis, in habilitatis, &c. ibid. 46. Quid de præceptis Ecclesiasticis, ibid. num. 55. An cum illegitimis, ibid. à num. 60. Vide verbo *Prælati*.
- 1 Dispensare an possint Confessarij Regulares in votis secularium, cap. 19. numer. 22. & 24. Aut cum coniugibus incæstuosus ad petitionem debiti, num. 25. & 26. Vide verb. *Confessarij Regulares*.
- 2 Diffinitorijs munus an possit concedi illegitimis, capit. 17. num. 50.
- 2 Dignitas est administratio cum iurisdictione, cap. 13. nu. 2. Qui Religiosi illam non possunt prætere. 4.
- 2 Donare prohibitum Religiosis, cap. 19. num. 54.
- 2 Donati Religionum qui sunt, cap. 8. num. 1. An sint verè religiosi 2. Vide verb. *Conuersi*, & verb. *Oblati*.
- 1 Dominum quid sit, cap. 6. num. 2. Eo priuatur Religiosus per paupertatem, ibid. Non bonorum spiritualium, sed temporalium, ibid. num. 4. Neque iurium spiritualium, aut quarundam rerum pretio non æstimabilium, ibid. Neque bonorum temporalium in communi, ibid. num. 5.
- 1 Donare an possint Religiosi, cap. 6. à numer. 46. præsertim num. 52. Quales & quomodo, donationes possunt facere Nouitij, cap. 24. à num. 32.
- 1 Donatiua Principibus quandoque concessa non soluunt Regulares, cap. 11. num. 26.
- E
- 1 Ebrisorum pœnæ, cap. 9. num. 38.
- 1 Ecclesiæ Regulares, quæ visitari possint ab Episcopis, cap. 11. num. 7. Quid in illis possint Regulares ipsi, capit. 12. num. 41. Quæ in illis non permittenda, cap. 21. nu. 34.
- 2 Ecclesiæ an possint vniri Monasterijs, capit. 18. num. 24. A quibus tunc gubernandæ. 25. & 26. Visitandæ. 27. Quid circa salarium, ibid. Eo ipso quod sunt concessa Monachis ad eos spectat cura illarum. 30.
- 1 Egrediens Religiosus è Monasterio sine licentia Superioris



# I N D E X.

- tis grauitèr peccat, cap. 16. num. 2. Sæpius mortaliter. ibi.  
 Maxime egressu nocturno, ibid. numer. 3. Non sufficit licentia generalis, ibid. num. 5. Requiritur regulariter explicita, licet in aliquibus casibus sufficiat implicita, ibid. num. 4. Propter talem recessum non est iure communi imposita censura, ibid. num. 11. Vide verb. *Apostata*, & verb. *Fugitiuus*.
- 1 Eijci, seu expelli possunt ob incorrigibilitatem ab Ordine, cap. 23. num. 1. Qui censentur incorrigibiles, ibid. num. 2. & 3. A quo eijciendi, ibidem numero 3. & 5. Solum propter incorrigibilitatem, ibid. nu. 4. Aliter erecti compellere possunt Monasterium ad receptionem, ibid. nu. 6. A Prælatis quærendi ibidem, num. 7. Subsunt Ordinarijs, ibid. num. 8. Sunt perpetuò suspensi, ibidem. plene correcti cogere possunt Religionem ad sui receptionem, ibidem, num. 9. non tenentur redeuntès facere nouam professionem, ibidem. tempore, quo manent eiecti non possunt ad æqualem, seu laxiorem Religionem, transire sine licentia Superiorum, ibid. numer. 10. Manent verè Religiosi, & cum onere trium votorum, ibid. num. 11. 12. & 14. non tenentur transire ad aliam Religionem, ibid. num. 13. Nec possunt testari, numer. 14. nec facere suas expensas, aut magnas donationes, ibidem. acquirunt Religioni vnde sunt eiecti, ibid. num. 15. Bona ipsorum post mortem ad quos pertineant, ibid. numer. 16. an teneantur ad obseruantias Regulares, & alia vota vltra essentialia, ibid. numer. 17. quid de Habitu, & Officio Diuino recitando, ibid. non possunt confessiones audire, prædicare, aut docere, ibidem, nu. 18. an sint infames, & irregulares, ibid. non tenentur Religio providere illis de necessarijs, ibid. nu. 19. Litteræ dimissoriæ quomodo illis concedendæ, ibid. num. 20. Moniales expelli an possint, cap. 25. num. 17.
- 1 Electores. Vide verbo *Electioes*.
- 1 Electiones Prælatorum Regularium ad Regulares ipsos spectant respectiue, cap. 15. num. 1. eligentes Prælatorum debent esse Professores, ibid. num. 2. sufficit Professio tacita, ibid. Conuersi, siue Laici de iure communi non habent vocem in electionibus, ibidem, num. 3. nec qui non sunt constituti in Sacris Ordinibus, ibid. numer. 4. debent electores liberi esse à censura, priuatione, seu impedimento Canonico, ibid. num. 5. Quando est dubium, quod aliqui ex electoribus habeant impedimentum, possunt admitti cum protestatione talis dubij, ibidem, numer. 7. vocandi sunt ad electiones præsentès, & absentes, qui possunt, debent, & volunt interesse, ibid. numer. 8. absens de iure communi potest creare procuratorem ad eligendum, ibid. num. 9. sufficit maior pars ad electionem, ibid. num. 10. hæc verò maior pars sumenda est respectu totius corporis capituli, ibidem. electiones factæ per modum scrutinij, compromissi, & inspirationis sunt iure communi validæ, ibidem numer. 11. debet eligi dignior sub reatu peccati mortalis, ibid. num. 12. In foro tamen exteriori sufficit electio digni, ibidem. debent electores iurare se electuros digniorem, ibid. num. 13. eligentes indignum non solum peccant mortaliter, sed incidunt in censuram suspensionis, ibid. numer. 14. Intelligitur de indigno, qui alia scientia, quam per Sacramentalem Confessionem cognoscitur talis, ibidem. In nullo casu licet eligere indignum, ibidem. nec peccatorem publicum, ibidem, num. 15. Benè tamen peccatorem occultum, ibid. electio Canonica facienda in loco sacro, ibid. numer. 19. & de die, nisi consuetudinis, seu necessitatis ratione, ibidem. omnes capitulares nemine discrepante possunt admittere ad eligendum vnà cum eis aliquem extraneum, ibidem, num. 20. In quacumque electione necessaria est confirmatio superioris, ibidem, numero 35. confirmanda est à proximo superiori, ibidem, numer. 36. qualiter se debeat gerere tam electus, quam confirmator, ibidem. eligentes aliquem vnanimi consensu ad aliquod officium non possunt se postea electioni opponere, ibid. nu. 37. Vide verbo *Prælati*, & verbo *Simonia*.
- 1 Electionibus Præpositarum Monialium quis assistere, aut præsidere debeat, c. 24. n. 45. & 46. Vide verb. *Moniales*.
- 2 Electionis per scrutinium, iuxta c. *Quia propter conditiones*, cap. 12. nu. 27. sunt pro electionibus Prælatorum 28. quo pacto intelligendæ, ibid. obseruanda in electionibus 31. & 33. quæ electiones confirmandæ, nu. 29. & seq. Vide verbo *Confirmator*.
- 2 Electores debent esse habiles, cap. 12. num. 29. quid quando in aliqua electione admittuntur inhabiles, ibid. qui eijciendi à Capitulo 30. quid faciendum quando dubitatur de habilitate alicuius electoris, ibidem. electores electionis factæ per abusum secularis potestatis qualiter puniendi. 47.
- 2 Eleemosynas liberè quærant Mendicantes, capit. 1. numero 35.
- 1 Eleemosynas à Pœnitentibus liberaliter datas Confessarijs licet accipere, cap. 19. nu. 39. Iniungere autem eleemosynas pro Pœnitentia, non ita, ibid.
- 1 Elias, & Eliseus Monasticem amplexati, cap. 1. nu. 2.
- 2 Emphyteosis quid sit, cap. 19. numer. 5. An Monasteria sint capaces illius. 5. & 15. an iuris nominandi ad emphyteosim. 12.
- 1 Episcopi Prælati Religiosorum, & Monialium non exemptorum, & ita illis tenentur obedire, cap. 11. num. 1. Secus de Religiosis exemptis, ibid. num. 2. Non obstante tamen exemptione tenentur Religiosi reuerti, & honorare Episcopos, ibid. numer. 3. Non possunt particulares Religiosi renuntiare huic Priuilegio, ibid. num. 5. Possunt ab illis absolui, & dispensari quoad censuras, & irregularitates Episcopis reseruatas, ibid. numer. 6. Possunt etiam Episcopi visitare Ecclesias Parochiales Regularium, ibid. num. 7. Punire Regularem extra Monasterium degentem, ibid. num. 8. & iudicare illum in ciuilibus causis mercedem, & miserabilium personarum, ibid. num. 10. cogere Abbates ad habendum lectionem S. Scripturæ, vbi commodè haberi potest, ibidem, num. 11. procedere per censuras contra Religiosos dantes, vel accipientes aliquid pro ingressu Nouitiorum, ibidem, num. 12. non tamen possunt per censuras procedere contra Regulares, nisi in casibus, in quibus hoc illis conceditur, ibidem, num. 14. neque declarare excommunicatum religiosum, nisi hoc illis sit specialiter concessum, ibid. numer. 15. neque cogere vt assistant Synodis Diocesanis, nisi Regulares curam animarum habentes, ibid. num. 20. possunt tamen coniugem inualidè professum è Monasterio extrahere, ibid. num. 22. Absoluunt Regulares quando illos ordinant à censuris, c. 14. nu. 22. non possunt admitti ad Religionem sine licentia Pape, cap. 24. nu. 11. Vide verbo *Assumpti ex Religionibus*.
- 1 Episcopatus est status perfectior Monachismo, cap. 1. num. 1. & cap. 17. num. 22. Sed non propterea licitè desideratur (regulariter loquendo) à Religioso, ibidem. Episcopatu indignus illum appetens grauissimè peccat, ibidem. Qui propter finem bonum, & spiritualem, etiam peccat, & læpè mortaliter, ibidem. In casu tamen necessitatis Ecclesiæ licitè desideratur Episcopatus à dignis, ibidem.
- 1 Episcopalis status est perfectionis exercendæ. c. 17. nu. 22.
- 2 Eremitarum triplex genus, cap. 7. nu. 1. Qui sint inhabiles ad matrimonium. 3. An sint personæ Ecclesiasticæ. 4. An gaudeant priuilegia fori. 5. An priuilegio Canonis. 6. An exemptione à gabellis, & collectis. 7. Qui illorum sint tollerandi. 8. An qui voto promiserunt vitam eremiticam ad illud obligentur. 9.
- 2 Eucharistiæ Sacramentum quomodo ministrent Mendicantes, c. 1. nu. 20. Exponi non debent sine causa ab Ordinario approbata. 26. Sumendum à Monachis singulis mensibus, c. 2. num. 34.
- 1 Eucharistiæ Sacramentum ministrare sine Parochi licentia prohibitum est Religiosis sub excommunicationis pœna, cap. 9. num. 31. Benè tamen ex Priuilegio excepto die Paschatis, cap. 21. numer. 8. Qualiter hoc intelligendum, ibidem.
- 1 Euntes Religiosi extra mare sine licentia Superiorum ad partes, in quibus pauci fideles reperiuntur, sunt excommunicati, cap. 9. num. 31.
- 1 Examen pro Monialibus in Ordinario faciendum, cap. 25. num. 12.
- 2 Examen puellarum Deo dicandarum à quo, & quomodo faciendum, cap. 1. num. 24.

# I N D E X.

- 1 Examinatores pro Prædicatoribus, Confessoribus, & Lectoribus quando eligendi, cap. 10. numer. 20. & cap. 18. num. 79.
- 1 Extremam Vnctionem ministrare sine Parochi licentia prohibutum est Religiosis sub pœna excommunicationis, c. 9. n. 71. & c. 21. n. 10.
- 1 Exorcizare possunt Regulares, c. 11. n. 21.
- F
- 1 Fabulas, facetias, aut simile prædicantes regulariter peccant saltem venialiter, c. 20. n. 16.
- 1 Familiares Regularium, c. 21. n. 10.
- 1 Feria quinta, & sexta Maioris Hebdomadæ an celebrari possit, cap. 21. n. 18.
- 1 Fideiussores nequeunt esse Religiosi, nisi de licentia Prælati, & maioris partis Capituli, cap. 9. num. 18. Et cum utilitate Monasterij, ibid. Vnde fideiussio Religiosi illicita, & nulla est, ibid.
- 1 Filij an possint ingredi Religionem Parentibus in extrema, aut graui necessitate existentibus, cap. 24. num. 40. Quid possint facere iam Professi, ibid.
- 1 Fœminæ non possunt permitti ingredi Monasteria virorum sub multis pœnis, cap. 10. num. 9. & 13. Puellæ tamen paruulæ permitti possunt, ibid. num. 10. Imperatrices etiam, & Reginæ, ibid. Secus de Fundatricibus Monasteriorum dici debet, ibid. Causa etiam infirmitatis solum per fœminam curandæ potest admitti, ibidem. Nominem Monasterij, in quod fœminis ingressus interdicitur, intelliguntur ea, quæ sunt intra septa Monasterij, cap. 10. numer. 11. Non prædia, domus, horti, aut alia separata a Monasterijs, ibid. Secus verò horti, & viridaria, quæ sunt in ipso Monasterio, ibid. Licitus etiam est ingressus illarum in claustra quorundam Religiosorum, quando in eis celebrantur Missæ, & alia Officia diuina, ibid. n. 12.
- 1 Formula, qua formandi sunt processus Regularium, c. 27. num. 27.
- 1 Fornicantium pœna, c. 5. n. 16.
- 1 Foro conscientiæ, quid intelligatur in Priuilegijs, cap. 18. num. 45.
- 1 Fugere licet potest Religiosus ex Conuentu, si certò constet illum iniuste vexari à Superiore, cap. 16. num. 8. Secus si in pœnam alicuius delicti detinetur in carcere, ibid. num. 9. Etiam perpetuo, ibid. num. 10. Nisi quando constaret pœnam illam esse iniustam, ibid. num. 9. Aut si pœna capitis, aut abscissionis membri illi immineret, ibidem. Damnatus etiam ad tritremes potest fugere ad Superiorem veniam petiturus, ibid. n. 10.
- 1 Fugitiuus dicitur ille Religiosus, qui egreditur è Monasterio sine licentia cum animo reuertendi, cap. 16. num. 7. Etiam si hoc faciat sine habitu, ibid.
- 1 Fur Religiosus perpetuò deponitur, cap. 9. num. 43. Non tamen propterea eijcitur his temporibus à Religione, ibidem.
- 1 Furiosi non admittendi ad Religionem, cap. 24. numer. 18. Qui tales sint censendi, ibid.
- 1 Futurorum enunciatio prohibita Concionatoribus, capit. 20. num. 10. Maxime de aduentu Antichristi, & die iudicij, ibid.
- 2 Familiares Regularium qui dicantur, cap. 16. numer. 17. An sint personæ Ecclesiasticæ. 2. Priuilegia illis concessa à num. 3. vsque ad 11. Pro tempore interdicti. 12. Qualiter moderata à Concilijs 13. & 14. Quæ maneat in sua vi. 15. An quoad Sacramentum pœnitentiæ illis ministrandum. 16. & 17. An quoad Sacramentum Matrimonij. 18. An quoad Eucharistiam tempore Paschatis. 19. An quoad extremam vnctionem. 20. An pro talium administratione exigatur approbatio Ordinarij. 21. Quid de sepultura. 22. An, & quando possint excommunicari, & interdicti. 23. Quæ priuilegia habeant pro articulo mortis. 24. Quas Indulgentiæ. 25. An possit cum eis dispensari in illegimitate. 26. Quid possint tempore interdicti. 27. & 30. In locis quibus publicatur Bulla Cruciatæ. 29. De quibus familiaribus id intelligendum. 31. & 32. An habeant Conseruatores. 33. An possint ius priuilegijs vti contra Fratres. 34. Quando perdantur. 35.
- 2 Feudum quid sit, cap. 19. num. 4. An possint illud habere Monasteria 4. & 14.
- 2 Fideicommissum quid sit, cap. 19. num. 10. An illud possint habere Monasteria. 10. & 20.
- 2 Filij militum Regularium an illegitimi, cap. 5. n. 41.
- 2 Formula celebrandi Capitula in Ordine Carmelitarum, cap. 12. n. 54.
- 2 Formula instituendi Confraternitates, cap. 15. n. 13.
- 2 Fructus colligere possunt Mendicantes antequam Curatus habuerit suas primitias, cap. 3. n. 4.
- 2 Fundatores Iuris patronatus Monasteriorum, vel Cappellarum, cap. 11. num. 19. Conditiones ab ipsis positæ an mutari possint. 23. & 24.
- G
- 1 Gabellas, aut similes contributiones non soluunt Mendicantes, cap. 3. n. 14.
- 1 Generales Religionum tenentur ex vi Obedientiæ obedire Papæ, cap. 4. num. 33. Eo ipso quo sunt electi, sunt confirmati, saltem in aliquibus Religionibus, cap. 15. nu. 35. An possint eximere aliquem Religiosum ab Obedientia Superioris immediati, cap. 18. nu. 23. Non possunt fundare, erigere, seu diuidere Prouincias, num. 24. Vide verb. *Pralati*.
- 2 Generalis est supremum Caput Religionis, cap. 17. nu. 10. Eius dignitas assimilatur quodammodo Patriarchali. ibidem. Quomodo creandus, ibid. Quæ conditiones pro ipso requirantur. 11. Habet supremam auctoritatem in Religione. 12. Inferiorem tamen, & dependentem à Capitulo Generali, ibid. Potest Officia, & Beneficia Religionis dispensare. 13. Dignioribus, & melioribus, ibidem. An condere leges, & decreta. 14. An mortaliter peccans teneatur confiteri circumstantiam Generalis. 15. Quam auctoritatem habeat ad dispensandum cum illegitimis, cap. 12. n. 21.
- 1 *Gloria in Excelsis* quando dicenda, vel non in Missis votiujs, c. 21. num. 27. Illam omittere quando dici debet, quale peccatum, ibid.
- 2 Gradus Doctoratus maximè concedendi studentibus linguarum, cap. 18. n. 84.
- 1 Graduati etiam in Theologia, vel Lectores debent ab Episcopis approbationem obtinere ad audiendas Confessiones, cap. 19. numer. 6. Tenentur sequi Chorum, cap. 18. num. 70. Graduati an debeant esse Confessores, vt aperiant Breuia S. Pœnitentiariæ, cap. 19. n. 38.
- 2 Gradus quid sint, cap. 13. num. 6. Tribui possunt Religiosis. 42.
- 2 Graduati tenentur sequi Chorum non obstante quocumque priuilegio, cap. 13. num. 42. Non possunt vti aliquo gradu sui priuilegio nisi actu legant, vel prædicent, ibid. Quomodo id accipiendum, ibid. Inepti, & idiotæ qualiter peccent. ibid.
- 2 Gremiales Capitulorum quas condiciones habere debent, cap. 12. n. 16.
- 1 Grangia Monasteriorum an possint habere Oratoria, vbi Missa celebretur, cap. 21. n. 15.
- 1 Gratia, & Indulgentia S. Mariæ de Populo de Vrbe quomodo prædicandæ, cap. 20. n. 9.
- 1 Grauari debitis, & ratiocinijs non possunt recipi ad Religionem, cap. 24. n. 17.
- H
- 1 Habitu proprium tamerè dimittentes Religiosi sunt excommunicati, cap. 9. num. 1. & cap. 13. nu. 2. Comprehendit hæc excommunicatio etiam modernos Religiosos, cap. 13. num. 2. Non comprehendit illos, qui iusta, & honesta causa illum dimittunt, ibidem. Nec qui ex ignorantia id facerent, ibidem. Incurritur tamen etiam si fiat animo non apostatandi, ibid. nu. 3. Et etiam si fiat solum per aliquod tempus non multum breue, ibid. num. 4. Etiam intra Monasterium, ibid. num. 5. Incurritur quoque ab illo qui Habitum suæ Religionis dimittit, & alterius Ordinis induit, nisi ex causa rationabili, ibid. num. 6. Etiam in lecto tenetur Religiosus Habitum suæ Religionis portare, ibid. num. 7. Quantum verò peccatum sit oppositum, ibid. Occultans etiam Habitum, ita vt nullo modo appareat, absque rationabili causa incurrit etiam excommunicationem, vt probabilis, ibid. num. 8. Potest tamen à Papa dispensari Religiosus in Habitum dimissio.

# I N D E X.

- dimissione, ibid. num. 9. Mutare Habitum Religiosum in  
 secularem seruo prohibitum etiam est Regularibus, ibid.  
 numer. 10. Ludi causa id facere non erit peccatum, præ-  
 fertim mortale, ibid. Quid de mutatione, aut occultatio-  
 ne non totius Habitūs, sed partis ipsius sit dicendum,  
 ibid. num. 11. Contra eos, qui Habitum Carmelitarum,  
 vel similem portant possunt procedere Diocesani, ibid.  
 num. 12.
- 1 Heredes possunt institui Religiosi, cap. 6. num. 45. Præter  
 Minores de obseruantia, & Capuccinos, ibid.
- 1 Hereditas quando ad eunda cum beneficio inuentarij, c. 24.  
 num. 38.
- 1 Heresis casum antiquitus iudicabant Carmelitarum Præ-  
 lati, cap. 18. num. 18. Modò post Paul. V. non ita, ibid. De  
 Heresi suspecti denunciantur Inquisitoribus, ibid. De-  
 nunciantes non possunt à Superioribus molestari, ibid.  
 Absolutio ab Heresi, cap. 19. n. 19.
- 2 Heredes institui an possint Monasteria, c. 19. n. 44.
- 2 Hereditas contingens Monasterijs an possit ab illis repu-  
 diari, cap. 19. n. 60.
- 2 Hierarchia Religiosa assimilatur Ecclesiasticæ, c. 13. n. 8.
- 1 Hermaphroditū professio, si in eo præualeat viri sexus, in  
 Monasterio virorum, si fœmineus, in Monasterio Mon-  
 nialium, valida est, cap. 2. num. 20. Si vterque sexus æqua-  
 lis sit nullibi validè profiteretur, ibid.
- 1 Homicidæ Religiosi pœna, c. 9. n. 44.
- 1 Homicidij dispensatio, cap. 18. n. 43. & 44.
- 1 Horæ Canonice. Vide verb. *Officium Diuinum.*
- 1 Hospites Religiosi an obligentur legibus, seu præceptis Mo-  
 nasteriorum vbi sunt, cap. 4. n. 22. Quibus debeant con-  
 fiteri, cap. 18. n. 27.
- 2 Honorum nomine quid intelligatur in Constitutionibus  
 Pontificijs, cap. 13. n. 5.
- 2 Hospitalia Regularia subeunt conditiones beneficij Regu-  
 laris, cap. 6. numer. 6. Quid declaratum circa illa. 11. Eo-  
 rum administrationes, siue Rectoriæ an sint materia si-  
 moniæ. 15. Bona ipsorum an possint alienari. 16. Recto-  
 res illorum gaudent priuilegio fori. 17.
- 2 Hospitalarij Regulares qui sint, cap. 6. num. 1. Sunt verè re-  
 ligiosi. 2. Quidam ipsorum aliud votum præter essentia-  
 lia emittunt. 3. Cruciferorum priuilegia. 4. S. Antonij  
 Viennensis, ibid. S. Spiritus in Saxia. ibid. B. Ioannis de  
 Deo. ibid. Habent aliqui ipsorum Beneficia Regularia. 5.  
 Quæ illis præcipiantur à Conc. Viennens. 7. & 8. Quæ à  
 Concil. Trident. 9. & 10. Subiiciuntur quoad Regularem  
 obseruantiam suis Prælati. 12. Quid declaratum de Fra-  
 tribus. B. Ioannis de Deo. 12. 13. & 14. An ad illos fieri  
 possit transitus. 18.
- 1 **I**anitor in Monasterijs constituendus, cap. 16. n. 6. Quod  
 eius munus, ibid.
- 1 Iaponium, & Regiones propinquas accedere prohibitum  
 fuit Religiosis, exceptis Iesuitis, cap. 16. num. 28. Modo  
 concessum à Clem. VIII. ibid. Qualiter in hoc se gerere  
 debeant, ibid.
- 1 Ieiunia Regulæ, & Constitutionem Ordinum obligante-  
 nam iuuenes ante 21. ann. cap. 7. n. 26.
- 1 Illegitimi an possint esse Prælati. cap. 15. num. 25. & 38. &  
 cap. 18. num. 7. & 8. An cum eis dispensent Superiores  
 Religionum, cap. 18. nu. 60. 61. 62. & 63. Quando cen-  
 sentur dispensati. ibid. num. 61. & 63. Officia, ad quæ ille-  
 gitimi non sunt capaces sine dispensatione, ibid. nu. 62.  
 An illegitima eligi possint in Abbatissam, seu Prior. tam,  
 cap. 26. n. 6.
- 2 Illegitimi quomodo, & à quibus dispensandi, cap. 12. nu. 21.  
 Quæ sunt ea, quibus sunt incapaces, cap. 13. num. 50. &  
 cap. 18. n. 34.
- 1 Immunitates concessæ Religiosis possunt à Prælati coar-  
 ctari, cap. 8. n. 28.
- 1 Impedientes vi, vel fraude quòd aliquis non fiat Religio-  
 sus, aut quòd Nouitius non profiteatur, ad quid teneat-  
 ur, cap. 24. n. 28.
- 1 Imprimi prohibitum in materia de Auxilijs, c. 10. n. 24.
- 1 Indiarum ad partes missi Religiosi non possunt in itinere  
 commorari, vel ad loca eis non destinata declinare, c. 16.  
 num. 29.
- 1 Indicia quæ sint, aut quæ sufficiant ad inquisitionem facien-  
 dam contra Religiosum, cap. 27. à n. 6.
- 2 Inducere aliquem ad Religionem quando licitum, & quan-  
 do illicitum, cap. 24. n. 29.
- 1 Indulgentiæ Regularium limitatæ sunt à Paul. V. c. 3. n. 19.  
 Non tamen videntur reuocatæ, quæ erant concessæ pro  
 defunctis, ibid. Indulgentias concessas ab Episcopis lu-  
 crari possunt Religiosi, cap. 11. numer. 23. Qualiter illas  
 prædicare possint, aut debeant Concionatores, cap. 21.  
 num. 17.
- 1 Infamia quid sit, cap. 27. num. 6. Infamia præcedere debet  
 de delicto, vt Prælati possit de illo interrogare, cap. 18.  
 num. 17. & c. 27. à n. 6.
- 1 Infames infamia iuris, vel facti non possunt admitti ad mu-  
 nus concionandi, c. 20. n. 14.
- 1 Inferiores à suis Prælati grauati possunt licitè ad Superio-  
 res recurrere, cap. 4. nu. 34. Possunt etiam, & aliquando  
 debent suos superiores corrigere, ibid. nu. 36. Ligantur  
 præceptis Superiorum etiam absentes à locis vbi sunt,  
 ibid. num. 37.
- 1 Ingressus in Monasteria Monialium. Vide verb. *Moniales.*
- 1 Ingredi in Monasteria Fratrum. Vide verb. *Fœmina.*
- 2 Iniuria manifesta quæ dicatur, cap. 10. n. 22.
- 1 Inquisitione quando procedit Index Regularis, cap. 27. n. 1.  
 Inquisitio duplex, generalis, & specialis, ibid. Quid vtra-  
 que inquisitio, ibid.
- 1 Inquisitionis generalis modus procedendi, cap. 27. num. 1.  
 Ea proceditur in visitationibus Regularium, ibid. nu. 2.  
 Non requiritur ad illam, quod præcedat infamia de  
 delicto aliquo, ibid. Nec in illa, iure communi, petitur  
 iuramentum, ibid. In illa non sunt interroganda, aut ma-  
 nifestanda delicta occulta, ibid. Nisi Prælati vt Patri,  
 ibid. Semper præmittenda correctio fraterna, si sit spes  
 emendæ, & opportunitas, ibid. In illa non debent denun-  
 ciari peccata iam emendata, ibid. Neque quæ aliquis au-  
 diuit à persona non fide digna, ibid. Denunciari tamen  
 debent de defectibus Religiosorum, saltem denunciatione  
 paterna, ibid. num. 3. Et etiam Iuridica, si prior iudica-  
 tur inutilis, ac suppetunt testes idonei, quibus probentur,  
 ibid. Qualiter Prælati in ea se gerere debeat, ibidem.
- 1 Inquisitione speciali procedit Index Regularis. Primò,  
 quando ex inquisitione generali, seu visitatione constat,  
 illi crimen aliquod ab aliquo religioso esse commissum,  
 cap. 27. num. 4. Secundò, quando delictum est notorium  
 malefactor autem occultus, ibid. nu. 5. Requiritur etiam  
 regulariter ad inquisitionem specialem, præcedat infam-  
 ia, clamorosa insinuatio, indicia graui, aut semiplena  
 probatio, num. 6. 7. & 8. Qualiter hoc etiam intelligi de-  
 beat in criminibus atrocioribus, num. 9. non verò est hoc  
 necessarium in inquisitione, quæ non est ad punitionem,  
 sed ob alios fines, ibid. n. 10. Praxis inquisitionis specialis,  
 ibid. n. 11.
- 2 Interdicta quando suspendantur à Mendicantibus, capit. 1.  
 num. 2. Interdicti tempus pro Tertiarijs, cap. 14. num.  
 36. Pro Confratribus, cap. 15. num. 36. Pro familiaribus,  
 cap. 16. num. 12. 23. & 27. Pro procuratoribus, cap. 17.  
 num. 6.
- 1 Interdicti tempore sepelire cadauera defunctorum extrà  
 casus iure permisso, aut publicos excommunicatos, aut  
 nominatim interdictos, aut manifestos vsurarios, pro-  
 hibitum est Religiosis, sub pœna excommunicationis,  
 cap. 9. num. 29. Tenentur religiosi quæcunque interdicta  
 seruare, ibid. Etiam si valida non sint, quando ea obser-  
 uat Matrix Ecclesia, ibid. Qualiter verò tempore interdi-  
 cti, aut cessationis, à diuinis possint, aut non, Officia, &  
 Missas celebrare, cap. 21. n. 19. & 20.
- 1 Interpretari Decreta Concil. Trid. & Summ. Pontif. circa  
 paupertatem Religiosorum ad quos pertineat, capit. 18.  
 num. 76.
- 1 Irregularitates an dispensentur à Prælati Regularium,  
 cap. 18. num. 40.
- 1 Itinerantes Religiosi cui possint confiteri, cap. 18. nume-  
 ro 27.
- 1 Iubilæa quid intelligant nomine Confessarij approbati ab  
 Ordinario, cap. 19. numer. 19. An possit virtute Iubilæi  
 approbatus pro viris eligi à fœmina, ibidem. Dispensatio  
 in

# I N D E X.

- in irregularitatibus non conceditur in Iubilæis, nisi ex-  
 primatur, ibid.
- 1 Iudices, etiam arbitri, nequeunt esse Religiosi, nisi cum li-  
 centia Superiorum, & utilitate Monasterij, cap. 9. nu. 14.  
 Possunt tamen esse Assessores, ibid. Episcoporum etiam  
 Vicarij, saltem de iure communi, ibid.
  - 1 Index Regularis quomodo procedere debeat, c. 27. per to-  
 tum. Triplici via, scilicet accusationis, denunciationis, &  
 inquisitionis procedere potest, ibid. n. 1. Inquisitione ge-  
 nerali quomodo procedendum, ibid. n. 1. 2. & 3. Inquisitio-  
 ne speciali quomodo à numer. 4. vsque ad 11. Denuncia-  
 tione quomodo à numer. 19. vsque ad 21. Accusatione à  
 numer. 22. Non potest cogere testes, vt dicant quod ne-  
 sciunt, ibid. num. 11. Imò monendi ab ipso de modo di-  
 cendi veritatem, ibid. Non potest reum de vno crimine  
 conuictum de alio interrogare, ibid. num. 12. sumpta  
 confessione à reo quid facere debeat, ibid. num. 15. Si de-  
 lectum non est penè probatum, nec reus illum confite-  
 tur, quid facere debeat, ibid. num. 16. An possit torquere  
 reum, ibid. Quando, & quibus præmissis proferre senten-  
 tiam, ibid. nu. 18. Quid agere facta denunciatione, ibid.  
 num. 21. Non tenetur apices, & rimulas iuris seruare,  
 cap. 18. n. 16. & c. 27. n. 26.
  - 1 Iuramenta Regularium, an tolli possint à Prælatis ipsorum,  
 cap. 18. n. 57.
  - 1 Iuris apicibus postpositis procedere possunt Prælati Regu-  
 lares contra suos subditos, cap. 18. num. 16. Qui sint hu-  
 iusmodi apices Iuris, ibid.
  - 1 Iurisdictionis Ecclesiasticæ non sunt capaces fœminæ, cap.  
 26. à num. 8. Nec etiam Præpositæ, aut Præfectæ Monia-  
 lium, ibid. Vnde quando exercent aliquos actus Iurisdic-  
 tionem sapientes solum designant materiam, vel aliquid  
 huiusmodi, ibid. n. 12.
  - 2 Iubilæi centesimi tempore an suspendantur priuilegia  
 Mendicantium, cap. 1. n. 60.
  - 2 Iudices Conseruatores qui dicantur, cap. 10. num. 1. & 2.  
 Plures Religiones habent facultatem illos nominandi,  
 3. 4. & 5. An sint sublati per Conc. Trident. 6. & 7. Quas  
 qualitates debeant habere. 9. Eorum auctoritas, 25. &  
 26. Coarctata est à Sede Apostolica. 35. 36. 37. & sequent.  
 Quomodo intelligenda Constitutio Gregor. XV. circa  
 illos. 47. Ipsorum priuilegia moderata. 48. Qualitates mo-  
 do pro ipsis requisitiæ. 50. 51. 52. & sequent. Quomodo  
 coarctata eorum auctoritas his temporibus. 60. 61. 62.  
 63. 64. In quibus causis se intromittere debeant. 65. 66.  
 67. 68. Quomodo decidendæ controuersie inter ipsos,  
 & ordinarios, num. 69. De alijs spectantibus ad ipsos. 70.  
 & seq.
  - 2 Iurisdicção temporalis competere potest aliquibus Mona-  
 sterijs, cap. 19. n. 6. & 16.
  - 2 Ius patronatus quid sit, cap. 11. numer. 1. Est duplex. ibidem  
 Quomodo adquiritur. 3. & 4. Quas qualitates habeat. 5.  
 An sit materia simoniæ. 7. An transeat ad alios. 8. & 10.  
 Ad quem pertineret in casu quo Monachus fundaret Ec-  
 clesiam. 13. Quando transit ad Monasterium quis de-  
 beat præsentare. 14. 15. & 16. An adquiratur ex bonis  
 incertis. 18. Quæ Monasteria sint capacia illud habendi.  
 cap. 19. n. 11. Quo pacto, ibid. n. 21. 22. & 23.
- L
- 1 Laborare manibus non tenentur Mendicantes, cap. 1.  
 num. 9.
  - 1 Laborare, quod præcipitur in Regulis, nisi explicetur de  
 labore manuum, sufficienter impletur laborando alijs  
 exercitijs, cap. 7. num. 23. Laborare manibus non est iure  
 naturali, aut diuino præceptum Religiosis, ibid. Labora-  
 re autem aliquo genere laboris respectiue ad personas  
 ad eò necessarium est Religiosis, vt quidam dicant peccare  
 mortaliter id ommittentes, ibid. nu. 23. Qualiter hoc  
 sit intelligendum, ibid.
  - 1 Lectio Sacræ Scripturæ, vel de Casibus Conscientiæ bis in  
 hebdomada habenda à Regularibus, cap. 10. numer. 20.  
 Vide verb. S. Scriptur.
  - 1 Legatum Monachis relictum quomodo accipiendum, vt  
 non derogetur Voto Paupertatis, cap. 6. num. 34. Legata  
 commutare an liceat, cap. 10. n. 49.
  - 1 Leges condere in Religione iure communi solum spectat

- ad Generale Capitulum, cap. 18. num. 90. An autem ex  
 consuetudine, vel Priuilegio id competat Generalibus,  
 maxime Carmelitarum, ibi. Casu quo id faciant debent  
 esse cum consilio illis assitentium, ibid. In Legibus latis à  
 Superioribus non possunt dispensare Prælati inferiores,  
 nisi quando expressè, vel interpretatiue hoc illis conce-  
 ditur, ibid. num. 86. Secus tamen in pœnis non reserua-  
 tis, ibid. Prælati autem Superiores circa leges, & pœnas  
 positas ab inferioribus ulterius possunt illas restringere,  
 & coarctare, ibid. num. 87. Sed non sine causa, ibid. Vide  
 verb. Constituciones.
- 2 Legata an possint competere Monasterijs, cap. 19. nu. 45.  
 An etiam religiosis particularibus. 46. Quid de legatis re-  
 lictis ad certum vsum an possint alijs applicari. 47. An re-  
 pudari possint à Regularibus. 60.
- 2 Licentiæ pro ingrediendo in Monasteria Monialium à quo  
 concedendæ, cap. 1. num. 22. Pro construendis domibus  
 Regularibus. 45. Pro mendicando an ostendendæ. Ordina-  
 riaris à Mendicantibus. 4.
- 1 Libros prohibitos legendi facultas an concedi possit ab ali-  
 quibus Prælatis Regularibus, cap. 18. n. 96.
- 1 Licentia, quæ regulariter requiritur, vt possit Religiosus te-  
 nere, dare, vel accipere aliquid, est tacita, cap. 6. num. 55.  
 Nisi quando declaratum fuit requiri expressam. ibid. Ad  
 quid etiam deseruiat conuetudo legitima, ibid. num. 86.  
 Licentia ista debet esse voluntaria, & non coacta, ibid.  
 num. 56. Et legitima, ibid. Licentia in scriptis requiritur  
 pro Religioso eunte de vna Prouincia ad aliam, vel de  
 vno Conuentu ad alium, c. 10. num. 14. Incedentes sine  
 illa puniri possunt ab Ordinarijs locorum, c. 11. n. 11.
- 1 Lineis vti prohibitum Religiosis, c. 9. num. 21. Licet hoc sit  
 solum veniale, ibid. Nisi forsan in Fratribus Minoribus  
 Sancti Francisci, ibid.
- 1 Linguarum studia in Monasterijs Regularium habenda,  
 cap. 18. nu. 85. Lingua Latina qualiter requiratur pro su-  
 scipientibus Ordines Sacros, cap. 14. n. 24.
- 1 Litanias, & preces in die Sancti Marci, & tribus diebus ante  
 Ascensionem Domini ab omnib. dicendæ, c. 12. num. 23.
- 1 Litteras accipientes, aut dantes sine licentia Superiorum  
 regulariter non peccant contra Votum Paupertatis, c. 6.  
 num. 49. Litteræ missæ à Superioribus ad inferiores, vel  
 ab inferioribus ad Superiores non detinendæ, vel ape-  
 riendæ, c. 8. num. 30. Oppositum facere est casus referua-  
 bilis à Superioribus, ibid. Litteras aperire cum damno no-  
 tabili aliorum, peccatum est mortale, ibid. Secus si ape-  
 riantur illæ, ex quibus aliquis timet sibi malum iniuste in-  
 fligendum, ibid. Litteras scribere sine nomine continen-  
 tes delicta aliorum, graue peccatum est, nisi id fiat ex  
 motiuo charitatis, ibid. nu. 31. Ex illis tamen non potest  
 Prælatus ad inquisitionem delictorum procedere, ibid.  
 & c. 27. nu. 4. An verò ex prædictis litteris possint saltem  
 ad Inquisitionem generalem procedere, c. 27. n. 4.
- 1 Litterarum studia. Vide verbo *Studia litterarum.*
- 1 Loca noua acquirere, vel antiqua mutare prohibitum est  
 Mendicantibus sine licentia Papæ, sub pœna excommuni-  
 cationis, cap. 9. num. 34. Erant pro hoc aliqua priuile-  
 gia religionibus concessa, ibid. Sed iam renocata, ibid. Vn-  
 de sine certis conditionibus noua Monasteria acquiri  
 non possunt, ibid. & nu. 35. Loca etiam, seu Monasteria  
 femel accepta deserere sine licentia Summi Pontificis  
 fieri non potest, ibid. nu. 36. Nec locus Deo dicatus fieri  
 potest habitaculum sæculare, ibid.
- 2 Locum non possunt habere Monachi in duobus Monaste-  
 rijs, cap. 2. n. 30.
- 2 Ludo perdere an possint Clerici ordinum militarium, c. 5.  
 num. 3. Commendatarij militares. 28.
- 1 Loqui cum Monialibus qualiter prohibitum, cap. 25. n. 34.  
 etiam per nutus, aut signa, ibid.
- 1 Ludentes Religiosi pro pecunia, vel re pretio æstimabili  
 peccant contra Paupertatem, c. 6. num. 50. Ludere verò  
 honestæ recreationis gratia, & de licentia Prælati rem-  
 paræ quantitatis non ita, ibid. Nisi hoc sit Regula, vel  
 Constitutionibus prohibitum, ibidem. Hinc ludens cum  
 Religioso vltra eam quantitatem, quam ille potest de  
 licentia sui Superioris ludere, tenetur ad restitutionem  
 eius, quod lucratur, ibid. num. 51. Ludus alearum, seu ta-  
 xillorum,

# I N D E X.

illorum, immò & tali ludo assistere prohibitum est Religiosis, cap. 9. n. 40.

M

- 1 **M** Agistratus non præbentes auxilium Episcopis pro clausura Monialium, excommunicantur, cap. 25, num. 49.
- 1 Magistrorum, seu Doctorum in Religionibus institutio licita est dummodo tales sint idonei, cap. 8. num. 25. Nisi actu legant, aut prædicent non gaudent sui gradus Privilegio, ibid. Non eximuntur à seruitio Chori, seu assistentia ad Choro, cap. 10. n. 20.
- 2 Magistri Nouitiorum officium quid importet, c. 13. nu. 47. Quæ illi præcipiantur in decretis Summor. Pontif. ibid. Quam iurisdictionem habeant super nouitios 48.
- 2 Maioratum an sint, & quorum capacia Monasteria Regularium, cap. 19. n. 17. 18. & 19.
- 2 Maritati, & Maritatæ an excludantur à privilegijs Tertiariorum, cap. 14. n. 32.
- 1 Matrimonia sollemnizare sine Parochi licentia prohibitum est Religiosis sub pœna excommunicationis, cap. 9. n. 31. & cap. 21. n. 9.
- 1 Matutinum an semper dicendum ante Missæ celebrationem, cap. 21. n. 3.
- 1 Mendicantes specialiter tenentur præcepto Charitatis de subueniendo saluti proximorum, Confessionibus, Prædicationibus, &c. c. 1. num. 17. Sunt Coadiutores Episcoporum, ibid. Quamuis habeant bona etiam stabilia in communi possunt dici Mendicantes, cap. 6. num. 5. Non possunt transire ad Monachos, seu Monachorum Religiones, nisi ad Carthusianos solum, cap. 22. n. 6.
- 1 Mendicare possunt Religiosi, nec hoc illis prohibitum, c. 6. num. 43. per accidens tamen potest hoc esse malum, & prohibitum, ibidem.
- 2 Medici Regularium an aliquibus gratijs fruantur, capit. 17. num. 11.
- 2 Medicinam exercere aliqui Religiosi ex privilegio possunt citra aduersionem, & incisionem, c. 4. num. 20. Non debes legere *citra aduersionem, et combustionem*, vt per errorem habetur tom. 1. huius Summæ, cap. 9. num. 15. sed *citra aduersionem, et incisionem*.
- 2 Mendicantes qui Ordines dicantur, cap. 1. num. 1. Omnibus illius (exceptis Capuccinis, & Minoribus de obseruantia) licet habere bona stabilia. 2. Possunt, licet non teneantur, ex mendicato vivere. 3. & 4. Nec à mendicitate possunt impediri. 4. & 5. Finis eorum quis. 9. & 10. Tenentur ex præcepto charitatis saluti proximorum subuenire. 11. An possint obligari ad eundem in terras infidelium pro prædicatione Euangelij, ibidem. Multa ipsorum privilegia à Pio V. concessa. 12. An sint reuocata. 13. & 16. Quomodo ea intelligenda num. 17. & sequent. An gaudeant privilegijs aliorum ordinum. 61. Obligantur decreti Clem. VIII. *pro reformatione Regularium*. 63. Quas dignitates habere possint. 64. 70. 71. & 72. Quando non possint. 69. Quid quando transeunt ad non Mendicantes. 66. 67. & 68.
- 1 Mercatura, seu negociatio prohibita est Religiosis sub granibus pœnis, cap. 9. num. 39. Vbi etiam an Monasterijs liceat habere aliquam apothecam pro ipsorum necessitate, aut vtilitate.
- 2 Milites Regulares qui sint, cap. 5. num. 1. An sint verè Religiosi. 2. 4. 5. & 6. Quomodo ipsorum vota intelligenda 7. 8. 10. 11. & 12. Sunt personæ Ecclesiasticæ. 14. An comprehendantur decretis Pontificijs, & Concil. Trident. 17. 18. 19. 20. & 21. de obligationibus ipsorum 32. & 37. De privilegijs, 38. 39. 40. 45. 52. & seq.
- 2 Minorum de obseruantia stricta paupertas, c. 1. n. 6. & 65.
- 1 Minores de Obseruantia, nec in particulari, nec in communi habent dominium bonorum temporalium, c. 6. nu. 5.
- 1 Miracula, quæ, & à quibus prædicanda, cap. 21. num. 17.
- 1 Missa de iure communi est celebranda ab Aurora, vsque ad Meridiem, cap. 21. num. 2. Potest sine peccato mortali dici ante Matutinum, seu Laudes, sed non sine veniali, nisi rationabilis causa intercedat, ibid. numer. 3. Missarum reductio non potest amplius fieri sine S. Congreg. licentia, ibid. num. 6. Missarum onera perpetua quomodo accipienda, ibid. numer. 7. Anticipata Missarum cele-

bratio pro ipsis, qui postea daturi sint elemosynas, prohibita, ibid. Missas audientes in Ecclesijs Regularium, satisfaciunt præcepto Ecclesiastico, ibid. num. 11. Missa de Sancto ratione Tituli Ecclesiæ, vel Reliquiæ quando celebranda, ibid. numer. 21. Missæ non approbatæ quæ, ibid. Missæ certis Regularibus concessæ non ab alijs dicendæ, ibid. num. 32. Missa de Rosario, & Beate Mariæ de Monte Carmelo solum à Dominicanis, & Carmelitanis dicendæ, ibid. num. 21. Vnde qui ad illas dicendas obligatus est, satisfaciat dicendo Missam Votiuam B. V. n. 26. Missa S. Gregorij triginta ab ipso pro Defunctis instituta non prohibita, ibid. numer. 22. Qualiter dicendæ, ibidem. Missæ autem Sancti Gregorij pro viujs, & defunctis: quindecim auxiliatorum, & de Patre æterno, prohibita, ibid. num. 21. Missa solemnns in Ecclesijs Hispaniarum qualiter celebranda, ibidem, num. 23. Missas nouas celebrantes, ibid. num. 24. Missa votiuæ quando, & quomodo dicendæ, num. 25. & 26. Missæ de Requiem quando; vel non dicendæ, ibid. numer. 28. Missa Conuentualis numquam omittenda, ibid. numer. 29. Nec cantata diebus festiuis, cap. 12. num. 9. Missæ in altari priuati oratorij quando omittendæ, cap. 21. numer. 31. Extra Ecclesiam quando celebrari possit, ibid. 16. Cum altari portatili an, & quando, ibid. 14. Possunt Regulares dicere Missas diebus festis, & Dominicis quacunque hora debita antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebrauerit, ibid. 17. Missam celebrans contra præceptum Superioris peccat: Missa tamen illa prodest illi, pro quo applicatur à celebrante, c. 4. nu. 35. Missas celebrantes, aut Confessiones audientes in Sacerdotij gradu non constituti, puniuntur varijs penis, & à Tribunali S. Inquisit. c. 10. n. 22. & c. 14. n. 9. Vide verb. *Sacerdos*.

- 1 Missarum reductiones, cap. 21. n. 6.
- 1 Monachus. Vide verbo *Religiosus*.
- 1 Monasteria. Vide verbo *Loca noua*, & verbo *Clausura*, & verbo *Faminiæ*, & verbo *Monialium Clausura*.
- 1 Monasteria monialium ingredi. Vide intra verbo *Moniales*.
- 1 Monetarij quomodo puniendi, cap. 10. n. 23.
- 1 Moniales quæcunque tenentur ad Obseruantiam Votorum Regularæ, & Constitutionum, cap. 25. num. 1. Tenentur etiam obedire Prioribus, vel Abbatissis, in ijs, quæ spectant ad gubernationem domesticam, ibidem num. 3. Sæpè etiam, sub peccato mortali, ibidem numer. 4. Sedi Apostolicæ subiectæ gubernantur ab Episcopis, ibidem numero 44. Modus Paupertatis illis magis accommodatus, ibidem num. 7. Consecrationis velum, an, & quibus conferendum, ibidem num. 10. Tenentur ad Officium Diuinum, ibidem num. 13. Non obligantur iure communi saltem sub mortali ad confitendum singulis mensibus, ibidem num. 14. Scienter contrahentes sunt excommunicatæ, ibidem num. 15. Non possunt admittre intra Monasterium personam aliquam, ibidem numer. 24. Licentiam quis ad hoc concedit, ibidem numer. 25. Causæ legitimæ concedendi quæ sint, ibidem numer. 26. Pœnæ contra ingredienti, vel ingressum permittentes, ibid. n. 27. Non permittuntur ingredi femina viduæ, aut maritata, generosa, & nobiles, ibid. num. 28. & 30. Nec Mater, Sorores, aut Consanguinæ in casu infirmitatis mortalis, ibidem 31. Bene tamen puellæ educationis gratiæ, seruatis conditionibus à S. Congregat. præscriptis, ibidem num. 29. Et famulæ seculares pro toto Conuentu, ibidem numer. 32. Licentiæ concessæ fœminis ad ingrediendum Monialium Monasteria, limitatæ iam sunt, vel sublata, ibidem num. 33. moniales alloqui, visitare, inuisere, quibus prohibitum, ibidem num. 34. 35. & 36. Etiam prætextu docendi Muscam, aut Cantum, &c. ibidem. Quid de patribus, matribus, aut filijs ipsarum, ibidem. Scribere autem epistolas ad ipsas non est ex se peccatum, ibidem numer. 37. Monialium Conuersæ an admittendæ, ibidem numer. 38. Ipsarum Confessatores, Confessores, & Capellani, ibidem num. 40. moniales transire possunt de vna Religione ad aliam, ibidem numer. 41. In *Confiteor Deo* nihil mutare possunt, ibidem numer. 43. In administratione bonorum ipsarum delinquentes, à quo puniendi, ibidem num. 45. Earum electio quibus quis assistit, aut præsideat, ibidem & num. 46. Comam nutri-

- re an illis prohibitum, ibidem numer. 50. Ordinationes pro ipsarum regimine, ibid. n. 51. & 52.
- 1 Monialium clausura, cap. 25. num. 16. Omnes moniales tenentur hoc præcepto, ibidem. num. 17. non verò nouitiæ, aut Oblatæ non Religiosæ, ibidem. Quid de mulieribus in Congregationibus commorantibus. ibid. Quid de Conuersis. ibidem. Locus clausuræ est totus ambitus monasterij, qui ianua interiori continentur. ibid. nu. 18. Penæ transgressorum. ibidem. numer. 19. Causæ concedendi licentiam egressus. ibidem. num. 20. Quis illam concedit. ibidem. num. 21. Ea finita, tenentur regredi ad monasteria. ibid. num. 22. Pertinet ad Episcopos curare de ea clausura.
  - 1 Monialium supernumerariarum conditiones. cap. 25. n. 6. ibid. num. 49.
  - 2 Monachi qui sint, aut dicantur. c. 2. n. 1. 2. & 3. Ad quas dignitates possunt promoueri, & quomodo eo, cap. 2. à n. 4. vsque ad 20. Priuilegia ipsorum. num. 24. & seq. Obligationes ipsorum. num. 30. 32. & 34.
  - 2 Monasteria Regularium quorum bonorum sint capacia. c. 19. per totum. Quæ immobilia habere. nu. 1. An feudum. 4. An emphyteosium. 5. An, & quos maioratus. 7. 8. & 9. Quibus modis acquirere possint. 13. Quæ acquirant successione. 14. In quæ iura succedant. 24. & sequent.
  - 2 Moniales mendicantium bona immobilia in communi possidere possunt. cap. 1. nu. 8. etiam S. Claræ. ibid. Ipsarum Confessarij an ab Ordinarijs approbandi. 19. Ipsarum monasteria ingrediendi licentia. 22. Bonorum administratio. 23. Obligatio ad clausuram. c. 5. n. 51.
  - 2 Munera num accipienda à Conseruatoribus Regularium. cap. 10. num. 76.

N

- 1 Necessitas, & necessariorum taxatio quomodo facienda pro Religiosis. c. 6. n. 10.
- 2 Nomina eligentium numquam publicanda. cap. 12. nu. 34.
- 2 Nominatio Prælatorum quid sit. cap. 12. nu. 53. Quotuplex. ibid. Quomodo differat ab electione, & postulatione. ibid. An sit permissa in Religionibus. ibid.
- 2 Notarij pro DD. Cardinalibus Protectoribus quales. cap. 9. num. 11. Pro Conseruatoribus. cap. 10. n. 77.
- 1 Notariorum institutio an fieri possit à Prælatis Regularium. cap. 18. nu. 95. Casu quo fiet, ad quod munus. ibid. Notariorum etiam munus exercere possunt, & Religiosis, in quibuscumq; causis Sanctæ Fidei, & Inquisitionis, c. 9. n. 13. Vide verbo *Tabellionis munus*.
- 1 Nouitiatus non continuatus, seu per notabile tempus interpolatus non sufficit ad professionem, cap. 2. num. 11. Si fiat per aliquod tempus extra Monasterium cum habitu, & licentiâ, & rationabili causa, non discontinuatur. ibid. Licet hoc sit dubium quando Nouitiatus agitur solum in Conuentibus designatis à Sede Apostolica, cap. 24. n. 22. Quomodo sumendus annus nouitiatus, cap. 2. num. 10. Nouitiatus habendus in Conuentibus designandis à Sede Apostolica, cap. 24. n. 23.
- 1 Nouitiæ Monialium quot recipiendæ. cap. 25. num. 6. Quid accipiendum pro earum ingressu, ibid. num. 4. Quid de supernumerarijs, ibid. num. 6. Omnino plena voluntate debent profiteri Nouitiæ, ibid. num. 8. Etiam viduæ admitti possunt, ibid. numer. 9. Quæ ætate recipiendæ, ibid. num. 11. Debent examinari ante professionem ab Episcopo, ibid. num. 12. Non tenentur præcepto clausuræ, ibid. num. 23. An exeuntes interrompant Nouitiatum, ibid. In articulo Mortis professionem emittere possunt etiam ante annum Nouitiatus expletum, ibid. num. 39. Præter victum, & vestitum nihil tribui potest Monasterio de bonis ipsarum, ibid. Nec ipsæ possunt facere donationes, ibid. Pro dote ipsarum aliquid accipi potest, ibid. Quomodo verò id, quod datur pro dote accipiendum, ibid. An conditiones assignatæ à Sixto V. pro receptione, & professione Nouitiorum illas comprehendant, ibid. num. 52. Recipiendæ sunt à Superioribus, non à Priorissis, vel Abbatissis, cap. 26. num. 17. Illæ tamen debent monere Episcopum ante Professionem ipsarum, ibid. An verò possint admittere Moniales ad professionem, ibid. n. 18.
- 1 Nouitij Regularium qui sint, cap. 24. num. 1. A quibus ad-

mittendi, cap. 18. num. 66. Non tenentur tempores Nouitiatus præceptis Regulæ, Constitutionum, aut Superiorum Ordinis, nisi ex graui quadam decencia, capit. 24. numer. 2. Quantum ad ea, quæ spectant ad bonum regimen probationis tenentur in conscientiam Nouitij, ibid. Possunt ad sæculum redire, ibid. numer. 3. An teneantur tunc soluere expensas, ibid. Gaudent Priuilegio fori, & Canonis, ibid. num. 4. Dispensant eam illis Prælatis, ibid. num. 5. Possunt ex vi iuris communis ad Ordines promoueri, ibidem. numer. 6. Cum quibus conditionibus, ibid. & cap. 14. nu. 12. 13. & 20. Vti priuilegio Bullæ Cruciatæ, cap. 24. num. 7. Cui debeant confiteri, ibid. Quarundam Religionum Nouitij absolui possunt à Censuris, ibid. num. 8. Et dispensari in aliquibus irregularitatibus, ibid. & num. 10. Cum quibusdam conditionibus, ibid. num. 9. Informatio, quæ & de quibus pro ipsis faciendæ, ib. n. 12. Quando, & ubi recipiendi, ib. & n. 13. 14. & 15. Non possunt recipi criminosi, obligari, seu grauati debitis, & ratiocinis, ibidem. num. 16. & 17. Nec coniugati post consummatum Matrimonium, nisi, &c. num. 19. Nec serui, nisi, &c. num. 20. Non possunt admitti ad professionem, nisi post vnum annum Nouitiatus, ibid. num. 21. Nec qui non habuerunt Nouitiatum in locis designatis à Sede Apostolica pro certis Prouincijs, ibid. num. 23. Qualiter supplendus hic defectus, ibid. numer. 24. An admittendi ad dimissionem habitus, ibid. Illegitimi ex vi iuris communis admitti validè possunt, ibid. numer. 21. An licitè etiam id fieri possit, ibid. Nouitij non possunt eligi in prælato, ibidem. 37. Nec possunt facere donationes, nisi concurrentibus quibusdam conditionibus, ibid. num. 32. & sequentibus. Bene tamen testamentum, seu Codicillum, ibid. numer. 35. possunt profiteri in articulo mortis ante annum probationis expletum, ibid. 42. Ipsorum instructio, ibid. num. 43. Nouitij ex varij nationibus recipiendum, ibid. n. 44.

2 Nouitij vide verb. *Magistri Nouitiorum officium*. Nouitiorum beneficia, vide verbo *Beneficia*, & verb. *Beneficia Regularia*.

1 Numerus Religiosorum determinandus pro quolibet conuentu, cap. 6. num. 16. Duodecim fratrum pro conuentibus de nouo recipiendis, c. 9. n. 34. & 35.

O

1 Obedientiæ Votum essentiale est Religioni, & præcipuum, cap. 4. num. 1. Solum extenditur ad res licitas, & honestas, ibid. num. 2. etiam ad dubia, ibid. num. 24. & sequentibus. Et ad ea, quæ explicitè, vel implicitè continentur in Regula. num. 4. & 9. Et ad præcepta quomodocumque intimata, ibid. num. 9. Etiam si sint præcepta communia Christianorum, aut Ecclesiasticorum, ibid. n. 12. Non ad res vanas, & impertinentes. ib. n. 4. Nec ad ea, quæ solum concernunt vtilitatem temporalem prælati præcipientis, aut consanguineorum ipsius, ibid. n. 3. Nec ad actus merè internos nisi quando sunt necessarii pro externis, ib. n. 5. Nec ad Obedientiam formalem, ibid. n. 6. Nec ad ea, quæ Superior vult, nisi illa manifestet, ibid. n. 7. Neque ad ea, quæ Prælatus proponit solum sub consilio, ibid. nu. 8. Nec ad ea, quæ sunt supra Regulam, ibid. n. 13. nisi quando hoc præscribitur in Regula ipsa, ibid. Nec ad manifestandum reum omnino occultum, qui nulla laborat infamia, ibid. num. 23. Nec ad obediendum Prælato publicè excommunicato, ibid. n. 38.

1 Obedire tenetur Religiosus Prælato præcipienti, vt vadat ad commorandum in aliquo loco, vbi est aeris intemperies, cap. 4. num. 16. Et vt accipiat munus Prælatis in Religione, ibid. nu. 17. Secus extrà Religionem, ibid. n. 18. Et vt tempore pestis ministret infirmis Religiosis, & etiam extraneis, deficientibus Parochis, ibid. num. 19. Et etiam tempore hæresis, vt assistant ad defensionem Ecclesiæ, ibid. num. 20.

1 Obedire etiam tenentur Regulares constitutionibus Synodalibus concernentibus actiones communes totius Populi, c. 11. nu. 13. Et Legibus Ciuilibus, quæ sunt ad bonam Reipublicæ administrationem, ibid. num. 16. Sed solum quoad vim directiuam, ibid. Subduntur etiam Legibus Ciuilibus irritantibus contractus, & taxantibus prætia rerum, ibid. n. 17.



# I N D E X.

- 2 Oblata, seu conuersa ſceminæ quæ ſint, cap. 8. n. 29.
- 2 Oblati qui dicantur, c. 8. num. 1. An ſint verè religioſi. 2. 3. & 4. Perſonæ Eccleſiaſticae. 5. Priuilegia ipſorum. 6. 7. & 8. Quomodo coarctata. 13. De ipſorum caſtitate. 10. Pau-  
peritate. 12. 14. 16. & 17. Ad quæ ſint incapaces. 18. 19. 20.  
& 22. Ad quæ teneantur. 23. Quibus priuilegijs gaudeant.  
30. 31. & 32.
- 2 Oblationes factæ Sacris Imaginibus an alienari poſſint à re-  
gularibus, cap. 18. num. 57.
- 1 Occultare non licet Religioſo ea, quæ habet ſuo Superiori,  
c. 6. n. 17. Et id facere eſt peccatum proprietatis, ibid.
- 1 Officium Diuinum quid ſit, c. 12. nu. 1. Facere quod debitis  
horis ſoluatur in Conuentibus pertinet ad Prælatos ſub  
mortali, c. 18. num. 69. Ad illud ſoluendum tenentur pri-  
mò religioſi in Sacris conſtituti, cap. 12. num. 2. Et Pro-  
feſſi Choro deſtinati, etiam ſi non ſint in Sacris, ibidem  
num. 3. Non Laici, ſeu Conuerſi, qui ad ſolas quaſdam  
Orationes obligantur, ibid. num. 4. Nec nouitij, ibid. n. 5.  
Qui verò ad Officium Diuinum tenentur etiam ſi ſint  
excommunicati, ſuſpenſi, degradati, &c. ad illud obligan-  
tur, ibid. num. 6. excommunicatus autem dicere non po-  
teſt *Dominus Vobis ſcum*, ibid. Religioſi expulſi, ſi ſint in  
Sacris, etiam tenentur ad Officium Diuinum, ſecus verò  
ſi in Sacris non fuerint, ibid. num. 7. Idem de damnatis  
ad triremes, licet aliqui illos excuſent, ibid. Dicere offi-  
cium deglutendo, aut ſyncopando verba, &c. eſt pecca-  
rum, & quandoque mortale, ibid. num. 12. Vel exercen-  
do aliquam actionem impeditiuam attentionis debetæ,  
ibid. n. 14. Debet dici Statutis temporibus, ibid. num. 15.  
Priuatim inuertere hunc ordinem ſine cauſa erit pecca-  
tum veniale, ibid. & 17. Aliquam horam Canonicam  
interrumpere ſine cauſa erit peccatum, quandoque ve-  
niale, quandoque mortale, ibid. num. 16. Debet dici iuxta  
propriam vniuſcujuſque Breuiariam, ibid. num. 18. Mu-  
tare qualitatem officij recitando. V. G. de Sancto, quan-  
do debet recitari de Feria regulariter eſt peccatum mor-  
tale, niſi magna neceſſitas id cogat facere, ibid. num. 20.  
Idem de mutatione ritus, ibid. Qui excuſantur ab officio  
Diuino, ibid. n. 25. 26. & 27. De priuilegijs Regularium  
circa hoc num. 28. 30. 31. & 32. Quando res eſt dubia pro  
Regularibus quid faciendum, ibid. num. 29. De abuſibus  
in officio Diuino vitandis, ibid. n. 33.
- 1 Officium B. V. qui teneantur dicere, c. 12. num. 21.
- 1 Officium Defunctorum à quibus dicendum, cap. 12. nu. 22.  
Ad Anniuerſarium Defunctorum die 2. Nouembris om-  
nes tenentur, ibid. numer. 23. Quando recitandum, ibid.  
Ternaria Defunctorum, ibid. num. 24. Defunctorum of-  
ficium quando cadauera portantur ad Eccleſias Regula-  
rium à quibus faciendum, ibid. num. 38.
- 1 Officia non addenda Calendarijs, niſi approbata, c. 12. n. 33.  
Sancti, cui eſt Eccleſia dicata Parochialis, vel regularis  
non faciendum officium, niſi in ipſa Eccleſia, ibid. Vel  
vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, ibid. priuilegio pro Ec-  
cleſijs Hiſpaniæ, ibid. n. 34. & 35.
- 1 Officiorum, dignitatum, &c. nomine in Religionibus quid  
intelligatur? cap. 10. n. 22.
- 1 Oleum pro Extrema Vnctione debet dari Carmelitis à Do-  
minis Episcopis, c. 3. n. 20.
- 2 Officium eſt adminiſtratio ſine præ eminentia, aut iuriſdi-  
ctione, cap. 13. num. 2. Coincidit cum adminiſtratione,  
& functione. 7. Confunditur aliquando cum Prælatia, &  
dignitate, ibid.
- 2 Officia habentes in Religionibus non excuſatur ignorantia  
in his quæ ad illa ſpectant. cap. 13. num. 19. Officia quæ  
habere poſſunt illegitimi, 50.
- 2 Officia diuina à mendicantibus liberè facienda, cap. 1. n. 25.  
An poſſint in eis faciendis ab aliquo impediti, 43.
- 2 Officia Mortuorum non facienda à Rectoribus Eccleſia-  
rum in Eccleſijs Fratrum, niſi &c. 1. n. 47.
- 2 Onera realia, vel perſonalia an obligent Mendicantes, c. 1.  
num. 32. 33. & 34. Oneribus cuſtodie Ciuitatis, porta-  
rum, aut murorum tempore peſtis, aut belli, aut ad pu-  
gnandum an poſſint Regulares obligari, ibid. 34.
- 2 Ordines Sacri quomodo recipiendi à Regularibus capit. 1.  
num. 25.
- 2 Ordinarij quando intromittendi in delictis Regularium,  
cap. 1. num. 36. In gubernatione ipſorum. 37. Non de-  
bent recipere Fratres ſub eorum protectione. 39.
- 1 Oracula Viuæ Vocis reuocantur à Greg. XV. & Urb. VIII.  
cap. 3. num. 21. Non illa, quæ ſunt merè explicatiua, aut  
declaratiua, ibid. Quid de illis quatenus reſpiciunt effe-  
ctum futurum, ibid.
- 1 Oratio mentalis valdè neceſſaria Religioſi, cap. 7. nu. 24.
- 1 Oratoria. Vide *Grangie*.
- 1 Ordines Sacros ſuſcipere ante legitimam ætatem non  
poſſunt Religioſi poſt Conc. Trident. non obſtantibus  
quibuſcunque Priuilegijs, cap. 14. num. 1. Oppoſitum fac-  
ientes ſunt ſuſpenſi, & ſi celebrant Regulares, ibidem  
num. 2. Idem ſi abſque licentia extra tempora Ordines  
ſuſceperint, ibid. num. 4. Incurritur etiam hæc ſuſpenſio  
ſine dolo, aut malitia, ſed ſolum per ignorantiam culpa-  
bilem, ibid. num. 4. Simoniacè ordinantes, & ordinati  
incurrit grauiffimas pœnas, ibid. num. 5. & 23. Poſſunt  
prædicti ordinati ſine conditionibus requiſitis Benefi-  
cij priuari, ibid. num. 6. Dicuntur miniſtrare in Ordini-  
bus ſuſceptis quando actus proprios ad tales Ordines de-  
putatos exercent, ibid. num. 7. Qui ſuſcipit ordinem  
Presbyteratus non incurrit irregularitatem celebrando  
cum Episcopo ordinante in illa Miſſa, in qua ordinatur,  
ibid. num. 8. religioſi debent ordinari ſine titulo Benefi-  
cij, aut Patrimonij, ibid. nu. 10. Qui tamen ſcirent ſuam  
professionem eſſe nullam ſi ordines ſuſciperent ſine  
titulo beneficij aut patrimonij peccarent ſicut alij clerici  
ſæculares. Ibid. Non poſſunt in ſuis domibus, ibid. nu-  
mer. 11. Nec à quocumque Episcopo, ſed à Diceſano,  
ibid. nu. 12. Duo Sacri Ordines eadem die Regularibus  
non conceduntur, ibid. numer. 14. Ordines Maiores ne-  
queunt conferri, niſi ſeruatis interſtitijs, ibid. num. 15. In  
illis non diſpenſant Prælati Regulares, ſed debent exo-  
rare in litteris dimiſſorijs Episcopos, vt id faciant, ibid.  
Cauſæ huius diſpenſationis, ibid. num. 16. Annus inter-  
ponendus inter vnum, & alterum Ordinem Sacrum eſt  
Eccleſiaſticus, non ſolaris, ibid. nu. 17. Litteræ dimiſſo-  
riæ debent dari à Superioribus Regularium, ibid. nu. 18.  
Non poſſunt modò poſt Conc. Trid. ordinari extra tem-  
pora, ibid. num. 19. Nouitij iure communi poſſunt ordi-  
nes Sacros ſuſcipere, ibid. num. 20. & cap. 24. num. 6.  
Ad titulum tamen Beneficij. Dicto cap. 14. num. 20. A  
ſuſpenſione, quam incurrit Regulares ſuſcipiendo Or-  
dines illegitimè abſoluuntur in foro conſcientiæ à Præ-  
latis, ibid. num. 21. Excommunicatio, quam ponunt Ep-  
iſcopi ante ordinationes contra eos, qui habent aliquid  
impedimentum occultum, afficit etiam Regulares, ibid.  
num. 22.
- 1 Opera ſupererogationes facere non eſt contra Regulam,  
nec peccatum, cap. 7. num. 22. Opera bona ſubditorum  
applicari poſſunt alijs à ſuis Prælatiſ, cap. 18. num. 67.
- 1 Otioſitas Religioſis maximè fugienda, c. 7. n. 23.

## P

- 1 PAPA poteſt diſpenſare in Votis ſolemnibus, cap. 2. n. 6.  
Cum cauſa tamen vrgenti, ibid. Illi tenentur obedire  
Religioſi ex vi Voti Obedientiæ, cap. 4. numer. 31. Po-  
teſt eximere Religioſum ab Obedientia inferiorum  
Prælatorum, ibid. num. 33. Qualiter concedere poſſit li-  
centiam ad tranſitum ad aliam Religionem, capit. 22. à  
num. 8.
- 1 Parochi Regulares ex Religionibus aſſumpti tenentur Vo-  
tis generalibus, & ſpecialibus Religionis, Obſeruantijs  
Regularibus, & Conſtitutionibus ipſius, quatenus non  
repugnant muneri, quod gerunt: ac portare habitum ſuæ  
Religionis, cap. 17. num. 16. Soluunt Officium iuxta ri-  
tum ſuæ Eccleſiæ, ibid.
- 1 Particulæ ſimpliciter, ſummariè, de plano, quid ſignifi-  
cent, c. 27. n. 26.
- 1 Patrini eſſe non poſſunt Religioſi, aut leuare aliquem de  
fonte, c. 9. num. 31.
- 1 Paupertas Religioſa, cap. 6. per totum. Eius excellentia,  
ibid. num. 1. Quomodo definitur, ibid. num. 2. Contra  
eam peccat Religioſus ſi Superiori volenti ea quæ illi  
conceſſa ſunt auferre, reſiſtit, aut non eſt paratus redde-  
re,

# I N D E X . I

- re, ibid. nu. 27. & 28. Aut si recipit à quocumque aliquid contra voluntatem sui Superioris, ibid. nu. 30. 36. 37. & 38. Secus si Superior non daret simpliciter necessaria ad vitam, ibid. num. 31. Ex vi Voti Paupertatis carere debet Religiosus rebus aliquo modo necessarijs, ibid. Peccat peccato Proprietatis contra Paupertatem si assumat aliquid alterius vsui à Superiore destinatum, ibid. num. 35. Quid dicendum si illud erat superfluum habenti, & ipse eo indigeret, ibid. Qui aliquid expendunt sine licentia contra Paupertatem peccant, ibid. n. 46. Idem si permittent, mutuent, accommodent, &c. ibid. Idem si dent, aut donent, ibid. n. 52. Etiam ipsis Religiosis, ibid. n. 54. Vide dicenda infra verbo *Peculium*, & verbo *Proprium*, & verbo *Proprietas*, & verbo *Presofares*.
- 1 Pauperes mendicantes per Ecclesiis tempore Missarum, & Officiorum Diuinorum eijciendi à Regularibus. c. 10. num. 6.
  - 2 Pacta, & pollicitationes in electionibus reiicienda. cap. 12. num. 35.
  - 2 Parochus non excludendus à sepultura cadaveris. c. 1. n. 46. eius assistentia pro testamentis faciendis non necessaria. 49.
  - 2 Patronus quis sit. cap. 11. n. 1. Quæ ad illum requirantur. 2. Licentia ipsius ad veniendam Ecclesiam, quæ est iuris patronatus. 6. Quomodo ius præsentandi transire possit ad alios. 9. 11. & 12. Qui debeant præsentari à Patrono. 20. 21. 22. & 25. An possit exigere aliquod seruitium. 26. Quid quando sunt plures Patroni. 27.
  - 2 Pecunia an possit alienari à Monasterijs Regularium. c. 19. num. 59.
  - 2 Pensiones an haberi possint à Regularibus. c. 2. num. 21. & c. 18. n. 37. Vacant per professionem. c. 2. n. 23.
  - 2 Personatus est præminentia sine iurisdictione. c. 3. num. 21.
  - 1 Peccata Religiosi absolute loquendo grauiora sunt peccatis secularium, licet per accidens possint esse leuiora. cap. 1. nu. 15. peccatum contra Castitatem est sacrilegium. c. 5. n. 4. Quod est in seculari solum veniale, potest esse in Religioso mortale. ibid. n. 5. An peccatum contra Castitatem Religiosi in Sacris constituti habeat duas malitias contra illam. ibid. nu. 8. De Religioso, qui vltra Votum solemne Castitatis fecit etiam Votum simplex. ibid. n. 9. peccatum contra Castitatem est reuerabile à Prælati. ibid. nu. 10. An tactus impudici, oscula, &c. ibid. Varijs pœnis punitur. ibid. n. 16.
  - 1 Peculium habere dependenter à voluntate Superioris licet non sit prohibitum Religiosis iure communi, aut ex natura Voti Paupertatis, est tamen prohibitum ab Ecclesia. c. 6. à n. 18. An in aliquibus Conuentibus, & quibusdam positis conditionibus illud habere liceat. ibid. à n. 21.
  - 1 Percussio Religiosi sub excommunicatione prohibita. c. 3. numer. 16. Ad quas personas extendenda hæc doctrina. ibidem.
  - 1 Perfectio Christiana in quo consistat. c. 1. n. 7. Qualiter ad illam procurandam teneatur Religiosus. c. 1. per totum. Vide verbo *Religiosus*. Consistit principaliter in actibus Charitatis, & minus principaliter in actibus aliarum virtutum. c. 1. nu. 7. Est finis Religiosis. ibid. Tunc censetur illam contemnere quando transgreditur leges animo non se subiicendi illis, aut Superioribus. ibid. n. 12. Non sic quando transgreditur illas, ex vsu in rebus leuis materiae. ibid. n. 13.
  - 1 Pœnæ delictorum à Regularibus commissorum. c. 27. n. 27. pœnæ priuationum, inhabilitatum, &c. quæ apponuntur in Constitutionibus Religionum, etiam si dicantur ipso facto, aut ipso iure infligendæ, non incurruntur ante declarationem. c. 8. n. 33. Quando verò adduntur illæ particulæ, *absque aliqua declaratione absque ulla sententia*, vel similes, tunc incurruntur in foro conscientia, ante declarationem. ibid. Licet oppositum non sit improbabile. ibid. Idem de similibus pœnis in Bullis, & Decretis Pontificum positis. c. 10. num. 30. & 31. Censuræ autem ipso facto impostæ ligant etiam ante Iudicis sententiam. cap. 10. n. 29. Quis dispensat in pœnis priuationum, inhabilitationum, &c. c. 10. n. 35. & c. 18. n. 46. Vide infra verb. *Prælati*.
  - 2 Postulatio quid sit, & quomodo differat ab electione. c. 12. nu. 50. Qui sint effectus illius. 51. An sit permessa in Religionibus. 52.
  - 2 Præcarium an transeat ad Monasterium. c. 19. n. 30.
  - 2 Prædicare quomodo possint Mendicantes in suis Ecclesijs. cap. 1. num. 17.
  - 2 Prælati Regulares puniunt Fratres confugiens ad Ordinarios. c. 1. nu. 38. An possint esse delegati ad Litteras Pontificias exequendas. c. 13. n. 4. Alij habent iurisdictionem ordinariam, alij delegatam. 9. Non excusantur ignorantia in ijs quæ spectant ad eorum munus. 49. Quid facere debeant si constat illis electos fuisse ab vno qui erat inhabilis ad eligendum. 51. Aut si ipsi erant inhabiles vt eligerentur. 52. Prælati intrusis an, & quomodo obediendum. 53.
  - 2 Prælati in quo consistit. c. 13. n. 4. Prælati non electi uæ sunt manuales, ita vt ad placitum mutari possint. 56.
  - 2 Præpositura quid importat. c. 13. n. 3.
  - 2 Præsentandi ad beneficia qui sunt. cap. 11. num. 20. 21. 24. & 25. An præsentari possint apostata. 28. Concurfus faciendus inter præsentandos. 29.
  - 2 Præses in Capitulis Regularium debet Gremiales dirigere ad electiones legitime faciendas. c. 12. nu. 31. Potest illos monere, & exhortari pro eligendo digniori. 32. Debet curare vt electio secretè, & liberè fiat. 34. & 35. An ad id munus deceat assumi graues viros. 36. Non decet eum eligi ad aliquod officium. 37. Tenetur facere quæri electos, & fugitiuos. 38.
  - 2 Primogenia an institui possint à Regularibus. c. 19. n. 19.
  - 1 Prælati non possunt eligi in Religionibus, nisi expressè professi in illis. c. 15. num. 25. Sunt incapaces, vt eligantur ad prælaturas in fames, excommunicati, suspensi, vel interdicti, homicide, illegitimi, & irregulares. ibid. & cap. 18. numer. 7. & 8. Descendentes ex genere in secto hæresis, Iudaismi, &c. aut accusati, & non infamati de aliquo delicto non sunt incapaces, dicto. cap. 15. num. 25. Si illegitimus ad prælatias eligatur quid facere debeat. cap. 15. num. 38. penitentiati à Sancto Officio Inquisit. in habiles sunt ad Officia Ordinis. ibid. n. 39. nisi fuerint penitentiati solum penitentijs salutaribus. ibid. Prælati canonicè electi melius faciunt assentiendo, quam dissentiendo. ibid. n. 23. Aetas requisita vt eligantur. c. 18. n. 5. Debent esse Sacerdotes. ibid. peccant mortaliter, qui se eligi permittunt sine sufficienti literatura. ibid. n. 6. Tenentur Legibus, Constitutionibus Ordinis. c. 8. nu. 21. Saltem quoad vim directiuam, & aliquo modo, quoad coactiuam. ibid. Habent in suos subditos iurisdictionem quasi Episcopalem. c. 18. n. 2. In priuilegijs Prælati concessis, nisi aliud exprimat, intelliguntur etiam Conuentuales. ibid. nu. 3. prælatias duas nullus Regularis habere potest sine auctoritate Sedis Apostolicæ. ibid. nu. 97. possunt punire suos subditos pœna proportionata delictis ipsorum. ibid. n. 16. pœna triennium, & exilij. ibid. Non tamen tradendo illos brachio seculari, nec pœna mortis. ibid. possunt etiam procedere via accusationis, iudicialis denunciationis, & inquisitionis. ibid. nu. 17. possunt eligere sibi Confessorem, sicut Episcopi, & Cardinales. ibid. nu. 81. Nec est necesse talem esse aliàs approbatum. ibid. etiam extraneum. ibid. Non possunt ad instantiam, aut requisitionem quorumcumque extra Ordines alicui Religioso aliquam dignitatem, vel officium concedere, aut pœnas remittere. ibid. num. 82. Mittentes aliquem Religiosum ad partes transmarinas, nisi sit scientia, prudentia, & experientia vsu præditus, incidunt in excommunicationem latae sententiæ. ibid. n. 99. Tenentur sub magnis pœnis semel in anno, & in quocumque Capitulo legi facere litteras Apostolicas pertinentes ad Officium Sanctæ Inquisit. ibid. n. 100. Et efficere quòd Decretum circa hoc affixum conferuetur. ibid. possunt sibi reseruare casus. ibid. n. 19. Sed non omnes, sed certos quosdam, & cum certis conditionibus. ibid. n. 11. & 20. Idem de Censuris. ibid. n. 29. Excommunicare, & suspendere suos subditos. ibid. n. 22. Non verò irregularitatem imponere. ibid. Peccant grauius permittentes prædicare non idoneo, cap. 20. nu. 2. Non concedentes licentiam transeundi ad arctiorem Religionem, peccant. c. 22. nu. 15. Possunt eijcere Religiosum, etiam transacto quinquennio, c. 2. nu. 7. Eijcere etiam



# I N D E X.

- etiam incorrigibiles, c. 24. num. 3. & 5. Qualiter Prælati obediendum. Vide verbo *Obedientia*, & verbo *Obedire*. Duobus Prælati contraria præcipientibus, maiori est obediendum, c. 4. n. 21. Prælato præcipienti aliquid contra Regulam obediendum est si possit in illa dispensare, c. 7. n. 30. Vide verb. *Dispensare*.
- 1 Præsidentes in electionibus qualiter se gerere debeant, cap. 15. num. 34. Non possunt priuare Capitulares voce, ibid. Vide verb. *Electio*. An ab ipsis debeat publicari electio, c. 15. num. 11.
- 1 Præsumptionis verbum in Bullis, & Decretis quid denotet, c. 10. n. 33.
- 1 Præciosas res non possunt habere Religiosi, propter paupertatem, c. 6. n. 15.
- 1 Priorissa. Vide verbo *Abbatissa*.
- 1 Priuilegia religionum, cap. 3. per totum. Non tolluntur per non vsum, nisi, &c. ibid. num. 17. Ammitti si non viuunt regulariter Religiosi, ibid. Ipsorum communicatio, ibid. Ipsi etiam vii possunt Donati, & Conuersi, qui professionem trium Votorum emittunt, ibid. num. 18. Tolli, limitari, & restringi possunt à Superioribus, cap. 18. n. 56. Vide verbo *Foro conscientie*, & verbo *Oracula*.
- 2 Priuilegia Mendicantium communia, cap. 1. num. 53. Non pœnæ, aut censuræ, ibid. An concessa vni Conuentui alijs etiam concedantur, ibid. An illa quæ priuatis personis conceduntur, 53. & 54. Illorum communicatio intelligenda est respectiue, 55. Et non cum præiudicio obseruantia Regularis, 56. Religio cui communicantur potest se illis defendere contra eam cui primo concessa, 57. Quando censentur reuocata à Conc. Trid. 58. &c. 15. numer. 18. Quæ suspendantur per Bullam Cruciatæ dictæ, cap. 1. num. 59. An anno Iubilæi, 60. Quæ dicantur esse in vsu, cap. 15. nu. 17. Priuilegia Monachorum, c. 2. à num. 24. Canonicorum regularium, cap. 3. numer. 10. Clericorum regularium, cap. 4. à num. 19. Militum regularium, cap. 5. à nu. 52. Hospitaliorum, cap. 6. num. 4. Conuersorum, seu Oblatorum, cap. 8. à numer. 30. Conseruatorum, cap. 10. n. 78. Tertiariorum, cap. 14. à n. 26. Confratrum, & Confraternitatum, cap. 15. num. 4. 10. 16. & à num. 33. Familiarium Fratrum, cap. 16. à nu. 3. Procuratorum ipsorum, cap. 17. à num. 2.
- 2 Processiones ad quas accedunt Mendicantes, cap. 1. nu. 50. Quas ipsi facere possunt, ibid. nu. 51. Per quod spatium, ibid. Quæ præcedentia in illis sit seruanda, ibid. An quas accedant Monachi, c. 2. n. 35.
- 1 Processionibus assistere debent regulares, cap. 9. numer. 47. Qualiter vocandi, ibid. Quibus processionibus, ibidem. Quomodo in illis Sanctissima Eucharistia, & Crux deferri, c. 10. n. 19.
- 1 Procuratoris manus nequeunt exercere Religiosi, nisi in utilitatem Monasterij, & iubente Prælato, c. 9. n. 12.
- 2 Procuratoris munus quid sit, c. 13. n. 43. & 44.
- 2 Procuratoris Generalis munus quale, c. 13. n. 25. An possit dari illegitimis, 50.
- 2 Procuratores sæculares negotiorum Fratrum quibus priuilegijs decorati fuerint, c. 17. à num. 1. Quomodo moderata, num. 5. quid pro tempore interdicti, 6. 7. & 8. quibus gratijs spiritualibus potiantur, 9. An suspendantur eorum priuilegia dum Bulla Cruciatæ publicatur, 14.
- 2 Professio fidei an facienda à prælati. c. 13. n. 55. An à beneficiarijs regularibus, c. 18. n. 38.
- 1 Professio tam expressa, quam tacita constituit verum religiosum, cap. 2. numer. 5. Quid sit vtraque professio, ibid. professio nulla est si fiat ante decimum sextum annum, aut non expleto anno approbationis, ibid. num. 10. Non comprehendit hoc ordines Militares, ibid. Bene tamen Religiosos Societatis post biennium, ibid. Professio facta ante legitimam ætatem, nec per modum voti simplicis valet, ibid. Professio reddit incapacem professum ad Matrimonium, ibid. nu. 12. Etiam professum Societatis Iesu post biennium, ibid. Excommunicatur si nubat, ibid. Professionem faciens parentibus in extrema, aut multum graui necessitate constitutis, peccat mortaliter, ibid. num. 13. Item de patre respectu filiorum, ibid. Non tamen propterea possunt reclamare, ibid. num. 14. Professio facta ob malum finem non contra substantiam professionis valida est, ibid. num. 15. Etiam facta ab excommunicato, ibid. Etiam simoniacè, ibid. Professio mentientis sexum valida non est, ibid. numer. 20. Idem de professione serui sine licentia Domini sui, ibid. n. 21. Si verò seruo ingrediente Religionem à Domino suo id sciante non repetatur intra triennium, postea repeti non potest, & professio illius valida erit, ibid. Professio illius, qui præ morbo, aut senectute impotens est ad regulam seruandam valida est, ibid. numer. 22. Idem de professione illius, qui occultauit morbum, seu defectum, non repugnantem substantiæ religionis dummodo illi protestatum non fuerit, quod si talem defectum haberet professio nulla esset, ibid. num. 23. & cap. 24. num. 26. Professio debet fieri in manus habentis potestatem ad recipiendum religiosos, cap. 2. numer. 25. Facta in manus Episcopi respectu religionis exemptæ, inualida est, ibid. Facta tamen in manus cuiusvis etiam Laicis habentis commissionem à Prælato valida est, ibid. Professio facta sub conditione de futuro valida, adueniente conditione valet; facta verò sub conditione repugnantem substantiæ religionis, inualida est, ibid. num. 26. Facta fictè, id est, sine intentione profitendi, quoad Deum inualida est, secus quoad Ecclesiam, ibid. nu. 27. Facta animo promittendi, sed non se obligandi, aut non adimplendi promissum, valida est, ibid. Facta per procuratorem, aut etiam nutibus, seu scripto, valida est, ibid. num. 29. Et illius qui fecit votum ingrediendi religionem strictiorem, & postea ingressus est laxiorem, ibid. numer. 30. Facta à coniugatis cum consensu vtriusque, imò sine illo, quando possunt facere diuortium, ibid. num. 31. Professio ex causa differri potest, cap. 24. num. 41. Per professionem condonantur omnia peccata commissa quoad pœnam temporalem illis debitam in Purgatorio, cap. 3. num. 1. Tollitur irregularitas ex defectu natalium ad Ordines suspiciendos, licet non quoad dignitates, seu Prælaturas, ibid. nu. 2. Dissoluuntur sponsalia, & Matrimonium ratum non consummatum, ibid. num. 3. Expiatur macula quoad actus temporales, ibid. num. 4. Tollitur crimen ingratiudinis filij profitentis erga patrem, ibid. num. 5. Filius familias liberatur à patria potestate, ibid. numer. 6. Omnia vota simplicia in illam commutantur, ibid. nu. 7. Per ipsam professio gaudent priuilegio fori, ibid. num. 8. Nec possunt illos Laici accusare; nisi, &c. ibid. numer. 9. Qui illis inferunt iniuriam in certis casibus sunt excommunicati, ibid. num. 10. Et illos percutientes, ibid. nu. 16. Habent communicationem in Priuilegijs cum multis alij reigionibus, ibid. n. 17.
- Promittens ingredi strictiorem religionem si profiteatur in laxiori, tenet professio, c. 24. n. 27.
- 1 Proprium non possunt habere religiosi, ratione voti paupertatis, cap. 6. num. 6. Et etiam ex vi præcepti Ecclesiastici, ibid. Hinc quidquid acquirit Monachus Monasterio acquirit, ibid. num. 40. Etiam quando est extrà Monasterium de cuiuscumque licentia, ibid. num. 41. Etiam habens pensionem Ecclesiasticam, ibid. n. 42.
- 1 Proprietas quid sit, c. 6. nu. 2. peccatum proprietatis quando committitur, ibid. à num. 12. In ea datur materia leuis, ibid. n. 57. Regulariter erit illa quæ, & in facto, ibid. Successiue minima retinentes, accipientes, seu expendentes, &c. sine licentia, peccant mortaliter quando peruenitur ad grauem quantitatem, ibid. num. 58. pœnæ proprietatis, & proprietariorum, ibid. nu. 59. An illas incurrant non obseruantes vitam communem, ibid. num. 60.
- 2 Protectorum Cardinalium auctoritas, cap. 9. num. 34. & 5. Maximo honore, & reuerentia à religiosis quos protegent prosequendi, 6. Illis credendum cum dicunt se habere viæ vocis oraculum, à Papa 7. Eorum præcipuum munus quod sit, 8. Quando possunt suam auctoritatem interponere, num. 9. & 10. Quomodo 11. Qua facultate potiantur, 12. Carmelitarum Protectorum amplissima, 13. An aliorum Mendicantium, 14. An censendi Conseruatores, ibid. An possint admittere appellationes Fratrum, 15. & 16. An ex ipsis sit appellatio, 17. An sit delegabilis eorum auctoritas, & quibus 20.
- 2 Prouinciales sunt præfecti Prouinciarum, cap. 13. nu. 27. Eorum munus quale, ibidem. An possit dispensare cum ille.

# I N D E X . I

- illegitimus, cap. 12. numer. 27.
- 2 Puellarum Deo dicandarum examen à quo, & quomodo faciendum, cap. 1. n. 24.
- 1 Prouinciales Titulares instituuntur à Generali Carmelitarum, cap. 18. numer. 98. Cum quibus conditionibus, ibid. Habent vocem in Capitulis, ibid.
- 1 Psalmos pœnitentiales, vel Graduales qui, & quando teneantur dicere, cap. 12. n. 22.
- 1 Purgatio Canonica, cap. 27. n. 27.
- Q
- 1 **Q**uantitas, quæ sufficit ad peccatum mortale in materia proprietatis quæ sit, cap. 6. n. 57. & 58.
- 1 Quarta funeralis non soluitur à Conuentibus à quadraginta annis ædificatis, cap. 3. n. 13.
- 2 Quarta relictorum pro ornamentis Eccles. an soluenda à religiosis, cap. 1. n. 30.
- 2 Quæsitioes Mendicantibus licitæ, cap. 1. n. 4.
- 2 Quarta funeralis quando soluenda à Regularibus, capit. 1. numer. 29.
- 1 Quæstorum, seu quæstiorum munus nequeunt Religiosi exercere, cap. 20. n. 17.
- 1 Quinquennij tempus determinatum est religiosis, vt possint reclamare contra suam professionem, cap. 2. numer. 7. Nisi allegauerint legitimas causas quare id facere non potuerint, ibid. Intelligitur quoad forum exterius, non quoad interius, ibid. Tenentur ad ratificandam professionem transacto quinquennio quando sua culpa inualidè professi sunt, ibid. Ad quam ratificationem licet requiratur nouus consensus ex parte professi, probabile tamen est non requiri ex parte Conuentus, ibid. Vt reclamatio audiatur requiritur, quod fiat cum habitu, saltem quoad forum exterius, ibid. numer. 8.
- R
- 1 **R**atificatio professionis quando facienda, cap. 2. nu. 7. Cum aliquis fecit professionem inualidam ob defectum, ætatis, anni approbationis, vel aliam causam, quando censetur ratificare illam, & an requiratur reitatio nouitiatus, ibid. numer. 9. Vide verbo *Quinquennij tempus*.
- 2 Rebellantes in visitatores quas pœnas incurrant, capit. 13. numer. 32.
- 1 Recipientes aliquid à Religioso non habente facultatem ad donandum tenentur ad restitutionem, cap. 6. numer. 35. Maximè propter Constitut. Clem. VIII. ibid.
- 1 Reclamatio professi intra quinquennium, cap. 2. numer. 7. debet fieri cum habitu, ibid. n. 8. Saltem reassumptio, ibid.
- 1 Recursus Religiosorum ad personas extrà Ordinem pro consequendis officijs, gradibus, dignitatibus, &c. omnino prohibitus sub magnis pœnis, cap. 10. n. 17.
- 1 Recusare prælatos Regulares non licet, nisi, in casu quo euidenter constaret illos iniquè se gerere contra famam Religiosi in graui materia, cap. 9. n. 8.
- 1 Redditus, seu præstationes aliquibus Generalibus concessæ, quomodo expendendæ, cap. 18. n. 73.
- 1 Redditus annuos habere dependenter à voluntate Superiorum licet non sit prohibitum Religiosis ex vi iuris communis, aut voti paupertatis, est tamen hoc illis prohibitum ab Ecclesia, Summis Pont. & Concilijs, cap. 6. à numer. 18. Nihilominus in aliquibus Conuentibus, & cum quibusdam conditionibus permitti potest, ibidem à numer. 21.
- 1 Redeuntis Religiosi ad Monasterium quid facere debeant cap. 16. n. 6.
- 1 Regularis. Vide verbo *Religiosus*.
- 1 Regula Religionis quid sit, cap. 7. numer. 1. Vnde dicta, ibid. Ad illam obseruandam tenentur omnes Religiosi, ibid. numer. 2. præter quatuor communes est alia specialis Diui Alberti pro Carmelitis sepius ab Ecclesia approbata. Ad illam tenentur Carmelitæ Obseruantes solum prout mitigatam ab Eug. IV. ibid. numer. 5. Conditiones ab hoc Pontifice assignatæ in mitigatione Regulæ quomodo accipiendæ, ibidem. Non omnia, quæ in Regulis continentur obligant ad mortale, sed aliqua ad mortale, aliqua ad veniale, aliqua ad nullum peccatum, ibidem numer. 6. Quæ spectant ad Obseruantiam Votorum essentialium obligant ad mortale, ibid. numer. 7. Quæ proponuntur vt consilia, & opera super erogationis non obligare neque ad veniale, ibid. numer. 8. Obseruantia vel alia, quæ in regulis proponuntur, si regula Institutor declarauit nolle obligare ad culpam, non obligant ad illam, ibidem, numer. 10. Si id non declarauit, attendendum est ad communem acceptionem religionis, ibidem, numer. 11. Si hoc non extrat, res, & materia leuis non potest obligare ad mortale, ibid. numer. 12. Attendenda etiam sunt verba, quibus regula vtitur, ibid. numer. 13. Regularia Carmelitarum quoad istas Obseruantias solum obligat ad veniale, ibid. numer. 14. Licet graue intra limites venialis, ibid. numer. 15. Proficientes regulam relaxatam quoad quoad Vota substantialia religionis, tenentur illam obseruare non prout sic relaxatam, ibid. numer. 16. Proficientes verò regulam relaxatam quoad Obseruantias regulares, si talis relaxatio legitima consuetudine introducta est, non peccant obseruando illam prout sic relaxatam, ibid. 17. Idem de proficientibus regulam relaxatam per legitimam consuetudinem quoad modos, vel circumstantias Votorum essentialium, ibid. numer. 18. Si tamen Pontifex, vel etiam alij Prælati religionum vellent illam reformare, tenentur religiosi non resistere, sed reformationem amplecti, ibid. n. 19.
- 2 Reges Catholici Hispaniarum Patroni sunt in illis partibus plurium Ecclesiarum, cap. 11. nu. 17. Quos debent præsentare, ibid. & n. 20.
- 2 Religiosi, & Regulares, vide verbo *Mendicantes*, verbo *Monachi*, verbo, *Canonici Regulares*, verbo, *Clerici Regulares*, verbo *Hospitalarij*, & verbo *Militæ Regulares*.
- 2 Regula exponi debet in Capitulo ab eo qui præest, capit. 2. numer. 31. Etiam vulgari sermone, ibidem. Tertiatorum regula, cap. 14. numer. 15. Quam obligationem inducat, numer. 19. & 20.
- 1 Religio perfectior, quæ censetur, cap. 22. numer. 5. Religiones gaudent communicatione Priuilegiorum, c. 3. n. 17. Etiam concedendorum, ibidem. Quoad ius vtendi illis, ibidem.
- 1 Religiosus omnis tenetur ex vi suæ professionis tendere, & niti ad perfectionem Christianam, cap. 1. numer. 3. non tamen tenetur esse perfectus in facto esse, ibid. numer. 4. nec tendere ad perfectionem per omnia opera consiliorum, aut supererogationis, sed per illa, quæ sunt secundum regulam, & constitut. Ordinis, ibidem, numer. 5. Nec sibi persuadere se facere perfectum in perfectione, ibid. numer. 6. perfectio hæc in quo consistat, ibid. numer. 7. Vide verb. *Perfectio Christiana*. Hęc obligatio procurandi perfectionem in religiosis est sub mortali, ibidem, numer. 8. probabilius est esse eandem cum obligatione seruandi Vota, & obseruantias regulares, ibid. nu. 9. Contra eam peccat religiosus quando contemnit ea, quibus venit ad perfectionem, ibidem, nu. 10. Et quando transgreditur regulam, aut constitutiones eo fine, vt illam impediatur, ibid. Et quando statuit apud se nihil curare de illa, ibid. Et quando in animum inducit non progredi, ibid. Et quando alios inducit ad deprauatam vitam suo malo exemplo, ibid. non tenetur ex vi huius obligationis habere domitas omnes suas passiones, sed sufficit ad hoc conari, ibid. n. 14.
- 1 Religiosi nequeunt alteri confiteri, nisi suis Prælati, aut designatis ab ipsis, cap. 18. numer. 26. nec etiam approbati ab Episcopis, ibidem. Aut etiam habentibus iurisdictionem à Papa, ibidem. Benè tamen Pœnitentiarijs Papæ, ibidem, nec possunt eligere sibi Confessorem aliquem, præter assignatos à suo Superiore, aut absolui à casibus Superiori suo referuatis virtute Cruciatæ, aut alterius Bullæ, seu priuilegij, c. 19. n. 29. prohibitum illis est accedere ad monasteria Monialium, vel illas, aut alias personas intrà clausuram existentes alloqui, c. 25. n. 36.
- 1 Reliquia insignis, vt ratione illius possit fieri Officium de Sancto cuius est quæ sit, cap. 12. n. 33. & 35.
- 1 Residentia prælatorum etiam obligat prælatos Regulares, cap. 18. n. 12.
- 1 Reus regularis an gaudeat immunitate Ecclesiastica, cap. 18. numer. 83. quomodo citandus, cap. 27. numer. 12. Quando in carcerem mittendus, ibidem. Testimonia, & probationes an illi patefieri debeant, ibidem. Iuridicè interrogatus

# I N D E X.

- rogatus debet veritatem confiteri sub mortali, ibidem. Etiam si illi imminet periculum Mortis, ibidem. Secus si non iuridicè interrogaretur, ibidem. sed nec tunc licet mentiri, sed vti amphibologia, ibidem. sumpta confessione si fatetur delictum potest condemnari, mitius tamen cum illo procedi debet, ibid. num. 13. Si neget quid faciendum, ibidem, & num. 14. An possit torqueri, ibid. numer. 16. si in tormentis non confiteatur delictum absolvens, ibid. num. 17. Si verò confiteatur quid faciendum, ibid.
- 1 Romam venientes religiosi sine licentia puniendi sunt, cap. 10. n. 15. & 16.
- 1 Rota Monasteriorum Monialium an sit clausura, cap. 25. num. 10.
- 2 Romam veniendi licentia an concedant DD. Cardin. Profectores, cap. 9. n. 18.
- 2 Rosarij S. Confraternitas quando publicata, cap. 15. nu. 51. Quæ indulgentiæ illi concessæ, ibid. & num. 52. 53. & 54. Quæ privilegia, 55. Quid pro illa statutum, 56. Quando caperit, 57. Quæ illi concesserit Clem. VII. 58. Quæ Pius V. 59. Quæ Sixtus V. 60. Quæ declarata sint à Sacr. Congregat. 61. Quid circa processionem, 62.
- S
- 1 Sabbato Sancto an celebrari possit Missa, cap. 21. numero 18.
- 1 Sacerdos regularis debet regulariter celebrare, cap. 21. n. 1. potest recipere stipendia pro Missis, nisi de hoc sit specialis prohibitio in Religione, ibid. num. 4. Non tamen plura stipendia pro vna Missa, ibid. num. 5. nec accipere Missam cum certa elemoyna, & illam alteri sacerdoti committere, parte elemoynæ sibi retenta, ibid. num. 7. nec Missas anticipatè dicere pro incerto elemoynas daturis, ibidem. Absolvit in casu extremæ necessitatis, seu articuli mortis ab omnibus casibus, & censuris, ibid. num. 12. Et semper à peccatis venialibus, & mortalibus iam confessus, ibid. Cum licentia superiorum, ibidem. sed non ab excommunicatione Minori, ibid. num. 13. Vide verbo *Missa*.
- 1 Sacræ Scripturæ lectio habenda in Monasterijs, cap. 9. n. 48. & c. 10. num. 20.
- 1 Sancti addendi, vel non addendi Calendarijs qui sint, c. 12. numer. 33. De quibus faciendum officium ratione Ecclesiæ Titularis, ibidem, & num. 34. De quibus ratione reliquiæ, ibidem, & num. 33. & 35. De illis, quorum reliquia insignis habetur faciendum Officium, ibidem, n. 37. Quorum reliquia insignis non habetur si concedatur Officium erit semiduplex, ibidem. De Sanctis Canonizatis non potest fieri Officium extrà propriam Ecclesiam, sine nova licentia, ibidem. De Patronis, & Titularibus, quomodo, & à quibus faciendum Officium, ibidem, num. 34. & 37. De Sancto autem Beatificato à quibus faciendum officium, ibidem. Sancti non Canonizati, aut non Beatificati quomodo non colendi, ibid. num. 39. priuationem possunt coli. ibid. num. 40. Qualiter, aut quomodo, ibidem.
- 2 Sacritæ munus in quo consistat, cap. 13. c. 45.
- 2 Seminarij contributio an spectet ad Mendicantes, capit. 1. num. 33.
- 1 Semiplena probatio quid sit, cap. 27. n. 6.
- 1 Sententia definitiva quando à iudice Regulari proferenda, cap. 27. num. 18. In scriptis, aut viva voce, ibidem, quæ debeant illam præcedere, ibid.
- 1 Sepulturam eligere non possunt Religiosi, nisi nimium absentes à Monasterio, cap. 9. num. 10. Prælati verò id aliqui concedunt, ibidem. Inducentes ad sepulturas capiendas in eorum Ecclesijs sunt excommunicati, ibidem, num. 25.
- 1 Sermo de Religiosa disciplina singulis hebdomabis habendus, cap. 18. n. 80.
- 2 Sepultura libera in Ecclesijs Mendicantium, cap. 1. num. 31. sacerdotum & ceteræ numerus pro ipsa à quo designandus, num. 43. sepultura vni concessa an alijs dari possit, c. 11. num. 23.
- 2 Servitores Regulariū, Vide verbo *Familiares Regularium*.
- 2 Servitrices Monialium quibus gaudeant privilegijs, cap. 16. num. 28.
- 2 Silentij observantiæ obligatio quanta sit pro Monachis, c. 24. num. 32.
- 2 Simonia an committatur in venditione habitum Ordinum Militarium, cap. 5. n. 16.
- 1 Silentium Regulare necessarium Religiosis, cap. 7. n. 25.
- 1 Simonia committitur vendendo novitio Religiosum statum, cap. 24. num. 30. Huius criminis pænæ, ibid. num. 31. In electionibus committitur si datur temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio pro Officijs, dignitatibus, &c. cap. 15. numer. 28. Vel pro voce, vel suffragio, ibidem, si fiat conventio, aut pactum, ibid. num. 29. Vel ne aliquis accusetur, ibid. num. 30. Non est tamen simoniacum offerre aliquid, vt non eligatur in dignus, & vt eligatur dignus in communi. ibid. nu. 31. nec dando aliquid subornanti, ne subornet, aut electoribus ne iniuste electionem impediant, ibid. In commutationibus autem officiorum simonia committitur, ibid. num. 32. simoniacorum pænæ, ibid. num. 33. simoniaci à quo absolventi, c. 18. n. 39.
- 1 Singularitas in victu, cibo, & potu etiam Prælati interdita, cap. 18. n. 72.
- 1 Sodomita peccat contra Castitatem, cap. 5. num. 11. Gravissimis pænis punitur, ibid. & cap. 10. num. 8. Quid requiratur ad illas incurrendas, ibid. & num. 12. & 13. prædicti cap. 5.
- 1 Sollicitantes in Confessione ad inhonesta qualiter puniendi, cap. 19. n. 33. & 34. Qui tales sint censendi, ibid.
- 2 Socij, seu discreti pro Capitulis quas debent habere conditiones, cap. 12. n. 17. Quam ætatem, ibid. An possint illegitimi id manus subire, ibid.
- 2 Societatis lesu domus professæ bona immobilia etiam in communi non possident, cap. 1. num. 7. Bene tamen Collegia, ibidem. Carent tamen iure succedendi in bonis suorum, ibidem possunt societatis Religiosi cogi ad eundem in terras infidelium ad prædicandum Euangelium, ibid. numer. 11. Quomodo intelligendum votum eorum de obediendo Papæ quo ad missionem, cap. 4. numer. 10. Quomodo illud de non permitendo relaxatione pauperum, num. 11. Quomodo etiam illud de non prætendenda prælacione aliqua in societate, 12. Item illud de non prætendenda dignitate extra societatem, 13. Et illud de denunciando ambientes, 14. Ac illud de audiendis consilij Generalis, 15.
- 2 Sortes num admittendæ in electionibus, cap. 12. n. 44.
- 1 Status in Ecclesia triplex, cap. 1. num. 1. Coniugatorum, Religiosorum, & Prælatorum, ibid. Regulares omnes sunt in secundo statu. ibid. Quomodo definiatur, ibid. Adumbratus in Lege Moyli, & naturæ, ibid. num. 2. Perfectus, & consummatus tempore Christi, & Apostolorum, ibidem. Amplexatus ab Elia, & Eliseo, & filijs Prophetarum, ibid.
- 1 Status Religiosus requirit profiteri tria vota in aliqua Religione approbata, & constitui sub iurisdictione superiorum illius, cap. 2. num. 1. Non tamen videtur necessaria ad hoc vera, & propria iurisdictione, ibid.
- 1 Statuta Religionum. Vide verb. *Constitutiones*.
- 1 Studia litterarum convenientia sunt Religiosis, cap. 8. n. 29. studiorum Lectores an debeant facere Professionem fidei, cap. 18. numer. 102. Regulares ad studia deputati si notabiliter negligentes sint sæpè peccant mortaliter, ibidem. Accedentes Religiosi ad studia extrà claustra Religionis sine licentia sunt excommunicati, cap. 9. n. 2. Etiam si vadant cum habitu, ibid. Et etiam si studia sint licita, ibidem, similiter exeuntes de Claustris ad audiendam Medicinam, vel Leges, nisi intra duorum mensium spatium redierint, sunt excommunicati, cap. 9. numer. 3. Non comprehendit hæc excommunicatio Religiosos intra Claustra audientes istas scientias, ibidem, extenditur tamen ad Doctores, qui Religiosos habitu dimisso scienter docuerint, aut retinuerint in scholis, ibid. Qualiter superiores Religionum teneantur curare studia, cap. 18. num. 84. studentes in vniuersitatibus in Conuentibus habitare debent, cap. 11. num. 11.
- 1 Suffragia in electionibus debent esse absoluta, cap. 15. nu. 16. Cetera, & determinata, ibidem, secreta, ibid. numer. 17. per schedulam albam non irritatur electio, sed denotatur

# I N D E X.

- tur illam mittentem noluisse habere vocem in illa electione. *ibid.* num. 18. Libera etiam à metu reuerentiali. *ibid.* num. 21. potest tamen fieri coarctatio ad certum genus personarum. *ibid.* suffragium semel datum potest reuocari si non sit publicatum, aut permixtum cum alijs. *ibid.* num. 22. Vide verb. *Electioes.*
- 1 Superfluum habere non licet Religiosis, cap. 6. num. 13. est peccatum Proprietatis, etiam si fiat cum licentia superiorum. *ibid.*
- 1 Superiores Regularium. Vide verbo *Praelati.*
- 1 Suspensionem incurrunt suscipientes Ordines sacros illegitime, cap. 14. à n. 2.
- 2 Subornatio quæ, & qualis prohibita Canonicis Regularibus, cap. 3. n. 27.
- 2 Superiores vide verbo *Praelati.*
- 2 Superiores immediati Conuentuum sunt verè Praelati, cap. 13. num. 37. Quam iurisdictionem habeant. *ibid.* Quam potestatem circa absolutionem à reuerentis. *ibid.* Quæ ætas pro eis requiratur. *ibid.*
- 2 Superiores Conuentuum quam habeant auctoritatem, cap. 13. nu. 40. Quid facere possint in absentia Praelatorum. 41. An possint illegitimi hoc munus exercere. 50.
- 2 Syndici Minorum qui sint, c. 17. num. 12. Quibus priuilegijs fruuntur. *ibid.* & n. 13.
- T
- 1 **T**Abellionis munus nequeunt exercere Religiosi, ca. 9. num. 13. Qui tamen in seculo habebant hoc Officium possunt in Religione signare instrumenta, *ibid.* In causis etiam Fidei possunt id munus exercere, *ibid.* Vide verbo *Notariorum institutio.*
- 1 Tabernæ ingredi prohibitum, cap. 9. num. 38.
- 1 Taciturnitas superioris videntis Religiosum aliquid possidere, accipere expendere, &c. sine licentia, & non contradicentis non excusat Religiosum, cap. 6. num. 56. Nisi quando ex alijs signis constat illam esse virtualem approbationem. *ibid.*
- 1 Taurorum agitationibus, aliarumque bestiarum assistere prohibitum est Religiosis, cap. 10. nu. 7. sub mortali peccato, & excommunicatione ferenda, *ibid.*
- 1 Tertiarij Ordinis Mendicantium, cap. 3. n. 22. Recipiunt habitum ab illis. *ibid.* Non sunt veri Religiosi, nisi promittant tria Vota sub regimine Praelatorum. *ibid.* Possunt vocari tertij Ordinis. *ibid.*
- 2 Tertiarij in triplici genere, cap. 14. n. 1. Alij tria vota essentialia sub aliqua Regula emittunt. 2. Alij non emittunt tria vota. 3. Quidam sunt verè Religiosi. 5. Quidam verò non. 6. & 7. Modus viuendi istorum qualis sit, *ibid.* Habent facultatem illos recipiendi Minores. 8. Pædicatores. 9. Augustiniani. 10. Carmelitæ. 11. Seruitæ. 12. Minimi. 13. Possunt tertij Ordinis nuncupari. 14. Regulam ab Ecclesia approbatam observant. 15. Habitum Ordinum etsi non eundem, sed similem gestant. 16. Habent proprios modos profitendi. 17. Aliqui emittunt aliqua vota simplicia, alij non. 18. Quomodo peccent transgrediendo suam professionem. num. 19. & 20. Quomodo facienda. 21. Illam præcedit approbationis tempus. 22. An recedentes ab ea sint Apostata. 23. Eorum institutum valde differt à Confraternitatibus. 24. An dicendi personæ Ecclesiasticæ. 25. Quæ sint illis concessa priuilegia. 26. Qualiter limitata. 27. 28. 29. Conditiones pro ipsis requisitæ. 29. Tripliciter viuere possunt. 30. & 31. An possint eligere sepulturam. 33. Sacramenta à quo recipere possint. 34. Quam habent exemptionem. 35. Quid pro tempore interdicti. 36. Quid de fœminis Tertiarijs collegialiter viuentibus. 38. An gaudeant priuilegio Canonis. 39. Quæ conditiones pro illis requirantur. 40. Quibus Superioribus subijciantur. 41. & 42. Quas Indulgentias consequi possint. 43. Ad quem spectet iudicare de conditionibus pro illis necessarijs. 44.
- 2 Testamentum condere an possint Commendatarij, cap. 5. num. 33. & 34. Praelatis etiam Regularibus est prohibitum cap. 13. num. 54. Pro illo faciundo non est necessaria præsentia Parochi, cap. 1. num. 45.
- 1 Testari, aut testamentum facere non possunt Religiosi. c. 9. num. 19. Possunt tamen facere aliquam schedulam, qua rogent Praelatum, vt det aliqua alicui, *ibid.* Et inter-
- pretari testamentum à se factum dum erant seculares. *ibid.* Ex licentia etiam Papæ testari possunt. *ibid.* Nouitij autem possunt facere testamentum, cap. 24. n. 35.
- 1 Testamenti executor non potest esse Religiosus absque licentia sui Superioris, cap. 9. num. 9. Sufficit tacita licentia, *ibid.* Minoribus de Observantia id non licet. *ibid.* Testamentorum executores Religiosi tenentur reddere rationem Episcopo, *ibid.*
- 1 Testes esse non est prohibitum in iure Religiosis, capit. 9. num. 10. Etiam in testamento, in quo aliquid relinquitur Monasterio. *ibid.* Testis falsus perpetuò deponitur. *ibid.* num. 42.
- 1 Testes Regulares in ipsorum Regularium causis quomodo interrogandi. cap. 27. num. 11. Iuridice interrogari tenentur veritatem dicere, *ibid.* Nunquam possunt mentiri. *ibid.* Nec dicere ea, quæ sciunt per Sacramentalem Confessionem, *ibid.* Nec ea, quæ sciunt sub secreto. *ibid.* Nisi quando id cedit in damnum aliorum, *ibid.* Nec tenentur dicere ea, quæ à non fide digno, aut appassionato audierunt. *ibid.* Nec testificari cum suo notabili damno. *ibid.* Testes oculares qui sint. *ibid.* nu. 15. Testes contestes qui. *ibid.* Testes omni exceptione maiores, qui. *ibid.* Testes singulares, & testes non omni exceptione maiores, qui sint, *ibid.*
- 1 Testimonium ferre Regulares in causis ciuilibus non possunt ad id cogi, nisi quando veritas aliter haberi non potest, cap. 11. num. 24. In causa etiam sanguinis, nisi pro defensione, non possunt cogi, *ibid.* Si tamen velint transire aliquid per duanam tenentur iurare, & ad mentem emptorum gabellarum, *ibid.* n. 25.
- 1 Tortura dari potest Religiosis, cap. 18. nu. 17. Quæ torturas, *ibid.*
- 1 Transferre Religiosum de vna Prouincia ad aliam pertinet ad Generalem, sicut de vno Conuentu ad alium ad Prouincialem, cap. 18. n. 91. Id tamen sine causa fieri non debet, *ibid.*
- 1 Transitus Religiosi ex vna Religione ad aliam non licet sine magna causa, cap. 22. numer. 1. Causa tamen legitima posita, & cum aliquibus conditionibus licet, *ibid.* numer. 2. Prima, quòd non fiat temerè, ex leuitate, aut cum iactura Religionis à qua receditur, *ibid.* num. 3. Secunda petitio licentiæ à Superiore, *ibid.* numer. 4. Tertia, quòd transitus sit ad perfectiorem Religionem, *ibid.* num. 5. Quarta, quòd hoc non sit illi prohibitum, *ibid.* num. 6. Prima, & secundæ conditionis defectus non irritat transitum, *ibid.* num. 7. Defectus tertie irritat illum, *ibid.* Defectus vero quartæ aliquando irritat, aliquando non, *ibid.* Transire ad Religionem æquè perfectam qualiter spectat ad Papam, *ibid.* numer. 8. Et ex causa Praelatis ipso inferioribus, *ibid.* n. 9. Ad transitum ad strictiorem Praelati concedunt licentiam, *ibid.* num. 10. Probabiliter etiam ad laxiorem, causa legitima, *ibid.* num. 11. Vt concedatur transitus, certus debet esse Praelatus, quòd alia Religio vult acceptare Religiosum, *ibid.* nu. 15. Admittentes fratres alterius Ordinis præter ordinem iuris, grauius peccant, *ibid.* num. 24. Totus etiam Conuentus potest transire ad arctiorem Religionem, *ibid.* num. 27.
- 2 Transitus Canonicorum Regularium ad Monachos an licitus, cap. 3. numer. 9. An Clericorum Regularium ad Monachos cap. 4. num. 3. An aliorum Religiosorum ad milites Regulares, cap. 5. num. 44. An ad Hospitalarios, cap. 6. num. 18. An Conuersorum, seu Oblatorum, c. 8. num. 21.
- 2 Translatio bonorum vnus Monasterij ad aliud an liceat, cap. 19. num. 56.
- 1 Translatus de vna Religionem in aliam debet esse Nouitius in ea, cap. 22. numer. 16. Et de nouo profiteri. *ibid.* Quem locum debet habere. *ibid.* num. 17. Si reuertatur vnde exiuit acceptandus est, *ibid.* num. 18. Translatus modo legitimo non tenetur ad obseruantias prioris Religionis, neque ad vota specialia ipsius, *ibid.* num. 19. Nec est capax Beneficij secularis. *ibid.* num. 20. Et, si est ex Mendicantibus priuatur voce, & loco, & non potest assumi ad officia. *ibid.* num. 21. Translatus illegitimè non est verè apostata, sed fugitiuus, *ibid.* num. 22. Bona translatorum ad quem pertineant, *ibid.* num. 23. Trans-

# I N D E X

- T**ranslatus de vna Religione in aliam semper debet manere in claustris, *ibid.* n. 29.
- 1 **T**rimemium pœna licitè infligitur Religiosis, cap. 16. n. 32. Ministri illos verberantes si modum non excedant non incidunt in excommunicationem. *ibid.* Ex trimemibus redeuntes non admittuntur ad Altare sine dispensatione, *ibid.* A quo talis dispensatio concedenda, *ibid.*
- 1 **T**utelam alicuius personæ prohibitum est Religiosis suscipere, cap. 9. num. 17. Tutelam tamen legitimam, quæ lege defertur consanguineis non videtur prohiberi Religiosis, *ibid.*
- V
- 1 **V**aleudinarium in singulis Conuentibus institutum, cap. 10. n. 20.
- 1 **V**enari, aut interesse venationibus prohibitum est Religiosis, cap. 9. numer. 20. Quando autem non fuerit scandalum, aut alia praua circumstantia non videtur mortale. *ibidem.*
- 1 **V**enialia confiteri possunt obligari ex Regula Religiosi, c. 7. num. 21.
- 1 **V**icarij Conuentuum, qui in ipsis non habent Superiorem sunt veri Prælati, cap. 18. num. 3. Secus verò de alijs Vicarijs, seu alio nomine vocatis, qui in Conuentibus Superiorem supra se habent, *ibid.* Vicarij Monialium non sunt Prælati ipsarum, cap. 25. n. 2.
- 1 **V**icarij Episcopalis munus an possit exercere Religiosus, cap. 9. n. 14.
- 2 **V**icarij Generales in Religionibus quando habeant auctoritatem ordinariam, & quando delegatam, c. 13. num. 17. An expiret morte concedentis. 18.
- 2 **V**icarij Conuentuum quam habeant auctoritatem, cap. 13. num. 39. 40. & 41.
- 2 **V**iolentia quid, & quod duplex, c. 10. num. 22.
- 1 **V**idua, seu non virgo an eligi possit in Abbatissam, cap. 26. num. 5.
- 1 **V**inum cum aqua temperatum debent bibere Religiosi, c. 9. num. 38. Nec alios in conuiuijs ad bibendum inuitare *ibid.* Nec ingredi tabernas. *ibid.* Ebriorum pœna, *ibid.*
- 1 **V**isitare debent Generales, & Prouinciales, Prouincias, & Conuentus, cap. 18. num. 68. & 92. & cap. 27. nu. 1. Non possunt delegare hanc facultatem alicui extraneo extra Ordinem, c. 18. numer. 92. Absolutiones, & dispensationes, quas tunc concedunt quantum valeant, *ibid.* nu. 93. Qualiter in Visitationibus procedere debeant Prælati Regula res, cap. 27. à n. 2.
- 1 **V**isitatores Monialium impediētes, c. 25. n. 47.
- 1 **V**ita communis maximè necessaria Religiosis, c. 6. num. 7. Maximè etiam illis commendata ab Ecclesia in Concilijs, & Decretis SS. PP. *ibidem* nu. 7. & sequentibus. An illam non obseruantes sint Proprietarij, & Proprietarium penis plectendi, *ibid.* num. 60. Prælati, qui non curant illam obseruare sunt in malo statu, cap. 18. num. 14. Etiam in cibo, potu, & alijs rebus obseruanda est à Prælati, *ibid.* n. 54.
- 2 **V**isitatores auctoritas qualis, cap. 13. nu. 28. An pertineat ad eos regimen Prouinciæ, vel Conuentus tempore visitationis, *ibid.* Quid possunt facere Prælati eo tempore. 29. Eorum auctoritas pendet ex litteris commissionis. 30. An possint illam subdelegare. 31. Ab illis gesta an rescindi possint. 33. Quos processus formare possint. 34.
- 2 **V**isitare Ecclesias Ordinum Militarium ad quos pertineat, cap. 4. n. 49.
- 2 **V**isiones Ecclesiarum quando recognoscendæ à DD. Episcopis, cap. 1. n. 41.
- 2 **V**otum decisiuum, & consultiuum quid importent, cap. 13. num. 20.
- 2 **V**otum vitæ Eremiticæ, an obliget, c. 7. nu. 9. Vota Iesuitarum quæ, & quomodo accipiendæ, cap. 4. à num. 9. Clericorum Minorum. 16. Clericorum Regularium ministrantium infirmis. 17. Hospitaliariorum, c. 6. nu. 3. Tertiariorum, cap. 14. num. 19. 28. & 29. Voto de assumenda Religione an satisfiat assumpto habitu Ordinum Militarium, cap. 5. n. 44.
- 1 **V**otum Castitatis. Vide verbo Castitas.
- 1 **V**otà Obedientiæ. Vide verbo Obedientiæ, & verbo Obedire.
- 1 **V**otum Paupertatis. Vide verbo Paupertatis, verbo Peculium, & verbo Proprium, & Proprietas.
- 1 **V**ota ad minus tria requiruntur ad essentiã status Religiosi, cap. 2. num. 1. Ex vi illorum non est tam suus, quam Religionis Religiosus, *ibidem.* Etiam vota, quæ emittunt Milites Sancti Iacobi, Sancti Ioannis, &c. illos constituunt Religiosos, *ibid.* num. 2. Vota etiam simplicia, quæ emittunt Patres Societatis Iesu post biennium, *ibid.* num. 3. Votum ingrediendi Religionem licitum est, & honestum, cap. 24. num. 27. Quid debeat facere, qui tale votum fecit, *ibidem.*
- 1 **V**ota, & Promissiones facta à Populis, seu Communitatibus tenentur obseruare Regulares ibi existentes, cap. 11. num. 13.
- 1 **V**ota Monialium non dispensantur, nec commutantur ab Abbatissis, seu Priorissis ipsarum, irritari tamen possunt ab illis, cap. 26. n. 15.
- 1 **V**ota Regularium irritantur à Superioribus, cap. 17. nu. 47. Non solum indirectè, sed etiam directè. *ibid.* Etiam illa, quæ sunt circa materiam præceptorum, *ibidem.* Etiam facta cum licentia eorumdem Superiorum, *ibidem.* Excepto Voto transeundi ad ætiorum Religionem, *ibid.* etiam Vota Nouitiorum, *ibid.* Commutantur etiam eadem Vota à Superioribus, *ibid.* n. 48. Et dispensantur ea, quæ possunt dispensare Episcopi, *ibid.* num. 49. Secus in Votis reseruatis Papæ, *ibid.* Bene tamen Vota transeundi ad strictiorem Religionem, *ibid.* num. 50. Requiritur semper causa, *ibidem* nu. 51. Vota Prælatorum à quo dispensantur, *ibid.* n. 52. Vota essentialia Religionis nullatenus dispensantur à Superioribus, *ibid.* n. 54.
- 1 **V**ota secularium Episcopo reseruata, an dispensari possint à Confessarijs Regularibus, cap. 19. numer. 22. Ad minus possunt commutari ab aliquibus ipsorum, *ibid.* num. 23. Vota autem Papæ reseruata quando perfecta sunt, nec dispensari, nec commutari possunt à Regularibus Confessarijs, *ibid.* n. 24. Quando verò talia non fuerint, possunt commutari, *ibidem.*
- 1 **V**ota, seu suffragia inhabilium in electionibus an, & quomodo illas viciant, cap. 15. n. 6.
- 1 **V**otiuæ Missæ quando non dicendæ, cap. 21. n. 25.
- 1 **V**sus irreuocabilis alicuius rei non potest concedi Religiosis, cap. 6. nu. 26. Nec etiam à Papa, nisi dispenset in Voto Paupertatis, *ibidem.*
- 1 **V**sus fructus quid sit, c. 6. nu. 2. **V**sus Iuris quid sit. *ibid.* **V**sus facti, quid sit, *ibid.* **V**sus fructu, & vsu Iuris priuatur Religiosus per Paupertatem, *ibid.* Non tamen priuatur vsu facti, nec iste opponitur Paupertati Religiosæ, *ibid.*
- 2 **V**sus fructus professi an transeat ad Monasterium, cap. 19. num. 29.

## F I N I S.



S V M M A  
**Q V A E S T I O N V M**  
**R E G V L A R I V M,**  
 S E V D E C A S I B V S C O N S C I E N T I Æ  
 ad personas Religiosas vtriusque sexus valde spectantibus.

*S V M M A R I V M. C A P. I.*

- Triplex in Ecclesia status. n. 1.*
- Religiosi sunt in secundo statu, tendentium scilicet ad perfectionem. ibid.*
- Status religiosus adumbratus in lege Moysi, & naturæ perfectus tempore Episcopi, & amplexatus ab Elia, & Eliseo filijsque Prophetarum. n. 2.*
- Quaecunque persona religiosa tenetur tendere ad perfectionem. num. 3.*
- Non tenetur esse perfecta in facto esse. n. 4.*
- Nec tenetur tendere ad perfectionem nisi per ea opera que sunt secundum Regulam, & observantias sui ordinis. n. 5.*
- Nec tenetur sibi persuadere se facere perfectum. n. 6.*
- Perfectio Christiana in quibus consistat. n. 7.*
- Finis religiosi status quis sit. ibid.*
- Obligatio procurandi perfectionem Religiosis est sub mortali peccato. n. 8.*
- An sit distincta ab obligatione servandi vota, & observantias regulares. n. 9.*
- Quando peccet contra præceptum procurandi perfectionem. num. 10. & 11.*
- Quando censetur contemere perfectionem sui status. n. 12.*
- An transgredi regulam, & ordinationes Ordinis ex pravo usu aut consuetudine in rebus parvæ materia sit mortale. num. 13.*
- An teneatur ex vi huius præcepti habere dominas, seu superatas omnes suas passiones. n. 14.*
- An peccata Religiosi graviora sint peccatis secularium. n. 15.*
- An teneantur ex iustitia erga religionem efficere actus ad quos destinantur. n. 16.*
- Mendicantes præsertim tenentur ex præcepto charitatis saluti proximorum subvenire. n. 17.*

**DE OBLIGATIONIBVS**  
**Regularium ratione status perfectionis, quem profitentur. Cap. I.**

**T**riplex statu in Ecclesia reperto; quorum primus est coniugatorum, qui vitam communem, & adimplerentem solum præceptorum communium exigit: & secundus Religiosorum, qui ad perfectionem tendere, consiliaq; Evangelica sectari

- profitentur; & tertius Episcoporum, seu Prælatorum, qui perfectionem consummatam, & in facto esse debent habere; certum est omnes personas Regulares cuiuscunque sexus sint, in secundo statu esse, sub eoque militare. S. Thom. 2. 2. quest. 183. & 186. Gregor. de Valentia tom. 3. disp. 10. q. 1. punct. 3. Hic autem status bene sic definitur, *status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, castitatis, & obedientie vota tendentium.* Bellar. tom. 2. l. 2. de Monach. c. 2.
- 2 Adumbratus est in lege Moysi, & in lege naturæ. Plat. de bono stat. Relig. l. 2. cap. 19. Perfectus, & consummatus à tempore Christi, & Apostolorum, qui fuerunt veri, & perfecti Religiosi. Valq. 1. 2. disp. 165. cap. 5. Et amplexatus à Sanctissimis nostris Patribus Elia, & Eliseo, filijsque Prophetarum successoribus eorum D. Hieronym. in epist. ad Paul. D. Isid. l. 2. de offic. cap. 16. Sixt. IV. Gregor. XIII. & alij Pontifices.
- 3 Hinc omnis persona Religiosa quæcumque illa sit, tenetur ex vi suæ professionis, tendere, progredi, & niti ad perfectionem. Ratio est, quia hæc est obligatio sui status, & in quo differt à laicis: vnde statui hæcorum solum dicitur à Christo *Serva mandata*; statui verò Religiosorum, qui insinuat in illis verbis; *Si vis perfectus esse, vltterius dicitur; Vade, & vende omnia, &c. & sequere me*, per quod denotantur Consilia, ac per consequens perfectionis sequela. Suarez l. 1. de oblig. Relig. cap. 4. Et nouissimè Ioannes Euseb. in doctrina Ascetica lib. 1. doct. 4. cap. 25. specialiter cap. 27. vbi religiosos non tendentes ad perfectionem vocat simulatores, mendaces, & hypocritas, iuxta doctrinam S. Thom. 2. 2. quest. 184. art. 4. ad 2. & Tab. in sum. v. Relig. Tenentur etiam Religiosi tendere ad perfectionem propter periculum labendi in peccatum graue, in quod regulariter cadunt Religiosi perfectionem non procurantes. Euseb. sup. cap. 30. ex Azorio, & alijs. Item secundum aliquos, ne obfirmant animum contra Spiritus sancti inspirationes. Idem Author ex Caiet. Azorio, & Valentia.
- 4 Non tamen tenetur Religiosus ex vi suæ professionis esse perfectus in facto esse. Ratio est, quia status Religionis non est status perfectionis iam acquisitæ, qualis est status Episcoporum, sed est status perfectionis acquirendæ. Ideo enim vocatur Religio schola perfectionis. Quemadmodum ergo studentes in schola non tenentur esse docti, & sapientes, sed tendere, & conari ad doctrinam, & sapientiam adqui-

- adquirendam, ita etiam Religiosus non tenetur esse perfectus, sed tendere ad perfectionem, S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. & 186. art. 2. Abul. in c. 19. Matth.
- 5 Nec etiam tenetur Religiosus niti, aut tendere ad perfectionem per omnia opera consiliorum, aut supererogationis, sed per illa tantum, quae sunt secundum Regulam, & Observantias sui Ordinis. Ratio est, quia non se obligavit ad aliam perfectionem nisi eam, quae medijs institutis suae Religionis comparari potest: neque Ecclesia obligat illum ad aliam. Solum ergo obligatur ad eam perfectionem, quae media observantia suae Regulae, & Constitutionum acquiri potest. S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 2. Sanchez lib. 6. in Decalogum c. 5. num. 2.
- 6 Nec praeterea tenetur Religiosus sibi persuadere se facere perfectum quotidie in perfectione. Quia hoc pugnat cum humilitatis exercitio, per quod iudicare debet oppositum. Hieronym. Gratian. de discipl. Regul. cap. 9. § 1.
- 7 Perfectio Christiana, quam profitentur Religiosi, & ad quam procurandam tenentur, consistit principaliter in actibus charitatis erga Deum, & proximos; minus principaliter in actibus aliarum virtutum. Ratio est, quia perfectio hominis in hac vita est illud bonum, quod est ipsi optimum; exercitium autem charitatis principaliter, & exercitium aliarum virtutum minus principaliter est optimum homini, cum nihil illi melius. S. Thom. 2. 2. quest. 184. artic. 1. Suarez tom. 3. de Relig. l. 1. cap. 3. Hinc finis Religiosi status est unio per charitatem cum Deo, & proximis. Indicatur hoc Act. 5. ubi de Apostolis, qui erant veri Religiosi, & eorum discipulis dicitur: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* S. Thom. 2. 2. quest. 186. art. 1. Suarez tom. 3. de Relig. l. 2. c. 1. Hieron. Gratian. in discipl. Regul. c. 4.
- 8 Haec obligatio procurandi perfectionem, seu tendendi ad illam in Religiosis est sub mortali peccato. Ratio est, quia est de re gravissima, quam voverunt, & in qua consistit substantia status Religiosi. Cordub. in Reg. D. Francisc. cap. 1. Rodriguez 3. tom. Quest. Regul. quest. 48. art. 1. Ita veritas (secundum Navarr. in cap. quia portio 12. quest. 1. num. 10) est terribilis multis Religiosis, qui neque actu, seu actualiter; nec virtute, seu virtualiter habent animum se in dies magis perficiendi in charitate, neque curant plusquam boni clerici saeculares, vel laici, ad eam tendere. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 5. num. 10.
- 9 Num verò huiusmodi obligatio tendendi ad perfectionem in Religiosis sit distincta ab obligatione servandi vota, & observantias Regulares, vel sit eadem cum illa? Probabilius est esse eandem, & imbitam in illa, sicut obligatio obediendi Deo, placendi Deo, & constituendi in ipso nostrum ultimum finem, non est obligatio distincta ab obligatione servandi mandata Dei, sed in illa includitur. Ratio est, tum quia ut diximus num. 5. non tenetur Religiosus ad aliam perfectionem comparandam, nisi ad eam, quae medijs institutis suae Religionis haberi potest. Tum etiam, quia alius quoties Religiosus transgredereatur votum aliquid peccaret duplici peccato, altero contra votum, altero contra perfectionem, quam tenetur procurare. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 5. n. 5.
- 10 Peccat tamen Religiosus mortaliter contra hoc praecipuum procurandi perfectionem. Primum, quando contemnit ea, quibus venit ad perfectionem. Quia hoc est contra votum professionis, quo Religiosus promisit vitam Regularem S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. & 9. Caietan. ibid. Secundum, quando transgreditur Regulam (etiamsi ad venialem solam, vel ad nullam culpam obligaret) eo fine, ut impediatur perfectio. Quia hoc etiam est directe contra id, quod promisit. Valentia 1. 2. disp. 7. q. 5. punct. 6. vers. primus casus est. Vasquez 1. 2. disp. 158. c. 6. n. 57. Tertio, quando firmiter statuit apud se, nullo modo curare de perfectione sui status. Propter eandem rationem. Quarto ad idem, quando in animum inducit non progredi ad vitae perfectionem, ita ut apud se statuat, & dicat: Nolo ad perfectionem tendere. Quia in hoc deficit a fine suae professionis. Bartholomaeus a S. Fausto de V. propriet. c. 1. n. 10. Tandem quinto, quando eius pravo exemplo alios induceret ad depravatam vitam, vel relaxationem Regulae. Quia tunc grave nocuum Religioni, quam professus est, inferret. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 4. n. 18.
- 11 Addunt etiam alij peccare Religiosos, si intendunt nunquam proficere in perfectione, seu non facere alia bona, neque alio modo meliora, quam Regula, vel Constitutiones praecipunt. Quia hoc est ponere obicem gratiae Spiritus sancti. Cordub. in Regul. B. Franc. cap. 1. quest. 3. Tho. de Iesu in Epilog. Regul. Carmelit. §. ex his ergo. Ad minus tamen Religiosus, qui habet propositum operandi contra omnia statuta suae Religionis, vel praecipua, ut sunt orationis, silentii, ieiunii, &c. quamvis non obligent ad mortale, peccat mortaliter. Quia est perniciosus Religioni suo pravo exemplo, & quantum est ex parte sua veluti procurat destructionem ipsius. Tambur. de Iure Abbat. tom. 3. disp. 3. q. 6. n. 7. idem dicit n. 12. conformiter ad doctrinam Caietani, Valentia, & Vasquez de Religioso transgrediente statuta suae Religionis ad solam poenam obligantia eo animo ut impediatur finem ipsorum.
- 12 Tunc censetur Religiosus contemnere perfectionem sui status, ac per consequens peccare mortaliter contra hoc praecipuum, quando transgreditur leges suae Religionis ex animo, aut voluntate non se subijcendi illis, aut Superioribus praecipientibus. Ratio est, quia contemptus est actus formalis inobedientiae, includens duo, scilicet transgressionem praecipii, & intentionem nolendi se subijcere praecipio, aut praecipienti, Lessius de iustit. & iur. cap. 41. dub. 9. num. 76. Vasquez 1. 2. disput. 158. cap. 4. Vide dicenda cap. 8. num. 17.
- 13 Transgredi verò Regulam, & Ordinationes Religionis ex pravo usu aut consuetudine in rebus parvae, aut levis materiae non est peccatum mortale contra hoc praecipuum. Ratio est, quia actus isti quantumvis replicati ob parvitatem materiae solùm possunt esse peccata venialia. Azor. lib. 4. Institut. moral. cap. 9. quest. 11. Quando autem per accidens possit haec consuetudo esse peccatum mortale dicimus cap. 8. num. 18.
- 14 Non tenetur Religiosus ex vi huius obligationis, seu praecipii, dominas, seu iupertas habere omnes suas inordinatas passiones; sed sufficit, ut ad eas vincendas, quantum potuerit conetur. Hoc declaratur exemplo à S. Thoma adducto de duobus militibus, quibus Dux praecipit, ut fortiter pugnent, ac dimicent; quorum unus ita hoc adimplet, ut inimicum vincat, & occidat: alter verò, etsi fortiter dimicet, & pugnet, inimicum tamen non occidit, aut vincit. Vterque enim suae obligationi satisfacit. Sic ergo in nostro proposito. Ludovic. Mirand. in Manual. Praetator. tom. 1. quest. 5. artic. 5.
- 15 Peccata Religiosi absolute loquendo debent censeri graviora, ceteris paribus, peccatis saecularium. Primum, quia Religiosus cum sit specialiter dicatus Deo tenetur habere maiorem advertentiam ad non peccandum, & placendum Deo. Secundum ratione aequalis ingratitude ob maiora beneficia recepta. Caietan. 2. 2. quest. 187. artic. 4. Suarez 4. tom. de Relig. cap. 11. Per accidens tamen erunt aliquando leuiora. Quia si talia peccata sunt venialia, multitudine bonorum operum, in quibus Religiosus versatur veluti obruuntur. Si verò fuerint mortalia, facilius ob pristinam consuetudinem bonorum operum; & bonum exemplum aliorum retractari solent. S. Thom. 2. 2. quest. 186. art. 10. Valentia 2. 2. disput. 10. quest. 4. punct. 6.
- 16 Aliqui dicunt, eo ipso quòd Religiosi ex vi sui status, & professionis deputantur ad aliquos actus, v. gr. chorum, vel spiritualia ministeria, vel opera corporalia, si sint conversi; teneri ex iustitia illa non omittere, ita ut si omittant peccent mortaliter. Eo quòd inter Religionem, & Religiosum interuenit pactum quoddam, ut scilicet Religio ministret omnia ad vitam necessaria, Religiosus verò munus suum exerceat. Quemadmodum ergo Praelatus, si non tribuat vitae necessaria Religioso, peccabit contra iustitiam, sic & Religiosus si non efficiat ea, quae sui muneris sunt. Hoc verò ad minus erit verum, quando Praelatus praecipiat Religioso aliquid rigorosè, & exigendo ius suum Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. ult. num. ult.
- 17 Praeter obligationem communem omnium Religiosorum tendendi ad perfectionem, Mendicantes specialiter tenentur ex praecipio charitatis saluti proximorum subuenire, scilicet confessionibus, praedicationibus, lectionibus, &c. Ratio est, tum quia finis praedicatorum est salus animarum.

marum. Tum quia sunt coadiutores Episcoporum, quorum proprium est hoc munus. Vt habetur in Conc. Meld. cap. 3. Rotomag. apud Burchard. lib. 1. c. 88. & in Clement. dudum §. ceterum de sepulturis. & in Extrauag. sup. Cathedra §. finale eodem tit. uncto c. inter cetera de off. ordin. Bannez 2. 2. q. 33. art. 3. Thomas de Iesu sup. cap. non dicatis p. 5. c. 1. Vide dicenda tom. 2. c. 1. n. 9. 10. & 11.

18 De specialibus autem obligationibus Religiosorum ad perfectionem querendam in specialibus materijs, seu medijs ad illam acquirendam, agimus sigillatim in sequentibus capitibus.

SVMMARIUM CAP. II.

- Ad substantiam, & essentiam veri Religiosi status quatuor conditiones requiruntur. n. 1.
- Religiosus ex vi votorum non tam suus quam Religionis est. ib.
- Etiā vota militarium Ordinum religiosum statum constituunt. n. 2.
- Item vota simplicia Iesuitarum post biennium. n. 3.
- Quid de Conuersis oblati seu donati. n. 4.
- An professio tacita Religiosum constituat. n. 5.
- An Pontifex dispenset in votis solemnibus. n. 6.
- Quinquennij tempus determinatum Religiosis ad reclamandum quomodo intelligendum. n. 7.
- Quid teneatur facere inualide professus transacto quinquennio. ibid.
- Quid requiratur vt reclamatio Professi audiatur. n. 8.
- An requiratur reiteratio nouitatus cum aliquis fecit professionem inualidam. n. 9.
- Requiratur ratificatio professionis inualide. ibid.
- De tempore professionis. n. 10.
- Quomodo intelligenda. ibid.
- Nouitatus non continuus nū sufficiens sit ad professionem. n. 11.
- Professus incapax est ad contrahendum matrimonium. n. 12.
- Peccat qui facit professionem parentibus in necessitate graui constitutis, & quomodo id accipiendum. n. 13.
- Num possit reclamare professi eo quod habuerint parentes aut filios in necessitate constitutos. n. 14.
- An professio ob malum finem facta valida sit. n. 15.
- An facta ab excommunicato vel per simoniam. ibid.
- Quomodo professus dicatur mortuus seculo. n. 16.
- Quid de beneficijs Professorum. n. 17.
- Quid de debitis contractis a Professis. n. 18.
- Quid de bonis Religiosi qui propter fraudem dolum aut cupiditatem Prælati emisit professionem. n. 19.
- Quid de professione illius qui se xum mentitur. n. 20.
- Quid de Hermafroditis professione. ibid.
- De professione serui sine licentia sui Domini. n. 21.
- De professione illius qui impotens est ad seruanda Regule præcepta. n. 22.
- Occultatio defectus seu morbi, an irritet professionem. n. 23.
- An dementia perpetua. n. 24.
- Professio fieri debet in manu Prælati, vel alterius habentis potestatem. n. 25.
- An professio facta in manu Episcopi simplicis religiosi, vel laici valida sit. ibid.
- An professio sub conditione valida sit. num. 26.
- An professio ficta. n. 27.
- Quomodo obliget professio inualida. n. 28.
- An professio per Procuratorem sine facta ab absente, aut nutibus valida sit. n. 29.
- An illius qui fecit votum ingrediendi religionem strictiorem & ingressus est laxiorem. n. 30.
- De professione coniugatorum. n. 31.
- De religiosis factis Cardinalibus, Episcopis, aut Abbatibus electis vel expulsis. n. 32.

De obligationibus Regularium ratione professionis trium votorum Religionis in communi. Cap. II.

AD substantiam, & essentiam veri, & proprii Religiosi, quatuor conditiones requiruntur. Prima est, proferri

Summa Lexana Tom. I.

obedientiam, paupertatem, & castitatem, Innoc. III. in cap. cum ad Monast. Secunda, vt hæc tria voto aliquo firmantur. S. Thom. 2. 2. q. vlt. Tertia, vt tale votum emittatur in Religione aliqua per Sedem Apostolicam (saltem his temporibus) approbata. Nauarrus commen. 1. de Regularibus n. 18. Vnde Professio facta in Religione reprobata solum habebit vim voti simplicis. Quia ad hoc solum potest obligare. Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 86. Vide dicenda infra n. 28. Quarta, vt promittens hæc vota constituatur sub iurisdictione, & potestate alterius. Vazquez 1. 2. disput. 165. cap. 4. Non tamen videtur necessarium hoc loquendo de vera, & propria Iurisdictione, quæ est potestas spiritualis pertinens ad clauas Ecclesiæ. Cùm constet Moniales sub Abbatissis viuentes Religiosam vitam gerere, cum tamen Abbatissæ capaces non sint iurisdictionis Ecclesiasticæ. Idemque argumentum sumi potest ex antiquis Monachorum Monasterijs. Sufficit ergo constitui sub potestate domini, vel domestica alterius. Suarez 3. tom. de Relig. l. 2. cap. vlt. Vnde Religiosus ex vitium votorum, quæ in professione emittit, non est tam suus, & sui iuris, quam Religiosis, sub cuius potestate, & iurisdictione se constituit. Rursus, nuntium profusus sæculo remittit, ei moritur, & ad vitam Spiritualem se omnino transferens, Dei obsequio se mancipat. Sanchez lib. 5. de præcept. Decal. cap. 1. n. 16.

2 Etiam vota, quæ emittunt milites S. Iacobi, & S. Iohannis, &c. constituunt illos veros Religiosos. Ratio est, quia promittunt obedientiam, & paupertatem accomodata instituto ipsorum: & castitatem, vel simpliciter, vt milites S. Iohannis; vel secundum quid, scilicet coniugalem, vt milites sancti Iacobi, &c. Sunt ergo veri Religiosi, si quidem profitentur statum non vitæ ordinariæ, & communis, sed altioris. Nauarr. consil. 11. de Regul. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 4. Dicuntur tamen habere, saltem aliqui illorum, priuilegium Pontificium, vt non comprehendantur sub iure aliquo Religiosorum, quantum ad odia, & rigores. Quaranta in Sum. Bull. ver. Mon. Vide dicenda de illis tom. 2. c. 5.

3 Non solum vota solemnia, qualia fiunt in omnibus Religionibus transacto anno nouitatus; sed etiam vota simplicia, quæ emittunt Patres Societatis Iesu post biennium approbationis constituunt verè Religiosum vouentem. Ita definitum est à Gregor. XIII. Extrauaganti Ascendente Domino. Vnde de hoc non licet dubitare. Ratio etiam est, nam illis conueniunt quatuor conditiones assignatæ supra num. 1. Neque obstat, quòd talia vota non sint perpetua ex parte acceptantis, cum sic vouentes à societate expelli possint. Sufficit enim quòd ex parte vouentium sint perpetua. Vazquez 1. 2. disp. 165. n. 19. & alibi. Sanchez de præcept. Decalog. lib. 5. c. 1. n. 6. & sequent.

4 Etiam conuersi, oblato, seu donati Religionum, qui veram professionem trium votorum sub Regula approbata emittunt, sunt verè Religiosi. Quia id sufficit ad statum Religiosum. Grassi 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. à num. 85. Hinc tales sunt etiam personæ Ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio canonis, & fori. Syluest. verb. Ecclesia 1. quest. 5. Miranda in man. tom. 1. quest. 29. artic. 3. Vide dicenda cap. 3. num. 18.

5 Non solum professio expressa (illa scilicet, quæ fit verbo, vel scripto vouentis tria vota) sed etiam tacita (illa scilicet, quæ fit portando habitum proprium, vel exercendo propria professorum) constituit verum Religiosum, seruatis conditionibus à Concil. Trid. sess. 25. c. 5. designatis. Ratio est, quia antiquitus vtraque erat valida, & per Concilium non est sublata professio tacita. Nauarr. comm. 4. de Regul. Miranda in Man. tom. 1. q. 24. art. 12.

6 Quauis obligatio orta ex votis solemnibus emisit in professione Religiosorum sit perpetua, potest nihilominus Sum. Pont. ex suprema potestate, quam habet, in illis dispensare. Tum quia id sæpius fecisse testantur historici; tum à simili de matrimonio rato, in quo etiam potest idem Pontifex dispensare: tum etiam, quia in tali dispensatione nihil fieret contra ius naturale, aut diuinum Caiet. 2. 2. q. 88. art. 11. in quodl. Michael Medin. de Sacror. Homn. contin. lib. 4. contr. 7. c. 9. Vt hoc licitè fiat, desideratur publicè utilitatis causa, & vrgentiissima. Sanch. lib. 5. de præcept. de-



- calog. c. 2. n. 5. Vbi etiam in sequentibus, an sit integrum Pontifici dispensare cum Professo, vt matrimonium ineat ad tempus, ad habendum prolem.
- 7 Post Concilium Trident. quinquennij tempus determinatum est Religiosis ad reclamandum, seu allegandum non esse professo: quo tempore elapso, nullatenus id possunt facere. Conc. Trid. sess. 25. c. 19. Bonacina in tr. de claus. q. 2. p. 19. *profectum diff. 4.* Hoc tamen intellige, nisi allegauerit legitimas causas, ob quas non potuerint intra predictum tempus reclamare. Quia ita pie interpretanda est mens Concilij. Ita probabiliter Nau. *comm. 4. de Reg. a. n. 71.* Intelligitur etiam quoad forum exterius; nam quoad interius forum, si professio fuit nulla propter metum, vel consentum coactum, nulla erit per se obligatio. Cum nec Summus Pontifex possit efficere, vt consensus coactus, durante coactione, sit liber, & spontaneus, qualis requiritur ad professionem. Nauarrus *vt sup. n. 71. c. 72.* Miranda in *man. to. 1. q. 30. art. 1.* Hoc tamen decreto non obstante, poterunt Prælati Religionum, etiam transacto quinquennio, eicere Religiosum, quem nouerint habuisse in professione defectum alicuius conditionis irritantis illam. Quia Concilium solum videtur determinare illud quinquennium pro reclamatione Professorum. Laur. de Peirinis *to. 1. de Subdito q. 1. de obed. c. 25. §. 4.* Ipse autem Religiosus inualidè professus, dum ei tempus non vacat ad reclamandum, quia est transactum quinquennium, tenetur ad ratificandam professionem, saltem, quando sua culpa inualidè professus est. Ratio est, quia cum à Religione habeatur vt professus verus, ipse vt talis se gerere debet erga ipsam, ne illam decipiat. Rodriguez *2. p. summ. c. 92. n. 5.* Bon. *vt sup. diff. 1. a. n. 2.* Ad quam ratificationem licet requiratur nouus consensus ex parte professi, cum prior fuerit inualidus, probabile tamen est, non requiri nouum consensum Religionis, cum iam illa ex parte sua verum consensum præstiterit. Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 37. n. 6.* Bonacina *vt supra a. n. 3.*
- 8 Vt reclamatio professi audiatur, oportet, quod fiat cum habitu. Ita statuit Conc. Trid. sess. 25. c. 19. Hoc tamen intellige, in foro exteriori, non in interiori, si causa subdit aliter faciendi. Quia ita pie interpretanda est mens Concilij. Nauarr. in *constitut. com. 4. de Reg. n. 77.* Bonac. *de claus. q. 2. p. 10. diff. 3.* Vnde si quis temerè habitum dimittit, & postea reassumit, audiendus est. Portellus in *dubys Reg. ver. Professionis nullitas num. 45.* Diana *tract. 2. de dub. Regular. Resol. 57.*
- 9 Cum aliquis fecit professionem inualidam ob defectum ætatis, anni approbationis, vel aliam causam similem, vt puta propter defectum consensus, &c. postea adimpleta ætate seu anno approbationis, vel suppletis ijs quæ primo defecerunt non requiritur reiteratio nouitiatus, quia per eum qui habitus est, sufficienter satisfactum est menti Ecclesie. Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 37. n. 45.* Requiritur tamen ratificatio illius professionis inualidæ, saltem interne facta, quia cum prior professio inualida fuerit, & nulla, non renouiscet nisi reiteretur. Religiosus autem sic inualidè professionem emitens non censetur ratificare illam, etiam si portet habitum proprium professorum, aut faciat actus solum ad professos pertinentes, nisi hoc faciat sciens, volens, & prudens, & cum animo ratificandi dictam professionem. Ratio est, quia ista omnia non inducunt professionem etiam tacitam nisi fiant isto modo. Nauarr. in *constitut. n. 71. c. lib. 1. Confil. de his que vt conf. 6.* Mir. in *Annuali to. 1. q. 30. art. 3.*
- 10 In quacunque Religione tam virorum, quam Mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit, nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, vel alios quoscumque effectus. Ita Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. Hoc decretum non comprehendit Ordines Militares. Quia ita dicitur declarasse Sacram Congregationem Cardinalium. Azor. *lib. 13. Instit. mor. cap. 4. quest. 2.* Vide dicenda *to. 2. cap. 5. num. 17.* Tantum ergo comprehendit alios Religiosos, etiam illos, qui in Societate Iesu post biennium profi-

- tentur. Sanchez *lib. 5. de precept. Decal. cap. 4. num. 7.* Ætas pro nouitiatu requisita etiam includit diem illum super additum in anno bissextili. Quia anni commutandi sunt secundum ritum Ecclesie. Bonacina *de clausura quest. 2. punct. 10. difficultat. 2. §. 3.* Computanda etiam est ætas professionis a die natiuitatis extra vterum. Quia communis vsus ita habet. Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 35. num. 4.* Bonacina *vt sup.* Annus Nouitiatus sumendus est à momento in momentum, quod est dicere, si quis suscepit habitum die prima Ianuarij post meridiem non potest anno sequenti facere professionem eadem die prima Ianuarij ante meridiem. Quia ille reuera non stetit in nouitiatu per annum prout requiritur à Concilio. Portellus in *dub. Reg. ver. nouitij annus. 48.* non tamen requiritur annus, & dies ad nouitiatum, vt quidam vulgariter dicunt, quia Concilium solum petit vnum integrum annum. Diana *tract. 2. de dubys Regul. Resol. 57.* Professio facta ante legitimam ætatem, vel non completo nouitiatu, neque per modum voti simplicis valet, vt colligitur ex verbis Tridentini adductis, & constabit ex dicendis *n. 28.*
- 11 Nouitiatus non continuatur per annum integrum non est sufficiens ad professionem, si sit interpolatus per notabile tempus. Propter doctrinam Concilij. Grassis *Decis. p. 1. lib. 3. c. 5. n. 14.* Quidam tamen dicunt propter priuilegium Iulij II. Minoribus concessum sufficere annum interpolatum. Quod non audeo affirmare. Rodriguez *to. 3. quest. 15. art. 8.* Miranda *to. 1. quest. 22. art. 4.* In casu tamen, quod Nouitius cum licentia Prælati, & cum habitu, aliqua de causa rationabili, extra Monasterium per aliquod tempus commoretur, non propter hoc discontinuabitur annus probationis. Ratio est, quia eo ipso, quod manet cum licentia, & habitu Religionis, est sub obedientia illius; ac per consequens tale tempus reputatur pro Nouitiatu. Nauarr. *lib. 3. confil. de Regular. confil. 42.* dicens Congregationem Cardinalium idem censuisse. Vide dicenda *c. 24. num. 22.* Semper tamen requiritur, quod Nouitius portet habitum Religionis, tum propter auctoritatem Concilij adductam, tum quia alias non rectè experiretur austeritatem Monachalem, quæ præcipue consistit in habitu Religioso. Syluest. *verb. Relig. 5. quest. quinta Suarez tom. 3. de relig. lib. 5. capit. 13. num. 3.* Bonacina *de claus. q. 2. punct. 10. difficult. 2. §. 2.* Non sic de habitu proprio Nouitiorum. Suarez *ibid. c. 14. a. n. 10.*
- 12 Professio facta in Religione reddit omnino incapacem Religiosum ad contrahendum postea matrimonium. Ita habetur in Concil. Trident. sess. 24. can. 9. & alijs Concilij. Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disp. 26. n. 1.* Idem dicendum est de professione, quam emittunt Patres Societatis post actum biennio. Quia ita habetur in proprio motu Gregor. XIII. qui incipit: *Ascendente Domino.* Valentia *to. 4. disp. 10. q. 5. puncto 3.* Quin etiam professus, qui contrahit Matrimonium excommunicatur *27. q. 1. specialiter c. impudicas. c. si quis sacrum c. monacho.* Et punitur à Sacra Inquisitionis tribunali. Simanc. *de Catholic. inst. tit. 40. de matrim. Toletus in sum. lib. 7. c. 4.* Et est irregularis iuxta dicenda *infra c. 5. n. 2.*
- 13 Qui facit professionem in aliqua Religione, parentibus in extrema necessitate constitutis, eiusque auxilio, & ope indigentibus, peccat mortaliter: imò etiam si necessitas non extrema, sed tantum grauis sit, dummodo possit filius illis subuenire in seculo. Nec fit alius qui hoc faciat. Ratio est, quia præcepta præponi debent consilij; subuenire autem parentibus in predictis casibus est præceptum naturale: esse verò Religiosum solum est consilium. Grassis *p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 27.* Suarez *3. 10. de Relig. l. 5. c. 5.* Si verò ex huiusmodi teratio, & obsequio parentibus exhibendo, sequatur filio notabile dispendium salutis spiritualis, potest prouidendo animæ suæ intrare Religionem & in ipsa profiteri. Quia bonum spirituale filij debet præferri bono corporali, aut temporali parentum. S. Thom. *2. 2. quest. 101. artic. 4.* Caietan. *ibidem.* Idem dicendum est de Patre habente filios in necessitate constitutos. Propter eandem imò maiorem rationem. S. Thom. *2. 2. quest. 189. artic. 6.* In casibus autem, in quibus Pater, aut Filius non possunt intrare Religionem, aut profiteri in illa, sed peccant ita facientes, possunt ad mi-

ad minus, facta professione, egredi è Religione (seruatis tamen seruandis) vt succurrant prædictis necessitatibus: imò forsan tenentur. Hoc enim petit ius naturæ, & vinculum obligationis, quod est inter Patrem, & Filios. Toletus *in Summ. lib. 5. cap. 1. num. 6.* Vide dicenda *cap. 24. de Nouitijs num. 40.*

- 14 Non tamen possunt reclamare professi, eo quòd habeant, vel etiam habuerint tempore professionis parentes, aut filios in extrema necessitate constitutos. Ratio est, quia licet talis professio fuerit illicita, vt vidimus supra *n. 13.* tamen fuit valida Nauar. *lib. 3. conf. de Reg. consil. 7.* Tenentur tamen illis succurrere modo congruo, & non contrario suæ Regulæ. Quia hoc est præceptum naturale. Cordub. *sup. cap. 2. Regul. D. Francisci quest. 6. artic. 2.* Vide dicta *sup. num. 13.*
- 15 Professio facta ob malum finem, qui non sit contra substantiam Religionis valida est. Ratio est, quia nullus malus finis, qui non sit contrarius substantiæ Religionis potest illi detogare. Syluester *verbo Religio 3. quest. 6.* Professio etiam facta ab excommunicato valida est. Ratio est, quia per excommunicationem non tollitur facultas faciendi contractus cum Deo, qualis professio. Vincent. Filliucius *part. 3. tract. 12. cap. 8.* Professio etiam Religionis per Simoniam facta est valida. Ratio est, quia licet potuerit ab Ecclesia irritari, non tamen irritata est. Suarez *1. tom. de Relig. lib. de Simon. cap. 57.* Professionem tamen emittens Simoniacè expellendus est ab eo Conuentu, in quo illam emittit. Suarez *vt supra.* Vide dicenda *cap. 24. num. 29. 30. & 31.*
- 16 Religiosus professus licet quoad professionem propriæ voluntatis, & bonorum temporalium dicatur mortuus seculo, vt diximus *num. 1.* non tamen quoad nobilitatem. Ratio est, quia cum nobilitas sit quoddam ius sanguinis, & sequatur naturam non potest deperdi per professionem. Guilelm. Bened. *cap. Raynuitus. Rebus. de Nominationibus q. 12. num. 31.*
- 17 Per professionem in Religione approbata vacant quæcunque beneficia ante habita. *Ex cap. Beneficium, de Regularibus in 6.* Sanchez *lib. 7. in Decalogum cap. 29. num. 2.* Non tamen redduntur Religiosi incapaces ad obtinenda beneficia secularia etiam curata ex vi professionis. Cum ex natura rei non sint impossibilia obligatio votorum, & obtentio beneficiorum. Læsius *lib. 2. de iustit. cap. 41. dub. 12.* De factò tamen nullus Regularis potest suscipere beneficium curatum sine licentia Papæ. Tum quia ita consuetudine obtentum est, tum quia ita videtur declarasse Sacram Congregationem Cardinalium. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 71.* Idem etiam dico de beneficijs simplicibus. Grassi *2. part. decis. libr. 3. cap. 20. num. 12.* Idem quoque dico de Pensionibus. Istæ enim solum Papa conceduntur. Sot. *lib. 9. de iust. & iure quest. 7. artic. 2.* Casu etiam dato quòd Regularis præsentatus esset Episcopo ad Ecclesiam aliquam parochialem à suo Superiori, posset ab eodem, etiam sine consensu Episcopi, remoueri. Quia etiam sic præsentatus non liberatur à iugo obedientiæ. Nauarrus *comm. 2. de Regularibus num. 95.* Vide dicenda *cap. 24. num. 37. & tom. 2. cap. 2. à num. 21. & cap. 18. per totum.*
- 18 Debita contracta à Professo ex licentia superiorum debent solui à Monasterio. Illa enim sunt quasi debita ipsius Monasterij. Idem dico si talia debita sunt, vel fuerunt vtilia Monasterio saltem quoad illam partem. Propter eandem rationem. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 31. num. 9.* Debita verò orta ex delicto Religiosi professi, etiam si Prælati sit, non debent solui à Monasterio, nisi quatenus ex illo delicto aliquid vtilitatis ipsi obuenerit, vel in illud consenserit. Quia aliàs nullo pacto spectat illud delictum, aut damnum ex illo secutum ad Monasterium. Nauarr. *comment. 62. de Regular. Molina 1. tom. primo, de iustit. disput. 140.* Hinc tenetur Monasterium soluere expensas necessarias factas à Monacho Professo, qui de licentia Superiorum est extra Monasterium in aliquo negotio, vel itinere, verbi gratia, medicinas, quas expendit pro infirmitate, &c. Ratio est, quia eo ipso, quod Religio dat illi Monacho licentiam existendi extra Monasterium videtur ea omnia concedere, sine quibus viuere non potest. Nauarr. *comment. 2. num. 65.* Molina *Sum. Lezana Tom. I.*

vt supra. Pro debitis contractis à Religiosis Apostatis, seu fugitiuis, vide *cap. 16. num. 19.* Ex dictis autem collige obligari Monasterium ad debita Prælati, seu Procuratoris quæ contraxerunt contractibus consentaneis suæ administrationi. Quia illa etiam sunt quasi debita Monasterij. Cardin. Lugo *de iust. & iur. tom. 1. disput. 3. sect. 10. num. 218.* Secus autem si illi excedant limites suæ administrationis, aut si contractus tales fuerint ad vsus turpes aut vanos. Propter oppositam rationem. Lugo *ibidem.* Idem dico cum eodem Authore de deposito secularis quod erat apud aliquem Religiosum consentiente Monasterio, & tale depositum perditum est, vel à furibus sublatum; tunc enim tenetur Monasterium damnum illud rescire, non autem si illud depositum esset in manu alicuius Religiosi non consentiente Monasterio, propter rationem adductam. Idem dicendum si talis Religiosus esset Prælati, quia Monasterium non obligatur ex delicto Prælati in quod non consensit Monasterium.

- 19 Bona Religiosi, qui propter fraudem, dolum, & cupiditatem Prælati Religionis ad ipsa inhiantis, emisit professionem, non pertinent ad Religionem, sed ad hæredes. Ratio est, quia ita deciditur *in c. fin. 20. q. 3.* qui textus est vniuersaliter ab Ecclesia admissus, vt constat ex communi sententia Doctorum, illum explicantium. Nauarr. *comment. 2. num. 31. de Regular. Azor. tom. 1. Inst. moral. lib. 12. cap. vigesimo.* Imò nulla exigitur iudicis sententia, ne Monasterium succedat in talia bona. Couarr. *4. decret. 2. part. cap. 28. §. primo, num. 9.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. capite trigesimoquarto, num. ultim.* Desideratur tamen ad hoc quod decisio prædicti textus locum habeat, primò vt dolus, seu fraus sit causa professionis, ita vt ea non esset, fraude, & dolo cessante; secundo vt decipiens ductus fuerit cupiditate obtinendi bona professi. Sanchez *vt supra num. 3. & 4.*
- 20 Professio illius, qui emittit sexu in aliquo Monasterio proficitur, vt si vir in Monasterio Monialium, aut scæmina in Monasterio virorum profiterentur, est omnino inuvalida. Ratio est, quia ad valorem professionis requiritur non solum consensus profitentis, sed etiam admittentis professionem: at verò in hoc casu, etiam si detur fuisse consensum profitentis (cum tamen semper fictum illum habuisse credendum sit) ad minus tamen deficit consensus ex parte admittentis, cum nullus Prælati talem professionem admittere possit, nec Ecclesia ad id concedat autoritatem. Nauarr. *lib. 1. consil. in 1. editione tit. de at. & qualit. consil. 8. num. 1. in 2. lib. 3. de Regular. conf. 47. num. 1.* Henriquez *lib. 14. de Regular. cap. 8. num. 6.* Hermaphroditum autem professio, si in eo præualeat sexus virilis, valida erit in Monasterio virorum, si præualeat sexus scæmineus in Monasterio Monialium. Ratio est, quia hic iudicatur vir, aut scæmina iuxta sexum prædominantem. Si verò uterque sexus sit æqualis, & aptus ad coitum in neutro Monasterio potest etiam validè profiteri. Quia tunc respectu scæminarum erit vir, & respectu virorum scæmina. Henriquez *vt supra.* Sanchez *lib. 5. de præcept. Decalog. cap. 4. n. 41.* Qui bene animaduertit, etiam in casu quod hermaphroditus haberet sexum prævalentem, v. gr. viri, non esse admittendum inter illos, quia afferret maximum periculum incontinentiæ Religiosis, sed expellendum esse. Rodri-guez *2. tom. Sum. c. 6.*
- 21 Professio serui sine licentia Domini sui est inuvalida. Quia non est sui iuris. Cum ea tamen valida est. Quia nullo iure interdicitur, imò id supponitur. *c. si quis incognitus 17. q. 2.* Sanchez *lib. 5. in Decalog. c. 4. n. 42.* Si seruus ingrediatur Religionem, & à Domino, id sciente, intra triennium non repetatur, non potest transacto triennio ab ipso repeti. *Dicto c. si quis incognitus.* Et ratio legis est, quia censetur Dominus tacitè consensisse. D. Antonin. *3. p. tit. 16. cap. 3. §. 4.* Vnde professio ipsius valida erit transacto illo triennio, licet non antea. Eo quòd transacto triennio, & non antea cessauit ius, quod habeat Dominus ad reclamandum, & repetendum seruum. Sanchez *vt sup. n. 44. & 49.* Vide dicenda *c. 24. num. 20.*
- 22 Professio illius, qui præ morbo, aut senectute impotens est ad seruanda Regulæ præcepta, valida est. Tum quia potest seruare tria Vota, quæ sunt essentialia Religioni; tum quia erunt multa in Regula, quæ ab isto absque dubio

- seruari poterunt: Rodríguez 2. tom. Summ. c.6. n.13.
- 23 Defectus, seu morbus corporalis non repugnans substantiæ Religionis, ut si quis lepram, vel aliam infirmitatem, etiam interrogatus, occultaret, non facit professionem irritam. Ratio est, quia talis defectus, & occultatio illius non tollunt aliquid de essentialibus Religionis. Nauarr. lib. 3. consil. tit. de Regul. consil. 25. vel 48. Nec ob id delictum potest expelli. Cum enim expulsio sit res grauissima maiorem exigit causam. Rodríguez 3. tom. q. regul. q. 17. art. 9. Secus verò quando illi protestatum fuit tempore professionis, quod si talem defectum haberet, professio nulla esset, Quia tunc deficit consensus Religionis ad professionem requisitus, ac per consequens illa est nulla. Iuxta dicenda c. 24. num. 26.
- 24 Dementia perpetua, quæ non in vna, vel altera materia, sed omnino mente priuat. Professionem, & nouitiatum irrita reddit. Quia impedit liberam voluntatem ad illam necessariam. Syl. verb. Religio 5. q. 2. Bonacina in tract. de claus. quest. 2. punct. 10. diff. 2. §. 1. Si autem post factam professionem, vel per naturam, artem, aut miraculum ad sanam mentem redeat, consensuq; professionis à se emissæ non contradicat, non statim, reuiuiscit eius professio, sed tenebitur portare habitum, & habere nouitiatum, & postea profiteri. Quia cum talis professio, & nouitiatum fuerint irrita, necessarium erit facere de nouo ea, quæ ad ipsorum valorem sunt requisita. Azor. lib. 12. Institut. mor. cap. 2. quest. 5. Vide dicenda cap. 24. num. 18. Nota etiam quod prædictis non obstantibus, Nouitium qui toto tempore Nouitiatum infirmus fuit posse ad professionem recipi: quia quantum ex se erat annum probationis legitime expleuit, maxime cum non teneatur Nouitium experiri austeritates omnes Religionis, sed satis est si probetur in genere per annum sub obedientia perseverando, tenent satis probabiliter Rodrig. tom. 3. q. Regal. q. 15. art. 10. Bartholomæus à S. Faust. lib. 5. Thef. relig. q. 249. & Tambur. tom. 3. de Iure Abb. disp. 6. q. 3. n. 25. post Nau. & Sanchez.
- 25 Redditur professio nulla si non sit facta in manus Prælati, vel alterius habentis potestatem admittendi Religiosos ad Ordinem. Sicut enim Professio includit traditionem potentis se tradere Religionis, ita etiam debet esse aliquis, qui habeat potestatem acceptandi. Sanchez lib. 1. de præcept. Decalog. c. 4. n. 62. Quamuis autem, quoad illos, ad quos spectat hæc autoritas, attendendum sit ad iura propria Religionis (idem num. 64.) de iure tamen communi non sufficit consensus Prælati, sed etiam maioris partis Contentus. Tum quia sic habet consuetudo plurium Religionum; tum quia res est ex grauioribus Monasterij, & ita ad totum illud spectare videtur. Sà in Summ. verb. Religio num. 65. Rodríguez tom. 3. q. 17. art. 7. Vide dicenda cap. 18. num. 66. & Portellum in responsion. moral. tom. 2. casu 97. ubi agit de ijs qui possunt ferre suffragia in tali electione. Maxime Tambur. tom. 3. de Iure Abbatum disp. 6. q. 1. ubi latè de hoc puncto, & resoluic quod etiam si militantes sub Regula S. Benedicti non possint aliter recipere Nouitios nisi accedente consilio Monachorum, & quod in vnaquaque Religione tenenda sit consuetudo, nihilominus quod ex vi Constitutionum Sixti V. & Clementis VIII. (addo etiam, & Gregorij XIV.) quas refero infra c. 24. n. 12. 13. & 14. requiratur consensus Monasterij. Non tamen requiritur consensus omnium fratrum, aut Monachorum de Iure communi, sed sufficit, ut dixi, maioris partis. Peirinis tom. 2. de Prælato q. 3. cap. 1. num. 19. Bartholomæus de Vecchijs in praxi Nouit. disput. 7. dub. 2. num. 9. Tambur. sup. num. 10. Professio etiam facta in manus Episcopi inualida est. Cum ille non sit Prælatum Regularium exemptorum. Rosella verb. nouit. num. 21. Azor. lib. 12. Institut. mor. cap. 5. quest. 4. Professio verò acceptata à Laico habente commissionem à legitimo Prælato valida erit. Sicut potest beneficium nomine alieno acceptare, & esse Procurator in causa Spiritualis. Rodríguez tom. 3. art. 17. num. 12. Vnde multò magis valida erit professio acceptata à simplici Religioso de licentia sui Superioris. Propter eandem, & maiorem rationem. Diana tract. 2. de dubijs Regular. Resol. 70. Quando Professio est inualida solum ex defectu potestatis in admittente, satis est, ut habens talem potestatem eam ratam habeat, non mutata Professi voluntate. Ratio est, quia ratificatio retrotra-
- hitur, & comparatur mandato. Regul. ratihabit. de regul. in 6. Nauarr. lib. 3. consil. de Regul. consil. 6. vel 40. Azor. lib. 12. Institut. mor. cap. 5. quest. 7. Incipiet autem valere illa professio à die ratihabitionis. Quia sine illa non erat valida. Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 80. Quoad antiquitatem porro, & alia iura Religionis computanda credo à die professionis emissæ si illa bona fide fuit facta ut colligitur ex Nauarro lib. 3. consil. de Regular. consil. 46. in 1. editione.
- 26 Professio facta sub conditione de futuro (quæ validè apponitur) licet obligationem suspendat; adueniente conditione statim absque nouo alio consensu est valida. Ratio est, quia iam ille consensus conditionatus transit in absolutum, ergo dummodò non sit retractatus sufficit ad professionem Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 88. Professio autem facta sub conditione contraria eius substantiæ, ut si quis profiteatur sub conditione habendi proprium, vel non seruandi castitatem, sine dubio est irrita. Ratio est à simili de Matrimonio, & Voto simplici, si fiant cum conditione contraria substantiæ illorum. Azor. lib. 12. Institut. moral. cap. 5. quest. 2. & lib. 11. cap. 15. quest. 9. Rodríguez 3. tom. quest. 17. art. 6. Vnde si quis dum emittit professionem intendat sibi retinere dominium alicuius rei, ita ut non sit paratus reddere illam, quando Superior voluerit, inualide proficitur. Quia de ratione professionis est abdicatio domini, aut vsus independentis à Superiore. Lessius 2. de Iust. cap. 41. dub. 8. Si profiteretur quis sub hac conditione referuandi sibi aliqua quoad vsum, & dependenter à voluntate Superioris, valeret talis professio, saltem quantum est ex natura professionis; cum illa conditio non derogeret eius substantiæ. Ita tenent iidem authores, & Nauarr. Comm. 2. de Reg. num. 16. Idem dico de eo, qui profiteretur sub conditione manendi in propria domo. Propter eandem rationem. Nauarr. ut sup. Sà in Sum. verb. Religio. n. 6. Vide dicenda c. 6. n. 16.
- 27 Professio facta fictè, id est, sine intentione profitendi, quoad Deum non est valida, quia non est vera, sed ficta promissio, sicut homo pictus non est verus homo. Quoad Ecclesiam verò, & forum exterius valida est, quia Ecclesia non iudicat nisi de externis, signa autem externa huius professionis, ut supponimus, eam esse veram iudicabant. Professio autem facta animo promittendi, sed non se obligandi, quoad Deum, & homines valida est. Quia ex natura promissionis sequitur naturaliter obligatio, sicut illuminatio ex Sole. Secus verò si talis professio non fuit cum animo promittendi, quia eo ipso destruxit se ipsam, cum enim de ratione essentiali professionis sit promissio, si promissio non est, nec professio erit, ac per consequens valida non erit, saltem quoad Deum. Professio verò facta animo non adimplendi, quoad vtrumque forum obligat. Ratio est, quia cum professio sit essentialiter promissio, quæ intrinsicè includit rationem obligationis, non potest impediti per extrinsecam voluntatem non adimplendi promissum. Azor. tom. 1. Institut. moral. lib. 12. cap. 5. dub. 7. & in simili de contractu Sponsalicio. Cornexo tom. 2. in 3. par. tract. 6. de Matrimoni. disp. 2. dub. 5.
- 28 Quando professio est inualida ob defectum ætatis legitime, aut anni nouitiatum nondum expleti, non obligat, neque ut Votum simplex ad Vota promissa. Ratio, quia Concil. Trident. loquens de illa sess. 25. cap. 15. inquit, nullam indicat obligationem ad alicuius Regula, vel Religionis, vel Ordinis observationem, vel alios quoscumque effectus, Caietan. 2. 2. quest. 88. artic. 9. Sotus 7. de iust. quest. 3. artic. 2. Idem dico de eo, qui sic profitens inualidè, expressè voluerit solum obligari ad illa Vota in Religione. Quia eo ipso declarauit se nolle obligari ad illa, ut Vota simplicia. Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 105. In casibus autem, quod professio sit nulla ex defectu acceptantis illam; propter seruitutem eius, qui proficitur; propter sexum euentum, vel similes causas, talis professio habet vim Voti simplicis, & ut talis obligat. Ratio sumitur ex regula tradita c. unico de desponsat. impuber. in 6. nempe, quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere potest; ac proinde cum talis professio non valeat ut Professio, ad minus tamen valebit, ut simplex promissio, & Votum. Nauarr. lib. 3.

- lib. 2. consil. tit. de Regular. consil. 18. vel 19. Azor. lib. 12. insti. mor. c. 1. q. 3.
- 29 Professio facta per Procuratorem valida est. Nullibi enim excipitur ex his actibus, qui per Procuratorem fieri possunt. Idem dico de professione facta ab absente. Propter eandem rationem. Syl. verb. Relig. 3. q. 15. Miranda 10. 1. Man. Pralat. q. 24. art. 1. Idem etiam dico de professione facta nutibus, aut scripto sine verbis. Propter similem rationem. Vnde infertur mutum posse validè profiteri. Sanchez lib. 5. in Decal. c. 3. n. 2.
- 30 Professio etiam illius, qui fecit Votum ingrediendi Religionem strictiorem, & ingressus in laxiorem professus est in illa, valida est. Ratio est, quia Votum illud simplex Religionis strictioris commutatum fuit per solemnem professionem iuxta dicenda c. 2. n. 7. Grassis 1. p. decis. lib. 3. c. 5. n. 31. Suarez 2. to. de Relig. lib. 4. de Voto c. 16. An vero etiã ante professionem factam possint aliqui Prælati Regulares dispensare cum eo qui fecit votum strictioris Religionis, vt admittatur in laxiori, tractat idem Suarez 3. to. de Relig. l. 4. c. 8. n. 9.
- 31 Professio etiam facta à coniugatis etiam post consummatum Matrimonium, si fiat cum consensu vtriusque coniugis, valida est. Ex c. qui uxorem 3. q. 5. Et ratio est, quia cum vterque possit cedere iuri suo, si cedat vnus, alter manet liber, Henriq. lib. 11. c. 8. Bonacina q. 3. de matrim. punc. 4. propof. 3. Imò quando vnus coniugum potest facere perpetuum diuortium propria autoritate, potest etiam ingredi Religionem, & valide profiteri, inuito altero coniuge. Quia sicut in tali casu potest perpetuo abstinere à consortio illius, ita liber manet ad dicendum se Deo per professionem. Rebell. lib. 3. q. 4. Bonacin. vt sup. n. 10. Altero autem coniuge nesciente, vel consentiente per dolum, aut per metum, non potest alter profiteri validè. Deficit enim in his casibus consensus necessarius alterius compartis. Bonacin. vt sup. num. 9. Cornexo 10. 2. in 3. par. tract. 6. de matrim. disput. 6. dub. 2. Imò etiam postquam alter coniugum dedit facultatem ingrediendi religionem potest illam reuocare ante professionem, sicut, & qui ingressus est Religionem; potest etiam ante professionem redire ad matrimonium. Quia annus probationis deseruit vtrique vt videat an sibi expediat illa separatio. Suarez 3. tom. de Relig. l. 5. c. 4. à n. 6. Vide dicenda cap. 3. num. 3.
- 32 Religiosi facti Cardinales, Episcopi, aut Abbates manent etiam post assumptionem cum eadem obligatione trium Votorum professionis, iuxta dicenda cap. 17. num. 2. Eiecti etiam, & expulsi à Religionibus manent etiam cum eadem obligatione Votorum Religionis sicut antea, iuxta dicenda c. 23. n. 11. Qualiter ad eadem vota obligentur, vel non, Nouitij, dicitur c. 24. Qualiter etiam Moniales c. 25. num. 1. & seqq.

## SUMMARIUM CAP. III.

Per professionem religiosam consequitur Professus condonationem totius pœnæ temporalis pro suis peccatis debita. n. 1.  
Tollitur etiam irregularitas ex defectu natalium ad ordines suscipiendos. num. 2.  
Dissoluntur per eam non solum sponsalia de futuro, sed etiam matrimonium ratum præcedens. num. 3.  
Item expiatur macula quo ad actus temporales. n. 4.  
Tollitur etiam crimen ingratiitudinis erga patrem. num. 5.  
Liberatur filius familias à patria potestate. n. 6.  
Omnia vota in saeculo facta commutantur in professionem. n. 7.  
Gaudent Religiosi priuilegio fori. n. 8.  
Coram quo debeant conueniri. ibid.  
Accusari non possunt Religiosi à laicis nisi in aliquibus casibus. n. 9.  
Qui inferunt iniuriam ordinibus mendicantibus in aliquibus casibus sunt excommunicati. n. 10.  
Habent facultatem plures Religiosi eligendi sibi iudices conseruatores. n. 11.  
Quomodo illi eligendi. ibid.  
Canonica portio parochialis an debeatur solui à Regularibus num. 12.  
An quarta funeralis. n. 13.  
An à solutione gabellarum, & contributionum sint exempti. n. 14.  
An à solutione decimarum. n. 15.

Sum. Lezana Tom. I.

Percutens quemcunque Religiosum est excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata. n. 16.  
Gaudent plures religiones priuilegio communicationis priuilegiolorum aliarum. num. 17.  
De conuersis, & Donatis Religionum. n. 18.  
De indulgentijs Regularium. n. 19.  
Que censeantur vel non reuocata. ibid.  
Oleum pro ministranda extrema unctione Carmelitis ministratur. n. 20.  
Priuilegia per vine vocis oracula quomodo reuocata. n. 21.  
De Tertiarijs Regularium. n. 22.

## De Regularium immunitatibus, &amp; priuilegijs in communi. Cap. III.

- 1 Inter multas Religiosæ professionis prerogatiuas illa videtur primum locum tenere, quod per illam, professus, omnium peccatorum suorum antea commissorum condonationem, quoad omnem pœnam temporalem pro illis in Purgatorio debitam, obtineat. Ita enim habet fere communis Sanctorum Patrum, antiquorum Monachorum, & Scholasticorum, quasi per traditionem, consensus. S. Tho. 2. 2. q. ult. art. 3. Thom. Vuald. de Sacramental. titul. 9. c. 80. n. 8. & 9. Non tamen per eam remittuntur peccata quoad culpam. Cum nec sit Sacramentum, nec actus contritionis, aut charitatis. Sanchez lib. 5. in Decalog. c. 5. n. 3. Nec renouiscit, si fuit facta in mortali peccato, per subsequentem iustificationem. Quia hoc solum competit Sacramentis. Caietan. 2. 2. q. ult. art. 3. Huiusmodi autem condonatio non est per modum indulgentiæ plenariæ. Quia etsi in effectu illi assimiletur, non est ex applicatione meritorum Christi ab eius dispensatore Summo Pontifice facta, sed ex vi, & merito ipsius professionis; eo quod per illam proficiens renuntiet mundo, & se cum suis omnibus perpetuò dedit Deo. Nauarr. de Indulgent. notab. 20. n. 17. Platius de bonostat. Relig. lib. 1. cap. 13. Similiter hæc condonatio, non quoties professio renouatur, sed sola prima vice obtinetur. Tabiena verb. Nouitiatus in fine, Sanchez vt supra n. 5. Addens n. 7 hanc prerogatiuam etiam competere professioni factæ in Societate Iesu biennio Nouitiatus transacto.
- 2 Deinde per professionem in Religione approbata tollitur irregularitas, quæ est ex defectu natalium; ita vt, qui in saeculo erat irregularis, quia illegitimus, factus professus habilis sit ad Ordines suscipiendos. Suarez 5. to. in 3. p. decis. 41. sect. 1. Nauarr. Comm. 2. de Regul. n. 60. Cornexo 10. 2. in 3. par. disput. 15. de Irregul. dub. 2. Extendit hoc in ordine ad vsum Ordinem susceptorum ante professionem. Sanchez lib. 5. de Præcep. Decal. c. 5. n. 10. Non tamen hæc irregularitas tollitur quantum ad dignitates Ecclesiasticas & Præfecturas, seu prælatias. Ita habetur in cap. 1. de Fil. Presby. Sotus in 4. dist. 25. quest. 1. art. 3. Nauarr. in c. Non dicatis n. 60. Quicquid immerito dicat Roldiguez 10. 1. q. Regul. quest. 13. artic. 5. Nec etiam competit hoc priuilegium ingressui Religionis per Nouitiatum. Quia textus c. 1. de Fil. Presby. petit ad hoc illegitimos fieri Monachos, per ingressum autem in Religionem, qui est per Nouitiatum non fit homo verus Monachus, aut Religiosus. cap. Religio. §. quamuis de senten. excommunicat. in 6. Suarez tom. 5. in 3. par. disput. 50. sect. 5. à num. 12. Grassis 1. part. Decis. lib. 4. cap. 27. num. 53. Extenditur tamen hoc priuilegium etiam ad professionem quæ fit in Societate Iesu per Vota simplicia. Quia per illam proficiens fit verus Religiosus. Sanch. lib. 5. in Decal. cap. 5. num. 13.
- 3 Similiter per professionem Votorum solemniū non solum dissoluntur Sponsalia de futuro, ed quod fortius vinculum sit professio quam contractus Sponsalitijs. Sot. 7. de Iust. & iur. quest. 5. art. 3. Sed etiam dissoluit Matrimonium ratum præcedens. Sylu. Verb. Religio 2. q. 9. & verb. Matrimonium 8. q. 12. Per professionem autem Votorum simplicium Societatis non dissoluitur. Vasquez 1. 2. disp. 165. c. 10. Nec etiam dissoluitur Matrimonium quomodocunque consummatum per quamcunque professionem. Quia nullo iure hoc constat, imò oppositum habetur 27. quest. 2. cap. si quis coniugatus. Rebellus lib. 1. sect. 2. n. 17. Reginald. lib. 31. num. 39. Probabiliter tamen
- A 4 quidam

- quidam putant, quod sponsa cognita per vim, aut metum intra bimestre possit ingredi Religionem, & valide profiteri. Par enim est, ut non patiat damnum ob alterius culpam, & iniuriam sibi illatam. Reginald. lib. 31. num. 39. Bonac. de Matrimonio quest. 3. punct. 4. propof. 3. Vir tamen per vim cognoscens uxorem non potest, illa renitente, Religionem ingredi. Quia per voluntariam consummationem Matrimonij amittit ius ingrediendi Religionem. Cornexo 2. tom. in 3. p. tract. de Matrim. disp. 6. dub. 2. Probabile etiam est Matrimonium quantumvis consummatum infidelium dissolui per Votum solemne Religionis. Cum strictius vinculum sit Matrimonium ratum fidelium quam consummatum infidelium, si ergo illud dissoluitur per Vota solemnia, etiam istud dissolueretur. Sotus in 4. d. 39. q. unica artic. 4. Cornexo ut sup. dub. 3. Vide dicta cap. 2. num. 31.
- 4 Præerea per professionem in Religione approbata expiatur macula quoad actus temporales, ita ut ineptus ad testificandum ob perjurium, vel furtum commissum, fiat per professionem aptus ad testimonium ferendum. Quia ita intelligi potest auct. de Monac. in princ. Sanchez lib. 5. in Decalog. c. 5. n. 27. Hoc etiam extendens ad simplicia Vota in Societate Iesu, post biennium Nouitiatu.
- 5 Tollitur etiam per professionem crimen ingratitude Filij profitentis erga Patrem, ob quam exheredari poterat. Quare ob illam exheredari nequit, etsi in testamento Patris ante professionem facto exheredatus sit. Quia ita deciditur in c. fin. 19. q. 3. Molina tom. 1. de Iust. disput. 176. dub. v. Rodig. tom. 1. q. 13. ar. 3. Idemque probabiliter tribuit Vocis simplicibus Societatis post biennium Sanchez lib. 5. in decalog. c. 5. n. 34.
- 6 Per professionem etiam Filius Familias à Patria potestate liberatur. Eo quod omnino transit in Abbatis potestatem, ac proinde Patria potestas in ipsum cessat. Syl. verbo Patria potestas num. 1. Nauarr. Comm. 3. de Regul. n. 41. Hoc etiam privilegium extendit ad professos Societatis post biennium Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 5. n. 31.
- 7 Per professionem etiam Votorum Religionis omnia Vota in Seculo facta commutantur in illam. Ita habetur c. Script. de Voto. D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 12. ad primum. Ad hoc autem non requiritur aliqua intentio in proficiente commutandi talia Vota. Eo quod ex natura professionis id oritur, quia est mors vitæ præteritæ. Caiet. & Aragon. 2. 2. q. 88. art. 12. Similiter extinguuntur tam vota realia, quam personalia. Propter eandem rationem. Petrus de Lesdina 2. to. tract. 10. c. ult. Extinguuntur etiam Iuramenta de rebus pijs ad Deum solum facta. Quia hæc se habent quasi Vota quædam. Suar. 2. tom. de Relig. lib. 6. de Voto c. 14. n. 12. Si autem iuramentum esset homini præstitum, & ab eo acceptatum non posset in Religionis professionem commutari. Quia est ius adquisitionis tertio. Sanchez lib. 5. in Decalog. c. 5. n. 45. vbi multa de hoc privilegio. Vide dicta supra c. preced. n. 30.
- 8 Gaudent etiam Religiosi, præsertim professi, privilegio foris ita ut, etiam in debitis civilibus conveniri nequeant coram iudice seculari, sed coram suo Prælate. Quia ipse solus est verus ipsorum iudex. Nauarr. comm. 2. de Regul. sup. cap. non dicatis. Rodriguez tom. 1. q. 65. art. 13. Coram Iudicibus Conservatoribus bene possunt conveniri. Ita colligitur ex Bulla Gregor. XV. adducenda infra num. 11. vbi ait: *Coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac persone supra scriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant.* Imò, & Religiosi extra Monasterium degentes possunt conveniri in causis civilibus mercedum, & miserabilium personatum coram locorum Ordinarijs, tanquam in hoc ab ipsa Sede Apostolica delegatis. Concil. Trid. sess. 7. cap. 14. Nauarr. comm. 2. de Regul. num. 63. At verò Religiosi intra claustra degentes nullatenus possunt, aut debent contemni coram Ordinarijs, etiam in causis civilibus, aut in prima instantia, aut propter cap. Volentes de privileg. in 6. aut etiam propter Concil. Trident. sess. 24. cap. 20. Ita edicit S. Congregatio Cardinalium interpretum Concilij, & Paulus V. in Bulla Religiosorum ann. 1607. 3. tom. Bullarj inter Bullas Pauli V. num. 34. alijs 23. Illa autem præcipitur Ordinarijs in virtute S. Obedientiae, ne Fratres nostros contra prædictam declarationem per-
- turbare, vel inquietare audeant. Unde à S. Congregatione Ann. 1586. sic declaratur. *Ordinary in cognitionibus causarum Fratrum Medicantium, tam civilium, quam criminalium minime sese ingerant, pariter nec in visitatione eorumdem Fratrum, vel Ecclesiarum suarum, nisi quatenus eis per Concil. Trid. decreta contra conceditur.* Vide Dianam tract. de Immunit. Ecclesiar. Resol. 129. Quarta in Sum. Bullar. verb. confessor. Vide dicenda cap. 11. a num. 2. & pro Nouitijs cap. 24.
- 9 In fauorem etiam status Religiosis, seu Clericalis habetur in Iure, quod Laici Clericum (etiam intellige Religiosum) accusare non possunt, nisi suam, suorumve iniuriam prosequantur. c. 2. & 3. c. Laicus 2. q. 7. Secus in criminibus publicis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, in Simonia, in Sacrilegio, in dilapidatione bonorum Ecclesiasticorum. Alderete lib. 1. de Relig. discipl. c. 4. a n. 7. Nec Laicus aduersus Religiosum testis idoneus est in criminalibus, licet non omnino rei sciendus maxime in civilibus, c. veniens. c. de cetero de testib. c. Laicos 2. q. 7. Rodriguez tom. 2. q. 10. art. 5. Alderete lib. 2. de Relig. discipl. c. 7. n. 14.
- 10 Qui inferunt iniuriam Ordinibus Prædicatorum, & Minorum (idem dicito de alijs Ordinibus propter communicationem privilegiorum) in quinque casibus assignandis, sunt excommunicati. Primus, libellos famulos, cantilenas, vel ridulos edendo, vel retinendo, vel publicando in infamiam Ordinis. Secundus, dicendo, & defendendo, quod Ordo illorum non sit in statu perfectionis, & quod non liceat eis de elemosynis viuere, prædicare, confessiones audire de licentia Papæ, aliorum Ordinum consensus minime requisito (id tamen non excludit approbationem à Concil. Trident. requisitam) Tertius, exercendo violentiam in locis illorum, impediendo ne possint in suis Ecclesijs celebrare, recipere elemosynas, vel prædicare. Quartus est, eos eijciendo ab Vniuersitate Patiensis. Quintus, retinendo apostatas Ordinis Prædicatorum. D. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 70. Vincentius Fillinius tom. 1. tract. 15. c. 5.
- 11 Habent facultatem Religiosi, præsertim Mendicantes eligendi sibi Iudices Conservatores pro suis causis. Quod constat ex multis privilegijs, de quibus Casarubius verb. Conservat. Ordini. Sed illa sunt his temporibus valde restricta, & limitata. Primo enim S. Congregatio Concilij iussu Gregorij XIII. declarauit, quod *Regulares omnes in ciuitatibus Italiae existentes sibi Conservatores eligerent, coram quibus conuenirentur, ac semel electos, non nisi in capitulis Prouincialibus mutarent. Eorumque nomina intra mensem à die electionis Episcopis Locorum Ordinarijs indicarent. Alioquin coram ipsis Ordinarijs conueniri possent.* Quaranta in Summa Bullarj verbo privilegium Regularium. Postea Clem. VIII. in Bulla edita Ann. 1592. (habetur 3. tomo Bullarj Laertij fol. 3.) reuocauit omnes, & quasque Iudicum Conservatorum depurationes, quæ non haberint qualitates requisitas à Bonif. VIII. in Const. quæ incipit: *Statutum*, & qui non fuissent electi in Concilij Prouincialibus, aut Diocesanis. Maxime tamen modò seruanda est Gregorij XV. Constitutio de Conservatoribus edita Ann. 1621. quæ incipit: *Sancitissimus in Christo Pater* 4. tom. Bullarj inter Bullas huius Pontificis n. 9. In ea verò in primis reuocat, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quasque Iudicum Conservatorum electiones quomodocumque hæctenus factas. Deinde statuit, & decreuit ut in posterum *Iudices Conservatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis recordationis Bonifacij Papæ Octani, etiam Prædecessori sui, quæ incipit: Statutum, ita ut vel Dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Concilij Prouincialibus, aut Diocesanis iuxta decretum Concilij, prædicti Iudices electi, seu designati sint. Quodque deinceps litteræ Conservatorie per Sedem Apostolicam concedendæ, superscriptis tantum dirigantur, & si quæ litteræ aliter expediantur, ille, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullis sint roboris, vel momenti.* Deinde, designatis penitus pro illis, qui contra præscriptam formam Conservatores elegerint, aut illis vti ausi fuerint præcipit, *Vt Regulares,*

tares, ac persone huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam, vero infra sex menses à die publicationis in Vrbe presentis constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes acta Curie Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quamdiu Conservatores secundum formam presentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinarijs conveniantur, quodque Conservatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout usdem Regularibus, & alijs supradictis libuerit, approbata, durante quinquennio à die deputationis, amoveri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant. Præterea sic statuit Sanctitas sua; ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac persone suprascripte conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint; ut aut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint, nullam prorsus Iurisdictionem habeant, sed in his tantum, in quibus Res extiterint, neque extra Civitates, seu Dioceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscumque procedere quebunt. Si qua vero inter Iudices Conservatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia Iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros in forma Iuris electos super Iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Quod si qui Conservatores sine in hac parte, sine alijs quomodolibet suis limitibus excesserint per annum ab officio Conservatoris huiusmodi suspensi sint, & pars que hoc fieri procurauerit sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacij Prædecessoris, qua incipit: Hac Constitutione, quam Sanctitas sua in his omnibus, que presentis Constitutioni non aduersantur, innovant. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus Regulares, & alij supradicti in casibus à Iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus Secularibus, dum tamen hec tria copulativè concurrant videlicet, ut Regulares, & alij prædicti sint Actores non autem Rei, utque agant contra Laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel alijs à Iurisdictione Seculari exemptum, atque ut causa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem Laicus, ut præfertur eligendus, Iudex competens existat. Vide Bullam cum multis ipsam concernentibus apud Peirinis tom. 2. privileg. Minim. in Const. 5. Gregor. XV. & dicenda à nobis tom. 2. cap. 10. per totum, advertendo ulterius à S. Congregatione, & Sanctis. D. N. Urbano VIII. ut patet ex Bulla inter Constitutiones ipsius 4. tom. Bull. num. 78. declaratum fuisse, hæc Gregorij Constitutionem non afficere Religionem Hierosolymitanam, nisi quoad Iudices Conservatores. Pro Iudicibus etiam Conservatoribus vide Erasmus Choquier in speciali tractatu de hac re. Quia verò in prædicta Constitutione statuitur, *Ut coram Conservatoribus Regulares conveniri quidem, trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, ut aut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint nullam prorsus Iurisdictionem habeant, sed in his tantum, in quibus Res extiterint.* Ideo dubitatum fuit, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniurijs, & violentijs, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, & proprijs bonis vii, ac frui impediuntur, *Særa Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, eiusmodi verbis minime sublata fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs, ac violentijs, dummodo observent formam præscriptam Constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. relatis in cap. 1. & fin. de offic. deleg. in sexto.*

12 Canonica portio Parochialis (quæ debetur de omnibus, quæ obveniunt ratione funeris, seu in die funeris, & de omnibus Legatis factis Ecclesiæ, ad quam quis eligit sepulturam. (Silv. verba Can. Portio. num. 7. q. 9.) Non debetur solvi à Regularibus propter multa privilegia de quibus Casat. in Comp. v. Can. Portio. Maxime ex privilegio Nicolai

V. & Sixti I V. Carmelitanis concessio. Casarub. vt. sup. Miranda in Man. 2. tom. qu. 48. art. 6. Referens etiam decisionem Rotæ circa hanc causam. Nec huiusmodi Privilegia abrogata sunt per Conc. Trid. nisi solum quoad ea Monasteria, quæ ante annos quadraginta portionem Canoniam solita erant persolvere Concil. Trident. sess. 25. c. 3. Miranda vt. sup. artic. 7. Imò Conventus, qui tenentur solvere Canoniam portionem solum debent illam solvere de illis, quæ allata sunt cum corpore Defuncti. Ita habetur expressè in motu proprio Pij Quinti Anno 1567. edito, qui incipit, *Et si Mendicantium.* Qui non est reuocatus per Greg. XIII. in Bulla quæ incipit, *In tanta negotiorum mole.* Quamvis enim in ea reuocaverit Pontifex iste, & ad terminos Iuris communis reduxerit omnia, quæcunque concesserat suis prædecessor prædictus Pius Quintus contra formam Concil. Trid. non tamen reuocavit explicationes, & declarationes ab eodem factas circa dictum Conc. qualis est ista. Miranda vt. sup. art. 8. Peirinis tom. 2. privileg. Minim. in Const. 7. Pij V. num. 3. Addunt alij prædictam Constitutionem Gregorij XII. non fuisse sufficienter promulgatam, nec in praxi receptam. Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 24. num. 8. cui fauet. Thomas à Iesu de procur. omnium gent. salute lib. 12. c. 8. Sed vide dicenda to. 2. c. 1. num. 16.

13 Specialiter à solutione quartæ funeralium excepit Carmelitarum Conventus à quadraginta annis edificatos Paulus Quintus in Bulla quæ incipit, *Decet Romanum.* Anno 1605. edita per hæc verba. *Volumus, mandamus, decernimus, & declaramus, omnia, & singula huius Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Monasteria, seu Domos in quibuscumque Mundi partibus à quadraginta Annis edificata, illorumque Conventus, & Fratres, nullo modo, nullave ratione teneri ad solutionem dictæ Quartæ Funeralium, & ob non solutionem huiusmodi aliquas sententias, Censuras, & pœnas incurrere posse.* Extat etiam alia declaratio S. Congregationis Conc. Trident. videlicet Congregatio Concilij censuit non comprehendere Monasteria edificata à quadraginta Annis, citra, aut que in dies edificantur, vel in futurum edificabuntur, præsupposito quod huiusmodi Monasteria sint eius Religionis; cui à Sede Apostolica indultum sit, ut Quartam Funeralem non debeant solvere Episcopo Rodriguez to. 1. quest. Regul. artic. 39. quest. 2. Aliam etiam declarationem Sacræ Congregationis ad instantiam, & favorem Conventus Sancti Ludovici de Neapoli Ordinis Minimorum refert Quaranta in Summ. Bull. ver. Privilegia Regularium. Vide Augustinum Barbofam de Officio Patrochi cap. 25. à num. 4. Et dicenda to. 2. c. 1. n. 29. & 30.

14 À solutione etiam gabellatum, & quarumcunque contributionum, onereque hospitandi milites; exempti sunt ordines Mendicantium à Pio V. in Bulla Anno 1566. edita, quæ incipit; *Dum ad uberes.* Nec hoc Privilegium derogatum est à Greg. XIII. in Bulla edita Anno 1573. de qua supra num. 12. Vbi derogat privilegia à Pio V. Regularibus concessa; quia non numeratur istud. Sicut nec ista Bulla. Quaranta in Sum. Bull. ver. privileg. Regul. Flav. Cherub. in 2. to. Comp. Bull. sup. prædict. Bull. Pij V. Vide dicenda to. 2. c. 1. n. 32.

15 À solutione quoque Decimarum sunt exempti Religiosi Tum ex iure communi in c. p. q. & in cap. decimas 16. q. 1. Tum ex multis privilegijs, de quibus Casarubius in Comp. ver. decima, & Miranda in Manual. 2. to. q. 49. art. 12. & 13. Quoad hoc tamen attendenda est consuetudo patriæ, & Religionum. vide Bullam Sixti IV. Dum attenda pro Carmelit. Specul. Ordin. fol. 85. & dicenda tom. 2. cap. 1. num. 32.

16 Percutiens quemcunque Religiosum est excommunicatus excommunicatione Papæ servata c. si quis 27. q. 4. Per Religiosum autem, seu Monachum intelligitur quicumque Regularis, etiam Conuersus. cap. non dub. de sentent. excommunic. Imò Novitius, quia in favorabilibus Monachus reputatur. Toler. in Summ. lib. 1. cap. 32. extenditurque hoc privilegium secundum aliquos ad illos, qui ante legitimam aratem recipiuntur ad educationem sub habitu Religioso. Angelus ver. Novitius num. 21. & Suarez 3. to. de Relig. lib. 5. cap. 11. num. 12. Nec solum iniicientes manus in Religiosos sunt excommunicati, sed etiam mandan-

- tes, ratificantes, consentientes, & potentes obuiare. Tolet. vt sup. Bonacina de Censur. disp. 2. q. 4.
- 17 Gaudent Religiones priuilegio Communicationis, quo communicant, & participant aliarum Religionum priuilegia, ac si illis fuissent concessa, vt videre licet in particularibus ipsarum Religionum Compendijs. Miranda in *Man. 2. tom. 9. 46.* Nos Specialiter Carmelitæ habemus priuilegium hoc Communicationis à Leone X. in Bulla, quæ incipit. *Dudum per nos*, vbi omnia priuilegia concessa, & concedenda Mendicantibus nobis concedit. Laert. Cherub. in *Bullar. tom. 1. fol. 524.* Deinde ex Clement. VII. in Bulla, quæ incipit: *Ex Clementi*, Ann. 1530. Vbi etiam omnia priuilegia concessa, & concedenda quibuscunque Ordinibus, concedit Carmelitis, & inter ea maximum illud, quod scilicet: *Gloriosissima Dei Genitrix, semperque Virgo Maria, Confratrum, seu Religiosorum, ac Sororum animas post earum transitum suis intercessionibus committis, pijs suffragijs, & speciali protectione adiuuabit.* Laertius Cherub. *tom. 1. Bull. fol. 599.* De alijs autem Religionibus Mendicantibus hoc ipsum probat Miranda in *Man. 10. 2. q. 46. art. 5.* affirmans, idem etiam intelligi debere de priuilegijs concedendis alijs Religionibus pro tempore futuris. Ita quod ex vi priuilegij Communicationis, quod habemus ex Clement. VIII. possimus etiam vti priuilegijs concessis Societati Iesu, Theatinis, & Clericis ministrantibus infirmis, etiam si istæ Religiones aliquo tempore post istos Pontifices fuerint institutæ. In communicatione rursus priuilegiorum non tam vsus, quam ius vtendi debet attendi; ita vt Religiones habentes priuilegium Communicationis possint vti priuilegio concessio alteri Religionis, quo ipsa, propter aliquam causam non vti ut. Syluester *verb. priuilegium quest. 21.* Deinde priuilegia Religionum non tolluntur per non vsus, aut per vsus contrarium, nisi per spatium quadraginta annorum, vt patet ex Innocenti III. in cap. *accidentibus de priuilegijs*, vel per sexaginta, ex priuilegio Eug. IV. concessio Monachis Benedictinis Vallisoleti, (si illud non fuit viuæ vocis oraculum, alias nihil valebit, iuxta dicenda num. 21.) vbi habetur, quod *Contraria priuilegia dictæ Congregationis non incurrat prescriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum.* Miranda in *Man. 2. tom. 9. 42. art. 4.* qui etiam ibidem q. 46. art. 8. adiungit, neque etiam in prædicto tempore amitti, si non casus euenit vtendi huiusmodi priuilegio: neque quando quispiam ex aliquo legitimo impedimento, sua culpa non causato, eodem vti non potuit, aut interuenit ignorantia eiusdem. Laurentius Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Const. 15. July II. num. 1.* Amitti autem prædicta priuilegia, saltem in foro conscientie, ex eo quod Religiosi non viuant regulariter, aliqui volunt. Miranda *2. to. 9. 43. art. 3.* Vide dicenda *to. 2. c. 1. n. 52. & seq.*
- 18 Conuersi etiam, Docti, seu Oblati Religionum, qui veram professionem trium votorum emittunt, gaudent omnibus priuilegijs aliorum Regularium respectiue; Ratio est, tum quia sunt verè Religiosi, tum ex concessione Sixti IV. Carmelitis facta, vt habetur in *Compend. priuileg. ver. Oblati fratrum.* Quod idem concessit idem Sixt. IV. Augustinianis. Miranda in *Man. tom. 1. q. 29. art. 6.* Vide dicenda *tom. 2. c. 8.*
- 19 Quamuis multæ, variæque Indulgentiæ concessæ sint à Summis Pontificibus vtriusque sexus Regularibus, eas tamen reuocauit, & cassauit Paul. V. in Bulla edita Ann. 1606. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, & est 3. to. Bullar. 21. inter Bullas huius Pontificis, alias 16. vbi tantum quædam ibi scriptas ipsis concedit. Addit insuper idem Pontifex. *Volumus autem, vt omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cuiusvis Ordinis tã Monastici, quam Mendicantis dumtaxat, vt præfertur concessa, etiam omnibus Monialibus cuiusvis Regule approbatæ, & inira claustra cum tribus votis solemnibus vuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam Ordinarijs locorum, quam etiam Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Regule, & Instituti subiectis suffragentur.* Est verò aduertendum, quod quamuis per hanc Constitutionem reuocentur omnes aliæ Indulgentiæ Regularibus concessæ præter assignatas, non tamen reuocantur Indulgentiæ concessæ Ecclesijs Regularium pro Secularibus. Ita enim declaratum fuit à S. Congreg. vt refert Laurentius de Peirinis

*to. 1. de subdito q. 4. §. vlt.* Pium etiam, & probabile est, nec esse reuocatas Indulgentias concessas Regularibus defunctis, aut etiam in articulo mortis constitutis. Nam ea, quæ speciali digna sunt nota, non censentur esse sublata, nisi expressè nominentur vt colligitur ex *l. item apud Labeon. §. ait Prætor ff. de iniur.* In hac verò Constitutione non fit mentio harum Indulgentiarum. Sicque decet credere de Summorum Pontificum pietate Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 8. Paul. V. num. 10.* Nec etiam videntur derogatæ Indulgentiæ concessæ Regularibus ipsis profectis. Propter eandem rationem, & quia sic dicitur declarasse eundem Paulum V. Peregrinus I. *par. sui Compend. verb. Indulgentia num. 9.* Peirinis *vt sup. num. 5. & in Constitut. 4. Clem. VIII. num. 2.* Lege ipsum Peirinis *super prædictam Const. 8. Paul. V. à num. 1.*

20 In fauorem etiam Religiosorum Carmelitarum Clem. VIII. in Bulla edita anno 1599. quæ incipit, *Exponi nobis*, præcepit Dominis Archiepiscopis, & Episcopis, vt prædictis fratribus oleum pro ministranda extrema vnctione penitentibus, promptè ac liberaliter exhiberi faciant, ac quoscunque suffraganeos, vt id faciant moneant. 3. to. Bullar. 57. Clem. VIII.

21 Quamuis multa, variæque priuilegia Regularibus concessa sint per viuæ vocis Oracula, illaque eandem vim habeant, ac aliæ Constitutiones Papales (Laurentius Peirinis *to. 1. priuileg. Minim. in Const. 17. July II. §. 1.*) imo reuocatis alijs priuilegijs non reuocentur hæc viuæ vocis Oracula, nisi aliud expressè specificetur (Henric. lib. 7. de *Indulgent. c. 24. n. 8.*) nihilominus Greg. XV. per suam Constitutionem, quæ incipit *Romanus Pontifex*, *to. 4. Bullar. inter Bullas huius Pontificis, n. 27.* reuocauit omnia, exceptis illis, quæ propria manu. S. R. E. Cardinalium firmata essent, & de quibus idem. S. R. E. Cardinales *testimonium in scriptis præbuerunt.* Postea verò SS. D. N. Urbani. motu proprio Ann. 1631. die 20. Decembr. edito, omnia prædicta viuæ vocis Oracula per ipsum, aut alios Summos Pontifices data, etiam si à Cardinalibus firmata sint, quibuscunque Religiosis tam in particulari, quam in vniuersali, cassauit, abrogauit, & annullauit, præcipiens sua excommunicatione, & alijs pœnis ipso facto incurrendis, Superioribus Generalibus, vt infra tres menses omnes, & singulos Prouinciales de prædicto motu proprio certiores facerent, & ipsis Prouincialibus, vt illum in Conuentibus suarum Prouincialium publicare facerent sub eisdem pœnis. Circa quam SS. D. N. Constitutionem animaduertendum est, per illam non videri cassari, & aboleri viuæ vocis Oracula, quibus sanctitas sua, aut alij Summi Pontifices, priuilegia Religionibus concessa, aut decreta Summorum Pontificum, aut etiam Sacrorum Canonum, & Concilij Trid. aut aliorum Conciliorum, explicant, aut declarant in concernentibus ad Religiosos ipsos, dummodò prædicta viuæ vocis Oracula non contineant aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum. Solùm reuocantur, & cassantur, *Omnia, & singula priuilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ quocumque viuæ vocis Oraculo concessa*, vt in eisdem litteris habetur. Alia ergo viuæ vocis Oracula, quæ priuilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ non sunt, sed merè declarationes, aut explicationes non sunt abrogata à sanctissimo. (Peirinis, *to. 2. priuileg. Minim. in Const. 8. Paul. V. n. 1.*) Deinde aduertendum, quod quamuis per Constitutionem Gregor. XV. adductam non reuocentur concessiones factæ per viuæ vocis Oracula, quæ sunt sortita suum effectum, ante prædictam Constitutionem, vt in illa habetur, & declarauit S. Congregatio Regularium die 2. Aprilis 1625. (Peirinis *to. 2. priuileg. Minim. in Const. 3. Greg. XV.*) per Constitutionem tamen SS. D. N. Urbani, cum nihil tale dicatur, videntur reuocari, saltem quatenus respiciunt effectum pro futuro tempore. Vnde si aliquis Religiosus habuit gratiam, v. gr. à Pontifice, solo viuæ vocis Oraculo, quod esset Magister, Præfatus, aut quid simile, à tempore huius Constitutionis SS. D. N. nequiquam potest vti tali concessione. Licet contrarium etiam probabiliter dici possit, cum id non exprimitur in constitutione SS. D. N. Urbani; si enim Sanctitas sua vellet in hoc coartare constitutionem Gregorij debebat illud declarare. Sicque video aliquos sentire. Nota etiam per hanc Bullam SS. D. N. Urbani reuocari quoque Confirmatio-

firmationem privilegiorum viua vocis Oraculo concessorum, quam pro Societate Iesu dedisse dicitur idem Urbanus, ut refert Portellus *in dub. Regular. p. 3. casu 52.* Quia hæc posterior reuocatio anno 1631. fuit facta, illa autem confirmatio anno 1624. Nota denique quod quamuis ipse Portellus *in Responsionibus Moralibus* 10. 1. casu ultimo dixerit, privilegia viua vocis oraculo ab Urbano VIII. reuocata iterum ab eodem reuolidata fuisse, merito tamen id postea retractauit *in 2. 10. Respons. moral. casu ult.* Non enim extat talis reuolidatio, saltem generalis & communis.

22 Possunt Religiosi, Mendicantes, præsertim, dare habitum suæ Religionis personis Secularibus vtriusque sexus, vocatis Tertiarijs, seu Tertij Ordinis. Primò enim quoad fratres Minores, id constat ex pluribus privilegijs relatis à Casarubio *in Comp. privileg. Mendican. ver. Tertiarij.* Et quoad fratres S. Dominici id constat ex privilegio Sixti Quarti inferius adducendo pro fratribus Carmelitanis. Imò referente S. Antonino 3. p. *Hissor. tit. 23. c. 14. §. 2.* B. Dominicus etiam instituit tertium Ordinem, seu Tertiarios fratres, seu Sorores de penitentia. Lege Baptistam Confectum *in collect. lit. apof. & Relig. mendic. n. 8. v. 2. Sixto IV.* De Augustinianis etiam, id quoque patet ex privilegio Pauli II. relato ab eodè Baptista Confectio *in prædicto Paulo II. n. 1. & Sixto IV. n. 2.* Quoad Carmelitas autem constat primo ex Nicolao V. in Bulla relata ab eodem Baptista Confectio num. 1. Secundo, & maxime ex Sixto Quarto in Bulla *Dum attenda,* quæ est mare magnum Religionis, Romæ apud S. Petrum Anno 1476. 4. Cal. Decembris, per hæc verba. [Statuentes præterea Apostolica auctoritate, & præsentium tenore concedentes volumus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus tam Magistro Generali, quam cuiuslibet dicti ordinis Officiali, ac Prioribus dicti Ordinis secundum morem, & institutionem eiusdem Ordinis, in quibuscunque Prouincijs constitutis tam præsentibus, quam futuris sit licitum, ac permissum, quascunque mulieres, & vtriusque sexus personas, si alias sint idoneæ, & aliud Canonicum, non obstat, quæ habitum regularem prædicti Ordinis ad instar mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut fratrum de penitentia tertij Ordinis ordinum fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Heremitarum S. Augustini habere voluerint, & gestare, tam Virgines, ac matronas, quam viduas, ac mantellatas, seu Pinzocheras, & vtriusque sexus personas dicti Ordinis Carmelitarum recipere, & admittere; ac earum singulis habitum regularem, ac regulam eiusdem Ordinis Carmelitarum ad instar huiusmodi mantellatarum, seu Pinzocherarum vtriusque sexus Ordinum, & vtriusque sexus personarum Ordinum fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Heremitarum S. Augustini, præfatorum, prout secundum Deum saluti animarum earundem personarum salubrius visum fuerit expedire, etiam exhibere, quæ sic receptæ, & imposterum recipiendæ auctoritate præfata gaudeant, & gaudere possint, & debeant tam exemptionis privilegijs, quam omnibus immunitatibus, libertatibus, Indulgentijs, & alijs privilegijs quibuscumque præfato Ordini Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, eiusque fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quæ imposterum concedentur, quantum huiusmodi exemptionis privilegium, immunitates, libertates, indulgentiæ, ac quæcumque alia privilegia ipsi Prioribus, & fratribus Ordinis de Monte Carmeli competunt, vel competere possunt, seu poterunt, & Priores & fratres, ac loca ipsa esse capacia. Eorundem, Constitutionibus Apostolicis, ac Statutis, & consuetudinibus, tam vestri, quam aliorum ordinum quoruncunque, & alijs contrarijs non obstantibus quibuscunque.] Vide Bullam in speculo Ordinis fol. 88. Religiosi quoque Minimi S. Francisci de Paula habent etiam suos Tertiarios ex multis privilegijs Summorum Pontificum, quæ refert Laurentius de Peirinis *to. 1. prim. Minim.* Huiusmodi autem Tertiarios Religionum, quantumuis privilegia Religionum illis concessa sint, ut patet ex auctoribus relatis, obseruentque regulam sui ordinis iuxta eorum statum, nihilominus regulariter personas religiosas, non esse dicendos, constat ex eo, quia regulariter non promittunt tria vota essentialia Religionis, neque solemnia, neque simplicia, sed duo tantum, scilicet Castitatis, & Obedientiæ. Rodrig. 3. tom. 9. regul. quæst. 72.

art. 3. Licet illi, qui prædicta tria vota sub regimine Prælatorum promiserint veri Religiosi appellari possint. Rodr. *ibid. ar. 1. 2. Casarub. in compend. verb. Tertiarij fratres num. 7. & 24.* Possunt tamen huiusmodi Tertiarij Religionum Fratres aut Sorores tertij ordinis nuncupari. Primò quia sic vocantur aliqui ipsorum à Summis Pontificibus in privilegijs relatis. Secundo specialiter de Carmelitis ex privilegio Sixti I V. adducto, vbi dicitur, posse Prælatos Carmelitarum concedere habitum, & Regulam sui Ordinis *ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut Fratrum de Penitentia tertij Ordinis Fratrum Minorum, & Prædicatorum, &c.* Cum ergo prædictarum Religionum Tertiarij, Fratres, & Sorores tertij Ordinis nuncupantur, idem dici debet de Tertiarijs Carmelitarum, Heremitarum S. Augustini, & Minimorum, particula enim illa *ad instar,* habet hanc vim, ut constat ex Suarez *lib. 8. de legib. c. 15. num. 2.* Vbi inquit, quod privilegium ad instar significat propriam, adæquatam similitudinem, ut mensura ad mensuratum, & concedit omnem maiorem, & gratiam formaliter contentam in suo exemplari, & in eodem sensu, in quo in suo exemplari continetur, & cum eadem extensione. Tertio etiam id apparet ex etimologia nominis, tales enim personæ, ideo Tertiariæ, vel Tertiarij dicuntur, vel quia est triplex genus personarum, quæ regulam illius Religionis profitentur, scilicet Fratrum Religiosorum, Sororum Monialium, & Laicorum Secularium, ut inquit glos. *in Clem. 3. de sent. excomm.* Vel quia Tertiarij isti sunt quasi quoddam tertium genus hominum quasi tertium, & medium inter Religiosos, & Laicos Seculares, quia etsi simpliciter seculares sint nihilominus aliqua, quæ pertinent ad Religiosos obseruant, videlicet Regulam cum obseruantia aliquorum votorum. Et sanè cum omnes prædicti Tertiarij ab omnibus nuncupentur, & sint Tertij Ordinis, non est cur illis negetur posse vocari tertij Ordinis; hæc enim correlatiua videntur. Vide decretum S. Congregationis super huiusmodi Tertiarijs Ann. 1616. editum apud Erasimum à Chokier. *de iurisdict. Ordin. in exempt. par. 1. q. 17.* Dianam *tract. de immunit. ecclesiast. Resol. 89. & dicenda tom. 2. c. 14.*

23 De Privilegijs specialibus Regularium, quoad Officium Diuinum perfoluendum agimus c. 12. De priuil. etiam Prælatorum Regularium c. 18. Confessoriorum c. 19. Concinatorum c. 20. Sacerdotum c. 21. Nouitiorum c. 24. & Monialium c. 25. Si autem quæras quas causas, quæue motiua habuit Ecclesia, aut Sedes Apostolica, ut tot, tantaque privilegia Regularibus concesserit. Respondeo ad id motam fuisse tum ex magnis meritis Regularium personarum; tum etiam ex multis varijsque grauaminibus, quibus ab Ordinarijs vexabantur, quorum plura refert Pius V. in Bulla *Etsi Mendicantium in 2. 10. Bull. num. 41.* quam refero *to. 2. c. 1. n. 12.* vbi viginti sex ex prædictis grauaminibus refert hic Pontifex. Alia habentur in c. *Nimis praua de excessibus Prælatorum, & in c. Nimis iniqua. eod. tit. & in Clem. Frequens. eod. tit.* quæ in vnum collegit. Laurentius de Franchis *in suis controuersijs,* pag. 304. q. 4. & ex ipso Tambur. de Iure Abbatum *to. 3. disp. 5. q. 11. n. 110.* quæ hic recensere mihi visum est. [Plerique tam Ecclesiarum Prælati, quam alij, viros Religiosos ad Synodos suas accedere ac suis constitutionibus subiacere compellebant, Capitula & scrutinia in locis Fratrum pro his corrigendis facturos se comminantes fidelitatem iuramento firmati ab eorum Ministris & custodibus exigebant. Ipsi vt tam extra ciuitates, quam intra, cum eis processionaliter venirent, ex leui causa mandabant. Excommunicationis sententiam pronuntiabant in ipsorum benefactores, id ipsum Fratribus comminantes. Ne Fratres, ad honorabiliores ciuitates, & villas vbi Religiosè ac honestè possent commorari à populis deuotè vocati accederent, inhiibentes; tam in accedentes Fratres, quam in receptores ipsorum excommunicationis sententiam fulminabant. Ab ipsis de hororum fructibus decimas, necnon de habitaculis Fratrum, sicut de Iudeorum domibus extorquebant. Eos de locis, in quibus Deo seruebant, amouere conabantur. Nonnulli statuta faciebant, per quæ derogabant privilegijs exemptorum, ut ipsos suæ subderent totaliter ditioni; eisdem Ministros, & Custodes volebant præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Et generaliter quam plures Prælati, Religiosis præsertim exem-



exemptis, & privilegiatis in rebus & personis suis, ac iuribus spiritualibus, & temporalibus, contra iustitiam & eorum privilegia graues inferebant iniurias, & iacturas. Volebant contra ipsorum Regulam à Sede Apostolica approbatam, & Ordinis Instituta, ipsorum Confessiones audire, ac eis iniungere poenitentias, & Eucharistiam exhibere. Nolebant, vt Corpus Christi in eorum Oratorijs reseruetur, Fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas sepeliri, & eorum exequias celebrari compellebant. Si quis decedentium Fratrum alibi, quam in suis Ecclesijs elegisset sepulturam, funus prius ad Ecclesias suas deferri cogebant, vt oblatio suis visibus cederet. Nec sustinentes eos habere campanam, & coemeterium benedictum certis horarum temporibus permittebant ipsos celebrare diuina. Volebant in eorum domibus certum numerum Fratrum Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum pro sua voluntate taxare; residuum cereorum quando nouiter apponebantur ab ipsis exigentes. Nec permittebant, quod noui Sacerdotes eorum alibi, quam in suis Ecclesijs primas Missas celebrarent; eos nihilominus cogentes, vt in quotidianis Missis, quas in suis locis, & Altaribus celebrabant, oblationes ad opus eorum reciperent & reseruent. Quidquid eis inter Missarum solemniam intra domorum suarum ambitum pia fidelium deuotione donabatur ab ipsis extorquere oblationis nomine contendebant. Viros religiosos, etiam exemptos, capiebant, & carcerabant, etiam in casibus non concessis à Iure. Per grauium interminationem poenarum impediebant, ne debentes exemptis decimas seu redditus, illos soluerent eisdem, neue aliquis Missas eorum audirent. Contra molentes in molendinis Monachorum, & coquentes in furnis eorum seruitutes quoque & vassallos, & domesticos eorumdem, vel alios qualitercumque contrahentes & participantes cum ipsis suspendebant, interdcebant, & excommunicabant absque causa rationabili prohibito voluntatis. Appellationibus, quas praedicti exempti ob praefata vel alia grauiamina rationabiliter interponebant quandoque minime deferentes, appellantes, occasione appellationum huiusmodi, interdum capi, & carceri mancipari praecipiebant. Capellanos in Ecclesijs pleno iure spectantibus ad eosdem (licet nulla causa subesset legitima) celebrare non sinebant, nec ministrare Parochianis Ecclesiastica Sacramenta. Contra Abbates, & Monachos, & Conuersos exemptos, nec non & Clericos ipsis pleno iure subiectos, eis non parentes, in quibus non tenebantur, inconsulta facilitate in carceribus detentos, suspensionis, & excommunicationis sententiam proferebant; loca & Ecclesias ipsorum interdcentes. In exigendo ab ipsis exemptis, eorumque subditis subsidia charitatis, nimium contra eos excedebant, insolitas, ac indebitas ipsis contra iura exactiones imponentes. Ecclesijs vacantibus, in quibus Monasteria suspatronatus obtinebant (repulsis personis idoneis ad eas praesentatis) personas inhabiles instituebant & indignos. Processus iuste factos, seu sententias iuste latas à delegatis Sedis Apostolicae, vel à Conservatoribus pro exemptis publicati seu exequutioni demandari à suis subditis non permittebant. Tabellionibus publicis, ne instrumenta conficerent, inhibebant; & Iudicibus, ne iustitiam redderent; & Iurisperitis ne consilium vel auxilium praerent in causis seu negotijs ipsorum. Nouos census & indebita onera Parochialibus imponebant Ecclesijs in quibus exempti Ius obtinebant patronatus. Ecclesias curam animarum habentes ad mensam Abbatum spectantes, quarum fructus Clericis secularibus quandoque ad firmam concedebant ipsis decedentibus, suis Clericis conferebant; quamuis Ecclesia in rei veritate non vacarent. In Ecclesijs Monachorum iura ipsorum sibi iniuste appropriantes equos, boues, thesaurum, & alia bona Monasteriorum mobilia & immobilia illicitè occupantes; de ipsorum redditibus pro libito voluntatis ordinabant, ita vt Rectoribus ipsarum non remaneret, vnde possent sustentari. Quandoque cum armis, & vexillo erecto molendina, & alia exemptorum bona contra iustitiam destruebant, quae etiam tanto tempore possederant, quod de contrario memoria non existeret. Frequenter mittebant ad Monasteria suarum ciuitatum, & diocesium suos consanguineos, nepotes, & interdum animalia sua cum custodibus, vt eis de bonis

Monasteriorum prouideretur. Abbates & Priores Monasteriorum sapissime compellebant vt suis consanguineis & nepotibus Monasteriorum suorum & Prioratuum possessiones concederent in perpetuum, vel ad tempus. Permittebant etiam, & tacite consentiebant, quod in suo dominio temporali per milites, vassallos, & ipsorum temporales Officiales Monasteriorum bona mobilia & immobilia per violentiam occuparentur in casibus non permisis à Iure, varias iniurias personis Ecclesiasticis inferentes. Interdum Abbates, Priores, & alios beneficiatos suis beneficijs iniuste priuabant, vt sic fructus beneficiorum vacantium primi anni possent percipere. Cogebant sapissime Abbates, & Priores Monasteriorum ad sibi praesentandum suos familiares consanguineos, vel nepotes ad Ecclesias vacantes, in quibus Ius obtinebant patronatus. Sine iusta causa impediebant ne exempti loca sua possent reparare. Hæc habent Franchus, & Tamburinus relati; & ex illis facile dignoscitur quam rationabiliter ad obuianda talia grauiamina Sedes Apostolica veluti pia Religiosorum mater plura privilegia, quae in tota hac Summa Quaestionum Regularium passim referimus, eisdem concesserit.

## SUMMARIVM. CAP. IV.

- Obedientiae votum essentiale est, & praecipuum in Religione. num. 1.*  
*Eius obligatio solum extenditur ad licita & honesta. n. 2.*  
*Quid si Prelatus praecipiat res solum concernentes utilitati temporali. n. 3.*  
*Non teneatur Religiosus obedire Prelato praecipienti vana, & impertinentia, vel quae non pertinent ad Regulam. num. 4.*  
*Nec praecipienti actus merè internos per se sumptos. num. 5.*  
*Non obligatur Religiosus ex voto obedientiae ad obedientiam formalem. num. 6.*  
*Nec ad id quod scit suum superiorem velle si non manifestatur. num. 7.*  
*Nec ad ea quae Prelatus proponit solum sub consilium. n. 8.*  
*Bene tamen praecipis quomodocumque intimatis. n. 9.*  
*De ijs quae aliquo modo continentur in Regula. n. 10.*  
*Quid si Prelatus praecipiat ieiunium quod non est in regula. num. 11.*  
*Teneatur obedire Prelato praecipienti praecipia communia. num. 12.*  
*An teneatur ad austeritates quae omnino sunt supra Regulam. num. 13.*  
*An ad poenam sibi impositam. n. 14.*  
*An ire ad partes remotissimas. n. 15.*  
*An ire ad commorandum in aliquo loco aeris intemperie laboranti. n. 16.*  
*Teneatur obedire Prelato praecipienti, vt accipiat aliquod officium intra Religionem. n. 17.*  
*Quid de officio extra ordinem. n. 18.*  
*Quid de ministrando infirmis tempore pestis. n. 19.*  
*Quid de Assistentia in aliquo loco tempore haeresis. n. 20.*  
*Quid quando duo Prelati contraria praecipiunt. n. 21.*  
*Religiosi hospites seu Peregrini num obligentur praecipis Prouinciae vel Conuentus. n. 22.*  
*Quando Religiosi interrogati de delicto se prodere debeant. num. 23.*  
*In dubijs teneatur Religiosus obedire. n. 24. & 25.*  
*Item quando indicat probabiliter solum, vt malum id quod superior praecipit. n. 26.*  
*Item quando Prelatus praecipit rem illam in qua poterit dispensare. n. 27. & 28.*  
*Concessio Leonis Decimi pro dubijs, & scrupulis Religiosorum. n. 29.*  
*Quid quando est dubium circa factum in irregularitate. num. 30.*  
*Ex vi voti obedientiae teneatur obedire Religiosi Summo Pontifici. n. 31.*  
*Si Pontifex, & Prelati contraria praecipere Pontifici obediendum est. n. 32.*  
*Quando Religiosus sit Generalis Ordinis manet votum obedientiae quoad Papam. n. 33.*  
*Religiosus grauatns à Prelato recurrere potest ad superiorem. num. 34.*

Si Prælati præcipit Religioso ut celebret pro Petro, & ipse celebret pro Francisco, & si peccet, missa tamen prodest Francisco. n. 35.

Corrigunt aliquando subditi suos Prælatos. n. 36.

Præcepta superiorum obligant inferiores etiam absentes. n. 32.

An teneatur subditus obedire suo superiori excommunicato. num. 38.

De obligationibus Religiosorum ratione Voti Obedientiæ emissi in Professione. Cap. IV.

**O**BEDIENTIÆ Votum non solum est essentialiter Religioni iuxta dicta cap. 2. num. 1. sed etiam est præcipuum inter tria substantialia Vota Religionis. Eò quòd per illud offertur Deo propria voluntas, quæ potior est, quàm corpus, quòd offertur per Castitatem, & exteriora bona, quæ per Votum Paupertatis Deo offeruntur. Præsertim, quia Votum obedientiæ continet sub se Vota Castitatis, & paupertatis. D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 8. & 9. 104. art. 3.

2 Obligatio Voti Obedientiæ solum extenditur ad res licitas, & honestas; ita ut cum certò constat, rem, quæ præcipitur esse illicitam, & malam, aut contra Regulam, aut præceptum Superioris altioris, nullo pacto teneatur Religiosus obedire quantumvis ad obediendum astringatur pœnis, & Censuris. Ratio est, non solum quia nulla lex humana obligare potest ad peccatum; sed etiam quia Religiosus solum tenetur obedire in his, quæ sunt materia Voti, materia autem Voti non est, nec potest esse res illicita, & inhonesta. D. Th. quodlib. 10. art. 10. & 2. 2. quæst. 104. art. 5. Lessius 2. de Iust. c. 41. dub. 9. n. 76.

3 Hinc si Prælati præcipiat res solum concernentes utilitati temporali sui, aut suorum, & non utilitati Spirituali, ut si præciperet subdito, ut ageret aliqua negotia alicuius sui consanguinei, aut amici, non tenetur subditus obedire, cum hæc non sint secundum Regulam. Hieronym. Grat. in Discipl. Regul. part. 2. c. 1. §. 4.

4 Nec etiam tenetur Religiosus obedire Prælati præcipienti vana, & impertinentia, vel quæ explicitè, siue implicitè non pertinent ad Regulam. Ratio est, quia obligatio obedientiæ in Religiosis solum confurgit ex Voto obedientiæ, quòd emittunt, hoc autem Votum solum est secundum Regulam illius Ordinis; & ita quicquid est vanum, & impertinens nulloque pacto ad regulam spectans non cadit sub obligatione. D. Thom. quodlib. 10. art. 10. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 15.

5 Nec etiam est obligatus Religiosus obedire Superiori præcipienti actus merè internos, verbi gr. Fidei, Spei, Charitatis, &c. Ratio est, quia non potest Superior creatus, aut potestas humana præcipere, aut prohibere actus merè internos, cum Ecclesia non iudicet de illis, aut cogat ad illos. Quando tamen actus internus est modus necessarius externi, qui præcipitur, tunc actus internus cadit sub eodem præcepto, quo externus, & obligatur Religiosus ad illum. Ut si Superior præcipiat Religioso, quòd recitet Officium Divinum, aut dicat Missam pro aliquo, tunc enim tenetur habere actus interiores attentionis, & intentionis, quia sunt modi necessarii actuum externorum, qui præcipiuntur. D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. Angelus in Summ. verb. Obedientia num. 1.

6 Nec obligatur Religiosus ex Voto Obedientiæ ad Obedientiam Formalem, illam scilicet, per quam subditus exequitur præcepta Superiorum, quatenus præcepta sunt. Ratio est, quia non vult Religiosus Obedientiam sub motivo obedientiæ, sed solum Obedientiam materialem, id est executionem rei, quæ præcipitur. Ergo per illam sufficienter satisfacit suo Voto, sicut generaliter Fideles, hoc etiam modo satisfaciunt alijs præceptis humanis. Suarez 4. tom. de Relig. lib. 4. cap. 14. Lessius de Iust. & iur. lib. 2. cap. 46. dub. 6. num. 12.

7 Nec tenetur ex vi Voti Obedientiæ Religiosus exequi id, quòd scit suum Superiorem velle, ut faciat, nisi hæc voluntas aliquo præcepto manifestetur. Ratio est, quia non obligatur, nisi ad Obediendum præceptis sui Superioris, voluntas autem Superioris, nisi sit intimata, non habet ra-

tionem præcepti. Vasquez 1. 2. disp. 155. ad fin. Tolet. in Summ. tract. de Sept. pec. mort. c. 15. n. 10. Obedire autem voluntati Superiorum, etiam non intimata, est perfectissima Obedientia. Eò quòd sic faciens, non solum facit id, ad quòd tenetur, sed, & id, ad quòd non tenetur; & quòd tantum cadit sub Consilio. D. Gregor. lib. 35. mor. cap. 13. D. Thom. in 2. disp. 44. q. 2. art. 3.

8 Hinc etiam non tenetur Religiosus ad ea, quæ Prælati proponit solum sub consilio. Ratio est, quia ea quæ sunt sub consilio, ut ex ipso nomine patet, ad nihil obligant; sicut Vota Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, quia Secularibus sunt solum proposita ut consilia, ad nihil obligant illos. Valent. 2. 2. disp. 7. q. 3. punct. 1. Less. de Iust. li. 2. c. 46. dub. 4. num. 23. Observare tamen ea, quæ sub consilio solum à Prælati proponuntur, erit magna perfectio Obedientiæ, quam aliqui super obedientiam appellant. Sanch. lib. 6. in Decal. cap. 1. num. 2.

9 Obligatur ergo solum Religiosus ex vi Voti Obedientiæ, ad Obediendum præceptis suorum Superiorum, quomodocumque intimatis, siue ore tenus, siue scripto, siue alio modo. Ratio est, quia Obiectum Obedientiæ solum est præceptum superioris. D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 9. Azor. 10. 1. Inst. Mor. lib. 1. cap. 13. quæst. 1. Non tamen tenetur Religiosus ad Obediendum superiori, nisi in ijs, quæ concernunt Regulam Religionis. Ratio est, quia Votum Obedientiæ Religiosorum, solum est secundum regulam Ordinis. Syl. verb. Relig. 6. n. 6. Sanch. lib. 6. in Decal. c. 2. n. 15.

10 Non tamen tenetur solum Religiosus obedire Prælati in illis, quæ expressè continentur in regula, sed in illis etiam quæ continentur implicitè, qualia sunt illa, quæ necessaria sunt ad regulæ Observantiam. Ratio est, quia ad hæc omnia se obligavit Religiosus eo ipso, quo fecit professionem secundum regulam. Vasq. 1. 2. disp. 154. cap. 4. Less. lib. 2. de Iust. & iur. cap. 41. dub. 9.

11 Hinc si Prælati præcipiat subdito ieiunare aliqua die, qua non tenetur ex Regula, vel aliam Corporis afflictionem subire, vel in penam delicti committi, vel in cautelam ne in aliud incidat, tunc tenetur Religiosus obedire. Ratio est, quia hoc totum pertinet, & est necessarium ad Regulæ observantiam. Vasq. 1. 2. disp. 154. c. 4. Angl. in Flor. 2. p. 9. 1. de Voto art. 2.

12 Tenetur etiam Subditus obedire Prælati præcipienti præcepta communia omnibus Christianis, vel etiam omnibus Ecclesiasticis, aut Religiosis, ut audire Sacrum diebus Festis, dicere Officium Divinum, &c. Ratio est, quia quamvis ista non continentur in Regula, sunt tamen quasi præambula quædam ad illam necessaria. Caiet. 2. 2. q. 186. art. 5. ad colligens ex D. Thom. ibidem.

13 Ea, quæ sunt omninò supra Regulam, ut sunt verbi gratia nimis macerare Corpus, magna austeritates, subire Martyrium, imò, & facere mortificationes aliquas extraordinarias, vel solum pro libito Superiorum, non possunt præcipi a Prælati Regularium, nec ad ea tenetur Religiosus. Ratio est, quia ut dixi Votum Obedientiæ solum obligat ad ea, quæ Regulam concernunt, siue explicitè, siue implicitè. S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. ad 3. Gerl. lect. 4. de Vit. Spir. al. 62. l. 1. R. Imò nec Generalis cum toto Capitulo Generali possunt nova aliqua statuta Regulam non concernentia præcipere. Vasq. 1. 2. disput. 154. cap. 4. num. 23. Miranda in Manua. tom. 1. quæst. 26. artic. 10. Si tamen in Regula dicatur Obediendum esse Superioribus, etiam si supra Regulam aliquid præcipiant (prout in Regula Minorum cap. 10. & in Constit. Societ. Iesu part. 3. cap. 1. §. 23. & par. 6. cap. 1. §. 1. videtur haberi) tunc Subditus tenetur obedire. Eò quòd in tali casu id, quòd præcipitur, est conforme Regulæ. Less. 2. de Iust. c. 41. dub. 9. n. 77.

14 Si Prælati imponat aliquam pœnitentiam subdito propter suspicionem delicti, quòd reuera non commisit, non tenetur subire talem pœnam. Eò quòd innocens, non debet puniri. In publico autem ratione scandali aliorum tenetur obedire. Nauarr. in Summ. cap. 23. Vasq. 1. 2. disput. 174. cap. ult.

15 Similiter quando Regula non præcipit obedire Superioribus, etiam supra ipsam, Religiosi illam profitentes non tenentur ex vi Voti Obedientiæ obedire Superioribus præcipientibus ire ad remotissimas partes, videlicet Indiarum, ad conuertendos infideles ad fidem. Non solum quia

- quia id est expositum multis periculis corporis, & animæ, sed etiam, quia hoc nullo modo concernit Regulam, quam sunt professi. Ludouic. Lopez 1. par. Instruct. c. 56. column. 1. Rodriguez 2. 10. Summ. c. 9. n. 5. & tom. 3. q. Regul. q. 19. art. 7. Excipiuntur ab hoc Religiosi Societatis, quia speciali voto ad hoc se alligant. Idem Authores.
- 26 Tenetur Religiosus obedire Prælati iubenti, ut eat ad commorandum in aliquo loco aeris in temperie laboranti. Quia hoc est conforme Regulæ, & necessarium pro conseruatione locorum Regularium. Excipe casum, quando subditus certò sciret Prælatus hoc illi præcipere solum ex odio, & mala voluntate erga ipsum. Quia tunc Prælatus abutitur sua potestate, Laurentius de Peirinis to. 1. q. 1. de obedientia c. 11.
- 17 Tenetur etiam Religiosus obedire Prælati præcipienti, ut accipiat manus Prælatis, seu aliquod officium intra Religionem. Ratio est, quia hoc est conforme Regulæ, & potest esse conueniens Religioni. Imò etiam si dubitet de sua sufficientia D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 7. c. 16. Paludan. in 4. distict. 19. q. 1. art. 1. Si verò Religiosus habeat impedimentum aliquod, quod nec ipse, nec Prælatus præcipiens accipere officium possit amouere, ut si habeat aliquam incapacitatem, vel irregularitatem soli Papæ reseruatum, non tenetur obedire. Eò quòd nemo obligari potest ad illicitum. S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. ad 2. Sot. de iustit. q. 2. art. 2. Secus est quando dubitat an sit dignus. Quia in dubijs obediendum est. Sanchez lib. 6. in Decal. c. 3. n. 11.
- 18 Non tamen potest Prælatus Religionis Papa inferior præcipere suo Subdito, ut accipiat Episcopatum, (idem dico de quocumque alio officio extra Ordinem) neque iste tenetur obedire, licet laudabiliter staret Sancti aliqui viri suis Superioribus in hoc etiam obedientes fuerint, prout de B. Thoma de Villanoua, & Illustris. Bartholomæo de Martyribus, utroque ex grauissima Augustinensi familia, dicitur, ille etenim Archiepiscopatum Valentinum, & iste Bracharensem, iubentibus Superioribus, acceperunt. Ratio est, quia fieri Episcopum non pertinet directè, aut indirectè ad obseruantiam Regulæ, quam professus est Religiosus, cum potius eximat ab illa; neque ordinatur per se ad bonum Religionis, sed tantum ad bonum Ecclesiæ. Solum ergo à Papa, ad quem pertinet cura Ecclesiæ, potest cogi Religiosus ad hoc munus subeundum. Valent. 2. 2. disp. 10. q. 3. punct. 3. Sanch. lib. 6. in Decal. c. 2. n. 49.
- 19 Tempore pestis, vel alterius mali Contagiosi, ex quo imminet periculum mortis tenetur Religiosus obedire Prælati suo, præcipienti, ut ministret infirmis Religiosis illius Religionis. Non tamen tenetur obedire illi si præcipiat ministrare extraneis, nisi in casu, quo deessent Parochi, qui illis ministrarent Sacramenta, vel Parochi, qui essent, non sufficerent ad id præstandum. Ratio primæ partis est, quia præstare Religiosos sibi inuicem mutua hæc ministeria ad conseruationem Religionis spectantia concernit Regulam, quam professi sunt, & ita tenentur ad eam, etiam cum periculo vitæ, sicut tenentur milites præliari, vel esse in tali loco, cum eodem periculo. Ratio secundæ partis est, quia Religiosum seruire extraneis peste infectis, cum periculo vitæ, non est secundum Regulam, sed supra illam. Ratio etiam tertie partis est, quia Religiosi, præsertim Mendicantes, & alij? quorum institutum est saluti proximorum incumbere, sunt coadiutores Episcoporum, & parochorum in salute proximorum procuranda, & ob id Fidelium Eleemosynis sustentantur. Rodrig. 3. 10. q. 31. art. 3. & 4. Sanchez lib. 6. in decal. c. 2. ad n. 52. Vide dicta c. 1. n. 17.
- 20 Idem dico de tempore hæresis, scilicet posse Prælatus præcipere Religiosis, ut assistant alicui loco ad prædicandum, disputandum, & defendendum Ecclesiam contra Hæreticos, etiam cum periculo vitæ. Ratio est eadem, quia hoc non excedit Regulam, quam professi sunt, sed potius concernit illam, cum ex illa sint coadiutores Episcoporum, & Parochorum. S. Thom. opusc. 18. c. 14. Rodr. ut supra.
- 21 Duobus Prælati contraria præcipientibus non licet obedire minori neglecto maiori. Quia potestas minoris subordinata est maiori, & ita illi subiecta, & minus obligans. Lancel. in Gnome V. n. Rel. lib. 2. sect. 1. art. 3. res. 6. Si tamen contingeret (quod raro eueniet) quòd duo Prælatis æquali omnino auctoritatis aliquid Religioso præciperent,
- tunc patendum vel ei, qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem, vel ei qui primò præcipit, vel si cætera sint paria, cui magis placuerit. Laurentius de Peirinis to. 1. q. 1. de obedientia cap. 7.
- 22 Religiosi hospites, seu peregrini in aliqua Prouincia, vel Conuentu non obligantur specialibus præceptis eius prouinciæ, vel Conuentus. Ratio est, quia illa præcepta tantum sunt posita pro subditis. Attendendum tamen est in hoc, tum ad Constitutiones Religionis; tum ad consuetudinem, & ne inde oriatur scandalum. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 21. Oppositum affirmans de legibus: ita ut ad illas etiam obligentur Religiosi Hospites, & Peregrini. Idem n. 23. Hoc tamen præcipue intelligo in foro exteriori. Eò quòd si hospites, & forenses non se conformant habitatoribus, oritur turbatio, & scandalum. Rodriguez to. 1. quæst. 9. 68. art. 4. Miranda 2. tom. Manual. q. 29. art. 6. Qui etiam bene addunt, etiam in foro interiori obligari, quando est scandalum, & non subest rationabilis causa illos excusandi.
- 23 Non tenentur Religiosi interrogati, etiam sub iuramento ad manifestandum eum; quem deliquisse norunt, neque ipsi delinquentes tenentur se prodere, etiam ad quodcumque præceptum suorum Superiorum, quando adeò est occulta persona, ut nulla infamia laboret, iuxta dicenda c. 27. n. 11. & 12. Ratio est, quia iudex, seu Prælatus non potest de tali persona delinquente, quando est occulta iuridicè interrogare. Ergo neque subditi manifestare. Caietan. 2. 2. q. 33. art. 7. Suarez 4. to. de Relig. lib. 10. c. 11. n. 7. & c. 12. a. n. 1. Secus vero, quando præcedit aliqua infamia. Quia tunc iuridicè interrogantur. Sotus 5. de iustit. q. 6. artic. 1. conclus. Azor. tom. 3. lib. 13. c. 25. dub. 3. Vide dicenda cap. 27. num. ut sup.
- 24 Non solum tenetur Religiosus Prælati suo obedire in rebus, quas certò cognoscit esse licitas, & honestas, sed etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, sit licita, necne; dummodò non sciat euidenter esse malam, & illicitam. Ratio sumitur, tum ex doctrina D. Augustini lib. 22. contra Faustum cap. 74. & 75. scilicet, quòd etiam Regi iniquo indidenti bellum obediendum est à subditis, dum non constat bellum esse iniustum ex quo sequitur, idem dicendum esse de obedientia Religiosi erga suum Prælatus. Tum etiam, quia quoties Subditus potest habere iudicium prudentiale, quòd res, quæ illi præcipitur sit licita, & honesta, tenetur obedire: in casu autem præsentis potest habere hoc iudicium, etiam si habeat dubium speculatiuum, an res, quæ illi præcipitur, sit licita, vel non; eò quòd, cum Prælatus habeat possessionem suæ iurisdictionis, & in dubijs melior sit conditio possidentis, poterit iudicare Subditus Prælatus licitè præcipere; ac per consequens ipsi tenere obedire. Nauarr. cap. si quis autem. n. 113. de Pœnit. dist. 7. & in Summ. cap. 23. Bannez 2. 2. q. 40. art. 1. dub. 6. Male ergo Sciolii quidam Religiosi, qui, vix Theologia, vel Casibus Conscientiæ à limine salutatis, arundine mathematica, quid Superiores ipsi, vel illis præscribendis auctoritatis habeant cum scandalo pusillorum factiosè metiuntur. Cum, teste Dito Gregorio in primo Reg. lib. 2. cap. 4. Vera Obedientia, nec Præpositorum intentionem discunt, nec præcepto discernit, quia omne vite sue iudicium maiori subdidit. Nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire.
- 25 Idem dico in casu, quo Subditus dubitat rem præceptam excedere Regulam, & limites potestatis Superioris, aut Prælatus non esse legitimè electum, aut confirmatum, esto sit in pacifica possessione. Propter eandem rationem. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 3. n. 4. 29. & 30.
- 26 Item quando Religiosus iudicat probabiliter, ut malum id, quod Superior præcipit, dum enim hoc non constat ei euidenter tenetur obedire. Tum propter eandem rationem. Tum quia esset confusio, & destructio Communitatis, si prætextu Opinioni probabilis noller, quis Superiori obedire. Tum etiam, qui alias cogendi essent Superiores ad non præcipiendum nisi ex certa, & euidenti noticia honestatis rei, quæ præcipitur, quod est supra humanam facultatem. Cordub. lib. 3. qq. quæst. 9. Valentia 2. 2. disp. 7. q. 3. punct. 2.
- 27 Similiter quando Prælatus præcipit aliquid contra, aut supra Regulam, si tamen constet euidenter, aut etiam probabiliter

- babiler, imò etiam si res sit speculatiuè dubia, quòd possit in illo dispensare, tenetur Religiosus obedire. Ratio est, quia in his casibus tenetur credere, quòd præcipiendo illam rem dispensat in Regula, ac per consequens, quòd potest dispensare, quòd debeat ipsi se conformare. Angel. verb. *Relig. num. 29. Sylu. verb. Relig. 6. quest. 6.* Idem dicendum est quando dubitat Religiosus, an Prælatus ex iusta causa dispense. Propter eandem rationem. Nauarr. in *Summ. disput. cap. 23. Less. 2. de iustit. capit. 41. disput. 9. num. 76.* Quando autem Prælatus præcipit contra Regulam, in qua non potest dispensare, nullo modo tenetur subditus illi obedire. Quia Prælatus nullatenus habet dominium supra Regulam, & subditus non promisit ipsi obedire, nisi secundum ipsam. Tamburinus de *Iure Abbat. tom. 3. disp. 4. q. 3. num. 10.* Idem dico si Prælatus præcipiat aliquid infra Regulam casu quo non possit in illa dispensare, aut non sit causa sufficiens ad dispensandum, ut si Regula iubente quòd habeatur vna hora orationis mentalis, & Prælatus præciperet ut solum esset pro media hora. Peyrinis *tom. 1. de subdito q. 1. ante 1. conclus. Tamburinus sup. num. 12.* Possunt autem Prælati compellere suos subditos ad recipiendum dispensationem ab ipsis factam in Regula, Constitutionibus &c. casu quo in illis possint dispensare, & subditus causa ad id faciendum, tunc enim dispensatio est iusta, & res dispensata licita, & honesta, ac per consequens materia obedientiæ. Angelus in *Summ. verb. Religiosus num. 29. Syluest. verb. Religio 6. q. 6. Sanchez 6. in decalog. c. 3. n. 8. Tamburinus supra questio 13.*
- 28 Etiam cum Religiosus valetudine, aut aliquo impedimento probabili, dubius est, an teneatur, verbi gratia ieiunare, abstinere à carnibus, dicere Officium Diuinum, &c. tenetur obedire Prælato præcipienti ne ieiunet, aut quòd carnibus vescatur, aut quòd officium non persoluat. Propter eandem rationem. Sor. de *Sacram. membr. 3. quest. 2. conclus. 1. Salas 1. 2. quest. 21. tract. 8. disput. vnica sect. 17. num. 155.*
- 29 Imò generaliter loquendo, quòd subditi debeant, & possint stare determinationibus suorum Superiorum in dubijs, scrupulis ipsorum subditorum conscientiam tangentibus, cum consilio aliquorum Patrum si res magni ponderis fuerit, concessit Leo X. Franciscanis, & per consequens omnibus alijs, qui per communicationem ipsorum priuilegijs vtuntur. Cordub. in *Regula D. Franc. cap. 10. q. 2. punct. 3. Miranda in Manual. tom. 1. q. 26. art. 5. Quæ concessio, licet quia viue vocis Oraculo facta fuit, his temporibus nihil valet quatenus nouam gratiam concedit, quatenus tamen explicatiua est iuris, quod habent Prælati supra subditos, vt veri ipsorum Pastores, & Doctores, deseruit ad intentum. Vide dicenda c. 18. num. 56.*
- 30 Cum verò est dubium Religiosi circa factum in irregularitate, vt si dubitet an commiserit homicidium, tunc iustus à Superiore non potente in illa irregularitate dispensare, vt celebret, non tenetur obedire. Quia dubius de homicidio iudicandus est irregularis. ex *significasti, & ex cap. ad audiendam de homicid. Valquez 1. 2. disp. 66. c. ult. num. 50. Sayrus in clau. Reg. lib. 1. c. 13. num. 38.* Cum verò dubium non est multum vicens, si communicato cum prudenti Superiore, dixerit, illud non esse sufficiens fundamentum ad dubitandum, deponendum est, & standum iudicio Superioris. Valquez vt sup. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 3. num. 22.*
- 31 Ex vi Voti Obedientiæ, quod Religiosi emittunt, tenentur obedire in his, que concernunt Regulam non solum Prælatis Religionis, sed etiam specialiter Summo Pontifici, non solum quatenus est Caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam seculares illi obedire debent, sed specialiter, etiã ratione Voti obedientiæ emissi in professione. Ratio est, quia Summus Pont. est supremus omnium Religionum Generalis, cum omnis potestas iurisdictionis Generalis, & aliorum Prælatorum Religionis ab illo deriuetur; atque ita per obedientiæ Votum illi subdantur Religiosi, & tenentur obedire. S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 5. ad 3. Banez. 2. 2. q. 11. art. 10. dub. 6. ad finem. Idem dico de S. Congreg. Cardinalium super Regulas, quia illa specialiter instituta fuit à Sixto V. & alijs Pontificibus pro regimine Regularium. Th. de *lect. tr. 3. de visitat. Reg. c. 17. n. 7.*
- 32 Hinc si Pontifex, & Prælati Religionum contraria præ-

- eiperent, obediendum est, etiam ex vi Voti Obedientiæ, Pontifici. Cum omnis iurisdictione Prælatorum Religionis sit in illo principalius, & ab illo deriuetur. S. Thom. 2. 2. dist. 44. in *expof. liter. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 1. num. 10.*
- 33 Hinc etiam quando Religiosus fit Generalis suæ Religionis, quamuis eximatur ab obedientia inferiorum Prælatorum manet Votum obedientiæ illius quoad Papam. Cum non eximatur ab ipsius obedientia, nec dispensetur cum illo in Voto emisso. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 11. Valentia 2. 2. disp. 10. q. 3. punct. 8. Hinc quoq; si Pontifex præcipiat aliquid, quod sit simpliciter supra Regulam, ita vt illam nullo modo concernat, non tenetur Religiosus obedire ex vi voti obedientiæ. Quia debitum speciale quod habent Religiosi obediendi Pontifici ultra alios Christianos est solum ratione Voti Regulæ, quod emiserunt, ac proinde non poterunt obligari supra illam. Lessius 2. de *iustit. cap. 41. dub. 9. n. 77. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 2. n. 22.* Hinc præterea potest Pontifex eximere quemcunque Religiosum ab Obedientia inferiorum Prælatorum, & sibi referuare. Quia hoc est vt iure supremi Prælati Religionum quod habet. Quamuis non possit licite hoc facere sine causa. Quia hoc esset potius in destructionem, quam in adificationem. Suar. 4. *to. de Relig. tr. 8. li. 3. c. 11. n. 7. & 8.*
- 34 Non est contra Votum Obedientiæ, quod Religiosus grauatus à Prælato, causa quærelæ recurrat ad Superiorem Prælatum, vt si est grauatus à Priore, quòd recurrat ad Prouincialem, & à Prouinciali ad Generalem. Ratio est, quia potestas minoris Prælati est subordinata maiori, & illi subiecta, ac per consequens ab illo discutienda. Nauarr. *lib. 2. consil. in 1. edit. tit. de sent. & re iudicat. conf. 2. n. 8. in 2. tit. de appell. conf. 5. n. 8. Sayrus lib. 12. clau. reg. c. 17. n. 38.* An autem liceat appellatio à Iudice Regulari, vel illum recusare, dicimus c. 9. à n. 4.
- 35 Si Prælatus præcipiat Religioso, vt celebret Missam pro Petro, v. grat. & ipse celebret pro Francisco, licet sine dubio peccet sic faciendo, cum in re licita, & honesta, & conformi Regulæ transgrediatur præceptum Superioris, nihilominus Missa illa proderit Francisco, non Petro. Ratio est, quia Sacerdos in administratione Sacramentorum, & applicatione sacrificiorum operatur, vt miniter Christi, & vt habens solum ab ipso potestatem, ergo solum illi subicitur non alij Superiori, quoad has actiones. Suarez *10. 3. in 3. pag. disp. 79. sect. 9. Ledesma 1. p. Summ. de Euchar. c. 18. conclus. 18.*
- 36 Non est contra Votum Obedientiæ, quod aliquando subditi suos Prælatos corrigant, possunt enim id, & quandoque debent facere. Nam illud Matth. 18. & Luca 17. *Si peccauerit in te Frater tuus corripe illum,* omnes comprehendit, tam subditos quàm Prælatos. Valentia *10. 3. disp. 3. q. 10. punct. 4. Rodrig. 10. 2. q. Regul. q. 8. art. 2.* Quando tamen Prælatus est corrigendus propter aliquos defectus, corrigi debet à personis grauius, & auctoritatis, & leniter, humiliter, & reuerenter. Probat id D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 4. ex illo Pauli 1. ad *Thimoth. 5. Senioreni ne increpaueris, sed obsecra vt patrem* Valentia, & Rodrig. citati.
- 37 Præcepta Superiorum Regularium, etiam si adiunctas habeant censuras, ligant inferiores, quamuis existant extra eorum Monasteria, & prouincias. Ratio est, quia Prælati Religiosorum non habent territoria diuisa sicut Episcopi, sed eorum iurisdictione est in ordine ad personas subditas secundum se, & vbiicumque sint, cum ratione Voti Obedientiæ se illis absolute subiecerint, ergo vbiicumque fuerint possunt illis præcepta imponere. Sylu. verb. *excommunicatio 2. n. 15.* vbi refert quosdam dicentes, totum mundum esse territorium Prælatorum Regularium. Cornexo *10. 2. in 3. p. S. Thom. tract. 5. de censur. disp. 6. dub. 2.*
- 38 Non tenetur subditus obedire suo Superiore excommunicato publico, seu non tollerato, quia tunc caret iurisdictione circa subditos. Imò neque potest licite Superiori sic excommunicato obedire, quia hoc esset recognoscere in illo potestatem iurisdictionis, quem non habet, & communicare cum illo, quod non licet. Cornexo *2. 10. in 3. p. disp. 10. de excommunic. §. 5. dub. 1.* Vide Suarez *tom. 5. de cens. disp. 15. sect. 7.*
- 39 De Obedientia debita à Religiosis Regulæ suorum Ordinum dicimus c. 7. & de obedientia ad Constitutiones, seu Statu-

Statuta c. 8. & de obedientia ad decreta Conciliorum, Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum c. 9. & 10. Insuper, in quibus teneantur obedire Dominis Episcopis, & Prælati Ecclesiarum, aut etiam principibus secularibus c. 11. Deinde de Obedientia Regulatum ad Episcopatum, vel alias dignitates assumptorum c. 17. Et de obedientia, quam Religiosi eieci à suis Ordinibus observare debent, c. 23. De Novitijs c. 24. Et de Monialibus c. 25.

SVMMARIVM. CAP. V.

- Matrimonium Religiosorum illicitum est & inualidum.* num. 1.  
*Sive Virginem sive viduam in matrimonium ducant sunt irregulares bigami.* n. 2.  
*Tenenur ex voto abstinere ab omni actu venereo siue interno, siue externo.* n. 3.  
*Omnis talis actus est sacrilegium.* n. 4.  
*Quam gravitatem habeat.* n. 4. & n. 5.  
*Per castitatem religiosam quid prohibeatur.* n. 6.  
*Quid dicendum de castitate Religiosimilitaris.* n. 7.  
*Quomodo consistende sint circumstantie voti castitatis religiose & annexæ Ordini sacro.* n. 8.  
*Illius qui ultra votum solemne emisit etiam simplex.* num. 9.  
*Peccatum Religiosi contra castitatem quod reservari possit.* num. 10.  
*Peccati Sodomiæ malitia, & pœne.* n. 11.  
*Quando incurratur.* n. 11. & 12.  
*An per solam attentionem talis sceleris.* n. 13.  
*Non possunt Religiosi admittere intra sua Monasteria fœminas nec Religiosos viros.* n. 14.  
*Quid pro honestate, & religioso decore conservandis decreverint Summi Pontifices.* n. 15.  
*Religiosi in peccatum carnis lapsi quas pœnas incurrant.* num. 16.

De obligationibus Religiosorum  
 propter Votum Castitatis.  
 Cap. V.

- 1 **Q**ui Castitatem in Religionibus voverunt, non solum peccant contrahendo Matrimonium, sed & Matrimonium ipsum est irritum, & inualidum, etiam si consummatum sit. Ita habetur in Concil. Vien. *Clem. unica de Consang.* Trident. *sess. 24. Can. 9.* & alijs Concilijs. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 26.* Cornexo *10. 2. in 3. p. disp. 7. de Matrim. dub. 9.* Num autem Matrimonium celebratum post professionem sit irritum iure naturali, an solum iure Ecclesiastico alijs relinquimus Lessi. *de iust. & iur. lib. 4. c. 41. n. 68.* Vide dicta supra *cap. 2. n. 12.* & Cornexo vt supra, ubi etiam de excommunicatione ipso facto, quam incurrunt Religiosi, si scienter contrahant matrimonium, ex *Clem. unica de Consang. & affinit.*
- 2 Religiosi professi aliquam, siue Virginem, siue Viduam in Matrimonio ducentes sunt irregulares irregularitate bigamiæ similitudinariæ *Ex c. Monacho 27. q. 1.* Ius enim interpretatur istos contraxisse duo Matrimonia, alterum spirituale cum Christo, & alterum carnale, licet inualidum, cum fœmina. Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 85. n. 5. & 6.* Cornexo *10. 2. in 3. p. disp. 10. de irregularit. dub. 2.* adde: Imò Religiosi qui post votum Religionis contraherent cum vidua, aut duo matrimonia, essent irregulares irregularitate bigamiæ interpretatiuæ iuxta ea quæ dico *10. 3. verbo Bigamus & Bigamia n. 6.* ubi etiam *est n. 5.* An Prælati Regulares possint in hac irregularitate dispensare, esto quod possint id facere irregularitate orta ex bigamia purè similitudinaria, de qua eo loco dico.
- 3 Per castitatem promissam tenetur Religiosus abstinere ab omni actu venereo, siue interno, siue externo, qualicumque ille sit, vt à turpibus cogitationibus, delectationibus morosis, consensu, actibus externis, &c. Ratio est, quia Votum Castitatis est noua obligatio, quam sibi Religiosus imponit supra obligationem Iuris naturalis, & diuini. Ius autem naturale, & diuinum prohibet hæc omnia extra co-

niugium. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 3.*

- 4 Hinc fit, quod omnis actus venereus, qui in secularibus extra coniugium est peccatum contra Castitatem, sit in Religioso sacrilegium. Eò quòd ratione voti emissi talis actus opponitur virtuti Religionis. Lessius *2. de iust. cap. 41. dub. 9. num. 78.* Hæc autem malitia sacrilegij est mortalis in illis actibus, in quibus malitia libidinis est in secularibus mortalis; venialis verò, in quibus illa est venialis. Ratio est, quia circumstantia voti Castitatis non immutat obligationem Iuris naturalis, sed solum addit circumstantiam sacrilegij, quæ circumstantia sequitur naturam actus, cui adiungitur. Lessius vt supr. Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 6. num. 9.*
- 5 Contingere tamen poterit, quòd actus venereus, qui in secularibus solum est venialis, vt gr. verbum inhonestum, gestus impudicus, vsus vestis lasciuæ, &c. sit mortalis in Religioso ratione scandali. Ratio est, quia cum talia videntur in Religioso seculares graue scandalum concipiunt. Eò præsertim, quòd Religiosus debet esse, & apparere omnimodè ab huiusmodi alienus. Imò credo tale peccatum mortale scandali esse contra votum Castitatis promissæ à Religioso (cum peccatum scandali reducat ad eandem speciem, ad quam pertinet peccatum illud ad quod inducit) ac perinde in casu, quo violatio Castitatis sit casus reservatus Religioso, maneat quoque reservata hæc culpa. Quid quid dicat Sanchez *lib. 5. in Decalog. c. 6. n. 11.*
- 6 Castitas Religiosa non solum excludit commixtionem veneream, aut aliam actionem exterius consummatam; sed etiam aspectum, locutionem, tactus, litterarum, vel manuliculatorum missionem, frequentem accessum, aut locutionem cum fœminis, &c. Ratio est, quia sicut ista in secularibus sunt contra Castitatem, vel continentiam, ita in Religiosis sunt contra votum. Lancillotus *ignom. ult. Relig. lib. 2. sect. 2. art. 1. resolut. 2.*
- 7 Probabile est Religiosum militarem, vt gr. S. Iacobi, &c. peccare contra Castitatem, quando debitam militiam omittit ex affectu ad rem vxorem. Ratio est, quia licet votum Castitatis itorum militum non obliget illos, nisi ad Castitatem coniugalem, ac per consequens possint habere vxores; obligat tamen illos etiam ad dimittendam vxorem, quando id necessarium est, vt bello intersint; si ergo id non faciunt, peccant contra votum Castitatis promissum. Suarez *4. to. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 4. num. 19.* Vide dicenda *tom. 2. c. 5. num. 10.*
- 8 Religiosus Sacerdos, seu in sacris Constitutus peccans contra Castitatem tenetur secundum aliquos manifestare in confessione circumstantiam voti Castitatis Religiosæ, & voti Castitatis annexi Sacerdotio, aut Ordini sacro. Videntur enim ibi esse duæ malitiæ specie diuersæ, altera contra Castitatem Religiosam, & altera contra Castitatem debitam Sacerdotio, aut Ordini sacro. Petrus de Ledesma *capit. 19. de pœnit.* Alij verò probabilissimè docent oppositum, & dicunt sufficere, quòd dicat, se contra Castitatis Votum deliquisse. Eò quòd duplex illa malitia non est specie diuersa, sed contra eandem virtutem; nec diuersitas præceptorum facit malitias diuersæ speciei. Sanchez *lib. 7. de Matrimonio disput. 27. à num. 22.* Bonacina *quest. 4. de Matrimon. punct. ultim. num. 28.* In casu autem, quòd Confessarius cognoscat penitentem esse Religiosum, Sacerdotem, aut Diaconum, nec tenetur dicere circumstantiam aliquam voti Religiosi, aut Ordinis sacri. Eò quòd Confessarius sciens penitentem esse Religiosum, Sacerdotem, vel Diaconum, &c. sufficienter, etiam scit peccata ipsius carnalia habere oppositionem cum Voto solemnii Castitatis, & esse sacrilegia Bonacin. vt *sup. num. 31.*
- 9 Religiosus, qui ultra votum solemne Castitatis, fecit etiam votum simplex Castitatis, & peccat contra illam, licet secundum aliquos teneatur confiteri vtramque circumstantiam; eò quòd obligatio seruandi Castitatem ex Voto solemnii sit maior, & diuersa, quam illa, quæ nascitur ex Voto simplici (Aragon. *2. 2. quest. 88. artic. 7.*) Alij tamen docent oppositum, Eò quòd vtrumque Votum est eiusdem speciei, solum accidentaliter diuersum, ac per consequens in tali peccato solum est vna malitia sacrilegij, quæ sufficienter explicatur, dicendo se violasse votum Castitatis. Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disp. 27.*

10 Peccatum Religiosi contra Castitatem, seu lapsus carnis voluntarius opere consummatus referuati potest à Superioribus Regularium. Ita Clem. VIII. Ann. 1593. in decreto de referuatione casuum, ubi inter eos, quos permittit posse referuati, ponitur iste nouo loco. Quarant. in Summ. Bullar. verb. casus referuat. Per lapsum autem carnis voluntarium opere consummatum, intelligitur non solum, fornicatio, adulterium, incestus, &c. sed etiam quaecumque voluntaria pollutio, aut mollities. Eò quòd etiam est lapsus carnis in sua specie opere consummatus, licet aliàs in ordine ad alium actum, videlicet copulam, consummatus non sit. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 12. An autem comprehendantur etiam tactus impudici, oscula, litterulæ, munuscula? Credo quod non, quia ista etiam si sint contra castitatem, non tamen sunt lapsus carnis opere consummati, quia hoc denotat actus consummatus in sua specie. Diana tract. 2. de duobus Regul. Resolut. 118.

11 Religiosus (quod ablit) peccatum Sodomiae committens, non solum peccat contra Castitatem, vt constat; sed etiam vltra pœnas dispositas in Conc. Later. sub Alex. II. relato in cap. clerici de excessi. prelat. incurrit in pœnas taxatas à Pio V. in Constitutione, quæ incipit; Horrendum illud Ann. 1568. edita in 2. tom. Bullar. num. 72. vbi hæc habentur. Omnes, & quoscumque Presbyteros, & alios Clericos Seculares, & Regulares, cuiuscumque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio clericali, omniq; officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico presentis canonis auctoritate priuamus. Ita quod per iudicem Ecclesiasticum degradati, potestati statim seculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos hoc in exitio deuolutos, legitimum reperitur sanctionibus constitutum. Extenditur presentis Constitutionis dispositio, ad eum, qui fœminam præposita libidine cognouerit. Quia hic etiam est verè Sodomita. Prosp. Aug. in addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. verb. Sodomia. Et ad illum, qui crimen bestialitatis perpetraverit. Propterea quòd videtur esse eadem ratio. Rodrig. in Summ. par. 1. cap. 209. Limitatur tamen ab aliquibus vt non procedat huius Constitutionis dispositio in eo qui copulam Sodomiticam non consummauit intra vas contra naturam semen effundendo. Quia per hoc solum consummatur actus Sodomiticus. Nauarr. in Man. cap. 27. num. 250. Prosper. Aug. in addit. ad Quaranta vt supr. In odium tamen tanti criminis existimo sufficere copulam, seu coniunctionem contra naturam cum alio habere, etiam sine effusione seminis. Quia tunc sufficientissimè intelligitur consummatus actus iste abominabilis. Rodr. tom. 1. quest. Regul. quest. 30. art. 19. Consentio tamen prædictis auctoribus, quatenus dicunt non sufficere ad incurtendas pœnas prædictæ Constitutionis habere cum alio pollutionem. Vide dicenda cap. 10. num. 8.

12 Difficilius est decidere, an incurtendas illas sufficiat, quod quis, vel per vnã vicem tantum hoc crimen perpetraverit. Multi, & probabiliter, dicunt, quòd non. Eò quòd non sine causa Pontifex posuit illam particulam exercentes, quæ denotat actum per aliquas vices continuatum. Nauarrus vt supr. Prosper. Aug. etiam vt supr. Quamuis autem per vnã vicem solum non incurtatur pœnæ huius Constitutionis, incurtuntur tamen aliæ taxatæ ab eodem Pontifice in alia Constitutione Ann. 1566. edita, quæ incipit; Cum primum, vbi dicit. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei in filios diffidentie venit, perpetraverit, curia seculari puniendus tradatur, & si clericus fuerit, omnibus Ordinibus degradatus simili pœnæ subiciatur. Rodriguez 10. 1. q. 30. art. 19.

13 De Religioso autem solum attentante hoc scelus perpetrare, & de facto non perpetrante ob resistentiam, vel impedimentum, quidam volunt incurtere pœnas supradictas; alij verò negant. Ego verò existimo, quoad forum conscientie non incurtere illas, quia leges pœnales, maxime cum graues pœnas infligunt, non debent ampliari vltra id quod sonant; in his autem legibus solum est sermo de ijs, qui actum Sodomiticum committunt, non de ijs, qui solum committere attentant. Quoad forum verò exterius secus dicendum videtur, maxime si vsus patrie ita ferat. Quia in delictis atrocissimis punitur affectus, &

Summa Lezana Tom. I.

conatus, etiam si effectus non sequatur. Rodriguez, & Prosper August. vt supra citati. Et fauet maxime l. si quis non dicam C. de Episcop. & Cleric.

14 Propter Castitatem à Religiosis viris conseruandam prohibuitur illis ab Ecclesia, præsertim Pio V. & Gregorio XIII. admittere intra sua monasteria fœminas cuiuscumque qualitatis, & conditionis sint. De quo latè cap. 10. à num. 9. Similiter propter eandem Castitatem à Religiosis fœminis, seu Monialibus obseruandam præcipitur etiam illis non admittere intra sua Monasteria quascumque personas, siue viros, siue fœminas, aut egredi è suis Monasterijs, paucissimis casibus exceptis. De quo cap. 25. à num. 19.

15 Ob maiorem etiam honestatem, & Religiosum decorem conseruandum à viris Religiosis præcipiuntur hæc illis à Clem. VIII. in decret. pro reformat. Regular. In nouatus à S. Congregatione iussu SS. D.N. Urbani VIII. Habeat Superior Clauem ita fabrefactam, vt cum sibi videbitur cellas omnes referare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à Superiori aperiri possit. Item In medio dormitory totam noctem lampas coluceat. Itemque Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. Quæ quidem decreta vt potè concernentia Regulam, & votum Castitatis Religiosorum, absque dubio obligant illos ad mortale, veniale iuxta materiam grauitatem, & alias circumstantias temporibus, loci, &c.

16 Religiosi, qui in peccatum carnis lapsi sunt, varias pœnas incurunt, iuxta diuersa statuta Religionum, & pro nostra vide 3. part. Constitut. cap. 7. De iure autem communi loquendo Religiosi fornicarij pœnam quidam volunt esse depositionem, quod multò magis est verum si fornicatio fuit sacrilega, quæ vocatur adulterium spirituale, scilicet cum Moniali. Nauarrus de pœnit. distin. 5. num. 121. Alderete lib. 2. de Religios. disciplin. cap. 15. §. 1. Imò qui Virginem Deo sacram cognouit, iure civili vltimo supplicio traditur, iure autem Pontificio deponitur, atque incarceratur. Alderete vt sup. §. 4. Similiter, qui stuprum commiserunt, iure civili capite plectuntur, si per vim stupraverunt; iure autem Canonico perpetuo deponuntur. Alderete vt supr. §. 2. Adulteri etiam perpetuo sunt deponendi, & in Monasterium detrudendi. Rodriguez tom. 2. quest. 28. artic. 3. Incestuosi etiam iure civili vltimo supplicio puniebantur olim, hodie verò variè puniuntur, sed iure Canonico perpetuo deponuntur. Rodriguez tom. 2. quest. 26. art. 1. Alderete vt sup. §. 4. illi verò, qui Sacramento pœnitentiæ abutentes aliqua in confessione, vel circa illam, aut in loco ad confessiones deputato contra Castitatem perpetrata audent, à S. Inquisitione puniuntur, iuxta dicenda cap. 19. num. 33.

S V M M A R I V M C A P. V I.

- Sanctæ & Religiosæ paupertatis excellentia. n. 1.
- Quomodo desimenda, & qui effectus illius. n. 2.
- Religiosus nullius rei temporalis habet dominium, nec etiam fructum, vsus, possessionem aut administrationem pro vt quid iuris important. n. 3.
- Solum habent vsus facti. ibid.
- Bonorum etiam spiritualium seu interiorum anime habere possunt dominium. n. 4.
- Habere etiam possunt in communi bonorum temporalium, dominium exceptis minoribus de obseruantia, & capitulis. n. 5.
- Tenantur Religiosi non habere proprium ex vi quoque præcepti Ecclesiastici. n. 6.
- Viuere debent vita communi. n. 7. 8. & 9.
- Qui numerus Religiosorum in conuentibus constituendus. num. 10.
- Quomodo peccet Religiosus dicens aliquid esse suum. n. 11.
- Peccat peccato proprietatis retinens aut possidens quancumque rem sine licentia sui superioris. n. 12.
- Superfluum autem tenere, nec de licentia sui superioris potest. num. 13.
- Quid declaratum circa hoc à S. Congregatione Cardinalium. num. 14.

Nec potest etiam Prelato permittente res pretiosas habere. num. 15.  
 In taxatione rerum necessariorum que attendenda sint. num. 16.  
 Religiosus occultans aliquid Prelato, vel non manifestans propriarius est. num. 17.  
 Habere peculium siue redditus annuos quomodo prohibitum sit Religiosis. n. 18. 19. & 20.  
 Quid, de Conuentibus in quibus vita communis obseruari nequit. n. 21.  
 Quia de illis in quibus non prouidetur de necessarijs simpliciter. n. 22.  
 Quid de depositis pecuniarum. n. 23.  
 Quomodo possint Religiosis ad vsus necessarios & honestos que adquisuerunt concedi. n. 24.  
 Quomodo ea a publicis officialibus monasterij possideri colligi, & expendi debeant. n. 25.  
 Non potest concedi monacho aliqua res ad vsum irrevocabilem. n. 26.  
 Peccat Religiosus contra paupertatem si superiori volenti auferre qua concesserat resistat. n. 27.  
 Vel qua ipse alio modo adquisiuit. n. 28.  
 An possit fieri professio sub conditione habendi aliquod peculium. n. 29.  
 Ex vi voti paupertatis obligantur Religiosi ad non recipiendum aliquid sine licentia superiorum. n. 30.  
 Quid quando Monasteria non dant illis necessaria simplicibus. n. 31.  
 Quid si seculari volenti dare pecunias dicat Religiosus quod eas ponet in depositum apud alium. n. 32.  
 Quid si Religiosus furetur aliquid & tradat monasterio. num. 33.  
 De legatis relictis Monacho ea conditione ut ad ipsum, & non ad Conuentum spectent. n. 34.  
 Religiosus accipiens aliquid clandestinum ab aliquo cui applicatum est, est propriarius. n. 35.  
 Item recipiens aliquid contra voluntatem superioris. num. 36.  
 Acceptans donationem aut legatum absque licentia superioris peccat. n. 37.  
 Recipiens aliquid ob inhonestum finem, peccat contra castitatem & paupertatem. n. 38.  
 An accipiens aliquid a seculari, ut det pauperi peccet. num. 39.  
 Quidquid Monachus acquirit monasterio acquirit. n. 40.  
 Quid de fratribus minoribus. ibid.  
 Quid de iniuste adquisitis. ibid.  
 Etiam quando Religiosus vivit extra monasterium adquisit ipsi. n. 41.  
 Etiam habens pensionem Ecclesiasticam. n. 42.  
 Licitum est Religiosis mendicare. n. 43.  
 Quid declaratum a Sacra Congregatione. n. 44.  
 Qui Religiosi possint succedere, ut heredes. n. 45.  
 Expendere non possunt aliquid sine licentia superiorum. num. 46.  
 Quo si Religiosus seculari volenti sibi dare aliquid dicat, ut det consanguineo. n. 47.  
 Vel si petat ab amico ut ponat in depositum apud aliquem aliquas pecunias, ut ex illis subuenire possit suis necessitatibus. n. 48.  
 An dantes, vel recipientes litteras sine licentia peccent contra paupertatem. n. 49.  
 Ludentes pro pecunia, vel re pretio aestimabili peccent contra paupertatem. n. 50.  
 Quid quando ludus est honeste recreationis gratia. ibid.  
 An ludentes cum Religiosis, vel ipsi Religiosi cum secularibus teneantur ad restitutionem. n. 51.  
 Non possunt Religiosi donare aliquid sine licentia. n. 52.  
 An per modum elemosinae. ibid.  
 Recipientes a Religioso aliquid quod donare non poterat veniunt ad restitutionem. n. 53.  
 Inter ipsos quoque Religiosos donationes sunt illicitae. num. 54.  
 Que licentia superioris requiratur, ut Religiosus possit tenere, accipere, dare, vel expendere aliquid. n. 55.  
 An consuetudo aliquid retinendi, accipiendi, dandi, vel expendendi sine licentia excuset Religiosum. n. 56.

Licentia ista debet esse voluntaria, & non coacta. ibidem.

In materia proprietatis dari potest materia leuis. numero 57.

An Religiosi successiue minima retinentes accipientes, seu expedientes peccent mortaliter. n. 58.

Pena proprietariorum quales sint. n. 59.

An non obseruantes vitam communem sint proprietarij, & penas proprietariorum incurrant. n. 60.

Quantum obliget vita communis Religiosos. ibid.

## De obligationibus Religiosorum ratione Voti Paupertatis. Cap. VI.

**S**ANCTÆ, & Religiosæ Paupertatis excellentia ex eo conspicitur, quod eam Saluator noster inter Beatitudines potius quam inter virtutes numerauerit, Matthæi 5. dicens; *Beati Pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Quasi ostendere volens, per ipsam quandam felicitatis gradum homines in hac vita consequi posse. Et Matth. 19. ostendere volens adolescenti viam perfectionis dixit; *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia que habes, &c.* Sanè ostendens primum perfectionis Religiosæ fundamentum paupertatem esse. Cuius exacta cognitio maximè necessaria est Religiosorum conscientijs; alijs laxius, alijs strictius de ipsa sentiendibus, ex quo non mediocres scrupuli oriri solent, multaque peccata. Ideo ergo in hoc puncto accuratius plura nobis dicenda erunt.

**1** Paupertas Religiosa est vitronca, & voluntaria rerum temporalium abdicatio, per quam Religiosus ipsorum proprietate priuatur. Ratio est, quia opponitur proprietati, que est facultas possidendi, & vtendi aliqua re ad libitum. Sanctus Thom. 2. 2. *quest.* 186. *art.* 3. Azor. *tom.* 1. *Institut. mor.* lib. 12. Vnde Paupertas Religiosa priuat primò dominio cuiuscumque rei temporalis. Est enim dominium ius perfectè disponendi de re corporali; per paupertatem autem tollitur hoc ius perfectè disponendi. Priuat secundò usufructu, quod est ius vtendi, & fruendi aliena re, salua illius substantia. Nam per paupertatem etiam priuatur Religiosus hoc iure, nisi dependenter à voluntate Superioris. Priuat tertio vsu iuris, qui est ius vtendi aliena re. Propter eandem rationem. Non tamen priuat vsu facti. Quia ille non opponitur paupertati, cum consistat etiam seruos, qui nihil omnino habent proprij habere hunc vsum respectu, ver. gr. vestium, & ciborum, quæ illis à Dominis suis conceduntur. Azor. vt supra. Lessius 2. *de iust.* & *iure c.* 4. & 41.

**2** Ex quo inferitur Religiosum non solum non posse habere dominium, usufructum, aut vsum alicuius rei, prout important quid iuris, sed etiam neque possessionem, administrationem, aut peculium, prout etiam quid iuris important. Ratio est, quia ista omnia hoc modo sumpta denotant facultatem vtendi aliqua re ex propria voluntate, & independententer à voluntate alterius. Quod repugnat Voto Paupertatis. Quemadmodum enim per Votum Obedientiæ Religiosus omnes suas actiones voluntati superioris subiecit, ita per Votum paupertatis omnem temporalium vsum voluntati superioris submisit. Nauarr. *comm.* 2. *de Regular.* Sanchez. *lib.* 7. *in Decalog.* cap. 18. num. 25. Solum possunt dici Religiosi habere vsum facti, id est, vsum rerum necessariorum dependenter à voluntate superiorum, Quia hic vsus non pugnat cum paupertate. Nauarr. vt supra. Rodriguez *tom.* 3. *quest.* *Regul.* q. 29. *art.* 4.

**3** Possunt tamen Religiosi dici habere dominium, seu proprietatem iurium, aut bonorum spiritualium, seu interiorum animi. Eò quod per Votum Paupertatis non renunciant prædictis bonis, aut iuribus spiritualibus, sed solum bonis temporalibus. S. Thom. 2. 2. *quest.* 186. *art.* 7. ad 4. Lessius *de Institut.* lib. 2. *cap.* 4. Imò etiam quatumdam rerum, quæ non sunt pretio æstimabiles, v. gr. paucarum reliquiarum, Agnus Dei, &c. Quia per Votum paupertatis solum abdicarunt à se dominium rerum pecuniarum, aut pretio

pretio estimabilem. Ita colligo ex S. Thom. vt sup. Hinc si habeant, vel accipiant iura aliqua Ecclesiastica, v. gr. facultatem excommunicandi, absolendi, dispensandi, &c. sine licentia non erunt proprietarij. Propter eandem rationem. Nauarr. *comm. 2. num. 2. de Regul. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 19. num. 58.* Secus dico de iure moderandi cathedras in vniuersitatibus. Quia hoc est pecunia estimabile, & habet annexam pecuniam. Sanchez *ibidem.* Qui hoc etiam extendit ad gradus Doctoratus, & Magisterij.

5 Possunt etiam dici Religiosi habere dominium bonorum temporalium in communi. Ratio est, quia hoc non repugnat Voto Paupertatis, quod solum dicit abdicacionem domini priuati bonorum temporalium. Et ita Conc. Trident. *sess. 25. de Regularib. cap. 3.* sic habet. *Concedit S. Synodus omnibus Monasterijs, & Domibus tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat, &c.* Prædicti autem Minores de Observantia, nec in particulari, nec in communi dici possunt habere dominium bonorum, quæ possident. Quia ita determinant Nicolaus III. *cap. exi. de verb. signific. in 6. Clem. V. clem. 1. §. proinde cum vir Sanctus.* Quare dominium eorum rerum, quas isti Patres possident, pertinent ad Summum Pontificem, vel Sedem Apostolicam, maxime post Bullam quandam Martini V. & Pauli II. Rodriguez *2. tom. quest. Regul. quest. 125. art. 6.* Vel saltem dominium pecuniarum, quæ illis dantur pertinet ad eandem illas, dominium verò aliarum rerum, quas possident, ad Summum Pontificem. Quia hoc videtur determinatum à Pontifice prædicto *cap. exi. de ceterum, cum in eandem.* Sorus *4. de Iust. quest. 1. art. 1. Rebellus de Iust. par. 1. lib. 1. quest. 7. sect. 4.* Domus etiam professe Societatis Iesu nequeunt habere, nec in particulari, nec in communi redditus aliquos, aut bona stabilia, vel possessionem, præter eam, quæ illis ad habitationem, vel vsum fuerit necessaria. Ita habetur in Bulla Iulij II. *& in Constitut. Societ. part. 6. cap. 2. §. 5.* Non obstante etiam, quod Religiosi Mendicantes in communi bona, quamuis immobilia possident, possunt tamen dici Mendicantes. Ita declarauit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex Anno 1567.* edita, & est in secundo tomo Bullarum Laetij *num. 44.* Vide dicenda *tom. 2. cap. 1. num. 2.*

6 Non solum tenentur Religiosi ad non habendum proprium ex vi Voti paupertatis, quod emisertunt; sed etiam ex vi præcepti Ecclesiastici, illis, hoc prohibentis. Patet hoc ex *cap. Non dicatis 1e. quest. 1. & ex cap. Cum ad Monasterium de statu Monach.* vbi sic habetur. *Prohibemus in virtute Sanctæ Obedientie, ne quis Regularis proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprium totum in continentem resignet.* Idem habetur in *cap. Monach. de statu Monach. & in cap. Super quodam.* Insuper in Concilio Trident. *sess. 25. cap. 2.* sic habetur. *Nemini Regularium tam Virorum, quam Mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatibus fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur.* Sunt etiam alia Decreta Pontificum circa hoc, de quibus infra.

7 Nec solum tenentur Religiosi quomodolibet non habere proprium, aut seruare paupertatem, sed etiam specialiter viuendo vita communi in victu, vestitu, lectisternijs, & alijs, dispensatis, & distributis à Superiore, inspectis gratibus, & necessitatibus singulorum. Ratio est, quia licet sine tali vita communi possit obseruari simpliciter Votum paupertatis, cum substantialiter in eo consistat, vt non habeatur dominium alicuius rei temporalis, aut vsus ipsius sine licentia Superioris. Nauarrus *comment. 3. de Regularibus num. 25.* Thomas de Iesu *super cap. non dicatis 4. part. cap. 3.* nihilominus tamen Ecclesia à Spiritu sancto edocta videns, quod sine prædicta vita communi difficile obseruari possit Paupertas religiosa, ideo omnibus Religiosis istum specialem modum paupertatis, qui in vita communi consistit obseruandum præscripsit. Primò in Concilio Tri-

dent. in loco supra adducto, vbi postquam dixit. [Nemini Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatibus fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur, Subiungit immediatè. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regularium concedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum, ad solos officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilia verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui Paupertatis, quam professi sunt, conueniat. Nihilque superflui in ea sit: nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur.] *Quod decretum iuxta hoc intentum intellexit Concil. Mediol. parte 3. tom. de Const. Vt. vsus.* Loquens de Mobilibus sic inquit. In omnibus Monasterijs, quoad cibum, potum, somnum, vestitum, ceterasque res attinet, omnes communiter viuant, vt à Sancto Concilio Trident. decretum est. *Et Concil. Camerac. to. de Monach. c. 9. & 10. dicens; Cum Sacrosancta Synodus Tridentina præcepit ea, quæ ad communem vitam, victum, & vestitum pertinent fideliter obseruari: mandat hæc Synodus omnibus Religiosis, vt diligentissime Paupertatis Votum, tanquam ineffabilis cuiusdam, & dulcissimæ quietis causam custodiam, neque proprietatis vitio violent. Caueant igitur ne quid sibi in a retineant, vel retinere desiderent, vt communitati nolint esse commune, ne ad peculiarem vsus eo vtantur sine Superioris consensu.* Thom. de Iesu *vt sup. c. 2.*

8 Secundo ex Clem. VIII. in decretis pro Reformat. Regul. quæ habentur inter Bullas huius Pontificis *in 3. t. Bullar. num. 60.* & nuper approbata, & innouata sunt à Sacra Congreg. Concil. autoritate S. D. N. Papæ Urbani VIII. in *Decr. de Apostat. & Electis* per hæc verba [Quod Tridentini Concilii Decreta de Paupertatis Voto custodiendo fidelius obseruentur, præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiã si Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, elemosynas siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam vbiicumque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiam si subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecunijs, ac prouentibus confundantur, quod communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus quicumque illi sint, vilo pacto liceat, eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiae nomine concedere. Eorum verò quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicumque possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur. Qui in præmissorum aliquo deliquerit, penas nedum à Concilio Tridentino præscriptas sed alias quoque multò grauiores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat. Nulla quæcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia vel mobilia, fratres excusare possit quominus culpæ, & pænæ ab eiusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxij sint etiam si Superiores assuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quib. in ea re fidem minimè adhiberi volumus. Fratrum vestitus, & suppellex cellarum, ex communi pecunia comparetur, & omnino vniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum, statuique Paupertatis, quam professi sunt, conueniant: ita vt nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur. Quæcumque Fratrum vestes, siue lanæ, siue lineæ, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus Fratribus huic muneris deputatis diligenter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.]

9 Neque audiendi sunt aliqui dicentes mentem Concilij Summorum Pontificum, & SS. Congregationum, eam solummodo esse, quod Religiosi nihil habeant inamouibile,



- bile, & independens à voluntate Superiorum, non verò quòd non possint habere quaecumque bona siue mobilia, siue immobilia, amouibiler tamen, & dependenter à voluntate Superiorum. Hæc enim doctrina non solum est contra praxim Monasteriorum, & Regularium reformatè viuentium, sed nec stat vllò modo cum verbis Concilij, Pontificum, & S. Congregationum, quin potius inuenta videretur ad illudendum ipsa, & illaqueandas animas Regularium. Intentum enim Ecclesiæ, nisi cæci esse velimus, in his, & alijs testimonijs, non solum est quòd Religiosi nihil habeant independenter à voluntate Prælatorum (hoc enim intrinsecum est, & essenziale naturæ Voti Paupertatis, neque erat necessarium illud præcipere,) sed, vt dicitur in prædictis Decretis, quòd omnia quæ Religiosi quomodocumque adquisierint statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur, ac cum alijs ipsius bonis confundantur, ita vt administratio illorum tam in recipiendo, quam in retinendo, seu expendendo ad solos Officiales Monasteriorum, non ad ipsos Religiosos priuatim, pertineat, vt inde communis, victus, & vestitus omnibus suppeditari possit, non obstante quacumque licentia, seu dispensatione Superiorum. Vide dicenda inferius à num. 21. Vbi etiam dicitur, an in aliquo casu, quando scilicet Monasteria de necessarijs non prouident Religiosis, liceat oppositum, non obstantibus Decretis adductis.
- 10 Vt verò vita hæc communis exactius obseruetur, in Monasterijs, & Domibus tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, s; tantum numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui, vel ex redditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commode possit sustentari. Ita ad Verbum in Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 3. Quòd idem de Monialibus statutum fuerat in cap. unico §. sanè de statu Regul. in 6. Et in Constitutione Pij V. Ann. 1566. quæ incipit: Circa pastoralis officij. Idem quocumque tam de Monasterijs virorum, quam mulierum determinatum fuit in Conc. Arelateni 4. cap. 8. & in Mogunt. cap. 19. Et à Clem. VIII. in decretis adductis supra numero præcedenti, approbatis, & innouatis à S. Congregat. Concilij iussu SS. D. N. Urbani VIII. per hæc verba. In vno quoque Conuentu Fratrum is tantum deinceps constituantur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius proprijs, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum elemosynis, aliusve quibuscumque obventionibus, in commune, vt præfertur, conferendis, commode possit sustentari. Idem etiam præcipitur à Paul. V. in Bulla Sanctissimus in Christo Anno 1605. Vbi etiam præcipit Superioribus Religionum sub penis grauissimis, vt habitatione introituum, & expensarum per decem Annos cuiusque Conuentui prædictus certus numerus Fratrum, qui commode possit sustentari tantummodo præfigatur; & infra Annam omnia hæc in authenticam formam redacta ad Sac. Congregationem Reformationis mittereat, Tandem Sac. Congregat. Concilij in decretis de celebrat. Missarum num. 7. Idem præcipit obseruandum auctoritate SS. D. N. Papæ Urbani VIII. Ratio verò huius tam Sanctæ legis ea est, ne ob multitudinem Religiosorum, qui commode in vno Monasterio, sustentari non possunt, cogantur, vel vitam communem relinquere, vel à Monasterijs abesse, vel plura stipendia Missarum, quam illis, quibus satisfacere possunt, recipere, vel tandem cum secularibus implicari, nimium rebus temporalibus adquirendis addicti. Vnde hoc præceptum sine dubio obligat ad mortale, vt potè de re grauissima, valdeque necessaria statui Religioso. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 22. per totum. Thom. de Iesu in cap. non dicatis, parte quarta, cap. 6. Addit verò Sanchez numer. 6. posse excusari Prælatos plures admittentes, si iusta causa subit. Quòd non concederem, nisi valde rationabilis talis causa esset.
- 11 Religiosus dicens aliquid esse suum, v. gr. mea vestis, meus liber, secun dum aliquos peccat mortaliter, secun dum alios non. Veritas est, quòd si id dicat intendens se habere dominium illius rei, vel vsum independenter à Superiore, & mentitur, quia dicit falsum, & peccat peccato proprietatis, quòd opponitur Paupertati. Grassis 2. par. decis. l. 3. cap. 19. num. 8. Si autem solum velit dice-

re illam rem esse suam quoad vsum dependentem à voluntate Prælati, nullo modo peccat, neque contra veritatem, neque contra paupertatem. Nauarr. comment. 2. num. 1. de Regular.

- 12 Peccat etiam Religiosus peccato proprietatis, tenens, retinens, aut possidens quacumque rem sine licentia sui Superioris, etiam si talis res, sit ex illis, quæ vsum consumuntur. Ratio est, quia per Votum paupertatis astringitur ad non exercendum actum aliquem proprietatis. Est autem præcipuus actus proprietatis tenere, possidere, aut retinere aliquid sine licentia Superioris. Maior. in 4. dist. 38. quest. 9. Azor. tom. 1. Instit. lib. 12. cap. 12.
- 13 Similiter nec possunt habere, etiam de licentia suorum Superiorum, Religiosi, aliquid superfluum, aut non necessarium naturæ, aut personæ, aut statui. Ratio est, tum quia secundum tutiorem sententiam Theologorum non possunt seculares habere superflua, quanto minus Religiosi paupertatem professi. Tum etiam, quia Votum Paupertatis solum permittit ea, sine quibus vita transigi non potest. Syluest. verb. Religio 6. quest. 7. Valent. tom. 3. disput. 10. quest. 4. Tum præcipue, quia Prælati non possunt talem licentiam concedere, & lethaliter peccant concedendo. Cum enim non sint Domini, sed dispensatores debent prudenter suam potestatem exercere. Vnus autem superfluus non potest esse secundum prudentiam. Nauarr. comment. 2. de Regularibus. num. 21. Thomas de Iesu super cap. non dicatis par. 4. cap. 7. Imò credo peccare peccato proprietatis tam Religiosos habentes superflua, etiam cum licentia Superiorum, quam Superiores talem licentiam concedentes. Quia ex vi Voti paupertatis sicut astringuntur Religiosi ad non habendum nisi necessaria secundum decentiam status, sic etiam Prælati ad non dispensandum nisi eodem modo. Nauarr. & Thomas de Iesu vt supr. Bartholomæus à S. Fausto in opus. de vito proprietatis. Prælato autem dicenti se posse concedere licentiam Religioso ad habendum superflua, non est credendum. Ita declarauit Sacra Congregatio Eminentiss. Cardin. Quaranta in Sum. Bull. ver. cas. reseruat. fol. 157. Bartholomæus à S. Fausto, vt supra. Si autem non constet de excessu, & superfluitate standum est iudicio Prælatorum. Quia in dubijs stare debent subditi sententiæ suorum Prælatorum. Idem Authores vt supra. Habere tamen Religiosum picturas sumptuosas, tapetes mundanos, specula inaurata, raritates Indicas, horologia, statuas, & alia mobilia huiusmodi sine dubio est graue peccatum. Cum moraliter loquendo non possint non esse superflua ista. Eancillorus in gnom. Vite Relig. lib. 2. sect. 3. artic. 5. Idem dici debet si Religiosus haberet res non convenientes statui Religioso, vt puta arma, vestes pretiosas, aut curiofas, & alia huiusmodi. Propter similem rationem Hieronymus Gratianus Disciplin. Regularium, par. 2. cap. 8. §. 3.
- 14 Vt verò hæc, & alia inferius dicenda magis elucescant placuit declarationes Eminentiss. Cardinalium S. Congreg. afferre, quæ sunt sequentes. Quaritur primò, An ex dispensatione inferiorum à Summo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona, mobilia videlicet, & mobilia superflua, non obstante decreto Concilij sess. 25. de Regular. cap. 2. Secundo, An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum, possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua à culpa, vel à pœna excusentur? Tertio, An Superioribus assensuribus huiusmodi se licentias posse concedere fides adhibenda sit. Quarto, An Superiorum arbitrio, & præsumptioni stare debeant Regulares quoad mobilia superfluitatem, & convenientiam? Quinto, An Superiore quantumvis requisitio necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel inuito eo, illa sibi comparare, seu retinere? Sexto, Et quatenus liceat, an ibidem liceat cum necessarijs idem negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterij facultates non superum? Septimò, An dicti Superiores regulares dictum cap. 2. declarare, & interpretare possint. Ad primum Congregatio Concilij respondit non licere. Ad secundum non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto incurrenda. Ad tertium minime adhibendam.

Ad quantum nisi de excessu arbitrij constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione Personae, officij, & regule, statusque paupertatis, quam professi sunt, &c. qualitatum. Ad quantum non licere. Hoc verò solum intelligo de rebus non simpliciter necessarijs, pro quibus Vide dicenda num. 31. Ad sextum licere si precisa necessitas sit ad individui sustentationem, ceterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, usque adeo, ut si quid privatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat eius necessitati cuius intuitu illud obtulerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prentatur, reliquum Conueniunt incorporetur, & in communem cedat utilitatem. Ad septimum non posse. Vide Quarantam verb. Casus reservati pag. 156. & Bartolomæum à S. Faustio de Voto Paupert. quest. 198.

15 Nec potest Religiosus habere, aut Prælatus ipsi permittere res pretiosas, verb. gr. vas aurea, aut argentea, gemmas, annulos, vestes sericas, pretiosas picturas, scriptoriola curiosa, & alia huiusmodi. Primum ex Clement. 5. de statu Monachor. ubi illis interdicitur omnis cultus, & ornatus pretiosus. Secundò ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 2. illis verbis *Mobilium verò usus ita Superiores permittant, ut eorum suppellex status Paupertatis, quam professi sunt conveniat.* Tertio ex decretis Clem. VIII. & Sanctissimi Domini nostri Urbani Octavi adductis illis verbis. *Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparatur, & omnino uniformis sit Fratrum, & quorumcumque Superiorum statumque Paupertatis, quam professi sunt conveniat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam quod sit necessarium alicui denegetur.* Quarto ratione ex Voto Paupertatis petita, cum illud solum petat necessaria secundum naturam, personam, & decentiam status ac perinde excludat omnia ista pretiosa, omnino superflua. Navar. Commentar. 4. de Regular. num. 27. Rodriguez tom. 3. quest. 29. artic. 11. Nec auditi possunt qui dicunt se illa possidere cum licentia Prælatorum. Cum enim hoc non solum sit prohibitum iure positivo, ut constat, sed etiam iure naturali, scilicet natura Voti Paupertatis, nullas Prælatus potest concedere talem licentiam, nec talis concessio esset dispensatio, sed dissipatio. Turrecrem. cap. non dicatis num. 4. Alvarus Peligius lib. 2. de plant. Eccles. cap. 64.

16 In taxatione autem, seu dispensatione rerum necessariarum Religiosis attendenda est in primis necessitas naturæ, quæ est communis omnibus; deinde necessitas personæ, quæ est particularis in singulis, ut si est senex, vel iuuenis, sanus, vel infirmus, delicatus, vel debilis complexionis, &c. Similiter usus approbatus inter prudentes, & timoratos Religionis: ac tandem omnes circumstantiæ temporis, loci, officij, &c. Ratio est quia si ad hæc omnia non attendatur non potest esse prudens dispensatio. Corduba in Regula. B. Francisc. cap. 6. quest. 1. Thomas de Iesu in cap. non dicatis p. 4. cap. 7.

17 Religiosus etiam habens de licentia Superioris, qui fuit sui Conventus, aliquid, & illud celans, & occultans presenti Prælato ne videat, & auferat illud, est proprietarius. Ratio est, quia retinet aliquid contra voluntatem Superioris presentis sui Monasterij, qui hic, & nunc est Superior verus ipsius. Divus Antonius 3. part. titulo 16. cap. 11. Grassis part. 1. decis. lib. 3. capit. 5. num. 48. Imò generaliter loquendo Religiosus occultans à suo Superiori aliquid, quod possidet, vel non manifestans, quando Prælatus id interogat, vel visitat cameram, vel præcipit ut fiat inventarium rerum, quas possidet, peccat peccato proprietatis contra paupertatem. Ratio est, quia sic faciens vult retinere aliquid contra voluntatem sui Superioris, quod est esse proprietarium. Corduba in Regul. D. Francisc. cap. 7. quest. 4. Mendoza in quodlib. questione octava, consil. 4. Imò etiam, propter eandem rationem, tenetur esse paratus ad dimittendum quidquid possidet, si id Superior præcipiat. Lessi. 2. de iustit. cap. 4. dub. 5. num. 25. & cap. 41. art. 9. Navarra 3. de restitut. cap. 1. punct. 3. dub. 1.

18 Habere peculium, siue redditus aliquos annuos, seu rem aliquam immobilem, dummodo hæc sint amonibilia, Summa Lezana Tom. I.

& à voluntate Superioris dependentia, non est prohibitum Religiosis, neque ex natura Voti Paupertatis, nec ex vi iuris communis. Ratio prima partis est, quia Votum paupertatis solum excludit possidere, aut uti aliqua re independentem à voluntate Superioris. Ratio secunda est quia licet cap. Ioannes de Regular. & cap. Monachi de statu Monachor. & cap. cum ad Monaster. prohibeatur Religiosis habere aliquod peculium, hoc tamen intelligitur, tum de peculio concesso sine rationabili causa, tum de peculio irrevocabili, & independenti à voluntate Superioris. Cuius signum est quòd dicto cap. Monach. permittitur Monachis peculium habere pro administratione iniuncta; & cap. fin. Qui Clerici, vel vouentes approbatur professio Religionis sub conditione permanenti in propria domo cum omni sua substantia, quoad usum illius. Navarra. Comment. 2. num. 14. & Comment. 3. num. 27. de Regul. Azor. tom. 1. Institut. Moral. lib. 12. cap. 9. quest. 2. Corduba in Summ. quest. 54. Opus. 2.

Nihilominus attentò nouo Iure Concil. Trident. & Summorum Pontificum, non licet Religiosis habere annuos redditus, peculium, seu aliquam rem immobilem, etiam à voluntate Superioris dependentem, aut reuocabilem. Ratio est primò, quia sine dubio hæc fuit mens Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. illis verbis. *Nemini Regularium liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo adquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur.* Vbi pondero primò illud etiam nomine Conuentus, quod denotatur, nec Conuentum ipsum, aut Superiorem posse talem licentiam concedere. Secundò illud statim ea Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur. Quid enim est incorporari, nisi confundi, aut misceri cum alijs bonis communitatis Conuentus, sine vilo discrimine peculij? Tertio, quia intentum Concilij sine dubio fuit extirpare abusus, qui erant in aliquibus Religiosis ante ipsum Concilium, sed hic abusus non tantum consistebat, in hoc quòd Religiosi haberent peculium, aut annuos redditus independentem à voluntate Prælati (quia hoc semper est, & fuit euidenter peccatum proprietatis) ergo præcipue in hoc, quod haberent peculium, vel annuos redditus, etiam dependentem à voluntate Prælati. Vnde quartò id colligitur ex his, quæ subdit Concilium. *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usum fructum, usum, administrationem, vel commendam.* Quasi diceret, si ante Concilium hoc licebat, modò non liceat. Ac tandem quintò ita intelligunt Concilium, & obseruati ab omnibus Regularibus præcipiunt Summi Pontifices Clem. VIII. & Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. in decretis adductis supra num. 8. Vnde clarè constat mentem Ecclesiæ esse tollere à Religiosis omne peculium, annuos redditus, & omnia bona immobilia. Molina 2. tomo de iustit. disp. 276. Lessius 2. de iustit. c. 4. dub. 5.

20 Hanc verò esse mentem Concilij Tridentini constat clarè ex declarationibus Sacræ Congregationis supra num. 14. adductis. Quibus adiungo alias ad idem intentum. Primum enim, cum Domina Aldonza de Toledo, vito mortuo, facta fuisset Monialis sibi que reseruasset ducentos aureos annuos, interrogata à Sacra Congregatione Cardinalium, an securè id posset facere? Respondit, esse contra Concilium illam Dominam annuos redditus apud se retinere, sed potius dandos esse Abbatissæ, quæ illius necessitatibus prouideret. Thom. de Iesu in cap. non dicatis par. 4. cap. 5. Deinde adiungo alias ex Quaranta in Summ. Bull. verb. casus reservat. pag. 157. per hæc verba. In aliquibus Monasterijs Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ census, & annuos quosdam redditus, & proventus, seu fructus percipiunt sub diuersis contractuum speciebus. Nam aliqua in ipsarum persona emerunt certos redditus à personis laicis. Aliquæ ab alijs Monialibus. Aliquæ ab ipsis Monasterijs. Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, ut ex earum pecunijs fieret emptio nomine Monasterij ad rationem septem, vel octo pro centenatio, & Abbatissæ dabant dictis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptioibus exigebant singulis annis. Aliquæ Monasterijs, seu eorum superioribus

ribus certas pecuniarum summas manualiter pro Monasterij indigentis dederunt, pacto adiecto, vel etiam tacita conventionione adhibita, ut Monasterium, seu Abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenariis, eorum vita durante, concedat. Quæritur, an huiusmodi casibus liceat Monialibus dictos redditus, fructus, & proventus percipere absque incurfu proprietatis, vel potius tanquam proprietariæ incurrant in pœnas per *Conc. Trid.* sess. 25. cap. 2. de Regularibus in proprietarios inflictas, etiam si de licentia Abbatissæ, & Abbatissæ nuntii, vel Conuentu, seu Monasterij nomine percipiant. *Congregatio Concilij censuit*: In nullo supradictorum casuum licere Monialibus dictos fructus, seu redditus percipere; & si perceperint incidere in pœnas propositas decreto dict. cap. 2. sess. 25. de Regularibus neque ab huiusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ eam, dicti Concilij decreto, in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet pro suo munere ex Monasterij redditibus, vel elemosynis, Monialium necessitatibus in dies subuenire. ] *Quarantia ut supra.*

21 His tamen non obstantibus. In illis Monasterijs, in quibus, vel ob nimiam paupertatem, qua premuntur, vel ob malitiam, incuriam, aut negligentiam Superiorum, non potest obseruari vita communis, dando singulis, & omnibus Religiosis ea, quæ sunt simpliciter ipsis necessaria secundum decentiam status; vel de facto non dantur, potest permitti Religiosis aliquod peculium, etiam rei stabilis, annuus redditus, vel census, &c. in ordine tantum ad usus simpliciter necessarios, & amouibiles à voluntate Superiorum, si aliter commodè viuere non possint. Ducor ad id primò, quia cum habere ista modo prædicto non sit contra naturam Voti paupertatis, aut intrinsecus communis, ut vidimus *num. 18.* sed solum contra præcepta Ecclesiastica Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum, ut vidimus *num. 19.* præcepta autem Ecclesiastica non obligent cum morali impossibilitate, qualis censetur esse in casibus propositis, videtur tunc non obligate prædicta præcepta. Ducor secundò, & est confirmatio præcedentis. Nam etenim Concilium Tridentinum, & Summi Pontifices post ipsum prohibere Religiosis prædicta omnia, quatenus, vel supponebant Monasteria, vel Superiores ipsorum, concedere singulis Religiosis omnia necessaria, vel præcipiebant illis ut ita facerent, ut constat ex mente, & verbis ipsorum decretorum. Ergo in casibus à nobis propositis, in quibus, vel Monasteria non possunt ita de necessarijs providere, vel de facto non prouident, cessat hæc lex Ecclesiastica. Ducor etiam ad id tertio, quo etiam declarantur præcedentia. Nam in prædictis Monasterijs, tam ipsa, quam eorum Superiores, tenentur concedere Religiosis ea, quæ necessaria sunt ad vitam, & decentiam status. Pono ergo al quem Religiosum ad hoc indigere viginti scutis. Tenetur ergo Monasterium, aut Superior ipsius totidem illi concedere. Si ergo hoc; vel ob paupertatem Monasterij fieri non potest, vel ob malitiam, aut negligentiam Superiorum de facto non fit, si alius Religiosus non possit alio modo prædictæ suæ necessitati succurrere, nisi mediante aliquo peculio, aut rei stabili, censu scilicet, aut annuo redditu, &c. poterit illi permitti peculium, aut res stabilis prædictorum viginti scutorum. Cum non sit quid maius hoc peculium viginti scutorum, quam ipsa viginti scuta, & totum hoc pendeat à voluntate Superioris, & propter subleuandam necessitatem Religiosi, cui alio modo subueniri non potest in prædictis Monasterijs, ut suppono. Hæc verò dixerim non ut abusus anam præbeam, sed ut timoratis conscientijs Religiosorum, qui in prædictis Monasterijs aliter viuere non possunt, satisfaciam. *Valentia tom. 2. disput. 1. quest. 4. puncto 3. Vega 2. tom. Summ. cap. 32. cas. 19. Rodriguez 1. tom. Sum. in 2. edit. c. 90. num. 9. concl. 4.*

22 Similiter in prædictis Conuentibus, in quibus non prouidetur Religiosis de necessarijs simpliciter ad vitam, & decentiam status, licita est aliquarum Religiosorum consuetudo, in quibus de bonis Monasteriorum certi annui redditus, aut certa portio pecuniarum, taxantur Religiosi, dummodo aliter sustentari non possint, & hoc sit ad usus solum necessarios, & dependentes à voluntate Superiorum. Propter rationes adductas sup. *num. 21. Præ-*

sertim, quia hoc non est aliud, quam superiorem applicare de bonis Monasterij necessaria Religiosis, quod sine dubio est licitum. *Nauarr. comm. 3. num. 26. & 27. & 32. de Regular. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 22. num. 14.* Idem dico de administratione alicuius boni stabili, vel possessionis Monasterij, in prædictis casibus, & cum prædictis conditionibus. Propter easdem rationes. *Grassis 1. p. decis. lib. 3. cap. 5. à num. 53.*

23 Item etiam dico, loquendo de prædictis Conuentibus, & casibus, & cum eisdem conditionibus, de depositis pecuniarum, quæ solent esse in aliquibus Monasterijs, ex his quæ Religiosi adquireunt, aut Monasteria ipsis concedunt, ex quibus extrahuntur expensenda pro singulorum necessitatibus. Propter similem rationem. Ita respondit *Azor.* à quadam Religione de hoc interrogatus *ann. 1593. die 10. May.* In talibus autem Monasterijs, ubi à Superioribus assignantur depositarij, ad hoc quòd apud illos reponant Religiosi suas pecunias, si id non faciant, sed apud se retineant, peccant peccato proprietatis. Quia possident illas contra voluntatem sui superioris, & contra decreta Summorum Pontificum afferenda infra *num. 25.* Quæ omnia constant ex decreto Sac. Congreg. Apostolicæ visitationis iussu Sanctissimi Domini nostri Urbani Octauis die 13. Iulij *Ann. 1627.* pro Franciscanis Conuentualibus Monasterij SS. Apostolorum Romæ per hæc verba. *Pecunia verò, aliæque res quæcunque Fratrum intra viginti quatuor horas tradantur Superiori in communem Conuentum Aerarium, reponenda triplicique clauis custodienda, quarum una penes Guardianum pro tempore existentem, due verò aliæ penes duos alios Fratres singulo quoque anno per Conuentum eligendos conferentur, ex quibus subministrato exhibitori, quantum Religiose eius necessitates (status, valetudinis, laborumque ratione habitæ) expostulare videbuntur: reliquum penes Aerarium remaneant, & arbitrio duarum ex tribus partibus Capituli, seu Congregationis Provincialis singulis annis faciendæ erogetur. Quo decreto videntur approbati prædicta deposita, positis tamen conditionibus, à nobis adductis.*

24 Similiter dico, loquendo de prædictis Conuentibus, & casibus, & cum eisdem conditionibus assignatis, non esse contra paupertatem, sed licitum, quòd ea, quæ Religiosi proprio labore, industria, aut donatione adquireunt, concedantur ipsis ad usus necessarios, & honestos. Propter easdem rationes assignatas. *Valentia tom. 3. disput. 10. questio 4. punct. 3. Grassis parte prima, lib. 3. cap. 5. num. 55.*

25 Semper tamen, etiam in prædictis Monasterijs, & casibus assignatis, seruari debet, quòd fieri possit, quòd pecuniæ, ex prædicto peculio, bono stabili vel censu, prouenientes, quas vel Monasterium ipsis Religiosis concessit, vel quas ipsi suo labore, aut industria adquisierunt, vel ab alijs acceperunt, non possideantur, colligantur, aut expendantur ab ipsi Religiosis sed à publicis Officialibus Monasterij ab ipso ad id munus designatis. Primò, quia id maximè videtur intendere Concil. Trident. *sess. 25. capit. 2.* dicens: *Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.* Secundò, quia id expressè prohibent *Clement. VIII. & Sanctissimi Domini nostri Urbani Octauis in decretis adductis supra num. 8.* illis verbis. [Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & reddituum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus per se ipsum habere, siue exercere possit; sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus, à generali ita demandetur, ut vnus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum, curam habeat: alter tanquam depositarius, pecunias ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter afferuet: alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta. Caterum hi tres tam impenis, quam accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus fra-

fratribus eiusdem Conuentus probatoribus, rerumque vsu peritis, rationem reddant. Deinde ipsimet rursus, praesentibus Priore, & peritis praedictis, Generali cum aduenerit: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali saltem coram tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersamque suae administrationis tam publicae, quam priuatae rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum autenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc vt ad omne mandatum nostrum, vel Sedis Apostolicae Romam transmitti possit. ] quod etiam antea ordinatum fuerat à Pio V. in motu proprio *Ad extirpandos* Anno 1568. edito pro Minoribus Conuentualibus S. Francisci. Tertiò, quia aliàs non saluaretur illa confusio, & incorporatio bonorum Religiosorum cum bonis Monasteriorum quam Concilium, & praedicti Summi Pontifices intendunt. Praesertim, quia si huiusmodi bona pendeant hoc modo quoad administrationem solum ab Officialibus Monasterij, non solum tollitur occasio proprietatis Religiosis; sed etiam censentur esse in potestate Superioris, & ex eius voluntate administrari, quod maxime etiam Concilium, & Pontifices intendunt, Sorbus in *compend. priuileg. mendicant. ver. pauperas ad finem*. Nauarr. lib. 3. de *restitut. cap. 1. parte prima in noua edit. dub. 1. num. 161. Less. 2. de iustit. cap. 4. dub. 5. num. 31.*

26 Numquam tamen potest Superior concedere Monacho aliquam rem, quaecumque illa sit, ad vsu irrevocabilem. Ratio est, quia hoc est esse directè proprietarium, cum de essentia paupertatis sit nihil habere nisi dependenter à voluntate Superioris. Ludouic. Lopez. 1. p. *instruit. cap. 154. Corduba. in Summ. q. 54. notab. 2.* Qui etiam bene addunt nec Summum Pontificem posse hanc licentiam Religioso concedere, nisi cum ipso dispenset in Voto Paupertatis. propter eandem rationem. Sanchez lib. 7. in *Decalog. c. 17. n. 29.* Vel etiam nisi fortè Pontifex auferat Superioritatem omnium aliorum Praelatorum Religionis, & velit peculium illud Religioso concessum solum esse reuocabile ab ipso. Cordub. in *Summ. q. 54. Nauarrus conf. 47. de Regul. n. 1. & 3.* Vnde Religiosus, qui accepit aliqua à Pontifice, tenetur manifestare suo Superiori. Quia semper est credendum Pontificem velle seruari iura Ordinis. Nisi constet ipsam concedere illa solum dependenter à se, tanquam à Superiore Religionis; quia tunc non potest dici Religiosum possidere aliquid contra voluntatem sui Superioris, cum illud possideat voluntate Papae, qui est supremus Superior Religionum. Vide dicenda n. 41. & 42. & Augustinum Barbosam de *Canonic. & dignit. c. 1. n. 24.* Si autem Superior concessit aliquid Religioso promittens se non reuocaturum, si reuocat, tenet reuocatio, eò quod vitur iure suo, peccabit tamen contra promissionem, quia non stat promissus, Syluest. *ver. Abbas q. 4. num. 7. Nauarr. lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de Regul. consil. 20. & in 2. tit. de Stat. Monach. consil. 14.*

27 Peccat etiam semper Religiosus contra Votum Paupertatis, si Superiori volenti ea, quae illi concessa sunt, auferre, resistat, aut si non sit paratus ad eius nutum se illis abdicare. Ratio est, quia tunc est manifesta proprietatis, cum velit aliquid tenere, aut possidere contra voluntatem sui Superioris. Nauarra lib. 3. de *restitut. c. 1. p. 3. in noua edit. dub. 1. num. 160. & 161. Lessius 2. de iust. cap. 4. dub. 5. num. 31. & 32.*

28 Similiter est proprietarius ille Religiosus, qui cellam, quam proprijs expensis, vel parentum, aut consanguineorum construxit, non vult dare alij, cui illam concedit Superior, vel non est paratus illam relinquere ad nutum Superioris, propter eandem rationem. Grassis lib. 2. *decis. lib. 3. c. 19. n. 27.*

29 Potest Religiosus, saltem ex licentia Pontificis, facere professionem sub hac conditione, quod possit habere aliquod peculium, solum quoad vsu facti. Ratio est, quia hoc non repugnat essentiae paupertatis, vt vidimus supra n. 18. cuius signum est, quòd in *c. fin. qui clerici, vel vouentes, approbatur* similis professio. Sanchez lib. 7. in *Decalog. c. 22. n. 24. Nauar. comm. 2. n. 16. de Regularib. referens se ita consuluisse, & permisisse Pium V. cuidam nobili faminae. Similiter Nouitius professionem facturus, qui erat vsufructuarius per vitam aliquorum reddituum vel multa bona re-*

*Summa Lezana Tom. 1.*

liquit Monasterio, potest illud obligare, vt sibi soluat quotannis aliquam pecuniam, vel illum vsufructum pro suis necessitatibus; cum conditionibus tamen assignatis supra n. 21. & pro Conuentibus, de quibus ibidem loquimur. Propter eandem rationem, Laurentius de Peirinis 10. 1. de *subdito q. 2. de paupertate c. 2. §. 1.* Vide dicta cap. 2. num. 26. Et nota Sacram Congregationem declarasse valere professionem illius, qui sibi reseruauit facultatem testandi de suo patrimonio. Ita referunt Barbosa de *Iure Ecclesiastico lib. 1. c. 42. n. 153.* est Tamburinus de *Iure Abbatum 10. 3. disp. 6. quest. 16. n. 15.*

30 Ex vi Voti Paupertatis obligantur Religiosi ad non recipiendum aliquid à quocumque sine licentia Superiorum, ita vt sine tali licentia aliquid accipientes peccent peccato proprietatis. Ratio est, quia accipere aliquid independenter à voluntate Superioris est actus proprietatis. Vnde ita est illis prohibitum ab Ecclesia in *cap. Cum ad Monasterium de stat. Monac.* Illis verbis; *Si cuiquam aliquid fuerit specialiter designatum, non presumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori assignetur.* Mendoza in *quodlib. quest. 8. concl. 5. Rodriguez tom. 3. quest. 29. artic. 10.* Extenditur hoc etiam respectu domesticorum, aut aliorum Religiosorum eiusdem Ordinis. Propter eandem rationem Less. 2. de *iustit. & iur. cap. 41. dub. 9. num. 79. Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 12. quest. 7.* Extenditur etiam ad Religiosum recipientem aliquid ab aliquo, quod apud se non retinet, sed deponit apud alium, & vitur eo ad suum libitum. Quia totum hoc est actus proprietatis, si non fiat de licentia Superioris. Sanchez lib. 7. in *Decalogum cap. 19. num. 48.* Extenditur ad res quoque comestibiles. Quia cum ille sint quoque pretio existimabiles accipere illas, sicut & retinere, sine licentia Superiorum, est actus proprietatis. Idem Sanchez vt *supr. num. 57.*

31 Quando tamen superiores, vel Monasteria non dant Religiosis ea, quae sunt necessaria simpliciter ad vitam, quia vel non possunt, vel nolunt, possunt ipsi Religiosi accipere taliter sibi necessaria, si sibi concedantur, tam ab alijs Religiosis sui Ordinis, quam etiam ab extraneis, etiam sine licentia suorum superiorum, & ipsi inuitis. Ratio est, quia in tali casu superiores iniuste negarent talem facultatem, cum non possint cogere subditos, vt careant necessarijs simpliciter ad vitam, nec ipsi ad hoc se obligauerint per professionem. Possunt ergo vt iure suo, sibi taliter concessa, accipiendo, imò, & postulando. Rodrig. 2. to. *Sum. c. 31. n. 6. Valent. 2. 2. disp. 10. q. 4.* Imò etiam quando Conuentus commodè prouidere potest de simpliciter necessarijs; & Praelati malitiosè nolunt ea concedere, non solum peccant grauiter tales Praelati, quia praebent causam peculij, (Syluest. *verb. Religio 6. q. 7.*) sed etiam tunc licitum est Religiosus vsurpare sibi simpliciter necessaria ad vitam, etiam inuitis superioribus. Propter eandem rationem, qua supra. Nauarra lib. 3. de *Restitut. c. 1. p. 3. dub. 3. Sayr. in Clau. reg. lib. 9. c. 16.* Animaduertant tamen Religiosi, ne sub praetextu necessarium simpliciter ad vitam, minus necessaria etiam exquirant; ex Voto enim paupertatis carere debent rebus aliquo modo necessarijs. Vnde vsurpans sibi à Monasterio res non simpliciter necessarias, peccat contra Paupertatem, quia vitur re sine vlla licentia, etiam praesumpta, sui Superioris, & etiam peccat furti, quia vsurpat vsu rei, rationabiliter inuito vero domino ipsius. Petrus Nauarra lib. 3. de *restitut. cap. 1. num. 195. Molina disput. 276. & 140.* Vide dicta de declaratione Sac. Congregat. circa hoc supra num. 14. ad quintam dubitationem.

32 Si Religiosus seculari volenti illi dare aliquas pecunias dicat, quòd eas ponat in depositum apud alium, vt illis vitur de licentia sui Superioris, & dominium illarum maneat apud secularem, non erit proprietarius. Ratio est, quia in tali casu non acquirit dominium, aut proprietatem talium pecuniarum, nec etiam vsu Iuris, sed solum vsu facti ex licentia Superioris, quod non repugnat Voto Paupertatis. Diu. Bonauent. in *Exposit. Regul. Min. c. 4. & in questionibus q. 26. Sanchez in Decal. c. 19. n. 50.* Vide infra num. 48.

33 Similiter Religiosus, qui furatur aliquid, & illud tradit Monasterio, vt vitur illo cum licentia Superioris, li-

- et committat peccatum furti, sed non proprietatis. Cum talis rei non acquirit sibi dominium, aut usum sine licentia Prælati. Nauarrus *lib. 3. Consil. in prima edit. tit. de Regul. consil. 75. num. 40. & in 2. tit. de statu Monac. consil. 3. num. 40. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 19. num. 55.*
- 34 Si Religioso relinquatur aliquod legatum ea conditione, ut ad ipsum tantum, non autem ad Conuentum pertineat, credendum est testatorem solum velle usum illius rei pertinere solum ad Religiosum, & non ad Monasterium. Ratio est, quia voluntas testatoris semper est seruanda omni meliori modo, quo fieri possit, cum autem voluntas relinquentis hoc legatum non possit seruari quantum ad hoc, quod Monachus acquirat dominium, aut proprietatem illius, quia hoc est contra Votum Paupertatis, solum erit seruanda modo dicto. Molina *tom. 1. de Iust. disput. 140. colum. 9. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 10. quest. 3.* Si autem testator expresse ponat hanc conditionem, ut scilicet dominium, & proprietatem talis legati solum pertineat ad Monachum, valebit legatum, & talis conditio habetur pro non adiecta. Ratio est, quia conditiones turpes adiectæ legatis non vitiant, sed vitiantur, ac proinde habentur pro non adiectis, hæc autem conditio est turpis, & sacrilega utpote contra Votum Paupertatis. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 17. num. 12. cum alijs.* Si verò Testator ultra procedat, & dicat se velle, quod illud legatum pertineat solum, & quoad dominium, & proprietatem ad Monachum, & non ad Monasterium, & quod si secus fiat, pertineat ad alium extraneum, tunc tale legatum est validum pro Conuentu, & illa conditio habetur pro non adiecta. Ratio est, quia adiectio pœnæ actui interdicto est ipso iure nulla *leg. unica in fin. C. de his que pœna nomine relinquuntur*, hic autem apponitur pœna actui malo, & per consequens interdicto, quale est quod Religiosus habeat proprium. Ergo est nulla talis adiectio pœnæ, & habenda pro non adiecta. Silu. *v. Relig. 6. q. 7. dic. 3. Cordub. in Sum. q. 154. Sanchez ut sup. num. 17. Vide dicenda tom. 2. cap. 19. a num. 45.*
- 35 Religiosus, qui ex eo quod alteri ad usum concessum est, clam sibi aliquid assumit, v.g. librum, vestem, imaginem, &c. peccat peccato proprietatis. Ratio est, quia sine consensu Superioris assumit sibi aliquid alteri destinatum. Azor. *tom. 2. Institut. 12. c. 12. Llamas. 3. part. Sum. cap. 9.* Si tamen constaret aliquem Religiosum habere aliquid superfluum, & contra voluntatem sui Superioris, & alius indigeret tali re, nec aliter subuenire posset suæ necessitati: si illam ab illo acciperet, non peccaret contra paupertatem. Ratio est, quia in tali casu debet præsumi voluntas Superioris, quod talis res superflua vni, applicetur alteri indigenti. Attendendum tamen est, ne inde sequantur scandala, notæ, suspiciones, quærelæ, & alia huiusmodi, quæ euenire solent.
- 36 Similiter Religiosus recipiens aliquid, quod Superior præcepit, aut non vult recipi nisi ab alio Religioso, ut qui recipit Missarum stipendia, quæ Prælati non vult recipi nisi a Sacrista, vel Procuratore, peccat peccato proprietatis, etiam si dicat tales Missas. Eò quod recipit aliquid contra sui Superioris beneplacitum. Hieronym. Gratian. *in Discipl. Regular. 2. part. cap. 8. §. 3. Vide dicenda cap. 21. num. 4.*
- 37 Religiosus acceptans donationem, aut legatum absque licentia sui Superioris peccat. Ratio est, quia vel acceptat sibi, vel Monasterio; si sibi est proprietarius; si Monasterio, si ad hoc non habet consensum saltem implicitum, usurpat auctoritatem illius. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 31. num. 34.* Talis tamen acceptatio, si est in fauorem Monasterij tenet, quia semper præsumitur voluntas Monasterij, & Ecclesiæ in illis, quæ cedunt in ipsius utilitatem. Nauarr. *Comm. 2. num. 32. de Regular. Azor. tom. 1. Institut. mor. lib. 12. c. 12. quest. 2.*
- 38 Religiosa recipiens aliquid ab aliquo ob inhonestum finem, (& idem dico de Religioso aliquid eodem modo a femina recipiente) non solum peccat contra Castitatem ob periculum transgrediendi hoc Votum, sed etiam contra Paupertatem. Eò quod recipit aliquid contra voluntatem, & licentiam legitimam sui Superioris, quæ non potest esse in prædicto casu. Hieronymus Gratian. *de Discipl. Regul. 2. par. c. 8. §. 3.*
- 39 Religiosus accipiens sine licentia sui Superioris aliquid à seculari, ut illud det pauperi alicui à seculari determinato, illique dans non peccat contra Paupertatem. Ratio est, quia in hoc casu se habet instar ministri, seu famuli non habentis dominium, aut administrationem, aut usum iuris talis rei. Sanchez *lib. 7. in Decalog. c. 30. n. 2.* Addit ipse *n. 3.* nec etiam peccare contra Paupertatem, quando secularis dans talem eleemosynam non designat pauperem, cui dari debet, sed hoc remittit arbitrio Religiosi. Sed probabilius est, hoc casu peccare Religiosum contra Paupertatem. Quia in eo habet se sicut administrator talis eleemosynæ, siquidem potest illam dare cui voluerit, quando, & quantum voluerit, quod est habere administrationem talis rei. Hoc autem est prohibitum Religiosis ex vi Voti Paupertatis, maxime sine licentia Superioris. Lessius *2. de iustit. cap. 41. dub. 9. num. 78.* Si autem in hoc casu eleemosynam, quam accepit applicandam pauperibus, sibi, aut suo Monasterio, verè indigentibus applicaret, non peccaret sic faciendo. Cum intentio dantis eleemosynam solum fuerit, ut supponimus, ut veris pauperibus applicaretur. Nauarr. *lib. 3. Constit. titulo de mend. unico. Rodrig. in Sum. titulo 1. c. 202. in 2. edit.*
- 40 Regula generalis est, quod *Quidquid Monachus adquisit Monasterio adquisit*, ut habetur argumento *l. placet de adquir. hered. & cap. in presentia de probation.* Cum enim non sit capax domini, nec etiam vsus, nisi dependenter à Monasterij voluntate, illi adquisit totum. Nauarr. *Comm. 1. de Regul. num. 23.* Si verò Monasterium non est capax domini, ut si est Minorum de obseruantia, tunc dominium adquisit Papæ detentio verò, & vsus facti ad Monasterium. Thom. de Iesu *supra cap. non dicatis part. 2. cap. 5.* Extenditur ad easque Religiosus proprio labore, & industria adquisit. Propter eandem rationem. Nauarrus. *cap. non dicatis num. 40.* De iniuste verò adquisitis distinguendum est, aut enim iniuste aliqua adquisiuit, quæ non solum acquirere non potuit, sed nec possidere, ut si per furtum, aut usuram aliquid comparauit, & hæc, nec sibi, nec Conuentui adquisit. Eò quod illa tenetur restituere veris dominis. Aut verò iniuste adquisiuit aliqua, quæ iuste retinere posset, ut si (quod absit) Religiosa per fornicationem aliquid comparauerit & hæc adquisit Monasterio. Eò quod quamuis iniuste comparata, non tamen tenetur ad restitutionem. Sorus *4. de iustit. q. 7. art. 1.* Thomas de Iesu *ut sup. §. mihi vero.* Nomine autem Monasterij cui Religiosus adquisit intelligitur, in Religiosis Mendicantibus, seu alijs qui non habent perpetuam affiliationem in vno Conuentu, sed superioris nutu ex vno in alium transferantur, totus Ordo, vel Prouincia, in quibus Religiosus professionem emisit. Quia cum totus Ordo, seu Prouincia sentiant onus alendi & sustentandi tales Religiosos, etiam debent sentire commodum, iuxta Regulam Iuris in 6. *Qui semit &c.* Azor. *tom. 1. Institut. mor. lib. 12. cap. 10. quest. 4.* Sanchez *lib. 7. in decal. cap. 32. num. 53.* post alios. In Religiosis autem alijs habentibus perpetuam affiliationem in vno Monasterio vbi professi sunt, adquisit tali Conuentui, propter eandem rationem. Sanchez *sup. num. 55.* Obseruandæ etiam sunt circa hoc Constitutiones, & Statuta Religionum. Lugo *de Iust. & Iur. tom. 1. disput. 3. sect. 11. num. 226.* Tamburinus *de Iure Abbatum tom. 3. disput. 11. quest. 4. num. 6.*
- 41 Etiam quando Religiosus ex legitima sui Superioris, aut etiam Papæ licentia, viuit extra Monasterium adquisit ipsi, & Religioni, Cum adhuc maneat verus Religiosus, & per consequens sit eadem ratio de illo, ac de alijs. Molina *tom. 1. de iust. disput. 140.* Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 32. num. 60.* Qui etiam bene addunt bona talis Religiosi è vita decedentis pertinere etiam ad Religionem. Propter eandem rationem. Hodie tamen, si talis Religiosus extra Monasterium decedat, bona illius post mortem pertinent ad Cameram Apostolicam, nisi habuerit facultatem testandi, & testatus fuerit. Propter motum proprium Gregor. XIII. *Officij nostri.* Azor. *tom. 2. Institut. mor. lib. 8. cap. 3. quest. 15.* Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 32. num. 61.* Vide *d. n. 26.* & dicenda *cap. 16. num. 20. 21. 22. & 31.*
- 42 Similiter Religiosus habens pensionem non Ecclesiasticam ex Pontificis adulto adquisit Monasterio, cum per

- per talem pensionem non extrahatur à iurisdictione Religionis. Emanu. Sà in *Summ. verb. Religio n. 27*. Cui autem adquirant Religiosi facti Episcopi, Cardinales, Abbates, vel Prælati aliarum Religionum dicimus *cap. 17. n. 12*. Cui etiam adquirant Apostatae, & fugitivi dicimus *cap. 16. n. 20*. Cui verò Electi dicimus *c. 23. n. 13*.
- 43 Licitum est Religiosis sine præiudicio Voti Paupertatis mendicare, seu ex eleemosynis mendicatis viuere: Ita definitur in Conc. Constant. *sess. 8.* & in Bulla Mart. V. & à Leo. X. contra errores Lutheri. & ratio est, tum exemplo Apostolorum, tum quia ipsa mendicatio est actus humilitatis, & paupertati Religiosæ conformis. Th. Vuald. *lib. 4. Doctr. fidei c. 3. & 4.* Caltro *contrabares. verb. mendicatas*. Vnde Innoc. IV. dantibus eleemosynas Carmelitis decem dies Indulgentiæ concessit. alij etiam Pontifices similia fecerunt. *Speculum Ord. Carm. fol. 64*. Vide etiam magnum priuilegium Sixti IV. pro Carmelitis, de quo Rodrig. *10. 2. q. Regul. q. 57. art. 7*. Per accidens tamen potest esse malum, & prohibitum Religiosis mendicare. Primò si id faciant, vt otiosam & inutilem transigant vitam, actibus Religiosis non insistendo, Eo enim sine dantur eleemosynæ Religiosis à secularibus, vt religiosam vitam gerant, & bonorum operum ipsorum participes fiant. Quo sine defraudantur si prædicto modo viuant. D. Thom. *2. 2. q. 187. art. 4.* Caiet. *ibid.* Ledesma *2. p. 4. q. 15. art. 8*. Vnde in tali casu peccant Religiosi eleemosynas accipiendo. Quia debent illas accipere animo gratificandi per sua bona opera, quod non faciunt. Valentia *2. 2. disp. 10. quest. 5. punct. 3.* Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 24. num. 8*. Non tamen tenentur ad restitutionem. Eò quòd non peccant contra iustitiam, cum nullum pactum ineant cum dantibus illas eleemosynas. Valent. *vi sup. Angles in florib. 1. p. tract. de elemos. q. 9. de mendic. diff. 5*. Secundò etiam peccabunt per accideus Religiosi viuendo ex mendicitate, si id faciant animo aggregandi opes, vel vt laute viuant, vel talibus eleemosynis non indigeant. Pro quo vide dicta à nobis in *lib. de reformat. Reg. cap. 16. & 17.* & dicenda *tom. 2. cap. 1. à num. 3.*
- 44 Pro hac etiam doctrina extat declaratio S. Congregat. Concilij, qua decernitur, *Fratres Ord. Mendicantium nequaquam posse ab Episcopis prohibere, qua minus per se ipsos in Diocesis ubi habent Conuentus, eleemosynas querant, sed tantum si extra loca, ubi Monasteria existant, queritate voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordinario ostendere*. Vide Laurentium de Peirinis *10. 1. de priuileg. Minim. in const. 4. Sixti IV. s. 8. à num. 40*.
- 45 Possunt Religiosi succedere vt hæredes in bonis temporalibus, quæ ad illos iure spectant, vel ipsi legantur. Tum quia hoc non repugnat voto paupertatis, cum non sibi, sed Monasterio adquirant; tum quia ita concessit Prædicato-ribus, & Minoribus Clem. IV. in Bulla quæ incipit *Obtentu diuini numinis*. Tum quia ita colligitur ex *l. si. hoc etiam C. de episc. & Cler. & ex l. regia 2. tit. 3. p. 6.* Molina *10. 1. de iust. disp. 140.* Sanch. *lib. 7. in Dec. c. 26*. Excipiuntur tamen ab hac regula fratres Minores de Obseruatiâ, & Capuccini. Quia nulla ratione sunt capaces successione hæreditariæ, sicut neque in particulari, neq; in particulari, neq; in cõmuni possunt habere aliquod dominium, vt habetur in *Cl. exiuit s. cum. n. de v. sign.* Corduba in *Reg. D. Francisci c. 6. q. 1. punct. 1.* Rodrig. *10. 2. q. 78. ar. 2*. Nec possunt capere hæreditatem vt eam vendant. Quia in dicta Clem. exiuit dicitur nullatenus esse capaces hæreditatis. Rodrig. *vi sup.* Potest tamẽ ipsi aliquid legari. Quia hoc expressè definitum in *e. exiuit s. ad hæc quia fratribus de verb. signific. in 6.* Rodrig. *10. 2. q. 125. art. 6.* Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 26. à n. 9.* vbi multa in sequentibus. Aliæ quoque Religiones habent pecuniaria iura circa hæreditates, de quibus Thom. de Iesu *sup. c. non dicitis p. 5. à c. 2.* Vide dicenda *1. 2. c. 19. à n. 44. 46.* Peccant Religiosi contra paupertatem peccato proprietatis expendentes aliquid etiam ex his quæ habent ad vsum, sine licentia suorum Superiorum. Hoc enim modo disponere de rebus temporalibus est actus proprietatis. Valen. *2. 2. disput. 10. q. 4. punct. 3.* Mendoza *quodlibet. 8. con. 3.* Idem dico si permutent, mutuent, aut accomodent, aut alio modo contrahant de illis sine prædicta licentia. Propter eandem rationem Less. *2. de iust. c. 41. dub. 9. n. 79.* Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 19. n. 65.* Idem etiam dico, si bona sibi à Superiore
- deputata ad certos vsus, in alio expendant sine prædicta licentia. Propter eandem etiã rationem, Nauarr. *lib. 3. de Restit. c. 1. num. 183.* Rodrig. *3. 10. q. 29. art. 6.* Peccant similiter contra paupertatem non adhibentes diligentiam, quam homines solent communiter adhibere in conseruandis rebus sibi ad vsum permissis. Quia non conseruare illas modò dicto est quasi expendere, & consumere contra voluntatem sui Superioris. Less. *2. de iust. c. 41. dub. 9. n. 79.* Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 19. n. 115.*
- 47 Si tamen Religiosus alicui seculari volenti sibi dare aliquam rem, v.g. pecuniam, dicat, oblecto vt des tali consanguineo meo, etiam si id faciat sine licentia Prælati non peccat contra Paupertatem. Ratio est, quia in isto casu nihil donat, aut expendit, sed solum rogat secularem, vt donec id quod sibi dare volebat. Sanchez *lib. 6. de Matr. disp. 4. n. 7. & lib. 7. in Decal. c. 19. n. 74. & 75.* Qui bene etiam addit, posse tunc peccare contra charitatem illum Religiosum, si absque iusta causa non acceptauit, quod sibi dabat secularis, si quidem priuauit Monasterium illa re aut pecunia, quæ ad ipsum pertinebat si acceptasset.
- 48 Similiter si Religiosus perat ab amico, vt ponat in deposito apud aliquem aliquas pecunias, vt ex illis subuenire possit suis necessitatibus, si id intendat facere de licentia sui Prælati non est proprietarius. Cum non adquirat dominium, aut vsum talium pecuniarum sine licentia Superiorum. D. Bonauent. in *Regul. c. 4. prope finem.* Cordub. in *Reg. D. Franc. q. 8. & 9.* Addit etiam idem D. Bonauent. id verum esse, etiam si ille, qui pecuniam deponit, intendat se statim priuare dominio illius, & transferre in Religiosum. Quia quoad illud non acceptat dominium, manet semper penes dantem Pecuniam. Thom. de Iesu *sup. c. non dicitis p. 3. c. 5.* Vide dicta *n. 32.*
- 49 Multi volunt Religiosos dantes, aut recipientes litteras sine licentia Superiorum peccare contra paupertatem. Hoc verò intelligo, quando litteræ, quæ dantur, vel accipiuntur, sunt pretio æstimabiles, vt si essent auratæ, vel miniatæ, &c. vel quando sunt contra vtilitatem Monasterij, vel alicuius Religiosi, aut expenditur aliquid in illis dandis, vel recipiendis, tunc enim sunt materia proprietatis. In alijs verò casibus solum erit peccatum contra obedientiam, si id fiat contra præceptum Superiorum. Nauarr. *lib. 3. consil. de stat. monac. consil. 3. & comm. 2. de Regul. Peirinis 10. 1. de subdito q. 2. de paupertate c. 2. s. 10.*
- 50 Religiosi etiam ludentes pro pecunia, vel re pretio æstimabili peccant contra Votum paupertatis. Quia expendunt res, quas habent ad vsum, & exponunt iacturam illicitæ, quod est actus proprietatis Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 19. n. 76.* Ludentes autem gratia honestæ recreationis moderatam aliquam quantitatem de licentia sui Prælati non peccant contra paupertatem. Quia tunc ludus est actus honestus, & ille vsus pecuniæ licitus Maior in *4. d. 18. q. 13. in sol. ad 2.* Ledesma *2. p. 4. q. 15. art. 5.* Secus esset si talis ludus esset prohibitus, vel à iure, vel à Regula, constitutionibus, aut Superioribus Religionum, aut esset scandalosus, &c. Quia tunc nec paruam, nec magnam quantitatem liceret ludere, etiam de licentia Prælati. Cum non posset illam concedere. Salon. *2. 2. tract. de Dom. 4. s. art. 6. du. penult.* Molina *10. 2. de iust. disp. 520.*
- 51 Hinc ludens cum Religioso, & lucrans vltra eam quantitatem, quam Religiosus potuit ludere, & Prælati concedere licentiam tenetur ad restitutionem illius excessus. Ratio est, quia cum Religiosus non possit perdere illam quantitatem, nec etiam ludens coram illo poterit illam lucrari; ac perinde si accipiat, tenebitur ad restitutionem. Per *Leg. 2. p. Sum. tr. 31. c. 1. post. 10. concl.* Alcozer *lib. de ludo c. 39.* Similiter è contra, si Religiosus ludens vltra eam quantitatem, quam potest ludere, & perdere ex licentia sui Prælati, vel quia non habet talem licentiam, vel quia ludus est illi prohibitus, & contingat tunc lucrari, non potest id accipere, & si accipit tenetur ad restitutionem. Ratio est (quidquid alij dicant) quia ludus est quidam quasi contractus conditionalis, in qua vnusquisque exponit suam pecuniam periculo perdendi, & lucrandi. Qui ergo non potest perdere, non potest lucrari sicut qui non potest lucrari non potest perdere. Ac per consequens cum Religiosus non possit vltra illam quantitatem perdere nec poterit vltra illam lucrari. Salon. *2. 2. post. q. 61. q. 5. de domi-*

nio art. 6. dub. penult. Valent. 2. 2. disp. 5. punct. 5. Limitatur tamen probabiliter hæc sententia quod in casu, quo Religiosus ludit cum illo, qui scit eum non posse ludere aut non posse perdere ultra illam quantitatem, si iste perdat ultra illam posse Religiosum lucrari illam, nec teneri ad restitutionem. Nam eo ipso, quod habens talem scientiam ludit cum Religioso, censetur cedere iuri suo, ita, ut possit perdere, & non lucrari, cum scienti, & volenti nulla fiat iniuria Angles in flor. 2. p. de ludi restit. art. vn. dub. 1. Sayrus in clau. reg. lib. II. c. 13. n. 9.

- 52 Nec etiam possunt Religiosi aliquid dare, seu donare alicui, siue de bonis Monasterij, siue de his, quæ habent ad usum, aut quomodolibet adquisierunt, sine licentia Superioris. Quia dare aliquid hoc modo est actus proprietatis, & dominij. Cordub. in Regal. D. Francisc. cap. 6. Mend. in quodlib. quest. 8. con. 3. Pro quo etiam extat Const. Clem. VIII. anno 1594. edita, in qua sub grauissimis pœnis huiusmodi largitionem, seu missionem munerum Religiosis interdicit (in 3. tom. bull. Laertij inter Const. Clement. VIII. num. 28.) Bonacin. de larg. mun. disp. 3. Diana tract. 6. de Pauper. Religiosa super hanc Bullam. Neque etiam per modum elemosynæ possunt aliquid dare sine prædicta licentia. Propter eandem rationem. S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. D. Antonin. 3. p. tit. 16. c. 11. §. 11. not. 4. Quando tamen pauper est in extrema necessitate potest Religiosus, etiam sine licentia Superioris, illi subuenire; Quia in tali necessitate omnia sunt communia. Angles in flor. 1. p. tract. de Elemos. quest. 4. Rodriq. tom. 2. quest. 57. art. 2. Similiter quando Religiosus est cum licentia sui Superioris absens à Monasterio potest ex his, quæ sibi sunt donata, facere aliquas moderatas elemosynas. Quia ad hoc præsumitur licentia tacita sui Superioris. Med. C. de Penit. tract. de elemos. quest. de quib. bon. su. elemos. Ledesm. 2. tom. sum. tract. 3. cap. 3. concl. 31. Idem etiam dico probabiliter quando Religiosus etiam in Monasterio existens aliquid sibi subtrahit de his, quæ sibi à Monasterio ad sustentationem tribuuntur, posse scilicet de illis elemosynam facere. Propter eandem rationem. Valentia 2. 2. disp. 10. quest. 4. punct. 3. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 19. num. 100. & 101. Monasteria autem, & Superiores nomine ipsorum possunt, & tenentur facere elemosynas de superfluis. Ratio est, quia obligantur præcepto communi dandi elemosynam sicut alij Molin. tom. 2. de iust. disput. 276. Res autem magni momenti, aut pretij nequeunt donare Religiosi, aut Monasteria, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re mature discussa unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu approbata fuerit. Ita enim habetur in dicta Constitutione Clementis VIII. & quamuis nouissimè sub Urbano VIII. anno 1640. moderata sit talis Constitutio ita ut Religiosi possint aliquid dare, quibusdam conditionibus seruatis sine tali consensu Capituli Generalis, & de sola Superiorum licentia, id tamen intelligitur de rebus minoris momenti, & pretij, ut patet ex verbis dictæ moderationis, scilicet, *modeste tamen ac discretè*. Consule quæ dico tom. 3. verbo Dare seu donare quoad Regulares, præsertim à num. 10. ubi de conditionibus requisitis pro talibus donationibus. Et Portellum in Responsionibus moral. tom. 2. cas. 67. ubi propterea reprobatur donationem factam à quodam Religioso pro maritanda nepte.
- 53 Hinc fit, quod recipientes à Religioso aliquid, ad quod non habebat facultatem, tenentur ad restitutionem. Eò quod accipiunt aliquid ab eo, qui donare non potest. Nauarrus lib. 3. Conf. in 1. edit. tom. de Regul. consil. 75. n. 33. Less. 2. de iust. c. 41. num. 73. dub. 8. Vnde in prædicta Constitutione Clem. VIII. contra recipientes aliquid à Religiosis dicitur. *Ipsa facta absque aliqua monitione, iudicis decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omnino in viroque foro teneantur, adeò ut restitutione ipsa reualiter non facta, neque etiam in foro conscientie absolui possint*. Bonacina de larg. mun. disp. 3. puncto quarto. Si tamen daretur casus, quod Religiosus expenderet aliqua, quæ nullo modo pertinerent ad Monasterium, ut si de licentia Papæ haberet administrationem aliquorum honorum independentem ab alio, tunc accipiens non teneretur ad restitutionem rei acceptæ faciendæ Monasterio: Quia res illa non pertinebat ad Monasterium. Molina tom. 2. de iust. disp. 520. Similiter si aliquis secularis Religioso alicui daret ali-

quam pecuniam solum sub conditione, ut ex illa luderet, aut fornicaretur, accipiens, nulli tenetur restituere. Cum illa pecunia solum pertineat ad secularem, & ille illam concesserit voluntariè. Abul. in cap. 6. Matth. quest. 37. Sanchez lib. 7. in Decalog. 19. num. 35. Quando autem aliquis Religiosus daret aliquid propter usum vanum aut superfluum, v. g. si daret aliquid meretrici, vel parasito, aut mimo ob vanam delectationem; cum ad tales donationes non possit habere licentiam à Prælato, qui solum illam dare possunt pro rebus licitis aut honestis, accipientes ab illo ea dona, tenentur ad restitutionem, ut pote accepta à non potente transferre dominium eorum ob defectum licentiæ, est quia ita habetur in Constitutione relata Clementis VIII. nouissimè confirmata quoad hoc sub Urbano VIII. Lugo de Iust. & Iur. tom. 1. disp. 3. sect. 7. num. 141. ex Sanchez, & alijs.

- 54 Inter ipsos quoque Religiosos, ne praua ambitione impulsis, pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur, quæcumque largitio, aut donatio munerum inferiorum minimarum de licentia expressa, & in scriptis Superiorum, est penitus interdicta. Ita Clem. VIII. in Constitut. Religiosæ Congregationes Anno 1594. edita de qua supra num. 52. D. Bonau. in speculo Discipl. tom. 2. cap. 4. Imò hæc largitio munerum inter ipsos Religiosos est peccatum proprietatis, si fiat sine licentia Superiorum. Quia sine illa est usus rei temporalis contra voluntatem Superiorum, Papæ præsertim, qui est supremus Prælatum Religionum. Hieronym. Gratian. Discipl. Regul. 2. p. c. 8. §. 3.
- 55 Licentia autem Superioris, quæ requiritur, & regulariter sufficit ad hoc, quod Religiosus possit tenere, vel possidere, accipere, dare, vel expendere, sufficit, quod sit tacita, vel prudenter præsumpta, quando scilicet prudenter creditur Superiorum ita velle. Ratio est, tum quia taciti, & expressi eadem est virtus, leg. cum quid ff. de reb. cred. & cap. 2. de rescriptis. Tum, quia id, quod fit cum licentia implicita, & prudenter præsumpta Superioris dicitur fieri cum eius consensu. D. Thom. 2. 2. quest. 32. art. 8. ad primum. Corduba in Summ. quest. 109. Quando tamen fuerit præceptum Superioris de non accipiendo, retinendo, vel dando sine licentia expressa, tunc non sufficit implicita, aut præsumpta. Quia Superior declarauit non aliter consentire. Ludouic. Lopez 1. p. Instruct. conf. versu penult. cap. 156. Rodriq. in Summ. 2. tom. cap. 31. num. 7. Vnde quia in prædicta Constitut. Clem. VIII. prohibetur largitio munerum, aut quæcumque donatio Religiosis, ex quocumque prætextu, aut causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re mature discussa, unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu, causa approbata fuerit, ita obseruari debet, quoad fieri possit. Præsertim cum prædicta Constitutio Clement. VIII. videatur innouata à S. Congregatione Concilij, quæ in decretis de Apestatu, & ceteris iustis SS. D. N. Urbani VIII. editis sic habet. *Curent Superiores, ut Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conuentu inuolabiliter obseruetur*. Et ita nihil videtur ob stare, quod illa Constitutio in partibus Hispaniarum recepta non sit, ut testatur Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 19. num. 42. 100. & 105. Et in Italia abierit in defæctudinem, ut testatur etiam Laurentius de Peirinjs tom. 1. de subdito, q. 2. de paupertat. c. 2. §. 6.
- 56 Consuetudo etiam aliquid retinendi, accipiendi, dandi, vel expendendi sine licentia Superiorum, quando est recepta, & viget consentientibus ipsis, excusat Religiosum, saltem regulariter. Quia talis consuetudo habet vim licentiæ. Sanchez lib. 7. in Decalog. c. 19. num. 7. Secus si talis consuetudo introducta est, aut viget, contra voluntatem Superiorum. Propter oppositam rationem. Gratiss. 2. p. decis. lib. 3. c. 9. à num. 4. Dixi etiam, saltem regulariter, quia quoad largitiones munerum, seu donationes attendenda est Constitutio Clement. VIII. adducta. Taciturnitas verò Superioris videntis Religiosum aliquid possidere, accipere, expendere, &c. sine licentia, & non contradicentis non excusat Religiosum, nisi quando ex alijs signis constat illam esse virtuale approbationem. Ratio est quia huiusmodi taciturnitas sæpè nascitur ex pusillanimitate Superioris, vel ex proteruita subditi, ergo non semper arguit licentiam impli.

- implicitam, nisi quando ex alijs signis id constat. Grassius vt supra cap. 19. n. 31. Sanchez n. 12. Similiter non excusat Religiosum credere quod Prælati concedet licentiam, si ab ipso petatur, quando scit ipsum velle vt petatur. Quia tunc non censetur habere licentiam, aut consensum Prælati. Nauarr. *Comm. 2. de Regular. num. 20.* Mendoza *q. 8. post septimam conclus.* Quando tamen Religiosus procedit sub spe ratihabitionis, seu approbationis à Prælato excusatur. Quia tunc operatur ex licentia saltem virtuali. S. Tho. in *4. dist. 15. quest. 2. art. 5. q. 4.* Tolerus in *Sum. de pecc. mort. c. 28.*
- 56 Licentia ista requisita ad hoc, quod Religiosus possideat, accipiat, det, aut expendat, &c. aliquid, debet esse voluntaria, & non coacta, vel precibus importunis, vel fauoribus, metu, aut dolo. Ratio est, quia aliàs talis licentia, potius esset violenta, nec Religiosus per eam operaretur secundum voluntatem sui Superioris, sed suam. Nauarr. *Comm. 2. n. 21. corol. 7.* Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 19. à n. 16.* Idem dico, quando Prælati dat istam licentiam subdito, eo quod timeat ipsum, quia est furro, rixosus, contentiosus, & excitabit rumores in Conuentu si non illi conceditur. Propter eandem rationem. Cordub. in *Sum. q. 54.* Lessius *2. de iust. c. 4. dub. 5.* Similiter debet esse legitima ista licentia, vnde, si sit ad prauos, inhonestos, aut inutiles vsus non est valida. Cum Superior nequeat illam concedere. Nauarr. *lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de Regular. consil. 73. n. 33.* Molina *tom. 2. de iust. disput. 276.* Vnde neque etiam Monasterium potest concedere talem licentiam ad prædictos prauos vsus. Eò quod quamuis Monasterium sit dominus suorum bonorum, hoc tamen est in ordine ad bonum status Religiosi. Mendoza *quodlib. 8. art. 6.* Lessius *2. de iust. c. 18. dub. 11.*
- 57 Quamuis aliqui parent in materia proprietatis non posse dari materiam leuem, propter quam solum peccetur venialiter (Vivald. in *Candelab. sacram. 3. p. c. 14. n. 68.* Passarellus *sup. priuileg. Minim. tit. de propriet. abdic.*) tamen probabilissima sententia est, posse crimen proteritis, quantumuis ex suo genere mortale, reddi veniale ex materia paruitate, ita vt si Religiosus aliquid leue possideat, accipiat, expendat, &c. sine licentia sui Superioris solum venialiter peccet. Ratio est, quia peccatum proprietatis solum habet malitiam quasi furti contra iustitiam, quatenus importat vsus rei alienæ inuito domino, & malitiam facilegij, seu contra Religionem, quatenus est contra Votum. Vt ique autem modo est capax materię leuis, vt patet in furto vnus quattini, & in transgressione Voti dicendi semel *Aue Maria.* Ergo etiam in peccato proprietatis, potest esse materia leuis ratione, cuius solum sit peccatum veniale. Corduba in *Summ. q. 109.* Mendoza *quodlib. 8. conclus. ult.* Vnde illa materia, quæ in furto est leuis, etiam in peccato proprietatis erit leuis. Propter similem rationem Corduba vt supra *Rebellus tract. de iustit. p. 1. lib. 3. q. 15. sect. 3. num. 22.* In furto autem communiter, & regulatiter loquendo, & seclusis circumstantijs personatum temporis loci, &c. duo Iulij, aut Reales Hispani, putantur grauis materia, & minus prædictis duobus Iulij, seu Reilibus, materia leuis. Mendoza, & Rebellus *supra citati.* Addunt aliqui, eam materiam, quæ in furto est dubium, an sit materia sufficiens ad peccatum mortale, esse sufficientem ad peccatum mortale proprietatis. Tho. de Iesu *sup. cap. non dicatis p. 3. c. 6.*
- 58 Hinc Religiosi successiuè minima retinentes, accipientes, seu expendentes, &c. sine licentia Superiorum, peccant mortaliter contra Votum paupertatis, quando peruenitur ad grauem, seu notabilem quantitatem. Ratio est ex similitudine furti. Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 21. n. 30.* Limitatur hoc, vt non intelligatur de rebus minimis comestibilibus, aut potabilibus. Quia in his non est credendum Prælatos prudentes fore inuitos. Rebell. *de iust. p. 1. lib. 1. q. 15. sect. 3. n. 22.* Grassius *1. p. decis. lib. 3. c. 5. n. 51.* Limitatur etiam, vt hoc solum sit verum, quando isti actus expendendi, retinendi, &c. sunt aliquo modo vniti, vel ratione temporis, vel loci, si enim sunt omnino disparati, credo non committi peccatum mortale, etiam quando peruenitur ad magnam, seu grauem quantitatem, ad modum, quo multi Theologi loquuntur de furtis paruis. Nauarrus in *Summ. cap. 17. n. 139. vel 140. & lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de Re-*

- gular. consil. 75. n. vigesimo septimo, in 2. tit. de stat. Monach. consil. 3. n. 27.* Lessius *2. de iust. c. 2. dub. 8.*
- 59 Pœnæ communes proprietariorum, vltra illas, quæ habentur in propria Regula, aut Constitutionibus, sunt. Prima quod Religiosus tempore mortis habens proprium non potest sepeliri in loco sacro *cap. Monachi de stat. Monach.* sed debet in sterquilino sepeliri cum pecunia (saltem parte ipsius) per eum possessa *c. cum ad Monasterium eodem tit.* Insuper, si in loco sacro sepultus est, est extrahendus, si sine magno scandalo fieri possit *c. super quodam. eod. tit.* In his tamen aduertiri debet, quod debet esse certitudo, & non solum dubium, quod Religiosus mortuus sit proprietarius, certitudo inquam moralis, quæ ex eius acta vita desumi potest. Laurentius de Peirinis *10. 1. de subdito q. 2. de paupertate c. 2. §. 9.* Barbosa *de offic. Parochi c. 26. n. 47.* Secunda est, vel Conc. Trident. *sess. 25. c. 2.* quod si quis deprehensus; vel conuictus fuerit de hoc peccato *is biennio actiua, & passiuu voce priuatus sit.* Aliqui tertio dicunt Religiosum proprietarium esse ipso facto à iure excommunicatum. Sed talis excommunicatio non reperitur expressa, nisi solum in quibusdam Concilijs Prouincialibus Colonienisibus. Thomas de Iesu *supra cap. non dicatis par. 2. c. 2.* Ex *cap. etiam. Monachi de statu Monachor.* Monachus habens peculium à communione altaris iubetur remoueri. Bartholomæus à Sancto Fausto *de Voto Paupert. quest. 198.* Ac tandem *ex capite cum ad Monasterium de Monasterio est expellendus, licet capite fin. de Regular. talis expulsio correctæ sit, & iubeatur talem monachum deputandum Monasterij ergastulo, quo penitentiam agat.* Sanchez *lib. 7. in Decal. c. 20. num. 12.* Sed notandum huiusmodi assignatas pœnas non incurri nisi solum ab illis, qui retinent, vel possident aliqua contra voluntatem Superiorum. Et si enim etiam dantes aliquid sine licentia peccent contra Paupertatem, imò incurrant pœnas Constitutionis Clem. VIII. adductæ supra *n. 52. & 53.* pœnæ autem modo assignatæ præcipuè sunt impositæ pro prædictis retinentibus; Sanchez *7. in Decalog. c. 20. n. 11. & 13.* Peirinis *10. 1. de subdito q. 2. de paupert. cap. 2. §. 9.* Potest præterea peccatum proprietatis, si sit mortale, reseruari à Superioribus. Ex decreto Clem. VIII. *de reseru. casum.* Grassius *2. par. decis. lib. 3. cap. 19. num. 5.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. c. 20. à num. 11.* Pro quo etiam vide Quarantam in *Summ. verb. cas. reseru. Cotiolanum de casibus reseruatis 2. par.*
- 60 Si quaeras tandem an Religiosi non obseruantes Vitam Communem, de qua egimus à *num. 7.* sint proprietarij, & incurrant prædictas pœnas? Dico primò. In illis Conuentibus, in quibus talis Vitæ Communis obseruantia viget, si aliqui Religiosi eam non obseruent, sunt proprietarij, & proprietariorum pœnis plectendi. Ratio est, tum ex dictis in Superioribus ex Decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum, tum quia, cum prædicti Religiosi teneant & possideant aliqua peculia, seu portiones, singularitatemque sequantur contra intentionem Regulæ, quam professi sunt, & voluntatem suorum Superiorum, præsertim Summorum Pontificum, qui supremi Superiores Religionum sunt, absque dubio erunt proprietarij, & talium pœnis plectendi. Quod confirmatur ex Concil. Trid. *sess. 25. de Regular. c. 1.* vbi præcipit omnibus Regularibus tam viris, quam mulieribus, vt *Communem Vitam, victum, & vestitum fideliter obseruent,* Qui ergo hæc non obseruant, contra voluntatem Ecclesiæ, & Superiorum agunt, & si aliqua possident, vel retinent, contra Superiorum voluntatem id faciunt, ac petinde proprietarij, & proprietariorum pœnis puniendi sunt. Bartholomæus à S. Fausto *de Voto Paupert. quest. 195.* Dico tamen secundo. In alijs Conuentibus, in quibus prædicta Communis Vita non viget, vel propter impotentiam, aut nequitiam Superiorum, qui nequeunt, aut nolunt dare singulis Religiosis necessaria ad vitam licet prædicti Vitam Communem non obseruantes in periculo magno suæ salutis, & transgressionis ferè quotidiane Voti paupertatis versentur, excusari tamè possunt à peccato proprietatis, si alio modo commodè viuere non possint, positus tamen conditionibus, & propter rationes assignatas supra à *n. 21. & seqq.* Vide Bartholomeum à S. Fausto *de Voto Paupert. quest. 196. & 197.* Addendum tamen est, & valdè notandum, religiosos sic viuentes, quia commodè aliter viuere



re non possunt, aut vitam communem obseruare in prædictis Conuentibus, paratos esse debere ad recipiendum reformationem, & introductionem Vitæ Communis, si à Prælati de nouo instituantur, seu restaretur, nec posse vllō modo tali reformationi, & institutioni Vitæ Communis resistere sub grauissimo peccato mortali. Ratio est, quia cum prædicta Vita Communis obliget omnes Religiosos sub peccato mortali, nec ab illius obseruantia excusari possint, nisi quia Prælati Monasteriorum non prouident illis de necessarijs ad vitam, absque dubio cum constaret prædictis necessitatibus sufficienter prouidendum fore, nulla supererit ratio excusationis. Et hæc est communis sententia Theologorum, specialiter Syluest. *verb. Religio* 6. *quest.* 7. *Valentia* 2. 2. *disp.* 10. *quest.* 4. p. 2. *Lessij lib.* 2. c. 4. *dub.* 5. *Nauatri Comment.* 3. *de Regularib.* num. 36. *Rodriguez* 2. p. *Summ.* cap. 31. *Bartholomæi à S. Fausto de Voto Pauper.* *quest.* 195. & 196. Quorum plures præsertim loquuntur de obligatione Prælatorum ad prædictam vitam Communem in omnibus Conuentibus introducendam, prout & nos dicimus *cap.* 18. *num.* 14. Vide etiam dicenda *cap.* 7. *num.* 19.

## S V M M A R I V M C A P. V I I.

- Regula Religionum quid sit.* n. 1.  
*Quicumque Religiosus ascriptus est ad Regulam obseruandam.* num. 2.  
*Quot sint Regule in Ecclesia approbate.* n. 3.  
*Tenantur Religiosi ad Regulam non solum ratione professionis sed etiam præcepti Pontificij.* n. 4.  
*Qualiter teneantur Carmelita obseruantes ad regulam Alberti.* num. 5.  
*Alia que continentur in Regula obligant ad mortale, alia ad veniale, alia ad neutrum.* n. 6.  
*Que spectant ad obseruantiam votorum obligant ad mortale.* num. 7.  
*Que ponuntur ut opera supererogationis, & de consilio ad nullam culpam.* n. 8.  
*Quid quando Regula præscribit aliqua que aliàs erant ex præcepto.* num. 9.  
*Si Regule institutor explicuerit quod nolit Religiosos obligare ad culpam non obligat ad illam quoad obseruantiam Regulares.* n. 10.  
*Quando tamen non explicuit suam mentem, acceptio, & existimatio Religionis attendi debet.* n. 11.  
*Quid quando nec de hoc constat.* n. 12.  
*Attendendum est ad grauitatem vel leuitatem materiae.* ibidem.  
*Item ad verba quibus Regule institutor utitur.* n. 13.  
*Quanta sit obligatio regule Carmelitarum.* n. 14.  
*Transgressio præceptorum Regule quamuis ad lethale crimen non pertingat, inter limnes tamen venialis offensa graue peccatum est.* n. 15.  
*Quando Regula Religionis alicuius fuerit relaxata quomodo ad illam teneantur Religiosi.* n. 16. 17. & 18.  
*Si tamen Summus Pontifex, vel alij superiores Regulam sic relaxatam reformare vellent tenentur Religiosi non resistere.* n. 19.  
*Quid in casu talis reformationis dicendum de Religiosis qui sunt delicati viribus.* n. 20.  
*An possint Religiosi ex vi Regule obligari ad confessionem venialium.* n. 21.  
*Quid sentiendum de operibus supererogationis que sunt supra Regulam.* n. 22.  
*Quid de præcepto Regule ad laborandum.* n. 23.  
*Quid de oratione mentali.* n. 24.  
*Silentium, regula e quomodo obliget.* n. 25.  
*Ieiunia Regule quomodo obligent Iuuenes.* n. 26.  
*Quid in casu quo Natiuitas Domini incidit in Feria sexta vel Sabbatum.* n. 27.  
*Quid præcipiatur circa obseruationem Regule à Concilio Tridentino.* n. 28.  
*An dispensari possit à Prælati in obseruatis Regule.* n. 29.  
*Quid quando Prælati præcipit aliquid contra Regulam.* num. 30.

De obligationibus Religiosorum  
ratione Regulæ sui Ordinis.  
Cap. VII.

- 1 **R**egula Religionum est quasi exemplar, & mensura eorum, quæ ex vi votorum tenentur exequi Religiosi, ita, vt, sicut non tenentur obedire nisi in his, quæ aliquo modo Regulam professam concernunt, vt diximus *cap.* 4. *num.* 9. sic è contra, omnia, quæ ex vi votorum facere tenentur debent esse in Regula contenta. Dicitur enim regula, vt inquit Isidorus 6. *Ethimol.* *cap.* 16. èd quòd ducit, nec aliquando aliorum trahit, vel quòd regat, vel quòd normam rectè viuendi præbeat, vel quòd distortum, paruumque corrigat. Suarez 4. *tom.* *de Relig.* *lib.* 1. c. 1. §. 1.
- 2 Quicumque Religiosus alitricus est suam regulam obseruare. Èd quòd omnes profitentur Regulam, & promittunt obedientiam secundum regulam: quemadmodum Carmelitæ, qui expressè dicunt in professione sua, promittere *Obedientiam, & Castitatem, & Paupertatem secundum Regulam prædicti Ordinis.* Vnde regula imponit aliquam necessitatem operandi, siue ad culpam, siue ad penam, quia hoc est de ratione legis, & per quod differt à consilio. Suarez 4. *tom.* *de Relig.* *lib.* 1. c. 2. n. 2.
- 3 Præter quatuor in Ecclesia approbatas regulas, scilicet Sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci, est etiam quinta alia Regula à Diuo Alberto Ierosolymitano Patriarcha Carmelitis tradita, approbataque, & confirmata ab Honorio III. Greg. IX. Innoc. IV. Alex. IV. Urbano IV. Nicolao IV. & Bonifac. VIII. Correcta, & mitigata ab Eugenio IV. Insuper ante illos approbata etiam, & confirmata ab Innoc. III. & implicite à Concilio Lateranensi *cap.* 13. & Lugdunensi, vt refertur in *cap. omni de Religiosis domibus* in 6. Thom. de Iesu in *exp. sup. Regul.* *par.* 2. *dub.* 3. Ioannes Pintus de Victoria in *Hierar. Carmelit.* *tract.* 2. c. 13. Eius autem scopus est, tum vita contemplatiua, tum actiua, quæ ad proximorum salutem, & ipsorum conuersionem attendit. Thom. Vualden. *de Sacramental.* *tit.* 9. c. 74. n. 7. Thom. de Iesu *vt sup.* à *dub.* 4.
- 4 Tenentur etiam Religiosi ad obseruantiam Regulæ non solum, quia professi sunt secundum ipsam viuere, sed etiam, quia Pontifices approbantes illam, præcipiunt etiam, vel explicitè, vel saltem implicite illius obseruantiam. Hoc patet in Regula Carmelitarum ab Alberto tradita, quam declarantes, & mitigantes nomine Innocentij IV. Hugo Cardinalis S. Sabinae, & Guillel. Anteradenis Episcopus sic dicunt. *Qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam a nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire vidimus, deuote recipientes, eam firmiter obseruetis.*
- 5 Non verò tenentur Carmelitæ ad obseruantiam Regulæ Alberti, prout ab ipso tradita est, sed prout mitigata fuit ab Eugenio IV. vt sup. num. 3. visum est. Ratio est, quia ipse Eugenius hoc exposuit dicens: *Decernentes eos, & eorum singulos circa præmissa ad arctiorem obseruantiam, que supra præmittitur, occasione professionis in dicto Ordine emissa, vel in posterum emittende, minime teneantur.* Conditiones autem illæ à Pontifice assignatæ, (scilicet quòd concessio non valeat ijs, qui ex confidentia ipsius illicita perpetraverint, & quod teneantur Religiosi per vnum annum, vna die septimanæ cuiuslibet ieiunare, vel simile pium opus efficere) non sunt positæ pro gratia mitigationis Regulæ potiendæ, sed pro obtinenda Indulgentia Plenaria remissionis in articulo mortis, quam ipsi Religiosi ibidem concessit. Ita enim inferitur ex contextu Bullæ, & ex alia simili ab eodem Pontifice Fratribus Benedictinis Vallisoletani Monasterij concessa. Ioannes Pintus de Victoria in *Hierar. Carmelit.* *tract.* 2. c. 16.
- 6 Non tenentur Religiosi obseruare omnia, quæ continentur in Regula sub culpa mortali, sed aliqua sub mortali, alia sub veniali, alia etiam neque sub veniali. Ratio est, quia eo modo obligantur Religiosi obseruare ea, quæ continentur in Regula, secundum quòd ipsa Regula præscribit: Regula autem quædam præscribit vt obligatoria ad mortale, alia solum ad veniale, alia ad nullam culpam. D. Thom. 2. 2. *quest.* 186. *artic.* 9. Vasquez 1. 2. *disp.* 162.

- disp. 162. cap. 4. num. 16.* De ijs autem modo dicemus.
- 7 Et in primis, ea quæ sunt in Regula, & spectant ad obseruantiam Votorum essentialium Religionis, videlicet, castitæ, & sine proptio viuere, &c. sine dubio obligant ad mortale, quantum est ex genere suo, nisi fortè ratione paruitatis materiæ solùm obligent ad veniale. Ratio est, quia hoc modo obligant ipsa Vota. S. Thom. & Caiet. 2. 2. q. 186. art. 9. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 8.*
- 8 Ea autem, quæ sunt in Regula, & solùm ab illa præscribuntur, vt opera supererogationis, & de consilio qualia sunt abnegare se in omnibus, habere Deum præsentem, exercitia humilitatis, mortificationis, &c. non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem. Ratio est, quia ista opera non proponuntur vt præcepta, sed solùm pertinent ad maiorem charitatem Religiosorum exercenda, non ergo obligant ad culpam, cum illa tantùm sit in transgressionibus præceptorum. S. Thom. & Caietan. ut sup. Sanchez *vt sup. n. 10.*
- 9 Quando Regula præscribit aliqua, quæ aliàs sunt sub præcepto, v.g. diligere Deum, aut proximum, dicere horas Canonicas, &c. illa obligant ad mortale, uel ueniale secundùm quòd aliàs obligant. Ratio est, quia Regulariter loquendo non proponuntur hæc in Regula tanquam noua præcepta, sed solùm cum intentione reducendi in memoriam ea, quæ aliàs præcepta sunt à Deo, uel Ecclesia, & illa commendandi. Caietan. *vt supra. Valentia 2. 2. disp. 10. q. 4. punct. 5.* Dato autem, quòd in Regula ponerentur cum intentione inducendi nouam obligationem seu præceptum, (quod ex circumstantijs attendendum est) transgressio talium includit duas malitias, alteram ex proprio obiecto, alteram ex circumstantia Voti, quod frangitur transgrediendo Regulam ex Voto promissam. Ratio est, quia licet diuersitas præceptorum non faciat diuersitatem specificam in peccatis, (cum constet non committere duplex peccatum eum, qui frangit ieiunium die, quo est duplex præceptum ieiunandi, alterum ratione Quadragesimæ, alterum ratione temporum, uel Vigiliæ) tamen quando peccatum habet oppositionem ad diuersas uirtutes est in illo duplex malitia. In proposito autem transgressio Regulae habet oppositionem ad uirtutem Religionis ultra eam, quam habet ad illam, cui opponitur obiectum talis peccati. Valentia 2. 2. *disp. 10. quest. 4. punct. 5.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 6.* Hæc autem malitia ex circumstantia contra Religionem sequitur naturam malitiæ ex obiecto, ita ut sit mortalis, uel uenialis sicut illa fuerit. *Authores vt sup.*
- 10 Loquendo de obseruantijs Religionis à regula præscriptis, quæ nõ proponuntur vt mera consilia, neque sunt directè de Votis promissis, aut de rebus aliàs præceptis, sed sunt obseruantie quædam externæ ordinatæ ad obseruantiam, Votorum essentialium, v.g. ieiunia, silentia, abstinentia à carnibus. vti talibus vestibus, sequela chori, & alia huiusmodi; si Regule Institutor mentem suam explicuerit, quòd noluerit quoad illa Religiosos ad culpam obligare (prout dicitur in Regula Patrum Prædicatorum, *Nolumus obligare ad culpam, & in Regula Minimorum, vt refert Passarellus in *primis leg. Minim. cap. 25.* & in Regula Patrum Societatis Iesu, vt habetur 6. p. *Const. cap. 25.*) tunc talis Regula non obligat ad culpam quoad ista. Qui cum in potestate instituentis Regulam fuerit obligare, vel non obligare ad culpam, si ipse declarauit non habuisse intentionem obligandi, absque dubio non obligabit. Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 4. num. 11. & sequentibus.**
- 11 Quando tamen Institutor Regulae non explicuit suam mentem circa obligationem, vel non obligationem ad culpam, attendenda est communis acceptio, existimatio, & sensus Religionis, cui Regula fuit tradita. Si enim communis sensus, & existimatio Religiosorum fuit illam Regulam obligare ad mortale, ad mortale obligabit, & si ad veniale, ad veniale, & si ad solam pœnam, & non ad culpam, ad nullam culpam obligabit. Eò quod communis acceptio, & consuetudo est optima legum interpretes, vt habetur *c. cum dilectus de consuetud. l. si de interpretat. ff. de legibus.* Nec lex aliter obliget, quam, prout communiter ab omnibus accipitur. Nauarr. *in Summ. cap. 23.* Valentia 2. 2. *disp. 10. q. 4. punct. 5.* Ad iens vix posse tradi aliam vniuersalem regulam quoad hoc, nisi istam.
- 12 Si autem nec Regule Institutor, nec communis con-

sensus, acceptio, seu consuetudo Religionis declarauit modum obligationis regulæ, prout contingere poterit in nouis Religionibus, institutis, aut instituendis, tunc si materia, aut res quæ præcipitur, vel prohibetur, non est grauis, sed exigua, aut leuis, non poterit obligare ad culpam mortalem. Cum enim peccatum mortale sit grauis offensæ Dei, cadere non potest, nisi supra materiam grauem, & sola illa est capax talis malitiæ, etiam si legislator intenderet oppositum, Castro *lib. 1. de lege penal. cap. 5. docum. 2.* Medina 1. 2. *quest. 96. art. 4. in prima regula.* Quæ vero materia sit grauis, licet difficilè assignetur, & prudentis arbitrio sapius relinquatur, dicendum est illà esse grauem, quæ, vel ratione sui, vel ratione circumstantiarum boni communis multùm conducit ad finem à legislatore intentum, e contra verò eam esse leuem quæ nec ratione sui, nec ratione talium circumstantiarum ad prædictum finem multùm conducit. Suarez 5. tom. in 3. p. *disp. 4. sect. 6. num. 11. & 12. & disp. 18. sect. 3. à num. 16.* Valquez 1. 2. *disp. 158. cap. 6. num. 59.* Adendum verò est, quòd etiam dato, quòd res quæ præcipitur sit materia grauis, & capax peccati mortalis, si tamen legislator declaret solùm velle obligare ad veniale, tunc transgressio solùm uenialis erit. Ratio est, quia probabilissimum est, etiam posita grauitate materiæ, posse in lege positua esse tantùm transgressionem ueniale, eò quòd tota obligatio legis positua pendet ex voluntate legislatoris; si ergo de illa constet, transgressio talis legis solùm erit uenialis. Suarez *de legibus lib. 3. c. 27. & 3. tom. de Religion. lib. 1. cap. 2.* Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp. 9. n. 6.*

13 Similiter in eisdem casibus, quando nec regula ipsa, nec consuetudo aut consensus Religionis declarauit modum obligationis ipsius regulæ, si res quæ in illa continentur, non exprimuntur per verba præcepti, vt sunt, *mandamus, præcipimus, prohibemus, inhibemus,* nec præcepto æquipollentia vt sunt *statuimus, ordinamus, decernimus,* sed per alia communia, v.g. *uolumus, monemus, hortamur,* tunc est probabilissimum ad nullam culpam obligare. Ratio est, quia cum illa verba communia sint præceptis, & consilijs, dubia sunt, & obscura, an scilicet obligent, vel non, ad culpam, in obscuris autem, & dubijs amplectendum est id, quod est minimum, vt habetur *regul. in obscuris de reg. iuris in 6.* quod maximè debet procedere in Institutibus regularum, qui cum summopere curent utilitati spirituali Religiosorum proficere, illis autem sapius sit nociua multiplicatio præceptorum ad culpam obligantium, credendum est, similibus uerbis nolle obligare ad culpam. Valquez 1. 2. *disp. 158. cap. 3.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 42.*

14 Ex his autem patet, quanta sit obligatio specialiter regulæ Carmelitarum, quoad illas obseruantias, quæ conducunt ad seruanda Vota Religionis, dicendum enim est, quòd quamuis secundùm se obligare videretur ad peccatum mortale, eò quòd sæpius vitur uerbis imperatiui modi, qualia sunt illa in confirmatione Innoc. IV. *Qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus Regulam à nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire uisimus deuote recipientes, eam firmiter obseruetis, & in fine regulæ. Hæc breuiter scripsimus uobis Religionis vestrae formulam statuentes, secundùm quam in posterum uiuere debeatis.* Verba autem imperatiui supposita grauitate materiæ arguant obligationem sub mortali, iuxta dicta supra num. 13. Nihilominus, quia in Religione nostra nunquam fuit regula cum tanta obligatione recepta, aut acceptata, vt inter pios, & doctos communiter circumfertur, dicendum est non obligare ad culpam mortalem, etiam quoad istas obseruantias, quæ deseruiunt ad Vota essentialia commodius seruanda ieiunia videlicet, abstinentiam à carnibus, silentia, &c. obligare tamen ad minus ad culpam ueniale. Tum propter dicta, tum quia est conforme doctrinæ S. Thom. 2. 2. *quest. 186. art. 9. & quodlib. 1. art. 20.* Tum etiam, quia iste uideretur esse communis consensus Religionis. Thom. de Iesu *supr. Reg. p. 2. tit. de obligat. nostra Regula.* Ioannes Pintus de *Victoria de Hierarch. Carmel. tract. 2. cap. 27.* Vnde bene Suarez 4. tom. *de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 3. num. 8.* de regula Carmelitarum loquens, dicit; *Consilia, & exhortationes per se nullam aliam obligationem inducunt, præter eam, quam ex natura rei, uel ex Euangelio habent res, de quibus sunt. Statuta uero uidentur*

- tur inducere obligationem saltem sub veniali culpa, ubi aliud non explicatur. Quamuis multum in hoc valeat consuetudo, & communis sensus Religionis. Cui doctrina congruit ea, quata adduximus supra num. 11. & in presenti.
- 15 Transgressio verò præceptorum regulæ, quamuis ad lethale crimen non pertingat, intra limites tamen venialis offensa, graue peccatum est. Ratio est quia talis offensa est circa illa, quæ maxime pertinent ad Religiosum, & quæ illi sunt maxime propria. Thomas de Iesu, & Ioan. Pintus de Viçt. ut sup.
- 16 Quando regula religionis alicuius fuerit deformata, seu relaxata quoad substantialia Religionis, scilicet tria Vota obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, tenentur religiosi professores ipsius illam seruare non sic relaxatam, aut deformatam, sed in suo pristino rigore, quoad obseruantiam dictorum Votorum. Ratio est, quia quamuis Religiosi illam regulam profitentes non habuerint intentionem expressam se obligandi nisi ad illam prout sic relaxatam, & deformatam, quia tamen habuerunt intentionem expressam profecti statum religiosum, & status Religiosus essentialiter includat obseruantiam trium Votorum, idè virtualiter, & implicite habuerunt intentionem se obligandi ad illam regulam integram, & perfectam quoad tria Vota, sicut suscipiens Ordinem Sacrum quantumuis non intendat ad Castitatem se obligare, manet tamen ad illam obligatus ex vi talis status, eodè quod illi est Votum Castitatis annexum. Maior. in 4. dist. 38. quest. 20. Nauarr. in Summ. cap. 12. num. 50, qui bene propterea addit peccare eum, qui filios, vel filias offert Monasterijs ubi nimia cum libertate, aut licentia viuunt, & promissa secundum regulam non obseruantur, intellige quoad substantialia Votorum. Nauarr. ut sup. num. 51.
- 17 Quando verò regula Religionis est deformata, seu relaxata, non quoad Vota substantialia Religionis, sed quoad alias obseruantias regulares, præsertim si talis relaxatio legitima consuetudine introducta sit, Religiosi, qui illam sunt professi non peccant obseruando illam sic relaxatam. Ratio est, quia nullo modo se obligarunt ex vi professionis nisi ad regulam, prout erat in usu, & prout de facto obseruabatur, neque ex vi status Religiosi, quem sunt professi aliud exigunt, cum solum obseruantia trium Votorum ad illud sufficiat. Corduba in Reg. Dni Franc. cap. 2. q. 16. p. 3. Azor. lib. 13. Inst. cap. 11. q. 16.
- 18 Similiter, qui professi sunt in Religione cuius regula relaxata est (saltem per legitimam consuetudinem) quoad modos, vel circumstantias trium votorum essentialium, non tenentur ad illam obseruandam in primo sui rigore, sed sufficit, si illam sic relaxatam obseruent. Propter rationem adductam. Præsertim, quia voti obligatio non excedit vouentis intentionem, Religiosi autem isti, ut supponitur, non habuerunt intentionem vouendi nisi regulam prout communiter in illa Religione obseruabatur. Sanchez lib. 6. in Decal. c. 2. n. 26. in fine.
- 19 Si tamen Summus Pontifex, vel alij Superiores Religionum regulam sic collapsam, & relaxatam reformare velint, & ad suum pristinum rigorem reducere, Religiosi illam professi tenentur non resistere tali reformationi. Quia eo ipso quod sunt membra illius Religionis, & professi sunt illam regulam, tenentur, etiam cum proprio dispendio, bonum, & conseruationem ipsius procurare. Euidens autem est, bonum, & conseruationem regulæ, & Religionis ex reformatione pendere, cum propter relaxationem quotidie Religiones extinguantur. Præsertim secundo, quia, qui vouit regulam, vouit etiam consequenter, & implicite ea, quæ concernunt regulam, reformatio autem regulæ maxime illam concernit, cum experientia comperit sit, quod regula, & religio quæ non reformatur, quotidie ad ruinam, & maiorem relaxationem tendat. Vnde mensurè Summi Pontifices conseruationi Religionum attendentes, eas sapissime ad pristinum decorem Decretis Pontificijs, & præceptis reducere conantur, quod non facerent, si Religiosi prædictæ reformationi resistere possent. Imò secundum aliquos ob prædictum finem possunt obligare Religiosos ad profitendum, & obseruandum clausuram, sicut Bonifacius VIII. Fœminas Religiosas ad illam obligauit. Hinc etiam Pius V. Ann. 1567. Fratres Minores
- Conuentuales in Hispania commorantes, ut transirent ad aliquem Ord. Mendicantium coegit. Multò ergo magis poterunt Religiosi ad recipiendam reformationem propriæ Regulæ, & Religionis obligati. Vasquez 1. 2. disput. 154. cap. 4. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 35. Vide dicta cap. 6. num. 60.
- 20 In tali tamen casu, Religiosi, qui ita sunt delicati viribus, ut non possint regulam reformatam, & restitutam sustinere, non tenentur obseruare reformationem regulæ. Ratio est, quia censendi non sunt se obligasse explicitè, aut implicite ad regulam reformatam, propter impotentiam. Nauarr. lib. 3. consil. 11. de Regul. in 1. edit. consil. 9. in 2. 43. & Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 38. & 39. Pro quo notandum quod cum Regula vel Religio est deformata, Generales cum Capitulo Generali possunt, & debent eam ad statum prioris obseruantia reducere, adeo ut Religiosi iam professi ad ipsius obseruantiam teneantur, propter rationes adductas; & eam præsertim quia subiiciens se in ordine ad aliquem finem, consequenter etiam subiicitur in ordine ad medium, quod est necessarium ad conseruationem talis finis: Reformatio autem Regulæ, & Religionis necessaria est ad conseruationem illarum. Pro quo non solum Vasquez, & Sanchez relati, sed etiam Syluester, Tabiena, Azor, Reginaldus, & alij afferri possunt, quos citat Tamburinus de Iure Abbatum tom. 3. disput. 4. quest. 6. num. 7. Adhibet tamen tres limitationes. Primam, quam nos adduximus ex Nauarro, & Sanchez, ut scilicet, non teneantur ad talem nouam Reformationem Religiosi delicati viribus, qui eam sustinere num possunt, vel saltem hæc est iusta causa ut cum præfatis Religiosis dispensari possit, ut ait Nauarrus relatus. Secundum ex eodem Nauarro, Tabiena, & Sanchez, quod talis mutatio Regulæ, vel Religionis non obliget illos qui tempore professionis solum nouerunt Regulam, prout tunc obseruabatur, aut non habuerunt animum adstringendi se nisi ad illam pro eo modo quo obseruabatur: quia vorum non obligat ultra intentionem vouentis. Terriam, quando Regula illa autoritate Summi Pontificis, vel consuetudine legitime præscripta abrogata erat tempore quo Religiosi professionem emisserunt. Ex Nauarro, Sanchez, Salas, & Bannez Specialiter id tenet Bonacina de legibus disput. 1. quest. 1. punct. 3. num. 18. Secus autem dicendum quando Regula, aliquorum culpa, non auctoritate Pontificis, aut consuetudine legitima abrogata erat. Bonacina supra Tamburinus supra num. 6. Nota autem quod licet ad inducendam strictiorem vitam in Religionibus requiratur consensus singulorum in Capitulo, ad reducendam tamen ad pristinum statum sufficit consensus maioris partis. Innocentius in cap. Super eo, de Regul. Panormit. ibid. num. 6. Felinus in cap. Cum omnes. vers. Pro qua fallentia, & alij cum Tamburino supra num. 7. Qui etiam addit num. 7. & 8. ex Panormitano, Sanchez, & Peyrinis posse Prælatos etiam sine Capitulis facere, quod cum illis quantum ad Reformationem Regulæ, & Religionis.
- 21 Possunt Religiosi ex vi regulæ suæ Religionis obligati ad Confessionem Venialium. Ratio est, quia seculares possunt hoc vouere, & alias potest hoc concernere regulam. Emanuel Sa in Summ. verb. Confessio num. 12. Nulla tamen regula est ad id obligans saltem quo ad omnia venialia. Viualdus de Confess. n. 51.
- 22 Religiosum facere aliqua opera supererogationis supra regulam sui Ordinis non est contra ipsam regulam, nec peccatum, etiam si fiat sine licentia Prælati. Ratio est, quia eo ipso, quod regula, aut Prælati non prohibent talia opera, cum alias sint bona, cenferi debent conformia statuti Religioso. Maxime quando regula consulti fieri talia opera, aut ea permittit; sicut in regula Carmelitarum in cuius Epilogo sic dicitur: Si quis autem supererogauerit, ipse Dominus cum redierit reddet ei. Thom. de Iesu sup. Regul. in Epilogo. dub. 2. Addens bene, consultius, & magis meritorium esse facere hæc opera de consensu Prælati. D. Benedictus in sua Regul. c. 49. D. Basil. Serm. 5. exercitat.
- 23 Regula præcipiens Religiosis laborare, qualis est regula Alberti Carmelitanis tradita, quæ cap. 15. sic habet. Facendum est vobis aliquid operis, ut semper vos Diabolus occupato inueniat, ne ex otiositate vestra aliquem intrandi aditum

aditum ad animas vestras valeat inuenire, sufficienter impletur laboribus, & exercitijs spiritualibus vt sunt audire Confessiones, Predicare, Legere, Scribere, Docere, &c. Ratio est, tum quia hæc agere est verè laborare, tum quia vt docet S. August. supr. Psalm. 118. *Non est otiosus, qui verbo Deistudet, nec plurius est estimandus, qui extra operatur, quam qui in studio cognoscenda veritatis exercetur.* Thomas Vualdenſis lib. 4. *Doctrin. Fidei c. 22.* Miranda in *Mon. Pralat. 10. 1. q. 11. art. 5.* Laborare autem manibus non est vllò modo iure communi, aut etiam naturali, & diuino præceptum Religioſis, cum nullius textus, nullaque ratio id conuincat. S. Thom. 2. 2. *quæst. 187. art. 3. & 4.* Laborare autem aliquo genere exercitijs, siue Spiritualis, siue Corporalis, ita vt choro designati Spiritualibus exercitijs incubant, Laici verò, & Conuersi Corporalibus, adeo est necessarium Religioſis, vt aliqui putent peccare mortaliter Religioſos id omittentes. Quod ad minus est verissimum respectu illius Religioſi, qui nullo exercitio occupari vellet, sed vitam otiosam duceret. Nam iste peccaret primò contra iustitiam religionis, per professionem enim fecit quasi quædam contractum cum Religione, vt ipsa eius necessitatibus succurreret, ipse verò in aliquo exercitio illi deferuisset. Secundò contra gratitudinem, cum regulariter Religioſi viuunt ex elemosynis secularium, quæ eo sine illis conceduntur, vt bonis operibus vacantes, ipsos illorum participes efficiunt, quo sine defraudantur, si viuunt otiose. Vide dicta supra c. 1. n. 16. & c. 6. num. 43. S. Tho. 2. 2. *quæst. 187. art. 4.* Thomas de Iesu *supr. Regul. Carmel. p. 4. de labor. manuum dub. 5.* Vide dicenda 10. 2. cap. 1. num. 9.

24. Quamuis de Oratione mentali habenda à Religioſis, iuxta præscriptum suæ regulæ, & Constitutionum, non sit aliquod diuinum præceptum illos obligans, cum nullibi reperiat expresse. Nauarrus in *Enchirid. c. 20. num. 67.* Est tamen hoc exercitium Orationis mentalis moraliter loquendo, simpliciter necessarium Religioſis, ad consequendum finem intentum per Religioſum statum. Hoc latè probauimus in nostro libro *de reformatione Regularium c. 3. & 4.* Vnde Caietanus 2. 2. q. 82. art. 3. dixit *Non possit vocari Religioſum, qui saltem semel in die ad huiusmodi exercitium se non transfert.*

25. Silentium regulare, quod per regulas Religioſorum obseruari præcipitur, vltra obligationem regulæ, videtur etiam maiorem aliam inducere. Eò quòd in c. cum ad *Monaster. de Stat. Monach.* Videatur præcipi Religioſis, illis verbis. *In Oratorio, Refectorio, & Dormitorio continuum semper silentium obseruetur.* Hierony. Gratian. 2. p. *discipl. Regul. c. 10. §. 3.*

26. Quamuis præceptum Ecclesiasticum ieiunij non obliget ante vigesimum primum annum, secundum communem sententiam, quia vsque ad illud tempus indigent adolentes cibo, ad nutritionem, & augmentum. (Toletus in *Summ. lib. 6. c. 4.*) Ieiunia tamen regulæ, & Constitutionum obligant professos iuuenes, etiam ante illam ætatem. Ratio est, quia ipsi se ad hoc voluntariè obligarunt per professionem Voti Obedientiæ, & regulæ. Azor. lib. 7. *Instit. Mor. c. 27. q. 3.* Sanchez lib. 4. *de præcept. Decal. c. 11. n. 56.* Vnde merito reprehenditur Medina lib. 1. *Summ. cap. 14.* oppositum affirmans. Vide Petrum de Ledefina 2. 10. *Summ. tract. 27. c. 2. post §. conc. dub. 2.* Vnde ieiunare diebus præceptis ab Ecclesia tenebuntur prædicti professi, non ratione Ecclesiastici præcepti, sed ratione regulæ, vel Constitutionis, & iuxta modum obligationis, quem regula, & Constitutiones præscribunt.

27. Similiter quamuis iure communi in casu, quo Natiuitas Domini incidit in feriam sextam, (& idem est, si incidit in Sabbathum, propter consuetudinem Ecclesiæ) licitum sit comedere carnes: qui tamen ex regula, vel Constitutionibus sunt adstricti, quales sunt Religioſi, non possunt in prædicta feria 6. aut etiam Sabbatho carnes comedere. Ratio est, quia in c. *fin. de Obseru. seiu.* dicitur: *Quòd illi, qui nec Voto, nec Regulari obseruantia sunt adstricti, in sexta feria si festum Natiuitatis Dominice, die ipso venire contigerit, carnes, propter festi excellentiam vesci possunt.* Vbi in communi præcepto non comedendi carnes feria sexta dispensantur omnes pro illa die, exceptis illis, qui Voto, vel Regulari obseruantia sunt adstricti. Sanchez lib. 4. in

*Decal. c. 11. num. 59.* An autem Religioſi prædictis diebus carnes comedentes peccent contra ius commune; an verò solùm contra regulam, aut Constitutiones? Aliqui tenent priorem partem. (Medina lib. 1. *Summ. cap. 14. §. 10.*) Eò quòd contentum Ecclesiæ videatur esse dispensare in præcepto communi de non edendo carnibus feria sexta, pro die in quam incidit Natale Domini, solùm cum illis, qui non sunt obligati ex Voto, aut regulari obseruantia, ac proinde istos ex vi iuris communis teneri, ad non comedendum carnes, etiam illa die. Alij verò tenent posteriorem partem, dicentes cum omnibus fidelibus, etiam Voto, & Regulari obseruantia adstrictis dispensari in illo capite, relicta solùm pro illis, Voti, vel obseruantie Regularis obligatione. Quia id videtur indicare verbum illud, *propter Festi excellentiam.* Sanchez vt supra n. 64. sequens alios. Prior sententia conformior videtur textui, posterior verò intentioni Pontificis, & vtraque probabilis. Quòd diximus de feria 6. & Sabbatho, dic suo modo de feria 4. pro Carmelitis. Pro quibus aduertendum, quòd quamuis, qui prædictis diebus carnes comederint, regulam, & Constitutiones nostras transgrediantur, non ex eo tamen perdet priuilegium Bullæ vulgò Sabbathinæ, vt enim patet ex Bullis Summorum Pontificum, & decreto S. Congregationis Inquisitionis, ad lucrandum prædictum priuilegium non est necessarium à carnibus abstinere feria quarta, & Sabbatho, in quibus festum Natalis Domini occurrerit.

28. Circa obseruationem regulæ, aliorumque Votorum Religionis hæc præcipit S. Concil. Trid. *sess. 25. de reform. c. 1.* *Vt omnes Regulares, tam viri, quam mulieres ad Regula, quam professi sunt præscriptum vitam instituant, & componant, atq; in primis, que ad sua professionis perfectionem, vt Obedientiæ, Paupertatis, Castitatis, ac si qua alia sunt alius Regulae, & Ordinis peculiaria Vota, & præcepta ad eorum respectu essentiam, necnon ad Communem vitam, Vultum, & Vestitum obseruanda pertinentia, fideliter obseruent. Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, quam in eorum visitationibus, qua suis temporibus facere non præmittant, vt ab illis non recedatur, cum compertum sit ab eis non posse ea, que ad substantiam Regularis vite pertinent relaxari. Si enim illa, quæ bases, sunt, & fundamenta totius Regularis disciplinae exacte non fuerint conseruata, totum corruat edificium necesse est. Ex quibus primò habetur obligari Religioſos ad obseruantiam suæ Regulæ, etiam ex vi præcepti huius. Non credo tamen propter illud intendisse Concilium dare maiorem vim obligandi regulæ, quam ipsa habet, ita vt si illa non obligabat nisi ad poenam, obliget ad culpam ratione huius præcepti, aut si obligabat ad veniale, obliget ad mortale. Habetur secundò vitam Communem Religioſorum in victu, vestitu, &c. maximè esse intentam à Concilio iuxta dicta supra c. præcedenti num. 60. Qualiter autem, & quomodo Regularis obseruantia à Patribus commendetur, habetur ex nostro opere de reformatione Regularium, cap. 5. & 6.*

29. Dispensare possunt in regulæ obseruantijs Prælati Religioſorum, iuxta dicenda cap. 18. num. 54. Ad hoc tamen requiritur iusta causa. Cum potestas prælatorum sit illis data in *edificationem, non in destructionem 2. Corinth. 10.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. art. 12. ad 2.* Causæ autem istæ, licet variè assignentur communiùs tamen occurrere solent. Prima ex parte temporis, quando nimirum propter tempus videtur conueniens regulæ rigorem mitigare. Hac enim ratione in ieiunio ferie 5. post Pascha dispensatur in nostris Constitutionibus p. 1. cap. 4. §. 1. Secunda ex parte personæ, vt si Religioſus sit infirmus, debilis, senex, &c. Tertia ad euitandum scandalum, murmurationem, vel iram grauis personæ, vt si Princeps, vel Prælati inuitarent ad prandium Religioſum aliquem, & ipsi solùm apponeret carnes die, quo secundum regulam nec potest illas comedere. De his tamen, & alijs. Syluest. *verb. dispensatio q. 1. num. 3.* Angelus num. 2. Imò quando ad eam causam rationabilis dispensandi tenetur Prælati dispensare, maximè si Religioſus id petat. Quia potestas Prælatorum præcipuè attendere debet ad bonum subditorum, & finem charitatis. Sà *verb. dispensatio 2.* Miranda *tom. 2. Man. quæst. 30. artic. 6.* Si autem Religioſus habeat sufficien-

cientem, & certam causam, vt dispensetur, & non adest Prælatus, qui id faciat, multi dicunt posse tunc secum per Episcopiam dispensare. Rodriguez tom. 1. quest. 26. artic. 5. Laurentius de Peirinis tom. 1. quest. 1. de Obedient. cap. 8. Addens, si manifesta necessitas, vel utilitas adit, & Prælatus ex odio, aut malitia nolit dispensare, ipso iure dispensatum esse. Henriquez lib. 6. de Pœnit. c. 13. n. 4.

30 Quando Prælatus præcipit aliquid contra regulam, seu contra aliquod statutum Religionis, causa rationabili subsistente, censetur dispensare in regula, si potest, & subditus tenetur obedire. Ratio est, quia præcepta Superiorum obligant in quantum possunt, cum autem Prælatus non possit præcipere quidquam contra Regulam, nisi in ea dispensando ex causa rationabili, ideo credendus est sic facere, & obediendus à subdito. Caietan. 2. 2. quest. 104. art. 5. ad 3. Prælatus autem posse in obseruantijs regulæ dispensare dicimus cap. & num. relatis.

31 De obligatione ad Regulam, quam habent Religiosi ad Episcopatum, Cardinalatum, vel Abbatiam aliquam extra Ordinem assumpti, dicimus c. 17. n. 8. De Electis dicimus c. 23. n. 17. De Nouitijs, cap. 24. n. 2. De Monialibus autem cap. 25. num. 1.

### S V M M A R I V M C A P. V I I I.

Quid importent Constitutiones, seu ordinationes in Religione. n. 1.

Quomodo differunt à Regula. n. 2.

A quibus possint condi, seu institui. n. 3.

Obligare possunt in conscientia. ibid.

Debent esse de rebus concernentibus explicitè vel implicitè Regulam. n. 4.

An per illas imponi peculiare asperitates, magna corporis afflictiones, &c. n. 5.

Quid possit Summus Pontifex circa hoc. n. 6.

Quid Capitula Religionum. n. 7. & 6.

Ob publicam necessitatem obligari possunt Religiosi ad peculiaria opera mortificationis. n. 7.

Obligatio obseruandi Constitutiones aliquando sub mortali aliquando sub veniali aliquando sub mera pœna. n. 8.

Quando id contingat ibidem, & n. 9.

Etiã quando obligant ad pœnam possunt dici obligare indirectè ad culpam. n. 10.

Quotiescunq; aliquid præcipiunt in virtute sanctæ obedientiæ sub interminatione gehennæ, sub pœna maledictionis aternæ, vel simili alio modo obligant ad mortale. num. 11.

Si tamen materia sit grauis, nec solum leuis. n. 12.

Similiter quoties præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis maioris. n. 13.

Secus de excommunicatione minori. n. 14.

Item quoties ponitur sub pœna suspensionis, Interdicti, vel irregularitatis regulariter transgressio est mortalis. num. 15.

Item quoties pro aliqua culpa ponitur pœna mortis, alius cuius membri, carceris perpetui, vel grauis infamie. num. 16.

Similiter est peccatum mortale transgredi constitutionem aliquam ex contemp. n. 17.

Quid de praua consuetudine seu vsu non seruandi constitutiones. n. 18.

Non obligant quando sunt impeditiua charitatis. n. 19.

Nec cum metu, aut probabili vita periculo. ibid.

Neque quando deficiunt à ratione ita vt repugnent bono communi. n. 20.

Omnes etiam superiores tenentur legibus, & constitutionibus suorum ordinum. n. 21.

Confirmata auctoritate Papæ an possint mutari à Religionibus. n. 22.

Qui dispensare possunt in illis. n. 23.

An abrogentur consuetudine. n. 24.

Quid de Constitutionibus permutentibus in Religionibus magistros seu Doctores. n. 25.

Decreta Pontificia inseri debent inter constitutiones. numero 26.

Vt obligent requiritur promulgatio ipsarum. n. 27.

Immunitates seu libertates in ipsis concessæ an coarctari possint à Prælatis. n. 28.

Constitutio præcipiens studia litterarum licita est, & obligatoria. num. 29.

Quid de constitutione prohibente missionem, aperiionem, vel detentionem litterarum. n. 30.

An licitum si scribere litteras ad Prælatum sine nomine. num. 31.

De obligatione obseruandi ceremonialia, vel ordinaria religionum. n. 32.

Pœna prinationis inhabilitatis, & cetera qua apponi solent in Constitutionibus quomodo intelligendæ. n. 33.

## De obligationibus Religiosorum ratione Constitutionum, seu statutorum Religionis. Cap. VIII.

1 Constitutiones, seu Ordinationes in Religione comparantur cum regula, sicut in naturalibus, perfectiones, seu formæ accidentales, cum forma substantiali, seu anima, quæ est perfectio substantialis compositi. Vnde licet non possit dari vera Religio sine regula, quia est quasi anima Religionis, & ab ipsa Religiosi Regulares dicuntur, sicut Canonici à Canone, vt constat ex Rubric. de Regularib. tamen potest dari vera religio sine Constitutionibus, aut ordinationibus à regula distinctis, qualis est religio Carthusiensium, Minimorum, & Societatis Iesu. Suarez 4. tom. de Relig. lib. 1. c. 1. n. 6.

2 Differunt præcipuè Constitutiones, & regula, quia regula, vt in plurimum est ab aliquo antiquo Patriarcha constituta, à Summis Pontificibus approbata, & in Religione perpetua. Constitutiones verò non ita, sed à Prælatis, aut Capitulis Religionum ordinatæ sunt, & multæ sine Pontificia auctoritate, aut approbatione, & pro temporum varietate mutari possunt, & de facto sæpius mutantur. Suarez vbi sup. num. 5.

3 Possunt in Religionibus condi, seu institui Leges, aut Constitutiones obligantes Religiosos in conscientia ad eorum obseruantiam. Sumitur hæc veritas ex illo ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ad Hebræ. 13. Obedite præpositis vestris, & subiaceat illis. Et ratio est, quia in religionibus est potestas regendi, & gubernandi Religiosos, ad illam verò spectat facultas hæc condendi Leges, seu Constitutiones. Vasquez 1. 2. disp. 153. c. 1. Hæc verò potestas condendi Leges, aut Constitutiones regulariter solum spectat ad Generalem cum Capitulo Generali pro tota Religione, vel ad Prouincialem cum Capitulo Prouinciali pro tota Prouincia. Ratio est, quia licet quilibet Superior, siue Generalis, siue Prouincialis, siue etiam localis possit imponere præcepta, aut mandata, quæ solum pro tempore determinato sui Officij durent ( nisi aliud in specialibus Ordinationibus Religionum habeatur ) Statuta tamen, seu Constitutiones non possunt edi in Religionibus nisi ab eo, quod representat totam communitatem, qualis est Generalis cum Capitulo Generali, vel Prouincialis cum Capitulo Prouinciali, tum quia condere Leges spectat ad Communitatem, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1. tum quia ita regulariter est illis concessum à Summis Pontificibus, & in praxi apud ipsas Religiones versatur. Vasquez 1. 2. disp. 153. cap. 1. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 17. Dixi autem regulariter, quia existente consuetudine, vel praxi Religionis, vel aliquo priuilegio, tunc poterit Generalis, aut alius Superior condere aliquas Leges, vel Statuta, præsertim cum habeant auctoritatem quasi Episcopalem. Et in hoc sensu intelligendi sunt aliqui auctores, qui hoc videntur concedere. Suarez lib. 4. de legibus c. 5. Bonacina tract. de legibus, disp. 1. q. 1. punct. 3. Similiter quantum est ex natura rei, & iure communi, possunt Leges pro tota Religione condere Diffinitores in Capitulo Generali, etiam ante electionem Generalis. Tum quia Religionem totam representant, tum quia semper est cum illis aliquis, siue Præses, siue Vicarius Generalis, qui simul cum Diffinitoribus representent etiam totam Religionem. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. n. 9. Vide dicenda c. 18. n. 90. & tom. 2. c. 12. n. 6.

Huius.

- 4 Huiusmodi autem Constitutiones, seu statuta Religionum, ad hoc quod obligent in conscientia, debent esse de rebus concernentibus explicitè, vel implicitè regulam; explicitè quidem, si illa etiam habeantur in regula, implicitè verò, si sint necessaria ad regulam obseruandam. Ratio est, quia vt diximus *cap. 4. num. 9.* Religiosi non tenentur ex vi Voti Obedientiæ nisi ad ea, quæ aliquo modo ex prædictis concernunt regulam, sub qua viuere professi sunt. D. Thom. *quodlib. 10. art. 10. Cordub. in expost. Regul. D. Francisc. c. 10. quest. 2.*
- 5 Hinc etiam ad hoc quod obligent in conscientiam istæ Leges, aut Constitutiones Religiosæ, non debent continere peculiare asperitates, magnas corporis afflictiones, vigiliæ, aut diurnas orationes, quæ non concernunt regulam explicitè, aut implicitè, sed omninò sunt supra illam, iuxta dicta *cap. 4. num. 13.* Propter eandem rationem, scilicet, quia cum Religiosi solùm vouerint obedientiam secundum Regulam, non possunt ad maiora obligari, etiam à Capitulo Generali Ordinis. Vasquez *1. 2. disp. 154. cap. 4. num. 25.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 18.* Nec etiam Summum Pontificem ex vi Voti Obedientiæ, quod ipsi Regulares emittunt posse tales Leges condere tradunt Cordub. *in expost. Regule D. Francisc. cap. 15. quest. 2. d. 6. Lessius lib. 2. de Inst. c. 41. dub. 9. n. 77.*
- 6 Poterunt tamen non solùm Summus Pontifex, sed etiam Prelati Religionum cum Capitulis condere Leges continentes austeriorem vitam omninò supra Regulam, obligantes in posterum professuros. Cum enim isti nondum emiserint professionem non possunt conuari, quod obligentur ad ea, quæ non promiserunt, sicut conuari possent ante istas nouas Leges professi. Sanchez *vt supra num. 20. & 23.* Non tamen possunt præcipere, aut ordinare aliquid contra Ius commune. Quia Ius est à Papa cui subduntur Prelati, & Capitula Religiosorum. Peirini *tom. 1. Præleg. minim. in constitut. Pyrrhi §. 4.* Portellus in *Dubijs Regularib. verb. statutum n. 9.* Possunt tamen constitutiones iuris communis declarare innouare, & vbi pœna deficit apponere, vel augere. Quia hoc non est ius commune subuertere, sed adiuuare, quod licitum esse dicitur in *cap. 1. de nou. oper. nunciat. Peirinis vt sup.*
- 7 Similiter possunt fieri Leges, aut Constitutiones obligantes Religiosos ad opera mortificationis, seu austeritates ob publicam necessitatem; vt. gr. bellum, pestem, famem, hæresim, &c. Ratio est, quia hæc non sunt censenda omninò supra Regulam, sed aliquo modo concernentia ipsam, vt potè conducentia ad vtilitatem publicam. Cordub. *in Regul. D. Francisc. cap. 10. quest. 2.* Lessius *2. de Inst. cap. 41. dub. 9. n. 77.*
- 8 Obligatio obseruandi Constitutiones Religionum, aliquando est ad mortalem culpam, aliquando ad venialem, aliquando ad nullum peccatum; sed ad meram pœnam ab ipsis Constitutionibus taxatam, iuxta dicta *cap. præcedenti à num. 6.* Quando enim Author Constitutionum declarat se nolle ad culpam obligare, sed ad pœnas, tunc certum est solùm ad pœnas obligare. Quando verò nihil tale declaratum est, attendi debet ad communem sensum, & acceptationem Religionis, ex hoc enim capite præfertim desumitur quantitas obligationis. Si verò de hoc non constat; si materia, quæ præcipitur non est grauis, sed leuis, certum est obligationem non posse esse sub mortali, culpa enim mortalis, necessariò petit grauem materiam. Similiter si verba, quibus ponitur lex non sint præceptiua, qualia sunt *Præcipimus, mandamus, statuimus, &c.* Sed alia communia præceptis, & consilijs, vt *Volumus, Monemus, &c.* tunc est probabilissimum non obligare ad culpam, præsertim mortalem. Solùm ergo possunt esse obligatoria ad culpam mortalem ea quæ per verba præceptiua statuuntur, & circa grauem materiam. Leuis enim materiam solùm poterit inducere leuem culpam, videlicet venialem. Vide dicta *capite præcedenti à numero sexto*, Thomas de Iesu de *Regul. Carmelit. p. 2. dub. 8. part. 1.*
- 9 Quando ea quæ habentur in Constitutionibus, vel Statutis Religionum, sunt de rebus alijs præceptis iure natu-

rali, diuino, aut positiuo, transgressio illorum est qualis fuerit transgressio talium præceptorum. Similiter quando fuerint res directè spectantes ad tria Vota, transgressio illarum est mortalis, nisi per accidens ratione paruitatis materiæ, vel inaduertiæ, solum sit venialis. Quando fuerint res, quæ solum sub consilio proponuntur, ad nullam culpam obligabunt. Quorum ratio sumitur ex dictis *capite præcedenti à num. 7.*

- 10 Etiam quando Constitutiones Religionum obligant solùm ad pœnam, possunt dici obligare saltem indirectè ad aliquam culpam. Ratio est, quia adhuc tales Constitutiones obligant in conscientia ad patiendum pœnam impossitam, & dant ius Superiori ad puniendum transgressorem illarum tali pœna, ergo si Religiosus resistat pœnæ talis pœnæ, peccabit iuxta grauitatem materiæ, & circumstantiarum; ac per consequens tales Constitutiones ad aliquam culpam obligant, saltem indirectè Confirmetur, quia alijs prædictæ Constitutiones non differunt à mero Consilio, nec essent vera præcepta. Suar. *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 2. n. 6.*
- 11 Quotiescumque tamen, siue in Regula, siue in Constitutionibus, siue in alijs Ordinationibus, aut præceptis Superiorum, præcipitur, aut prohibetur aliquid in virtute S. Obedientiæ, vel in virtute Spiritus sancti, vel in virtute Voti, aut iuramenti facti, transgressio erit peccatum mortale. Vfus enim obtinuit, vt talia, vel similia verba obligationem sub mortali indicent. Azor. *tom. 1. Instit. mor. lib. 5. cap. 6. quest. 5.* Aragon. *2. 2. quest. 62. art. 3.* Idem dico, si dicatur sub interminatione gehennæ. Quia ea comminatio solùm debet correspondere culpæ mortali. Castro *lib. 1. de lege pœna. cap. 5. docum. 4.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 43.* Idem, si dicatur sub pœna maledictionis æternæ, aut indignationis Dei. Propter eandem rationem. Vasq. *1. 2. disp. 158. cap. 5. & Sanchez vt supra.* Idem, ob eandem rationem, si dicatur sub pœna maledictionis Dei. Tolet. *in fin. Summ. cap. 19. num. 6.* Idem sub obestratione diuini Iudicij. Propter similem rationem. Nauart. *in Sum. cap. 23. num. 51. vel 53.* Valent. *1. 2. disp. 7. quest. 5. part. 6. & 2. 2. disp. 10. quest. 4. part. 5.* Non sic credo de verbo strictè, aut auctè mandamus, neque de verbo sub præcepto. Quia hæc omnia indifferentia sunt ad peccatum mortale, vel veniale. Est autem prudenter sanè inter Patres Discalceatos nostri Ordinis statutum, Constitutiones, ac Superiorum præcepta, & mandata ad peccatum mortale non obligare, nisi per contemptum, aut nisi per Prelatum quidpiam præcipiatur in scriptis, in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ.
- 12 Si tamen Prelatus, vel aliqua Constitutio, seu Statutum Religionis præciperet rem parui momenti, & circa materiã leuem seu exiguam, prædictis modis, scilicet in virtute S. Obedientiæ, in virtute Spiritus Sancti, transgressio non erit mortalis, sed tantùm venialis. Ratio est, quia materia leuis, seu exigua inobedienciæ, aut transgressioni Voti, non est capax obligationis sub mortali, etiam si Prelatus hoc intenderet. Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 5. docum. 2.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 4. num. 4.* Debet tamen certò, & indubitanter constare esse leuem materiam eam, quæ hoc modo præcipitur, vel prohibetur, vt iudicemus Constitutionem, vel præceptum, quod aliàs ex tenore verborum ad mortale obligabat, solùm obligare ad veniale. Ratio est, quia in dubio semper est credendum Superiorem, aut Legislatorem rectè, & ordinatè præcipere Suarez *5. tom. in 3. part. disp. 4. sect. 6. num. 11.* Aragon. *2. 2. quest. 62. art. 3.*
- 13 Similiter quoties in Constitutionibus, aut Statutis Religionum (idem dico de quocumque alio mandato) præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis maioris lætæ sententiæ, transgressio illius est mortalis. Ratio est, quia tam grauis pœna solùm imponi potest pro culpa mortali. Vnde hoc etiam extenditur, si id quod præcipitur, aut prohibetur sit sub pœna excommunicationis ferendæ. Propter eandem rationem. Salon. *2. 2. questione. 77. artic. 1.* Henriquez *libro 13. de Excommunication. capit. 17. numero 2.* Quod intellige, nisi euidetur constet esse leuem materiam eam, quæ præcipitur, aut prohibetur, propter quam præsumatur talem excommunicationem ferendam exigere admonitionem.

Henriquez *ut supra* Sanchez *lib. 6. in Decalog. 4. n. 51.* Casta autem dato quod pro re leui imponeretur maior excommunicatio, illa esset non solum iniusta, sed etiam inualida. Quia non solum esset contra Sacros Canones, sed & supra potestatem Prælati, ita ut dici posset continere errorem intolerabilem Cornexo *1. 2. in 3. par. tract. 5. de Excommuni-  
mone. disput. 2. dub. 3.*

14 Si tamen poneretur (quod non est admittendum) Constitutio, seu Præceptum sub pœna excommunicationis minoris, non inde inferretur transgressionem illius esse mortalem, sed posse esse venialem. Quia hæc leuis pœna potest solo peccato veniali incurri, unde quod transgressio illius sit mortalis, vel venialis aliunde penlandum est, videlicet ex parte materię. Vasquez *1. 2. disputat. 158. num. 40.*

15 Item quoties in Constitutionibus, vel Statutis Religionum præcipitur, aut Ordinatur aliquid sub pœna Suspensionis, Interdicti, vel Irregularitatis, transgressio illius est mortalis. Ratio est, quia istæ pœnæ sunt gravissimæ, atque ita nequeunt imponi nisi propter culpam mortalem. Suarez *tom. 5. in 3. par. dis. 4. sect. 4. n. 7.* Vasquez *1. 2. disp. 158. c. 5.* Excipe quando Suspendio, vel Interdictum essent alicuius actus particularis, & ad breve tempus. Quia tunc non arguerent transgressionem mortalem. Suarez *ut supra.* Pœna autem degradationis, priuationis Ecclesiasticæ Sepulturæ, & similes, sine dubio arguunt transgressionem mortalem. Quia etiam sunt gravissimæ pœnæ. Castro *de leg. pœn. cap. 5. docum. 4.* Medina *C. de lesum. q. de necess. seru. ieiun.*

16 Similiter si in aliqua Constitutione, vel Statuto Religioso statueretur pro aliqua culpa pœna mortis, mutilationis alicuius membri, carceris perpetui, trireremium, & grauis infamie, credendum est transgressionem illius culpæ esse mortalem. Eò quod pœnæ tam atroces non possint nisi propter culpam mortalem. De pœna mortis, & mutilationis membri Syluester *verb. præceptum quest. 3. in fine* Sotus *1. de Iust. & Iure quest. 6. art. 5.* De pœna perpetui carceris. Corduba *in Regul. D. Francisc. cap. 10. q. 3. punct. 1.* Azor. *10. 1. Institut. moral. 1. 5. c. 6. q. 5.* De pœna trireremium Salon. *2. 2. q. 77. art. 1. controu. 7.* Sanchez. *lib. 6. in Decalog. c. 4. n. 64.* De pœna grauis infamie Castro *lib. 1. de lege pœnali c. 5. docum. 4.* & Azor. *loc. cit.*

17 Similiter quoties Religiosus transgreditur aliquam Constitutionem seu Statutum suæ Religionis, etiam aliis non obligantia ad culpam, ex contemptu, peccat mortaliter. Ratio est, quia contemptus est actus formalis inobedientiæ directè oppositus Voto Obedientiæ, quo in professione se astrinxit subijciendo se voluntati Superiorum. S. Th. *2. 2. q. 186. art. 9.* Caiet. *ibid.* Constitit autem huiusmodi contemptus, non in eo, quod quis ex malitia, parua consuetudine, indignatione, aut alia causa, transgrediatur præcepta sicut legem, sed in hoc, quod quis violet legem, aut præceptum, quia non vult subijci ipsi, aut Superiori præcipienti, ita ut habeat duos actus, alterum quo vult non subijci legi, aut Superiori, alterum, qui ex illo oritur, scilicet transgredi tale præceptum, vel legem. S. Thom. *ut supra ad 3.* Caiet. *ibi, & in Summ. v. contemptus.* Imò ad hoc quod contemptus sit peccatum mortale, non sufficit quod sit contemptus secundum quid id est, quo Religiosus nolit subijci Superiori, aut præcepto, hic, & nunc, sed requiritur quod si contemptus simpliciter, id est, quod nolit simpliciter subijci præcepto, aut Superiori. Caiet. *ut sup. vers. aduerte hic* Val. *ut infra.* Si quis tamen transgrediretur Constitutionem, aut Legem Religionis, non ex contemptu talis legis, aut Constitutionis, sed ex contemptu executionis illius, quia scilicet reputat illam rem parui momenti, non semper peccaret mortaliter. Quia hoc non est vel le non subijci legi Superioris, sed æstimare illam minus, quam decet Valentia *2. 2. disputat. 10. quest. 4. punct. 5.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 15. num. 10.* Vide *cap. 1. num. 12.*

18 Prava autem consuetudo, seu vsus non seruandi Constitutiones, aut Statuta Religionis, quæ non obligant ad culpam, vel solum ad venialem, non facit ex se, quod transgressio illorum sit peccatum mortale. Ratio est, quia actus replicati sunt eiusdem speciei, ac proinde eiusdem malitiæ, si ergo prima transgressio Constitutionis Reli-

giosæ fuit tantum peccatum veniale, etiam si milles replicetur, non fiet mortalis. S. Thomas *2. 2. quest. 186. artic. 9.* Caietanus *ibidem.* Potest tamen huiusmodi prava consuetudo, seu vsus transgrediendi Constitutiones fieri mortalis, primò ratione periculi, cui se exponit sit transgrediens, contemnendi illas. Azor. *lib. 4. Institut. moral. cap. 9. quest. 11.* Secundò, quia sic operans est valde perniciosus Religioni, suo prauo exemplo alios ad relaxationem inducens. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 18.* Vide *cap. 1. num. 13.*

19 Constitutiones, & Statuta Religionum non obligant quando sunt impeditiua operum Charitatis: vt si sit Statutum in aliqua Religione de non intrando in cellam alterius Religiosi, & contingat aliquem infirmari, potest Religiosus in illam intrare. Ratio est, quia nec alie Leges Ecclesiasticæ obligant in istis casibus. Rodrigu. *10. 1. qq. q. 67. ar. 3.* Nec etiam obligant cum metu, aut probabili periculo vitæ. Quia nulla lex humana hoc pacto obligare potest. Vnde licet Charthusiani satis laudabiliter à carnibus abstineant, etiam cum periculo vitæ post ponentes bonum particulare vitæ bono communi Religionis in perpetua abstinentiâ à carnibus consistente. (Sanct. *lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 39.*) Quod intelligo in casu quo est alius cibus, quo uti possint, nam si non est alius cibus, inhumantum est, & contra ius naturale, ita facere Suarez *4. tom. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 4.* In nullo tamen casu tenetur à carnibus abstinere cum periculo vitæ. Quia nulla lex, aut etiam votum Religionis potest obligare contra præceptum naturale conseruati vitæ cuius homo non est dominus, sed solus Deus. Victoria *in Relect. de temperantia à n. 8.* Secus dicerem si esset scandalum, quia tunc lege naturali, & diuina teneretur illud vitare. Bonacina *de legib. disp. 2. q. 3. punct. 2. num. 16.*

20 In casibus, in quibus obseruantia Constitutionis, seu Statuti Religionis, ita deficit à ratione, vt repugnet bono communi dispositio ipsius, non obligat. Ratio est, quia tunc concurrunt duo contraria, scilicet lex naturalis, & lex positua, ac per consequens standum est legi naturali, quæ est strictior. Caiet. *2. 2. q. 12. art. 1.* Rodriguez *1. 1. q. Regul. q. 67. art. 4.* Non verò deficit Lex, aut Constitutio, quando ratio ipsius in particulari casu, & persona deficit. Eò quod Lex, seu Constitutio respicit bonum commune, Rodriguez *ut supra* referens Sorum. Ex quo colligo etiam teneri Prælatos superiores quoad eandem vim directiuam ad obseruantiam legum particularium aliquarum Prouinciarum, vel Conuentuum, in quibus manent, tum propter bonum exemplum subditorum, tum quia eo ipso quod subditi vident Superiores eas non obseruare, saltem pro multis occasionibus, crederent ab eis abrogari. Suarez *3. de legibus cap. 35. num. 74.* Salas *de legibus disput. 14. sect. 2. n. 23.* & ex ipsis Tamburinus *de Iure Abbatiæ 10. 3. disp. 3. quest. 4.*

21 Omnes Superiores Religionum, etiam ipse Generalis tenentur Legibus, & Constitutionibus suorum Ordinum, quoad vim directiuam. Eò quod sint membra Religionis præsertim, cum Lex, siue Constitutio, non ab ipsis solum, sed à Capitulis habuerit suam vim. D. Thomas *1. 2. quest. 96. artic. 5.* Sotus *lib. 1. de Institut. quest. 6. artic. 7.* Imò aliquo modo dici possunt obligari ad illas, etiam quoad vim coactiuam, quatenus finito officio suo, vel tempore Capitulum possunt ob earum transgressionem puniri. Rodriguez *1. tom. quest. 68. artic. 3.* Miranda *in Man. Prælat. quest. 29. art. 4.*

22 Constitutiones, seu Statuta Religionum confirmata auctoritate Papæ non possunt mutari ab ipsis Religionibus, seu Capitulis ipsarum. Eò quod inferior non potest tollere facta à Superiore. Nauarrus *lib. 1. Consil. tit. de consil. conf. 8.* Hoc tamen intellige, quando prædicta confirmatio Papalis fuit facta in bonum Religionis, seu per modum decreti, mandati, aut ordinationis, quando enim facta fuit in fauorem statuentium tales leges, tunc confirmatio Papæ habet vim cuiusdam priuilegij, & ita liberè ab illo possunt recedere priuilegiati. Ita probabiliter Rodriguez *1. tom. quest. 10. articulo 4.* Miranda *2. tomo. Manual. q. 29. artic. 8.* Clariùs dici potest quod quando confirmatio Summi Pontificis fuit substantialis, & essentialis, hoc est quando Summus Pontifex confirmando dicta statuta dat ipsis nouum

noūum robur ea propria faciens aut volens quod ea nomine suo subsistant, proculdubio tunc non possunt mutari, aut alterari à Capitulis, aut Religionibus: quia tunc censentur veluti ab ipso Papa lata, ac per consequens ab inferioribus inuariabilia. Si tamen talis confirmatio solum fuit accidentalis, vt si ea Pontifex solum laudauerit, & approbauerit vt legitimè facta à Religionibus vel Capitulis, non faciendo ea veluti propria ipsius, aut eis noūum robur tribuendo, tunc possunt à Religionibus, vel Capitulis immutari. Ita Bonac. de legib. disp. 1. q. 1. p. 1. num. 16. Tambur. de Iure Abbat. tom. 3. disp. 3. q. 7. n. 6. & seq. post Salas, Rodrig. & Mirandam. Adde Portellum in dub. Regul. v. Statutum n. 11. Qui tamen oppositum dicit, si Papa præcipere alicui Capitulo, vt nomine ipsius Papæ conderet tale, vel tale statutum, quia tunc esset veluti essentialiter Papale. Tamburinus sup. n. 9. Vbi etiam in sequentibus de interpretatione, seu declaratione talium statutorum. Pro quo vide quæ dico tom. 1. c. 18. n. 76.

23. Quamuis de iure communi non possint Superiores Religionum dispensare vniuersaliter in Legibus constitutionibus, aut Statutis ipsarum, nisi quando illis talis facultas conceditur expressè, vel interpretatiuè, eò quòd inferiores non possunt in Legibus latis à suis Superioribus dispensare, Constitutiones autem Religionum factæ sint à tota Religione, vel Prouincia, quæ sunt Superiores Generali, & Prouinciali (Syluester. v. dispensatio quest. 4. & 9. cum sequentibus. Nauarr. in Man. prælud. 9. n. 15.) In aliquibus casibus tamen id possunt, scilicet in casibus leuibus, in quibus recurrere ad Superiores, vel Capitulum esset intolerabile, & in casibus, qui frequenter accidunt, in quibus etiam durum, & asperum videtur tantum tempus spectare. Ratio huius est, quia in his casibus præsumitur licentia interpretatiua concedi a iure, & maioribus Superioribus, idq; consuetudine, quæ est optima Legum interpretis, obseruatur. Medina 1. 2. q. 97. art. 4. concl. 3. Miranda in 2. tom. Man. q. 30. art. 11. Vide cap. 18. n. 54.

24. Consuetudo legitimè præscripta, & debitis circumstantiis vestita, v. gr. quod sit rationabilis, vniuersalis, & cum notitia Superioris, habet vim legis, seu Constitutionis, & potest tollere legem contrariam, aut Constitutionem, seu Statutum, quod erat prius in Religione. Ratio est, quia consuetudo hoc modo censetur quasi quædam Lex, aut Constitutio Religionis. Rodrig. 1. tom. quest. Reg. quest. 69. art. 1. Miranda 2. tom. Man. quest. 28. per totam. Præscribit autem huiusmodi consuetudo si est contra legem, quadraginta annis Nauarr. in Man. c. 21. n. 13. Si autem est præter legem, decem annis. Rodrig. tom. 1. q. 68. art. 1. Sà in Sum. verb. consuet. n. 7.

25. Constitutio, seu Ordinatio Religionis permittens in ea Magistros, aut Doctores, tolerari potest, dummodo, qui accipit tales gradus sit idoneus, alius, qui scit non esse idoneum, & pete illos, peccat mortaliter sicut qui scienter admittit. Syluester verb. Doctor. quest. 4. Sà in summ. verb. docere num. 2. Aduertendum etiam est Decretum Clement. VIII. & SS. D. N. Urbani circa huiusmodi graduatios, videlicet. Nullus nisi actu legat vel prædicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat. Vide alia circa illos cap. 10. num. 20. & 24. Animaduerti tamen debet actu legere, dici etiam Lectores, quando tempore vacationum student vt legant. Laurentius de Peirinis tom. 1. privileg. Minim. in Constit. 2. July 2. §. 5. n. 21.

26. De mandato Clem. VIII. in decretis pro reformatione Regularium innouatis à S. Congregat. iussu SS. D. N. Urbani præcipitur Generalibus, ac omnibus alijs quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, vt curent, ac efficiant, prædicta omnia decreta inter alias eorundem Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi. An autem inde inferatur hæc Decreta non inducere aliam obligationem ad sui obseruantiam, quam Constitutiones Religionum? Mihi videtur verior pars negatiua. Ac proinde quòd de obligatione horum Decretorum loquendum sit iuxta generales regulas, quæ de iure communi sunt ad cognoscendam obligationem aliarum Legum Pontificalium, de quibus nos egimus supra, & cap. 7. n. 7.

27. Ad hoc quod Leges, seu Constitutiones Religionum obligent subditos requiritur aliqualis promulgatio ipsarum. Hoc enim necessariò requiritur pro cuiuscumque

Legis obligatione. Licet autem promulgatio in singulis Monasterijs, seu Domibus Religionis optima sit, non videtur tamen necessaria, sed sufficit quòd in Capitulo Generali, vel Prouinciali respectiue, fiat. Sicut generaliter Lex Pontificia sufficienter promulgatur. Romæ, Episcopalis in Cathedrali Ecclesia, Regia in Curia Regis. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. n. 15. & 16.

28. Immunitates, & libertates concessæ Religionis in Constitutionibus (imò & Regula) Ordinum, possunt à Prælati ipsorum aliquibus coarctari, ex iusta causa, nisi talis coarctatio sit expressè prohibita prædictis Superioribus. Ratio est, quia eo ipso quòd non est illis prohibita, censetur concessa; eò præsertim quia ad bonum regimen Religionis spectat ita facere; saltem in aliquibus casibus. Corduba in Regul. D. Franc. c. 10. quest. 2. punct. 6. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 3. n. 9. Idem etiam dicendum est de Prælato inferiori respectu licentiæ, & immunitatis Religionis à Superioribus Prælati concessarum. Laurent. de Peirinis tom. 1. quest. 1. de obed. c. 8. in fine.

29. Licita est, & honesta Constitutio præcipiens Religiosis studia litterarum. Vt latè probauimus in tractatu de Reformat. Regular. cap. 11. Laurentius de Peirinis tom. 1. de Subdito quest. 1. de Obedient. c. 30. Religiosi etiam ad studia deputati notabiliter negligentes in studendo, sæpe peccant mortaliter. Tum quia occupant aliorum locum. Tum quia abutuntur commoditate illis ad studendum à Religione concessa, videnturq; scientias contemnere. Nauarrus in Sum. cap. 25. n. 59. Peirinis vt supra.

30. Licita quoque est Constitutio prohibens ne litteræ missæ ad Superiores aperiantur, vel detineantur à subditis. Vnde inter casus referuabiles à Superioribus designauit Clemens VIII. malitiosum impedimentum, aut retardationem, aut aperitionem litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores missarum. Ratio est, quia per hoc impeditur maximè bonum regimen Religionis, & fraterna charitas inter Religiosos. Pro explicatione autem huius casus referuabilis, quando scilicet in eo quis peccet consule Quarantam in Compend. Bullar. verb. casus referuat. num. 12. & Coriolanum in tract. de cas. referu. par. 2. casu 11. Deinde qui aperit litteras obseruatas, vel alienas scripturas animo nocendi, vel cum graui detrimento aliorum, peccat mortaliter. Quia in re graui offendit proximum. Rodriguez tom. 2. quest. Regular. quest. 36. art. 2. Non tamen peccat mortaliter qui aperit litteras, ex quibus sibi vel alteri timet periculum alicuius damni notabilis iniuste inferendi. Quia in tali casu præceptum naturale de euitando damno iniuste inferendo, præponitur præcepto de obseruando secreto. Nauarr. in Sum. cap. 18. num. 53. Laurent. de Peirinis tom. 1. de Subdit. quest. 2. de paupert. cap. 2. §. 13.

31. Scribere litteras ad Prælatum sine nomine, continentes delicta occulta contra aliquem, est ex suo genere mortale peccatum. Quia est reuelare crimen occultum fratris, quod mortale est. Nisi forsitan hoc fieret ex charitate, non ex odio, aut maleuolentia: vltionem, & punitionem non quaerens, sed solum correctionem, & emendationem, & celatur nomen scribentis, quia si fortè perueniat ad notitiam illius contra quem scribitur, reddetur illi inimicus. Laurent. de Peirinis tom. 1. de Subdito quest. 2. de paupert. cap. 2. §. 12. Non possunt tamen Prælati ex huiusmodi litteris ad inquisitionem procedere delictorum, quæ continent. Rodriguez tom. 2. quest. Regul. 6. art. 10. Vide dicenda cap. 27. n. 4.

32. De obligatione obseruandi Ceremonialia, seu Ordinalia Religionum phylosophandum est eodem modo, ac de alijs Legibus, Statutis, ac Constitutionibus Ordinum. Ac proinde dicendum, transgressionem eorum, quæ in illis præcipiuntur, esse peccatum mortale, vel veniale iuxta quantitatem materiæ, & alias circumstantias, iuxta dicta in hoc capite, & præcedenti. Ex parte tamen materiæ, scilicet eorum, quæ in illis præcipiuntur, est sine dubio maior obligatio ea obseruandi, quàm alia, quæ per alias Constitutiones ordinantur, ac per consequens transgressio magis peccaminosa; nam quæ in prædictis Ceremonialibus præcipiuntur immediatius, & proximiùs concernunt cultum Dei, in quo vix potest aliquid minimum reperiri. Specialiter vetò de ceremoniali Carmelitarum



rum illud occurrit monendum, quod quamvis in illo dicatur *Sub obedientia precepto vobis omnibus, & singulis, pre- fertim vero Superioribus, ad quos ista spectant, iniungimus, ut quibuslibet alijs minus Ceremoniarum, & Rituum observationibus relictis, in omnibus, quoad fieri poterit, hinc nostro Ordinario, & Ceremoniali conformemini, illudque ad unguem sequamini*: nihilominus, non obstante huiusmodi precepto Obedientiae, non erit peccatum mortale, vnam, aut aliam, aut etiam aliquas, saltem paucas, Ceremonias non obseruare, si non sit contemptus, aut voluntas non se conformandi praedicto Ceremoniali, aut notabilis, & magna negligentia in nunquam studendo addiscendo, aut legendo illud. Sic enim interpretatur hoc preceptum communis vsus Religionis, & Reuerendissimi Generales Ordinis a me super hoc interrogati, ita responderunt. Semper tamen erit veniale peccatum, nisi adsit negligentia, obliuio, aut ignorantia inculpabilis.

33. Poenae priuationis officiorum, dignitatum, graduum, & administrationum, &c. seu inhabilitatis, ad illa: seu alia, quae apponi solent in Constitutionibus, & Statutis Religionum, etiam si ponantur sub verbis, *ipso facto, ipso iure, eo ipso*, aut similibus, non incurruntur in foro interiori conscientiae, nisi praemissa declaratione Superioris, quae ad minus constet Religiosum perpetrasse illud crimen, propter quod imponuntur tales poenae iuxta dicenda cap. 10. num. 30. Eo quod ita videtur esse praxis Ecclesiae, saltem quoad plures doctos, & timoratos. Quando autem adduntur vterius ille particulae *absque vlla declaratione absque vlla sententia, ante declarationem, sententiam, &c.* cap. aut similia, tunc obligat reus ad tales poenas etiam in foro interiori, & conscientiae soluendas, iuxta dicenda etiam eodem cap. 10. n. 31. Licet aliqui non improbabiler dicant contrarium, ut ibidem notabimus. Consuetudo tamen, & vsus, seu acceptio Religionum maxime attendenda est, seu declaratio illius, qui Constitutiones, seu Statuta fecit. In nostris autem Constitutionibus p. 5. c. 1. si dicitur: *Item cum in Constitutionibus Nostris frequenter ponatur poena depositionis ab officio Praelatorum, & aliorum Officialium ipso facto, propter multa pericula, quae possent inde contingere declaramus, quod intelligitur ipso facto, postquam in Capitulo, vel Visitatione fuerint conuicti, & confessi coram Superioribus*. Idem habetur c. 9. & 10.
34. De obligatione, quam habent Religiosi assumpti ex Ordinibus ad Dignitates, ad obseruandum Constitutiones, & Statuta Religionum dicimus cap. 17. num. 8. De praelatis, etiam Generalibus cap. 13. num. 11. De electis cap. 23. num. 17. De Nouitijs cap. 24. num. 2. De Monialibus cap. 25. num. 1.

### SVMMARIVM CAP. IX.

- Excommunicantur Religiosi habitum suae Religionis temere dimittentes, n. 1.*  
*Item accedentes ad studia nisi a suo Praelato, & conuentu licentiam habuerint, n. 2.*  
*Quomodo excommunicatio intelligenda, ibidem.*  
*Item Religiosi de Claustris exeuntes ad audiendum medicinam, vel leges, n. 3.*  
*Ad quos extendatur haec excommunicatio, ibid.*  
*Interdicta est Religiosis appellatio a correctione suorum superiorum, n. 4. 5. & 6.*  
*Ad qua tribunalia id intelligatur, ibid.*  
*An in casu graui, & raro licita sit appellatio, n. 7.*  
*Quibus conditionibus, ibid.*  
*Quid de facultate recusandi Praelatos, num. 8.*  
*An religiosus possit esse executor testamenti, n. 9.*  
*Qua licentia, ibid.*  
*Nequeunt sibi eligere sepulturas, n. 10.*  
*Non possunt comparere in iudicio, sine ut rei, sine ut actores sine licentia superiorum, n. 11.*  
*Nec possunt munus Advocati, vel Procuratoris exercere, num. 12.*  
*Nec minus Tabellionis, n. 13.*  
*Nec esse Iudices etiam arbitri nisi &c. n. 14.*  
*Possunt tamen esse Assessores, & Vicarij Episcoporum alique illorum, & cum quibusdam conditionibus, ibidem.*

- Non possunt exercere artem Chirurgiae cum incisione, vel adustione, n. 15.*  
*An possint esse testes, n. 16.*  
*Interdicitur Religiosis suscipere tutelam alicuius persona, num. 17.*  
*De qua tutela id intelligendum, ibid.*  
*Nec possunt esse fideiussores, n. 18.*  
*Nec possunt testari nisi de licentia, n. 19.*  
*An possint venari seu assistere venationibus, n. 20.*  
*Lanceis vti prohibitum est Religiosis, n. 21.*  
*An teneantur semel in mense peccata confiteri, n. 22.*  
*Circa decimas Ecclesiae quid prohibitum Religiosis sub excommunicatione, n. 23. & 26.*  
*Balnea ingredi quomodo illis prohibitum, n. 24.*  
*Qui inducunt aliquos ad hoc vt sepulturas eligant, excommunicationem incurrunt, n. 25.*  
*Intra septa monasterij arma tenentes quas poenas incurrant, n. 27.*  
*Benedicere mensam an sit illis preceptum, n. 28.*  
*Tempore interdicti quid illis prohibitum vel preceptum, num. 29.*  
*Beginas fouentes sunt excommunicati, n. 30.*  
*An liceat illis baptizare, esse Patris, aut ministrare aliqua Sacramenta, n. 31.*  
*Transferentes se ad partes transmarinas quando incurrant excommunicationem, n. 32.*  
*Qui prohibeantur ad curias Principum accedere, n. 33.*  
*Prohibitum est Religiosis noua loca adire, vel antiqua mutare, num. 34.*  
*Qua obseruanda in erigendis sine construendis monasterijs, n. 35.*  
*Saltem duodecim fratres debent in eis sustentari, ibid.*  
*Deserere monasteria semel accepta non possunt, n. 36.*  
*Dantes seu accipientes ex pacto pro ingressu Monasterij quando sint excommunicati, n. 37.*  
*Vinum temperatum bibendum quoties, & quomodo, n. 38.*  
*Qualiter & quomodo mercatura prohibita sit Religiosis, num. 39.*  
*An ludus prohibitus sit Religiosis, n. 40.*  
*Monasteria Regularium debent habere carcerem, n. 41.*  
*Poenae Religiosorum falsi testis, n. 42.*  
*Poenae furis seu latronis, n. 43.*  
*Poenae homicide seu venenum propinantis, n. 44.*  
*Quid prohibitu Religiosis circa pulsatione campanarum, n. 45.*  
*Obseruare debent festa ab Episcopis indicta, n. 46.*  
*Quid circa processiones seruandum a Religiosis, n. 47.*  
*Lectio Sacrae Scripturae habenda in Monasterijs, n. 48.*

### De obligationibus Religiosorum, quae habentur in Iure, vel Concilijs. Cap. IX.

1. **I**N primis cap. 2. *ne Clerici, vel Monachi in 6. excommunicantur Religiosi professi habitum suae Religionis in Scholis, vel alibi temere dimittentes*. De quo latius agimus c. 13. a num. 2. Soluim est aduertendum huiusmodi excommunicationem nulli esse reseruatam.
2. **S**ecundo excommunicantur eodem genere excommunicationis nulli reseruatae, professi accedentes ad quauis studia, nisi a suo Praelato cum consilio Conuentus, vel maioris partis illius, licentia primitus obtenta. Ita habetur dicto cap. secundo *Ne Clerici*. Vnde ad hanc excommunicationem incurrendam non requiritur; quod Religiosus habitum deponat, sed etiam si cum habitu vadat, illam incurrat. Eo quod textus non petit hanc conditionem dimissionis habitus. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. n. 72. Nec requiritur, quod studia sint alia prohibita, sed etiam si sint permissa, adhuc incurratur talis excommunicatio. Quia textus expressè dicit ad quem Studia Syluester verb. *Excommunic. 9.* Non incurritur tamen haec excommunicatio si Religiosus vadat etiam sine licentia ad alium Conuentum propter studia, quae sunt intra suae Religionis Claustrum. Quia intentum huius Legis, solum videtur fuisse prohibere studia extra Claustra Religionis. Caietan. in Sum. verb. *Excommunic. cap. 61.* Bonacina in tract. de Claustra quaest. 2. punct. 6. §. 5. Nec etiam incurratur

ritur si vadat ad Studia extra Claustra Religionis, mansurus tamen in Conuentu illius Civitatis, vel Oppidis, ubi sunt talia Studia. Eò quòd textus, solum videatur prohibere, ne Religiosus studeat manens extra Claustra sui Monasterij. Suarez 5. tom. in 3. par. disput. 23. sect. 4. Bonacina ut supra §. 5. Licentia autem, quæ ex hoc Capite requiritur, pensanda est secundum consuetudinem Religionum. Si enim fuerit talis consuetudo, quòd solum concedatur à Generali, vel Prouinciali, non sufficit licentia immediati Prælati. Suarez ut supra num. 37. In quo casu non videtur necessarius consensus Monasterij, quia textus solum videtur loqui, quando licentia conceditur à Prælato immediato, non autem quando à Generali, vel Prouinciali conceditur. Syluester verb. Excommunicat. 9. casu 25. num. 55. quest. 2. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 87.

3 Deinde Religiosi de Claustris exeuntes ad audiendam medicinam, vel Leges, nisi intra duorum mensium spatium redierint, sunt excommunicati, & reuersi ad Conuentum, in Choro, Mensa, Capitulo, &c. debent esse ultimi. Ita habetur in cap. fin. ne Clerici, vel Monachi. Bonacina tract. de Clausura q. 2. punct. 7. Nulli verò est reseruata hæc excommunicatio. Nec comprehendit Religiosos intra Claustra audientes istas scientias, vel foris manentes tamen intra Claustra. Nec comprehendit docentes illas, nec habentes priuati in Cellis Lectores Legum, nec eos, qui student Legibus, in quantum conducunt ad intelligentiam Canonum. Toletus in Sum. lib. 1. c. 37. Diana tr. 2. de dubijs Regul. Resolut. 79. Extenditur hæc excommunicatio ad Doctores, siue Magistros, qui Religiosos, habitu suo dimisso, Leges, vel Physicam audientes, scienter docere, aut in Scholis suis præsumperint retinere cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6. Caetan. in Summ. verb. excommunicat. cap. 61. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 89. Bonacina punct. 8.

4 Præterea, Religiosis omnibus maximè interdictum est à correctione tuorum Superiorum appellare ad Iudices extraneos. Primò quidem Iure Communi cap. ad nostram de appellationibus, & c. reprehensibilis, eodem tit. in fine ibid. Ne Religiosi cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra Regularem Prælatum sui, & Capituli disciplinam, appellare presumant. Secundò propter multa priuilegia Religionibus concessa specialiter Bonifac. VIII. pro Franciscanis, Sixti IV. pro Carmelitis, & Augustinianis, & Iulij II. pro Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum, vt refert Casfarubius in Compend. Priuileg. Mendic. v. appellare. Vbi etiam habetur Greg. XIII. in quodam motu proprio Anno 1575. Interdixisse Franciscanis de Observantia, sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reseruata, & alijs pœnis, appellationem ad Tribunalia Secularia; concessisse tamen eis appellationem, ad Generalem, vel Protectorem, vel Pontificem. Sac. quoque Congregationem Cardinalium edidisse decretum Ann. 1587. vt appellatio hoc ordine interponatur; à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & ab hoc ad Cardinalium Congregationem, referturque hanc appellationem esse permitam à Sixto V. Extat etiam Bulla Clem. VIII. quæ est 110. in 3. to. Bullarum edita Ann. 1604. Vbi appellatio prohibetur Carmelitis sub excommunicationis latae Sententiæ pœna, à qua, non nisi à nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo absolui possunt, nec non priuationis perpetuæ officiorum per eos obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia quæcumque dicti Ordinis Officia exercenda, ac vocis, tam active, quam passive, eo ipso absque alia declaratione incurrere. pœnis. Subiungit etiam Pontifex; Distinctius inhibemus, ne ad ipsa Tribunalia Secularia, quouis pretextu, aut quæsto colore appellare, vel ad illa confugere, aut ea propterea quoquo modo adire audeant, vel presumant. Sed si se à Prælatibus grauari pretendant, ad Priorem Generalem ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad nos, siue Romanum Pontificem pro tempore existentem, Supremum in Ecclesia Dei Iudicem, sicut antiquitus semper facere consueverunt, recursum habeant, vnde illis breui manu iustitia ministrabitur. Volentes, & ita Declarantes, quòd nedom dicti Ordinis Regulares persone contra Summa Lezana Tom. I.

facientes, verum etiam eorum quomodolibet directè, vel indirectè fautores, & consultores, easdem pœnas eo ipso omnino incurrant. Decernentes irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Vide Bullam tertio tom. Bullarum pag. 159. Similem prohibitionem habent Augustiniani ab eodem Clem. VIII. in Bulla Quoniam nostr. Anno 1604. edita, & Seruata in alia Bulla eiusdem tituli, Anno 1593.

5 Circa quæ alia animaduertenda sunt. Primum est, hæc Iura, & Decreta Pontificum congruentissima ratione pro Religiosis edita fuisse, vt ab eis abominabilis iste appellatio à correctione Regulari, seu sententia Superiorum ad tribunalia secularia, inuentum Diabolicum, honorem Religionis inhonestans, & pacem, & tranquillitatem Religiosorum perturbans, signumque maximæ relaxationis, cum regulariter loquendo, solum apud aliquos ambitiosos, & superbos, & deformatos locum habeat. Sotus de Iustit. & Iure lib. 5. quest. 6. artic. 3. Aragon. 2. 2. quest. 69. artic. 3.

6 Secundum est, Religiosis non solum esse prohibitam appellationem ad Iudices non competentes, vt ad Laicos, aut Seculares Magistratus, vel Iudices, hoc enim de se patet iniquissimum esse, & omni pœna, & supplicio dignum, sed etiam aliquando ad Iudicem competentem, scilicet Sedem Apostolicam, Dominos Nuncios, Legatos, &c. Ratio est quia licet Sedes Apostolica, aut Apostolica Tribunalia, sint Supremi Iudices Ecclesiæ, tamen ipsi Summi Pontifices Ecclesiæ capita, attendentes maximum detrimentum Religiosæ disciplinæ ex prædicta appellatione oriri, Iuri suo cedentes, prohibent Religiosis prædictam appellationem, propter bonum Religionum. Cuius signum est, quòd Cisterciensibus interdicta est appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam sub pœna excommunicationis. Idemque priuilegium dicitur concessum Canonicis Regularibus, & Minoribus à Iulio Secundo Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 11. num. 2. 13. & 16. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 108. & 109. Nota autem quòd Sac. Congregatio Regularium Iure Computari debet inter Tribunalia Religionis. Thomas de Iesu de visit. Regul. tract. 3. cap. 17. num. 7.

7 Tertium est, quòd in raro, & graui casu, in quo euidenter constaret Religioso fieri notabilem iniuriam, in fama, honore, & reputatione à suis Superioribus, licita illi esset appellatio ad Summum Pontificem, vel Sac. Congregationem. Ratio est, quia hoc videtur permittum à Summis Pontificibus, vt conforme Iuri Naturali, non solum in aliquibus Decretis ex adductis, sed à Iure in cap. de Priore de appellation. cap. licet de Offic. Ordinar. & cap. supr. quest. versic. nos autem de Officio Legat. Nauarrus Comm. 3. de Regular. num. 51. & lib. 2. Consil. in 1. edit. tit. de Sentent. & re iudicata, consil. unico num. 6. & tit. de appellat. consil. 4. num. 1. Azor. lib. 12. Instit. Mor. cap. 11. quest. 8. In tali autem casu appellatio executionem sententiæ regulariter suspendit, vt colligitur ex cap. venientes de Iure iurand. & cap. Pastoralis §. præterea de Offic. Iudic. deleg. Nauarrus lib. 2. Consil. de appellat. conf. 6. num. 1. Necessè est etiam in appellatione causam grauaminis exprimere. Quia solummodò admittitur appellatio cum modus exceditur. Sanchez 10. 2. de præcept. Decalog. lib. 6. c. 8. n. 105. Thomas de Iesu de Visit. Regul. tract. 3. c. 17. n. 8. Vnde si talis causa non assignatur, vel causa assignata friuola, vel iniusta visa fuerit ipsi Iudici, & alijs hoc consiliarijs adhibendis, nihil de illa curare debet Iudex, quia talis appellatio non suspendit executionem sententiæ. Alderete lib. 2. de disciplin. Relig. cap. 28. num. 28. In alijs autem casibus non est toleranda appellatio Religiosorum, etiam si illis aliqua iniuria fiat: cum recta, & bona æstimatio Religionis anteponi debeat, etiam secundum Ius naturale, bono priuato alicuius, sicut eodem Iure Naturali dictante, manus recipit ictum, aut vulnus, ad seruandam incolumitatem corporis, vel capitis. Rodriguez tomo 1. quest. Regular. quest. 29. artic. 3. Laurentius Peyrinis tomo 1. quest. 1. de Obed. cap. 20. Cum verò appellatio ad Sedem Apostolicam conceditur licet re-

- gulariter loquendo fieri debeat modo dicto *num. 4.* scilicet à Priore, vel Guardiano ad Præuincialem, & ab hoc ad Generalem, casu tamen dato, quod à prædictis non spereretur remedium contra iniuriam illatam appellanti, vel similibus casibus licitè fieri poterit appellatio immediatè ad Apostolicam Sedem. *Portell. in Dubijs regular. v. appellare num. 3.*
- 8 Idem etiam suo modo dicendum est, & propter eandem rationem, de facultate recufandi Prælatos Regulares, illam scilicet, esse omnino illicitam, & abominabilem Religiosis, nisi in casu rarissimo, quo licita esset appellatio, videlicet quando euidenter constaret, Prælatum Regularem omnino iniquè se gerere contra bonam famam, & opinionem alicuius Religiosi in materia graui. *Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. ultim.* Qualiter autem se gerere debeant tam recusans, quam recusatus. Vide Laurentium de Peirinis *tom. 1. q. 1. de Obedient. c. 19. §. 1.*
- 9 Nullus etiam Religiosus potest esse executor testamenti, seu testamentarius siuè ad causas prophanas, siuè ad pias, absque obtenta sui Superioris licentia. Quia ita habetur *in cap. 2. de testamentis in 6. illis verbis: Religiosus executor ab aliquo in sua ultima voluntate deputatus, non potest, cum uelle, vel nolle non habeat, huiusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à Superiore suo petita super hoc licentia, & obtenta.* Sufficiet autem tacita licentia, cum textus non dicat expressam esse necessariam. Syluest. *v. testament. . questione secunda, distinct. tertia,* Sanchez libro sexto, *in Decalog. cap. 11. num. 11.* Eamque potest quilibet Superior, etiam immediatus, concedere. Cum circa hoc nihil dicatur in prædicto capite: Molina *tom. 1. de Iust. disp. 247.* Nisi fortè in Religionibus hoc esset determinatum, vt solum id ad Prælatos Superiores spectaret. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 11. num. 16.* Fratres autem Minores de Observantia nequeunt esse executores testamentorum, adhuc obrenta suorum Superiorum licentia. Quia ita habetur *in Clem. exiuit. §. proinde cum vir Sanctus, versic. verum etiam de verbor. significat.* Rodrig. 3. *tom. quest. Regul. quest. 70. art. 2.* Religiosi uero executores testamentorum tenentur reddere rationem Episcopo. Ex Concil. Trid. *sess. 22. cap. 8.* Alphonsus Villagut *in Spec. Vistator. fol. 32. n. 9.*
- 10 Religiosi nequeunt sibi eligere sepulturas, nisi à proprijs Monasterijs aded forsitan sint remoti, quod ad eas, cum moriuntur, non possint commodè portari. Ratio est, quia ita deciditur *in cap. fin. de Sepult. in 6. Syluest. verb. Sepultur. quest. 6.* Nauarrus *Comm. 2. num. 43. de Regular.* Augustinus Barbosa *de Officio, & Potest. Parochi cap. 26. num. 30.* ubi etiam alia ad intentum. Prælati autem concedunt id posse facere, forsitan, quia in suis Monasterijs habent authoritatem, Tabiena *verb. Sepultura quest. 4. num. 5.* Rodriguez *tom. tertio, quest. Regul. quest. 60. artic. 1.*
- 11 Religiosi etiam non possunt comparere in iudicio, siuè tanquam Actores ad agendum, siuè tanquam Rei ad se defendendum sine licentia sui Superioris. Ratio est, quia in hoc æquantur in Iure Religiosi cum seruis, aut filijs familias, & quasi pro mortuis habentur, vt tradunt Doctores Communiter *cap. cum dilect. de rescript. & authentica causa, que fit cum Monacho C. de Episcopo, & Cleric. Nauarr. Comm. 2. de Regular. num. 64.* & Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 12.* Vnde neque pro iniuria sibi illata, siuè in persona, honore, aut bonis possunt in Iudicio comparere, sed hoc competit Prælato. Syluest. *v. Relig. 8. quest. 4.* Nauarr. *Comm. 2. de Regular. num. 29. & 64.* Quando tamen Monachus est extra Monasterium, videlicet in Studio, aut alibi cum licentia sui Superioris, aut quando is Superior est ita absens, vt commodè absque periculo in mora non possit habere eius responsum, tunc agere potest in Iudicio, ratione licentiæ præsumptæ in istis casibus. Nauarr. *Comm. 2. de Regul. num. 65.* Azor. *lib. 12. Instit. moral. cap. 11. quest. 9.* Similiter si agere velit contra Prælatos, vt in Religionem reneatur, vel vt ab ea repulsius admittatur, vel ne ei, quæ de Iure Ordinis debentur, denegentur, tunc poterit sine licentia ipsius litem agere, seruatis tamen alijs seruandis. Quia in hoc casu ipsa Religio, vel Ius naturale dat talem licentiam. Sanchez *lib. sexto in Decalog. cap. 12. num. 16.*
- 12 Nec potest Religiosus munus Aduocati, vel Procuratoris in causa aliqua tenere, nisi propter utilitatem Monasterij, & iubente Prælato. Quia ita habetur *in cap. Monachi el. 2. 16. quest. 1. illis verbis: Nullus Monachorum forensis negotij susceptor, vel executor existat, nisi quod Monasterij posset utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante.* Syluest. *verb. Aduocat. quest. 6.* Sayrus *Clauis Regia libro duodecimo, cap. vigesimo secundo, num. 3.* Nota autem hanc prohibitionem exercendi munus aduocati non solum ad Monachos, sed ad quoscumque veros Religiosos extendi, siue Monachi sint, siue Canonici Regulares, Mendicantes &c. *c. 2. de postuland. & Clem. Religiosus. Sanch. lib. 6. in Decalog. c. 13. n. 1.* Lugo *2. tom. de Iust. & Iure disp. 41. sect. 1. n. 3.* Non autem comprehenduntur Nouitij: quia nomine Religiosi non veniunt in odiosis Nouitij. Sanch. *n. 2.* Lugo *supr. De licentia autem ista, & utilitate Monasterij qualis debeat esse, vt Religiosus exercere possit munus aduocati, latè Sanchez dicto c. 13. & Tamburinus de Iure Abbatum tom. 3. disp. 3. q. 6. n. 27.*
- 13 Nec etiam potest exercere munus Tabellionis. Ratio est, quia ita habetur *in cap. sicut ne Clerici, vel Monachi, & ex cap. vt inquisitionis §. verum quia versicul. ad conscribendas de heretic. in 6.* Vbi tanquam quid speciale conceditur fauore Fidei, vt Monachus, qui in sæculo erat Tabellio, possit etiam in Religione id munus exercere. Potest tamen Monachus, qui in sæculo erat Tabellio complere, etiam post professionem, & signare instrumenta, quæ in sæculo solum fecerat. Quia hoc non est tam exercere de nouo Officium Tabellionis, quam suplere defectus factos in alio tempore. Nauarr. *Comm. 2. de Regular. num. 42.* Rodrig. *tom. 3. quest. Regular. quest. 8. artic. ultim.* Possunt etiam Religiosi exercere munus Notariorum in quibuscumque causis Sanctæ Fidei, & Inquisitionis. Ita decreuit Pius IV. in Bulla, quæ incipit *Pastoralis Officij* Anno 1561. Affertur etiam alia Iulij III. similia concedentis Generali Ordinis Prædicatorum. Flau. Cherub. *in Compend. huius Bullæ.* Vide dicenda *c. 18. n. 95.*
- 14 Nec etiam potest Religiosus esse Iudex, etiam Arbitrarius, in aliqua causa, nisi concurrente duplici conditione, scilicet licentia Superioris, & utilitate Monasterij. Ratio est, quia ita deciditur *in cap. Monachi el. 2. 16. quest. 1. & cap. de presertim 16. quest. 1. & cap. 2. de postuland.* Ita communiter Summistæ *v. arbitrarius,* & Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. n. 55.* ubi multa de hoc. Possunt tamen Prælati Religionum eligi in Iudices Conseruatores aliarum Religionum. Propter priuilegia illis concessa, de quibus Rodrig. *tom. 1. q. Reg. quest. 65. art. 3.* An autem modò post decreta Summorum Pontificum, præsertim Gregorij XV. hoc ita sit tenendum, constat ex dictis *c. 3. n. 11. & dicendis tom. 2. cap. 10.* Possunt similiter Religiosi esse Assessores. Eò quod Assessor non est Iudex, sed Consultor, aut Instructor Iudicis, quod nullibi est illis prohibitum. Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 13. num. 85.* Possunt etiam Religiosi, saltem ex *v. Iuris Communis,* esse Vicarij Episcoporum, ut duabus illis conditionibus subsistentibus, scilicet licentia Superioris, & utilitatem Conuentus. Cum enim munus Vicariatus sit Officium pertinens ad Iudicia, erit prohibitum Religiosis, nisi subsint illæ duæ conditiones. Azor. *tom. 2. Instit. Moral. lib. 3. cap. 43. quest. 10.* Rodriguez *tom. 3. quest. Regul. quest. 76. artic. ult.* Contrarium uero tenet Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minimor. in 4. Const. Sixti IV. §. 10. n. 48.* Ab ijs tamen muneribus Arbitri, Assessoris, & Vicarij Episcoporum arcent multi Franciscanos propter Clementiam *Exiuit.* Arcentur etiam illi, quibus propter speciales Constitutiones sui Ordinis est hoc prohibitum. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. n. 66.*
- 15 Religiosi non possunt villo modo exercere artem Chirurgiæ cum incisione, vel adustione. Ratio est, quia ita habetur *ex cap. Tua nos de homicidio, & c. sententia sanguinis ne Clerici vel Monachi.* Ita Summistæ *v. Medicus, vel Medicina.* Extenditur, vt neque causa pietatis id liceat. Propter eandem rationem, Armilla *in Summ. v. Irregularitas num. 47.* Nauarr. *in Summ. cap. 25. n. 110.* Vnde oppositum facientes sunt Irregulares, si inde sequatur mors, quantumcumque diligentiam adhibeant, ne sequatur. Quia dant operam rei sibi prohibite ratione periculi homicidij. Cornexo *tom. 2. in 3. p. tract. 5. de Irregul. disp. 3. dub. 2.* An autem

autem possint Religiosi artem istam absque vlla incisione, & aduisione exercere, res est dubia. Sed probabilius est, non posse. Eò quòd quamuis nullus textus expressè id prohibeat, tamen implicite prohibetur in toto titulo *Ne Clerici, vel Monachi* vbi sapius habetur, Religiosos non posse exercere negotia Secularia, & eorum statum de decetia, munus autem Chirurgiae indecens pro illis videtur. Nauarr. *in Sum. cap. 25. num. 110.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 14. num. 18.* Qui addit, in Societate Iesu esse priuilegium à Gregorio XIII. concessum, vt Religiosi Medicinæ periti, possint mederi quibuscumque infirmis, quando Medici Seculares commodè haberi non possunt, dummodo id fiat ex Superioris licentia, & citra aduisionem, & incisionem per ipsos faciendam. Addit etiam Cornexo *vt supra*, quòd si Clericus (idem est de Religioso) curet citra incisionem, vel aduisionem, & omni diligentia adhibita infirmus moriatur, non erit Irregularis, quia, etsi curare hoc modo sit prohibitum, non tamen est prohibitum ratione periculi homicidij, sed ratione indecentiæ.

16 Non est in Iure prohibitum Religiosis esse testes, cum nullus textus id prohibeat, potius esse illis permittum colligitur ex *cap. nuper de testibus, & authent. de Monach. §. cogitandum collat.* Et ita videtur dicendum posse esse testes, tam iudiciales, quam cuiuscunque instrumenti. Syluester *verb. testament. 1. q. 5. dist. 1. Molina tom. 1. de Institut. disp. 127. §. vtrum autem.* Quod etiam extenditur ad testamentum, in quo aliquid relinquitur Monasterio Religiosi, qui est testis. Quando enim aliquid non est speciale singulorum commodum, sed Vniuersitatis, vel Collegij, potest quilibet ex illa Vniuersitate vel Collegio testificari. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 13. n. 102.* Ad hoc tamen, vt Religiosus sit testis alicuius causæ Iudicialis, requiritur licentia Superioris. Quia cum Iudex secularis non sit Superior Religiosis testificantis, non potest ab illo exigere testimonium nisi Religiosus se illi subiciat, ad quod est necessaria licentia proprii Prælati. Angelus *verb. testis num. 3.* Sanchez *num. 103.* Si tamen testificetur sine tali licentia, testimonium valebit. Cum nullibi sit irritatum, & potius interpretanda sit res vt valeat, quam vt pereat. Syluester *verb. testis quest. 1. dist. 1. Molina tom. 1. de Institut. disput. 127.*

17 Interdicitur etiam Religiosis suscipere tutelam alicuius personæ. Ratio est, quia ita habetur *cap. fin. q. 86. & authent. de Sanctissimis Episcop. §. Deo autem amabilis collat. 9. & l. Regia 14. tit. 16. par. 6.* Ita tradunt Angelus, Syluester, & Tabiena *in Summ. verb. tutela.* Addentes, etiam ex licentia suorum Superiorum non posse hoc munus exercere. Eò quòd illi in prohibitione Iuris nequeunt dispensare. Hoc tamen intelligit de tutela testamentaria, idest, data in testamento, & de tutela datiuâ, quæ scilicet solet designari à Iudice. De tutela namque legitima, illa scilicet, quæ Lege defertur consanguineis successuris ab intestato, posse suscipi à Religiosis de licentia Prælatorum, videtur haberi *in prædicto c. fin. d. 86. Azor. 1. 1. Institut. Moral. lib. 12. c. 11.* Tutelas quoque miserabilium personarum posse admitti à Religiosis, concedit Graffis *1. p. dec. lib. 3. c. 5. n. 112.*

18 Nec possunt Religiosi esse Fideiussores, nisi de licentia Prælati, & maioris partis Capituli. Ratio est, quia ita habetur expressè *cap. penult. de fideiuss. & l. Regia 2. tit. Moral. lib. 12. p. 5.* Exigitur quoque utilitas Monasterij *c. 2. de postulat.* Syluester, Angelus, & Tabiena *in Summ. v. fideiussor.* Lessius *2. de Institut. c. 28. dub. 2. n. 20.* Vnde si Religiosus fideiubeat, non solum peccat, sed fideiussio est irrita, & nulla. Cum non habeat aliquid proprium, quod alteri possit obligare, quod est necessarium ad fideiussionem. Mol. *2. 1. de Institut. disp. 540. Azor. 1. 1. Institut. Mor. l. 12. c. 11. q. 2.*

19 Nec etiam possunt Religiosi Professi testari, & testamentum ab ipsis factum est omnino irritum, & nullum, *ex authent. ingressi c. de Sacrosanct. Eccles. & cap. quia ingredientibus. 19. quest. 3. & c. 2. de testament.* Et ratio est, quia testati supponit habere proprium, aut dominium, quòd repugnat Religioso Professo. Nauarrus *Comm. 2. de Regul. n. 22. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 8. à n. 1.* Possunt tamen facere aliquam schedulam, qua rogent Prælatum, vt det alicui ea, quæ ipsi habent ad vsum. Cum hoc non sit facere testamentum, aut codicillum, nec sit alicubi prohibitum, aut deroget Voto Paupertatis. Nauarrus *in Summ.*

Summa Lezana Tom. I.

*lat. cap. 27. & Comm. 2. de Regular. num. 22. Graffis 1. par. Decis. lib. 3. cap. 5. num. 58.* Possunt etiam testari ex licentia Pontificis. Quia cum sit Summus Prælatum Religiosorum potest Religiosis concedere facultatem disponendi de quibuslibet bonis, & potest etiam dispensare in Lege positua prohibente ne Religiosi testentur. Graffis *1. par. Decis. lib. 3. cap. 5. n. 57. & 59.* Lessius *2. de Institut. c. 41. dub. 8. num. 73.* Possunt præterea testamentum à se factum ante professionem interpretari, & declarare, si declaratione, aut interpretatione egeat. Quia hoc non est dispensare de aliquibus bonis, sed declarare dispositionem à se factam quando poterant illam facere. Diana *Tract. 2. de Dub. Regular. Resolut. 75.* An vero possint illud rauocare, vide Barbosam *in Collectaneis Concil. sess. 25. cap. 16. num. 22.*

20 Prohibitum est etiam Religiosis, sicut, & Clericis, venari, aut interesse venationibus *d. 6. §. vltim.* Credo autem hanc prohibitionem venandi non esse sub mortali, cessante scandalo, & alijs prauis circumstantijs extrinsecis, quando solum fit venatio honestæ recreationis gratia. Nauarrus *Comm. 4. de Regular. num. 26. Suarez 10. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 11. n. 2. Rebellus lib. 1. q. 14. n. 10.*

21 Lineis vti est etiam prohibitum Religiosis *in cap. cum ad Monasterium de statu Monachor.* Proprius enim Religiosorum habitus, etiam internus; laneus esse debet. Sed hoc tantum est veniale regulariter loquendo, imò nullum peccatum, si communis vsus Religionis oppositum habeat multò magis, si est aliqua infirmitas corporalis. Syluester *v. Relig. 7.* Graffis *1. p. Decis. lib. 3. cap. 5. num. 69. & 70.* Fratres autem Minores lineis camiseis vtentes, peccate mortaliter, tenet Petrus Marchant. *in exposit. Reg. D. Franc. cap. 2. quest. 5.* Eò quòd in prædicta Regula hoc illis prohibeatur.

22 Licet aliqui teneant Religiosos præsertim Benedictinos, teneri semel in mense sua peccata confiteri propter *Clement. ne in agro* (Caetanum *tom. 1. Opuscul. tract. 5. quest. 1.*) Nihilominus probabilius est, vel non esse talem obligationem ad culpam, vel solum esse venialem. Quia Clementina illa nihil aliud postulare videtur. Henriquez *lib. 1. de Sacram. Pœnit. cap. 4. num. 10. Sorus in 4. dist. 18. quest. 1. art. 3.*

23 Religiosi non habentes aliquam administrationem, vel beneficium, qui Decimas Ecclesiæ debitas vsurpare præsumunt, nisi post requisitionem desistant à præmissis infra mensem, & damnificatis Ecclesijs emendam infra duos menses faciant, sunt excommunicati. *Clement. Relig. de Decimis, & Primit. Tolet. in Summ. lib. 1. c. 40. à num. 5. Miranda in Manuali Prælat. tom. 2. q. 35. art. 18.*

24 Balnea ingredi prohibitum est etiam Religiosis. *cap. Omnis qui 24. q. 1.* Ex necessitate tamen id licet Graffis *1. par. Decis. lib. 3. c. 5. n. 115.*

25 Religiosi, qui aliquos ad vouendum, seu alias promittendum, inducunt, vt sepulturas apud eorum Ecclesias eligant vel iam electas non mutant incurrunt sententiam excommunicationis ipso facto Sedi Apostolicæ reseruatum *Clement. cupientes de pœnis.* Miranda *2. 10. questione trigesima quinta, articulo decimo octauo.* Simpliciter tamen inducentes ad hoc, non comprehenduntur, nec etiam, qui prædicto modo inducunt alios ad sepulturam in alia Ecclesia. Tolet. *in Summ. lib. 1. c. 37.*

26 Religiosi, quia aliqua in sermonibus suis, vel alibi, proferre præsumunt, vt audientes à Decimarum Ecclesijs debitarum solutione retrahant, incidunt in Excommunicationem ipso facto. Si verò scienter post posuerint conscientiam fecerint. Et si prædicta diligentia non facta, prædicare præsumpserint, incidunt in excommunicationem ipso facto *Clement. cupientes de pœnit.* Nauarrus *in Man. c. 27. num. 145. & 146. Miranda in Man. 10. 2. q. 35. art. 18.*

27 Monachi intra Septa Monasterij sine licentia Abbatum suorum arma tenentes excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt. *Clement. ne in agro de stat. Monach.* Miranda *in Man. 10. 2. q. 35. art. 18.* Vnde ista excommunicatione non afficiuntur habentes arma extra septum Monasterij, nec Monachi venientes ad Monasterium eū armis,

- non animo ea tenendi. Tolet. *sum. in lib. 1. cap. 36. à n. 6.* Contra Regulares etiam tenentes arma prohibita in statu Mediolanensi, extat decretum S. Congregat. Regular. quo id illis prohibetur sub pœna excommunicationis, & alijs, ipso facto incurrendis. Naldus *in Summ. v. Religiosus num. 50.* Peirinis *tom. 2. Priu. Minim. in Const. 4. Clem. 8. num. 9.* Vide August. Barbol. *de Offic. Parochi cap. 6. à num. 51.*
- 28 Non est de Iure communi aliqua obligatio imposita Religiosis benedicendi mensam ante, vel post prandium, aut cenam. Ratio est, quia *in capite non liceat dist. 44.* quod adduci solet, non est aliquid verbum includens præceptum. Suarez *3. tom. de Relig. lib. 3. de Orat. voc. cap. 7.* Peccare tamen saltem venialiter, qui hoc non faciunt, tenet Nauarr. *in Man. c. 25. n. 110.*
- 29 Sunt excommunicati à Iure, excommunicatione tamen non referuata, Religiosi, qui Interdicti tempore in Cœmeterio sepeliunt cadavera defunctorum extra casus à iure concessos, aut publicos excommunicatos, aut nominatim interdictos, aut manifestos vsurarios. *Clem. 1. de Sepultur. Toletus in Summ. lib. 1. cap. 40.* Tenentur etiam Religiosi quæcunque Interdicta generalia, tam autoritate Sedis Apostolicæ, quam Ordinariorum posita obseruare, sub pœna excommunicationis. *Clem. 1. de sent. excomm. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 40.* Imò etiam in Concil. Trid. *sess. 25. cap. 12.* sic habetur. *Censura, & Interdicta, ne dum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur.* Propter quod decretum dicunt aliqui derogata esse omnia priuilegia, quæ antiquitus Religiosi habebant circa suspensionem interdictorum. Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 189.* Alij verò volunt, tantùm ea priuilegia reuocari à Concilio, quibus omnino liberabantur Religiosi ab obseruantia Interdictorum, non autem, quibus in Festis Sanctarum Religionis concedebatur suspensio à prædictis Interdictis. Rodriguez *2. tom. quest. Regul. quest. 112. artic. 1.* Mirand. *in Man. tom. 2. quest. 37. artic. 12.* Quæ autem sunt huiusmodi priuilegia, vide in Casarubio *in compend. priuileg. Mendic. verb. Interdictum.* Tenentur autem Regulares obseruare dicta Interdicta, siue valeant, siue non, quando ea obseruat Cathedralis, Matrix, aut Parochialis Ecclesia. Ex Nauarro *in cap. contingat, & Rodriguez tom. 2. quest. 108. art. 4.* Vide dicenda *cap. 21. num. 19. & tom. 2. cap. 1. num. 21. cap. 14. num. 36. cap. 15. num. 36. c. 16. num. 12. 23. & 27. & cap. 17. num. 6.*
- 30 Sunt etiam excommunicati Religiosi, qui Beguinas fouent in eorum statu, seu ut assumant earum habitum, dant consilium, auxilium, fauorem, directè, vel indirectè. *De Religios. Domib. Tolet. in summ. lib. 1. c. 40.*
- 31 Non licet Religiosis baptizare, nisi in calu necessitatis, & de licentia Parochi. *cap. placuit el. 2. 16. quest. 1.* Hoc enim est proprium officium Ordinarij. Nec etiam possunt esse Patris, aut lenare aliquem de fonte. *c. non liceat de consecrat. dist. 4.* Nauarrus *de stat. Monach. lib. 3. cons. 5.* Gratius *1. par. decis. lib. 3. c. 5. n. 136.* Præterea Religiosi, qui Clericis, aut laicis, Sacramentum Extreme Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrant, vel Matrimonia solemnizant, nõ habita prius Parochialis Presbyteri licentia speciali, contrahunt excommunicationem Papalem. *Clem. Relig. in principale de priu. Syluester v. excommunicatio.* Toletus *in summ. l. 1. c. 37.* Specialiter etiam ex Concil. Trid. *sess. 24. de Matrimon. c. 1.* Parochus etiam Regularis, qui alterius Parochiæ sponso, sine illorum Parochi licentia Matrimonio coniungere, aut benedicere usus fuerit ipso iure tandè suspensus maneat, quoad ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluat. Rodriguez *2. tom. q. 62. art. 11.* Barbolæ *de Offic. Parochi c. 22. à n. 3.* Aliqui tamen Religiosi in Indiarum partibus existentes, possunt exercere officium Parochi, Matrimonia celebrando, & Sacramenta Ecclesiastica ministrando. Ex Pio V. in Bulla edita anno 1567. quæ incipit: *Exponi nobis nuper 2. tom. Bullar. n. 34.* Vide dicenda *cap. 21. n. 8. 9. & 10.*
- 32 Religiosi euntes ultra mare sine licentia Superiorum sunt excommunicati excommunicatione Papæ referuata *Extrauag. ad nostrum de Regul. Vincentius Filicius 19. l.*
- 33 Monachi etiam, aut Canonici Regulares, administrationem aliquam non habentes, non possunt ad Curias Principum accedere absque speciali Prælatorum suorum licentia. Imò, si ut damnum aliquod Prælati suæ Religionis, aut Monasterio inferant, se conferunt, excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt. *Clem. ne in agro de stat. Monach. Toletus in sum. lib. 1. c. 40. à n. 17.* Miranda *2. 10. quest. 35. art. 18.* Qui autem accedunt ad prædictas Curias bono animo, & ibi existentes malum concipiunt nocendi suis Prælati, secundum aliquos incurrunt prædictam excommunicationem. Suarez *de Censuris disputatione vicesima secunda, sectione quinta, n. 6.* Probabile etiam est contrarium. Bonacina *in tract. de Clausura, q. 2. punct. 5. §. 4.* Qui benè etiam hanc excommunicationem non incurrit, si Religiosus accedat animo nocendi priuato Religioso aut etiam Religioso alterius Ordinis quantumuis Prælato, nec etiam incurrit nisi solùm à Monachis, & Canonici Regularibus, non verò à cæteris Religiosis, cum textus solùm de illis non de istis loquatur.
- 34 Prohibitum est Religiosis Mendicantibus sub pœna excommunicationis, adquirere noua loca ad habitandum, vel antiqua alienare, seu mutare, absque speciali Summi Pontificis licentia, à Bonifac. VIII. *in cap. cum ex eos de excess. sb. pralat. & Clem. 5. in c. cupientes de pœnis.* Propter priuilegium tamen Iulij I. concessum Fratribus Minoribus, & Minimis, licitum erat ædificare Monasteria sine Summi Pontificis licentia Miranda *in Man. tom. 1. q. 33. artic. 1.* Extant quoque varia priuilegia circa hoc, de quibus Miranda *10. 1. Man. quest. 37. artic. 2. & 4.* Paulus etiam V. in Bulla, *Ad Ecclesia militantis* anno 1605. edita concessit nostris Patribus Carmelitanis Discalceatis, ut possent vbique de sola Ordinarij licentia construere Monasteria, & Patribus Capuccinis in Bulla, *Ad vberes* an. 1606. edita concessit, ut in Regnis Hispaniarum possent recipere noua Monasteria seruata forma Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini. Insuper in alia Bulla anno 1608. edita, quæ incipit *Ministerio* concessit Monachis B. Mariæ Fulienfis Ordinis Cisterciensis, ut possent vbique de sola Ordinariorum licentia, noua Monasteria construere. Hæc tamen omnia, & alia Priuilegia reuocata sunt à SS. D. N. Urbano VIII. in literis, in forma Breuis Anno 1624. 4. 10. Bull. *inter Constit. huius Pont. n. 25.* Vbi omnes licentiæ, & facultates concessæ Regularibus erigendi Monasteria, & loca regularia abrogantur, & annullantur, simulque præcipitur, in huiusmodi locis Regularibus erigendis seruari debere Decreta SS. Canonum, & Concilij Tridentini, & Constitutionis Clem. v. 1. 1. eiusdemque Clem. v. 1. 1. & Gregorij xv. Decreta, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiue, & passiue, necnon officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinere. necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis. Demum in decretis de celebratione Missarum à Sacra Congregatione Concilij iussu eiusdem Sanctissimi Domini Urbani anno 1625. editis præcipitur obseruantia prædicti Decreti Gregorij xv. de quo postea præsertim quo ad numerum 12. fratrum, ita quod nullum Monasterium recipi possit in posterum nisi in ipso duodecim fratres degere, ac ex redditibus, & confectis elemosynis sustentari valeant *Alioquin talia Monasteria in Ordinary loci visitationi, correctioni, atque orationi iurisdictioni subiecta esse intelligantur, vide Laurentius de Peirinis tom. 1. de Priuileg. Minim. in Constitur. Pyrrhi §. 9. & tom. secundo, in Constitutione 6. Gregorij XV.*
- 35 Quare in erigendis, seu constituendis Monasterijs, aut locis Regularibus in posterum seruandum in primis est Decretum Conc. Trid. *sess. 25. de Regul. c. 3.* scilicet quòd noua loca non recipiantur sine Episcopi, in cuius Diocesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. Deinde, id quòd præcipit Clemens VIII. in Constitutione, quæ incipit, *Quoniam ad institutam*, anno 1603. 3. tom. Bullar. *inter Bullas Pontifi.*

eis num. 99. videlicet: Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conuentus cuiusque Mendicantium in Ordinibus Ciuitatibus, & locis eorum ordinariae Iurisdictioni subiectis, erigendos impetiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa, seruatis seruandis cognita constiterit, in eisdem Ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Similiter debet obseruari Decretum S. Congregationis sub Gregorio XV. quo cauetur, ne aliqua Monasteria de nouo erigantur, nisi in eis saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis elemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu Domorum, aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi non solum in praedictis, sed etiam in alijs per quatuor milia passuum circumuicinis locis, ad id vocatis, & auditis fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel alijs Ordinarius locorum constiterit Religiosos Monasterij, Conuentus, seu Domus Regularis sic erigendi seu erigenda absque detrimento Religiosorum in Monasterij, seu domibus antea in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & alij posse. Si verò noui Conuentus, Domus, Congregatio, vel societas huiusmodi instituenda erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum, nihilominus diligenter inquireant, an locorum incolae, & habitatores quorum, & consensum requirant, ac adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, ut praemittitur instituendis, commodè alere, & manuteneri valeant. Laurent. de Peirinis tom. 2. de priuil. Minim. circa Const. 6. Greg. XV. Addens ex Rodrig. tom. 2. quest. 49. art. 9. quod non dicitur acquiri nouus Conuentus quando fit mutatio in eadem Ciuitate, vel oppido, de vno ad alium locum. Quia tunc nullum prauidicium fit alijs Religiosis (nisi fortè per accidens ratione maioris propinquitatis ad illorum Monasteria.) Vide Dianam tract. 2. de Dubijs Regul. Resol. 136. Et nota appellationem à decretis Ordinarij si fieri contingat in hac materia debere esse ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium, prout habetur in relato decreto sub Gregor. XV. etiam priuatiuè ad quoscumque alios, prout etiam declarauit eadem Sac. Congreg. 12. Jun. 1643.

36 Deferere etiam Monasteria semel accepta, sine licentia Summi Pontificis fieri non potest ex c. unico de Religiosis domibus, & in c. cum ex eo de excessibus Praelat. lib. 6. & est lata excommunicatio contra oppositum facientes. Syluest. verb. Casus. q. 1. cas. 8. Ecclesia etiam, siue Monasterium semel Deo dicatum, non potest fieri habitaculum saeculare, seu conuerti in vsus prophanos, nisi forsan in casu alicuius magna necessitatis, & de consensu Episcopi Diocesani. Ita ferè in cap. quae semel 19. q. 2. & est regula Iuris c. quod semel dicatum de regulis Iuris lib. 6. Miranda 12. Man. 10. 1. q. 24. ar. 1. vbi etiam aliqua pro hoc puncto refert priuilegia. Quae autem bona Monasterij, quod deseritur, & qualiter transferri possint ad aliud Monasterium, tractant Rodrig. tom. 2. q. Regul. q. 49. ab art. 4. Laurentius de Peirinis tom. priuil. Minim. an Constitut. 2. Julij II. §. 27. à n. 77. vbi etiam varia Religionum priuilegia afferuntur.

37 Similiter tam dantes, quam accipientes ex pacto pecunias, iocalia, epulas, &c. pro ingressu Monasterij, nisi id spontè detur, sunt excommunicati in extrauag. sanè de Simonia. Tolerus in Summa lib. 1. c. 27. Qualiter etiam non possit aliquid accipi à Parentibus, propinquis, vel Curatoribus Nouitiorum tempore Nouitiatus, praecipit Conc. Trident. sess. 25. c. 16. Vide dicenda c. 24. à n. 32.

38 Debent Religiosi vinum cum aqua temperatum bibere, ita vt si vinum purum bibant (intellige cum periculo ebrietatis) peccent mortaliter ex Concil. Generali Lateranensi sub Innoc. VIII. c. à crapula de vit. & honest. Cleric. Vbi etiam prohibentur Religiosi in conuiujs alios ad bibendum incitare. Armilla verb. ebrietas n. 7. Laurentius Peirinis to. 2. priuil. Minim. in Constit. 6. Paul. V. n. 5. Pluries etiam quam ter bibere prohibentur. quando. Nauarr. in Man. c. 25. n. 110. Licet dicat hoc non esse peccatum mortale. Imò nec erit veniale, si veta necessitas oppositum perat. Prohi-

entur etiam ingredi tabernam e. nullus, & conuiuari, nisi certis sub conditionibus c. conuiuia. Vnde horum transgressio erit ad minus veniale peccatum Nauarr. vt sup. Ebriosis autem puniuntur subtractione à communione per triginta dierum spatium, vel supplicio corporali, ex c. sin. distinct. 35. & ex c. à crapula vt supra pœna suspensionis ab officio, & beneficio, si à superiori communiti non abstinerint. Alderete lib. 2. de Relig. discipl. c. 15. à n. 36. Vide Augustinum Barbosa de Offic. & Potestat. Parochi cap. 6. à n. 11.

39 Religiosis, sicut & Clericis, prohibita est mercatura, seu negotiatio merè lucratiua, videlicet, qua aliquid emitur, vt immutatum carius vendatur, sub pœna excommunicationis, suspensionis, ac dispositionis ex c. 2. extra ne Cler. vel Monach. & c. consequens 88. dist. c. penult. 91. dist. & c. sed nec extra ne Cler. vel Monach. Ioann. de Medina de restit. q. 30. Molina de contract. tract. 2. disp. 342. Addens, huiusmodi pœnas non esse latæ sententiae, sed ferendæ, Monasterijs autem Regularium licitum erit aliquam apothecam habere, pro vtilitate ipsorum, in qua per saeculares vendantur, & emantur aliqua, quae ipsis necessaria sunt, vt, si Monasteria habeant aliquod pharmacopolium in quo medicamenta pro ipsis necessaria reseruantur, & ne corrumpantur vendantur, & emuntur per aliquem saecularem ibi assistentem. Ratio est, quia finis, propter quem prohibita est lucratiua negotiatio Clericis, seu Religiosis, est, ne retrahantur à rebus spiritualibus, aut ne implicantur peccatis negotiantium, aut ne attendant ad lucrum temporale. Haec verò omnia cessant in praesenti, cum talis emptio, & venditio non fiat per ipsos, sed per saeculares, nec attendatur ad temporale lucrum, sed solum ad hoc, quod res sibi necessariae tempore infirmitatis melius conferuentur. Ioannes de Medina vt supra, nec dissentit Molina etiam vt supra num. 10. & Nauarrus in Man. cap. 25. num. 110. §. Clericis vero. Priuatis autem Religiosis nullo modo licet, nec per se, nec per alios, huiusmodi negotiationem, aut mercaturam exercere. Tum quia in praedictis capitibus est hoc illis prohibitum. Tum propter magnam indecentiam, & pericula peccandi, praesertim contra Paupertatem Religiosam, quae in hoc reperiuntur. Vnde sic facientes etiam peccant contra Paupertatem, & sunt proprietarij, quia vruntur pecunijs modo sibi prohibito, & sine licentia suorum Superiorum, cum non possint illam ad hoc concedere. Vnde etiam quod stando in vi prohibitionis ecclesiasticae posset Religiosus per alios negotiari pro vt voluit aliqui quos sequitur Diana Tract. 8. de contractibus, & cambijs Resolut. 72. Stando tamen in iure naturali status Religiosi qui petit non implicari negotijs saecularibus, vacare Deo, & fugere pericula contra paupertatem Religiosam, non video quomodo non sit indignum, indecens, & indecorum Religioso negotiari etiam per alios. Fas tamen etiam est Religiosis, emere necessaria ad proprium, suorumque vsu, quod solet appellari negotiatio aconomica. Cum hoc nullo iure sit prohibitum, imò Iure naturali concessum pro conseruatione. Secus verò dicendum de negotiatione politica, qua emuntur necessaria exercitui, ciuitati, &c. haec enim Religiosis est prohibita, cap. Episcopus 88. dist. cap. 1. & sequentia 21. quest. 3. & colligitur ex illo Paul. II. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs saecularibus. Medina, & Molina vt supra Vide August. Barb. de Officio Parochi cap. 6. à n. 37.

40 Quamuis Ludus honestus recreandi animi gratia non sit Religiosis prohibitus. Cum relaxatè animos, & date se festiuae iucunditati moderatè, vt non semper intendatur Regularis disciplina, sed aliquando remittatur, ad virtutem pertineat, quam Eutrapeliam Sanctus Thomas vocat 22. quest. 16. artic. 2. Sotus lib. 4. de Iust. quest. 5. art. 2. Tamen aleatum, seu taxillorum ludus prohibitus est Religiosis in Concil. Illiberitano cap. 19. Constantinopolit. 6. cap. 50. & cap. clericis 15. de vit. & honest. cleric. Vbi etiam prohibentur huiusmodi Ludis interesse. Et in Concilio Tridentino sess. 22. de reformat. cap. 1. Nauarrus in Man. cap. 19. vel 20. Grassis 2. parte lib. 3. cap. octauo. Quod maxime procedit de Ludo chartarum. Nauarrus vt supra Alderete de disciplin. Relig. lib. 2. cap. 16. num. 21. Quod etiam extendit ad Ludi spectatores. Rodriguez 2. tom. quest. 37. art. 7. Vide dicta capit. 6. num. 50. & 51.

Debent

41. Debent Monasteria Regularium habere carcerem, tum ad eorum custodiam, ne ex Religione fugiant, tum in peccata delictorum suae ad tempus, siue etiam perpetuo, iuxta ipsorum qualitatem. Ita habetur ex Iuris dispositione *cap. Abbatibus 18. q. 2. glos. & DD. in cap. si clericos de sent. excom. lib. 6. Alderete lib. 1. de Relig. discipl. c. 10. n. 1. & 2. Vide etiam dicenda c. 24. num. 3.*
42. Clericus, seu Religiosus falsus testis, perpetuo deponitur, & in arcum Monasterium recluditur. *c. si Episcopus 50. d. Rodriq. 10. 2. q. 31. art. 1. Peritium etiam est crimen de positione dignum. c. Presbyter 81. d. c. cum non ab homine de iudic. Alderete lib. 2. de Relig. discipl. c. 24. num. 3.*
43. Clericus fur (idem dico de Religioso fure) perpetuo deponitur. *c. cum non ab homine de iudic. c. Presbyter. 81. d. & postquam fuerit depositus, in arcum Monasterium erit detrahendus, attenda tamen quantitate, & qualitate furti. Alderete lib. 2. de Relig. discipl. c. 16. num. 8. & 9. Volunt aliqui furem a Religione exterminandum, & eiiciendum, quod durum videtur aliquibus. Rodriguez tom. 2. q. 38. art. 1. Sed quidquid sit de Iure antiquo. Iure tamen nouo S. Congreg. sub SS. D. N. Urbano, nullus ei iicitur nisi propter incorrigibilitatem. De quo in c. 23. n. 3.*
44. Similiter homicida perpetua depositione punitur, & in Monasterium detractione, *c. miror 50. c. Presbyter 81. cap. cum non ab homine de iudic. cap. sicut dignum 1. §. clericos de homicidio. Similiter, qui venenum propinant, etsi homicidium sequutum non fuerit, nihilominus non minori pena quam homicidae puniendi. Vide Alderete lib. 2. de Relig. discipl. c. 25. per totum.*
45. Ex Concilio Lateranensi, & Leone X. prohibitum est Religiosis die Sabbathi maioris hebdomadae pulsare in suis Ecclesijs campanas, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiae pulsauerit. Vide Bullam in tom. 1. Bullar. Laertij Cherub. tom. par. 150. Idem etiam probat Gauntius in Comm. in Rubr. Missal. par. 4. tit. 10. in alijs autem diebus non possunt Ordinarij impedire Fratres pulsare campanas ad Matutinum, horas, & Missam, antequam pulsaretur campana maioris Ecclesiae. Ex decreto Sacrae Congregat. apud Quarantam in Summ. Bullar. v. Confessor. pag. 235. Augustin. Barbof. de offic. Parochi c. 11. n. 21. Vide dicenda tom. 2. c. 1. n. 43. & 44.
46. Deinde, ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 12. Dies etiam festi, quos in Diocesi sua seruandos Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, obseruentur. Quod qualiter sit intelligendum declarauit S. Congregatio Concilij, dicens; Hoc Decretum ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis diebus festis semper permaneat, quoad Missas celebrandas, & caetera diuina Officia tam publicè, quam priuatè, ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesijs persoluenda. Nec circa hoc ab Episcopis quoquo modo quidquam in contrarium eisdem Regularibus praecipere posse. Quod si de facto praeeperint. Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verum, quoad Concionem, & Lectionem, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangelij, & Epistolis, quibus Clerus secularis vitur illis diebus festis. Quaranta in Summ. Bull. verb. priuileg. Regular. Flau. Cherub. in Compend. Bullar. 2. tom. in Bulla 41. Pij V. Vide dicenda tom. 2. c. 1. num. 26. & 43.
47. Item ex eodem Concil. Trident. sess. 25. c. 13. Exempti autem omnes, tam clerici seculares, quam Regulares quicumque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur, nisi tantum exceptis, qui in strictioris clausura perpetuo viuunt. An autem possint cogi ab Episcopis per censuras, dicemus capite vndecimo, num. 14. Vide etiam Dianam Tract. 2. de Dubijs Regular. Resol. 76. Sacra etiam Congreg. Concil. declarauit Regulares Monasterij ultra medium militare a ciuitate distantis non posse ab Episcopo compelli accedere ad processiones. Flauus Cherubinus in compend. Bull. 2. tomo in Bulla 41. Pij V. Vocati autem debent non per edictum publicum, sed personaliter per Clericos. Peitinis tomo primo, priuileg. Minim. in Constitut. 2. Sixti IV. §. 11. num. 57. Declarauit autem S. Congregatio Concilij processiones publicas, ad quas compelli possunt ab Ordinario Regulares esse; Vt puta in festo Corporis Christi, in Litanijs, & Iubiljs publicis faciendis in plebibus, in quibus ipsi habent Monasteria,
- dummodo processiones sint eius generis, quod in Bulla SS. D. N. Pij V. Mendicantibus concessa, quae incipit, Etsi Mendicantium, publicata 17. Kal. Iuny anno 1567. comprehendantur: & dummodo Regulares non sint ex illis Conuentibus, Collegijs nuncupatis, quae in eadem Bulla excipiuntur. Peitinis tom. 2. Priuileg. Minim. in Const. 7. Pij V. §. 29. Nota tamen nostros Patres Discalceatos non esse compellendos, vt ad publicas processiones accedant. Ex Clem. VII. in Bulla Religiosorum, anno 1596. & in Bulla Romanum Pontificem, anno 1603. & ex Paul. V. in Bulla Decet Romanum, anno 1610. Regulares etiam, qui ex priuilegio eis concessio possunt non ire ad processiones praedictas, non possunt ad id cogi, etiam si sapius gratis accessissent. Cum ex hoc nullum ius adquiratur contra illos. Quaranta in Summa Bullar. verb. praecedentia. Vide dicenda tom. 2. c. 1. num. 50.
48. Item ex eodem Concil. Trid. sess. 5. c. 1. In Monasterijs quoque Monachorum vbi commode fieri queat, lectio Sacrae Scripturae similiter habeatur; qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum, in hoc vt Sedis Apostolica Delegati, eos, ad id, opportunis remedijs compellant. In Conuentibus vero aliorum Regularium in quibus studia commode vigere possunt, Sacrae Scripturae Lectio similiter habeatur; qua lectio a Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur dignioribus. Dicunt autem satisfieri huic Decreto, si habeatur Lectio Theologiae Scholasticae, vel Moralis, Rodriguez tom. 2. q. 130. art. 2. Peitinis tom. 1. priuileg. Minim. in Const. 2. Iulij II. §. 5. n. 16.
49. Vide dicenda infra c. 11. a num. 7. circa ea, in quibus ex Decretis Conciliorum subiecti sunt Regulares Dominis Episcopis. Item circa poenas, quae transgressoribus horum Decretorum imponuntur, vide dicenda c. sequenti a num. 29. Et generaliter loquendo nota quod quae in Sacris Canonibus Clericis interdicitur, nisi ex materia, & circumstantijs aliud colligatur intelligenda etiam sunt de Regularibus, qui nomine Clericorum in ijs veniunt. c. Deus qui. pen. & c. fin. de vita, & honest. cler. Clem. 1. Ne in agro. §. 1. de stat. Monach. & Clem. exijt. de verb. signif. Tambur. de Iure Abb. tom. 3. disp. 3. q. 10. n. 21. Apud quem etiam num. 51. de aliquibus quae secundum antiquos canones Monachis prohibentur, quae tamen, vel quia non sunt in vsu, vel quia circa illa habent Religiosi priuilegia Summorum Pontificum, vel quia in Pontificijs Constitutionibus postea moderata sunt, non obligant illos.

## SUMMARIUM CAP. X.

- Alienare bona Regularibus prohibitum. n. 1.  
Sub quibus poenis & censuris. ibid.  
Quid Sacra Congregatio Concilij circa hoc ordinauerit. num. 2.  
Quid vltimus a Sacra Congregatione declaratum. num. 3.  
Per bona mobilia pretiosa, quae intelligantur. n. 4.  
Quae bona prohibita sint vel permissa alienari. ibid.  
Bona aduersa a Religiosis ex illicita negotiatione, vel alias, quae pertinent ad Cameram Apostolicam. n. 5.  
Quid praecipiat Pius Quintus pro Ecclesijs Regularium. num. 6.  
Assistere agitationibus taurorum, vel similibus spectaculis quomodo prohibitum Religiosis. n. 7.  
An assistere comedijs sit illis illicitum. ibid.  
Nefandum crimen committentes quibus poenis subiaceant. num. 8.  
Admittere non possunt Religiosi foeminas sub illorum monasterijs sub magnis poenis. n. 9.  
Num puella paruula admitti possint. n. 10.  
Num Imperatrices Reginae, aut Principissa. ibid.  
Num fundatrices Monasteriorum. ibid.  
Nominem Monasterij in quod foeminas ingressus interdicitur quid intelligatur. n. 11.  
In quibus casibus licitus sit talis ingressus. n. 12.  
Poena quas incurrunt Religiosi illas admittentes. n. 13.  
Circum Regulares ex vno loco ad alium properantes quid statutum a Sixto V. n. 14.  
Quid de Religiosis Romam venientibus sine licentia. num. 15. & 16.  
Recurrentes ad personas extraneas pro consequendis dignitatibus

- gnitatibus, vel officijs magnis pœnis puniuntur à Summis Pont. num. 17.
- Parochiam an possint ingredi Regulares cum Cruce pro funeribus Defunctorum. n. 18.
- De Sanctissimo Sacramento Eucharistia & Cruce quomodo tenendis in processionibus. n. 19.
- Qua decreta statuerunt Summi Pontifices pro reformatione Regularium. n. 20.
- Banniti, deceptorcs, seu falliti non retinendi à Regularibus. num. 21.
- Missas celebrantes, aut Confessiones audientes fingendo se Sacerdotes degradantur, & Curie seculari traduntur. num. 22.
- Tondentes monetæ ultimi supplicij pœna puniuntur. n. 23.
- Scribere in materia de auxilijs qualiter prohibitum. n. 24.
- Decreta de celebratione Missarum de Apostatis, & eisdem, & S. Inquisitionis quando legenda à Regularibus. num. 25.
- Exemptiones Regularium in Hispaniarum regnis quæ casate, & reuocate sūt. n. 26.
- Astrologorum iudiciorum pœna. n. 27.
- De alijs decretis pro Regularibus. n. 28.
- Censuræ posite in huiusmodi decretis quomodo intelligenda. num. 29.
- Pœna priuationis, & inhabilitatis quomodo debent intelligi. num. 30.
- Quid quando ponuntur absque vlla declaratione, &c. n. 31.
- Nomine officiorum graduum, & dignitatum quid intelligatur. num. 32.
- Quomodo intelligenda sint verba illa præsumunt, præsumperit, & à censuris quis absoluat. num. 34.
- In pœnis priuationum, & inhabilitatum quis dispenset. num. 35.
- An etiam in foro externo. n. 36.

## De obligationib. Regularium ad Constitutiones, & Decreta Summorum Pontificum, & S. Congregationum. Cap. X.

- I**N primis alienare bona Monasteriorum, seu circa hoc pacta facere, interdictum est Regularibus à Paulo II. in Extrauag. *Ambitiose* sub pœna excommunicationis per hæc verba. *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum Dominium, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, ultra triennium, nec non infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo conceat solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis, que seruando seruari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione fieri prohibemus. Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis alijs super hoc editis, que tenore præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris.* Postea verò excommunicationis sententiam contra eum, qui alienat, & qui alienatas res receperit, fulminat. Prælatum verò alienantem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate ab ingressu Ecclesiæ interdicat; alios verò Prælatos inferiores suis officijs, & dignitatibus ipso facto, absque vlla declaratione, priuatos esse denunciat. Contractusque huiusmodi, quòd nullius valoris sint, declarat. Vide Bullam 10. 1. Bullar. Laertij Cherubini pag. 329. Miranda in *Man. Prælat. tom. 2. q. 35. art. 18.* Postea verò Paul. IV. in Bulla quæ incipit, *Iniunctum nobis*, alienationem, & locationem quorumcunque bonorum Ecclesiasticorum in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis iuris solemnitatibus, aut alijs nulliter factas, rescindit, & annullat. Vide Bullam 10. 1. Bullar. Laertij pag. 720.
- 2** Quia tamen post hæc sunt varia priuilegia Religionibus concessa, de quibus Rodriguez *tom. 1. quest. Regular. quest. 27.* quale est illud Gregor. XIII. Fratribus, & Monialibus Carmelitarum concessum anno 1576. in Bulla, quæ incipit, *Ex incumbenti*, quòd scilicet possent vendere, &

alienare quæcunque bona, etiam stabilia, dummodò hoc fit in commodum, & vtilitatem ipsorum Monasteriorum, & ex consensu duarum ex tribus partibus, Fratrum, vel Monialium Monasterij, accedente etiam consensu, ratihabitione Generalis, &c. (vide Bullam in 2. tom. Bullarj Laertij pag. 401.) ideò S. Congr. Concilij in Decreto iussu SS. D. N. PP. Vrbanus edito anno 1624. die 7. Septemb. abrogatis omnibus indultis, & priuilegijs quomodolibet Religionibus concessis, omnibus Superioribus Regularium; Omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem, ultra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuo prohibet, atque interdicat, absque ipsius Congregationis Concilij expressa licentia, in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium Officiorum, que tunc obtinebunt, vocisque actiue, & passiuæ, ac perpetue inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurram; sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus Apostolicarum Constit. & præsertim sel. rec. Pauli II. quæ incipit, *Ambitiose* in suo robore permansuris. Alienationes verò, & pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessionem quascumque, contra huiusmodi prohibitionem faciendas, Sanctitatis sue auctoritate, ipso iure nullas, atque irritas decernit. Bonacina de alienat. bonor. Ecclesiast. disp. 2. quest. unica punct. 1. Ex quibus vltimis verbis habetur, contractus factos alienationis sine prædictis conditionibus, & solemnitatibus, esse irritos absque vlla sententia, & declaratione, cum irritatio non sit pœna, sed natura ipsorum posita lege. Vnde, qui hoc modo accepit bona alienata à Monasterio non potest illa in conscientia retinere, nec etiam fructus illorum, sed, si sit in mora restituendi teneri ad damna Monasterij. Molina *tom. 2. de Iust. à disput. 466.* Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 20. & 21. Addens, neque Monasterium posse cedere iuri suo, & bene vt credo, quia hoc est intentum Ecclesiæ propter indemnitate bonorum Ecclesiasticorum.

- 3** Post quæ, cum compertum esset Regulares, qui eo Decreto prohibebantur census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum huiusmodi, pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, damni emergentis. S. D. N. approbante & decreuit, ac declarauit S. Congregatio, *Huiusmodi contractum esse contra mentem Decreti, vt supra editi, ideoque non licere Regularibus pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere* Laurentius de Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 8. Vrbanus V. III.* Quia verò hoc decretum non integrè refertur ab hoc Authore, & illud est innouatum nouissimè sub anno 1643. die 21. Martij, ideo placuit illud hic apponere, prout extat typis mandatam Romæ, & à D. Paulutio S. Congr. Secretario subscriptum. *Cum post editum decretum de rebus Regul. non alienam compertum sit Regulares qui eodem decreto prohibentur census imponere & alios contractus facere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum & contractuum huiusmodi, pecunias accipere mutuo etiam sine alicuius lucri solutione, vel ad cambium cum solutione lucri etiam cessantis, vel damni emergentis cum obligatione seu hypotheca bonorum, aut dato pignore. Cumque ex huiusmodi contractibus eludatur mens S. Congr. cui in primis in votis fuit, consilium Religionum indemnitate, que ex dictis contractibus plurimum laduntur SS. D. N. approbante decreuit, & declarauit non licere Regularibus, vt supra proponitur accipere, & si acceperint in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere.* Datum Romæ 21. Martij. 1626. quod innouatur hac die 19. Septemb. 1643. Ioannes Baptista Cardinalis Pamphilus. Franciscus Paulutius S. Congregationis Concilij Secretarius. Idem etiam SS. D. N. Urbanus in Constit. *Humane salutis* anno 1625. prohibet bona Iurisdictionalia in feudum, vel emphyteusim concedere, aut ultra triennium locare. Vide 4. to. Bullar. inter Bullas Vrbanus num. 51.
- 4** Circa quæ aliqua animaduertenda sunt. Primò per bona



na pretiosa mobilia hic prohibita alienari, intelligi vasa aurea, argentea, vestes pretiosas, gemmas, &c. Quarant. *in Summ. Bull. verb. alienatio*. Idem cenfeo de copiosa bibliotheca librorum, grege ovium, vel caprarum, multitudine arborum ferentium, vel non ferentium fructum. Quia hæc omnia quoad æstimationem, comparantur immobilibus. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 18*. Secundò, quòd venditio, seu alienatio arborum cæsatum ex aliquo prædio, eo quòd essent inutiles, aut nociuæ, non comprehenduntur sub isto Decreto. Cum arbores cæsæ sint bona mobilia, & non pretiosa. Nauarr. *lib. 3. Consil. de reb. Eccles. non alien. cons. 6. & 7*. Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 27. art. 4*. Tertio huiusmodi Decretum Sacre Congregationis obligare, etiam si alienatio bonorum Monasterij sit aliquando utilis. Cum enim per illud abrogentur omnia priuilegia concessa Religionibus, inter quæ hoc vnum erat, quòd in casu vtilitatis Monasterij, possent ipsius bona alienari, vt patet ex priuilegio Gregorij XIII. Carmelitæ concessio, vt diximus num. 2. (vide alia priuilegia quoad hoc concessa Patribus nostris Discalceatis a Paulo V.) censendum est, mentem Sacre Congregationis esse, sine ipsius licentia non posse fieri alienationes adhuc in hoc casu, sed ad illam pertinere iudicare de tali vtilitate. Vnde alienationem esse necessariam, vel vtilem Ecclesiæ, Monasterio, solum est causa iusta ad impetrandum licentiam à Sede Apostolica, vel S. Congregatione. Quarto sub bonis immobilibus comprehenduntur tam res corporeas fixas, & stabiles, quàm actiones, & iura, vel redditus longi temporis, sed ius diuturnum ad illud, puta decem annorum. Item iura seu debita rerum immobilium, iam acquisita Monasterijs, & ab illo accepta. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 6. & 17*. Quintò, quòd casus iure permitti, in quibus licita est alienatio sine vlla Sedis Apostolicæ licentia, posita tamen necessitate, vel euidenti vtilitate Ecclesiæ, sunt. Primus, quando res alienanda est modici valoris, iuxta *cap. terrulas. 12. quest. 2. Bonac. tract. de restitut. disp. 3. quest. 8. puncto 4. num. 7*. Vide & Gauant. *in Man. Episcop. verb. alienatio*. Secundus est, consuetudo legitime præscripta contra Extrauag. *Ambrosiæ*, & idem dico de Decreto S. Congreg. Azor. *lib. 2. cap. 9. quest. 1*. Tertius est, necessitas tam vrgens, vt non possit expectari licentia Papæ, vt si essent citò redimendi captiui à pyratibus detenti, aut pauperes in graui, & repentina necessitate pascendi. Molina *disp. 468*. Quartus, quando bona sunt relicta Religionibus incapaci bonorum in communi. Sanchez *in Decalog. lib. 7. cap. 26. num. 30. & c. 27. n. 17*. Quintus, quando sunt relicta cum tali onere, vt alienari debeant certo tempore, aut casu, aut restitui ex obligatione iustitiæ. Sextus, si bona solita sunt infeudari, aut in Emphyteusim concei. Rodrig. *tom. 1. quest. 27. art. 13*. Molina *disp. 468*. Septimò idem videtur dicendum in casu vnionis Ecclesiæ loco Regulari. Ex *Clement. si vna de reb. Eccles. non alienan*. Sextò nota, quòd ea, quæ alienari non possunt, neque etiam possunt pignorari, propter eandem rationem Molina *tom. 2. de contract. disp. 466. num. 1*. Septimò, quoad locationem, quòd quando prædia alternis tantum annis fructum ferunt, possunt locari in lexennium, & sic respectiue, nam annus in locatione non taxatur ex simplici decursu temporis, sed ex fructu. Nauarr. *tom. 2. Comm. de alien. num. 21. 22*. Azor. *p. 2. lib. 9. cap. 2. quest. 2*. Non possunt autem fieri locationes ad sex, vel nouem annos, cum conditione, vt tot sint locationes quot triennia. Quia hoc est in fraudem legis. Filiucius *tract. 44. cap. 3. num. 9*. Pro alijs autem dubijs circa hoc punctum lege Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 27. & Quarantam in Summ. Bullar. verb. alienatio* (animaduertendo tamen hos authores non vidisse Decretum Sacre Congregationis adductum) Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Constu. 9. July II. §. 1*. Bonacina *de alien. honor. Eccles. disp. 2. q. vnic. punct. 2*. Gauantum *vt supra*. Vide dicenda à nobis *tom. 2. c. 19. n. 54*.

5 Bona acquisita à Religiosis ex illicita negotiatione, aut alijs contra sacros Canones post mortem illorum, aut quibus, illos etiam eis videntibus, priuari, & destitui contigerit, spectant tamquam spolia, ad Camera Apostolicam. Ita decernit Pius IV. in Bulla quæ incipit, *decens esse*. *2. tom. Bullar. pag. 29*. ab hac tamen regula excepit idem Pontifex Fratres Milites Hospitalis S. Ioannis in Bulla, quæ inci-

pit, *Romani interest*. ibidem *p. 42*. Quæ autem dicantur bona ex illicita negotiatione, aut contra sacros Canones acquisita, tractat Nauarrus *in Comment. de spolijs*. & Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 2. num. 22*. vbi hæc recenset, *vnus mercatura, negotiatio, militare, exercere officium forensis, & similia*. Vnde bona acquisita à Religioso contra suam Regulam, vel Constitutiones, non pertinent ad Camera, cum non comprehendantur in prædicta Bulla. Suarez *vt supra n. 25*. Nec etiam, quæ adquisiuit frater Laicus, vel Conuersus, quia Pontifex solum loquitur de Clericis. Idem *n. 24*. Intelligiturque Bulla de illis etiam bonis, quæ ex illicita negotiatione, & contra sacros Canones acquiruntur à Religiosis, etiam non Apostatis, sed viuentibus in Monasterijs, aut sub obedientia suorum Prælatorum, cum Pontifex in iustincte loquatur. Idem *n. 30*. Vbi etiam videtur dicere requiri ad huiusmodi restitutionem faciendam Camera, quòd ipsa petat. In hoc tamen attendenda est consuetudo. Cui autem cedant bona acquisita ab Apostatis dicitur *infra c. 16. n. 21*.

6 Pius V. in Bulla, quæ incipit *Cum primum* an. 1566. edita *2. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 5*. præcipit in virtute sanctæ obedientiæ Religiosis, siue Claustralibus, siue Regularibus, vt in Ecclesijs suis depurent aliquem, qui pauperes mendicantes, seu elemosinas petentes per Ecclesias tempore Missarum, Prædicationum, aliorumque diuinarum Officiorum, foras eiciant. Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Constu. 4. July II. §. 1*. Barbosa *de offic. Parochi cap. 13. n. 37*.

7 Idem Pius V. in Bulla, quæ incipit, *De salute gregis* ann. 1567. edita, & habetur *2. tom. Bullar. Laert. Cherubini Bulla 48* præcipit omnibus Clericis tam Regularibus, quàm secularibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus, vel in sacris Ordinibus constitutis, sub excommunicationis pena, ne agitationibus raurorum, aliarumque ferarum bestiarum inter sint. Licet autem huius Constitutionis penæ, & censura in Regnis Hispaniarum, quoad laicos, & Fratres Milites quarumcunque Militiarum, teuocata sint à Greg. XIII. quoad Religiosos tamen in suo vigore permanent. Eò vel maxime, quòd Clem. VIII. ann. 1596. id expressè declarauit, tollendo, & remouendo illas, quoad omnes in illa expressos *Monachos, & Fratres Mendicantes, ceterisque cuiuscunque Ordinis, & Instituti Regularibus exceptis* Rodriguez *3. tom. quest. Regul. quest. 68. art. 2*. Propter de August. *in additionibus ad Quarantam in Summ. Bull. vers. torneamenta*. Obligat autem hæc Constitutio, etiam in casu, quo Religiosus possit interesse simili spectaculo sine alio quo scandalo, aut nota. Quando enim lex est de se iusta, & honesta, etiam secluso scandalo, obligat ad sui adimplendum. Rodriguez *tom. 3. quest. Regul. quest. 68. art. 2*. Flau. Cherub. *in comp. Bullarum tom. 2*. Comprehendit etiam hæc Constitutio Religiosos in sacris Ordinibus non existentes. Ratio est, quia licet à Pio V. sint exclusi, tamen à Clement. VIII. (vt patet ex verbis adductis) videntur comprehendendi, Rodriguez *quest. 68. art. 2*. Cum autem huiusmodi excommunicatio non sit ipso facto incurrenda, sed comminatoria, non incurritur ipso facto à Religiosis huiusmodi agitationibus assistentibus, peccant tamen mortaliter, cum excommunicatio maior etiam ferenda, & necessario illud supponat. Eò præsertim, quòd non solum saculares scandalum ex eo capiunt, sed & ipsa raurorum agitatio pluribus videatur barbara, & gentilis consuetudo, iure optimo a pia, & Catholica Hispania releganda, quæ feliciter, & fructuosius milliaria hominum, & equorum, qui in istis congressibus occiduntur, in Fidei dilatacionem contra infideles exponeret.

Hinc collige solutionem dubij, an assistere Comedijs (idem dico de alijs Spectaculis Scenicis, Ludicis, & Hystrionicis) Religiosos, sit peccatum mortale? Sub distinctione enim loquendum est. Nam vel talia Spectacula, res lasciuas, turpes, aut impudicas continent, aut non. Si primum, vix excusari possunt a mortali Religiosi, similibus spectaculis assistentes. Tum ratione scandali, quod sæpius interuenit; tum ratione periculi lapsus, quod sæpius etiam continget; tum, quia etiam ijs cessantibus ratione Voti Castitatis tenentur huiusmodi obscena fugere, & detestari. Vnde Ecclesiasticis prohib. tum est similibus nugis interesse *de Consecrat. d. 5. c. non oportet 2. & c. Cle-*

vici 2. de vit. & honest. Clericor. Optimè etiam in Constitutionibus Religionum id etiam est vetitum, vt in nostris par. 3. cap. 6. num. 8. Rodriguez tom. 3. q. Regul. q. 68. art. 6. Casu tamen, quo cessaret scandalum, nec esset periculum lapsus, nec prohibitio specialis Religionis ad mortale obligans, si Religiosus prædictis spectaculis assistere, non ex affectu, aut delectatione ad res lasciuas, & venereas, quæ ibi aguntur, sed ob solam vanam curiositatem, excusaretur à peccato mortali. Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 46. num. 41. Bonac. de Matrim. q. 4. punct. 9. n. 21. & 22. Quando verò talia spectacula non sunt de rebus turpibus, aut inhonestis, sed continent Historias diuinas, aut humanas, aut etiam fabulas, & figmenta Poetarum, tunc est indifferens ex natura sua illis assistere, atque aded sine peccato possunt illis Religiosi interesse, seclusis circumstantijs scandali, periculi lapsus, prohibitionis, &c. S. Thomas 2. 2. quæst. 168. art. 3. ad 3. Vide à nobis dicta de Reformat. Regul. cap. 9. num. 12.

8 Regulares, qui (quod absit) nefandum crimen exercent, omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico priuantur, & per Iudicem Ecclesiasticum degradati potestati seculari traduntur. Ita Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Horrendum illud*, ann. 1568. edita in 2. 10. Bullar. num. 72. Num autem, qui vna, vel alia vice in hoc peccatum incidit, his pœnis subiaceat? Quidam aiunt, quidam negant. Vtrumque probabile. Et pars negatiua satis probatur ex illo verbo *exercentes*, quod Pontifex ponit in Bulla, importat enim multiplicationem actuum. Nauarrus in *Man. c. 27. n. 249*. Licet alij dicant oppositum, & hoc declarasse ipsum Pium V. Flauius Cherubin. in 2. 10. Bull. sup. istam Bullam. Prædictæ etiam Constitutionis dispositio extenditur ad eum, qui sceminam præpostera venere cognouerit, vel bestialitatis peccatum commiserit. Prosper de Augustino in *addition. ad Quarant. in Summ. Bullar. verb. Sodoma*. Vide alia à nobis dicta supra capitulo quinton. 11. 12. & 13.

9 Prohibitum est viris Religiosis admittere intra eorum clausuram, seu permittere in eorum Monasteria sceminas cuiuscunque status, & conditionis existant. Primò, ex Motu proprio Pij Quinti, edito anno 1570 qui incipit *Regularium personarum*. Secundò ex alia Constitutione Greg. XIII. quæ incipit, *Vbi gratia*. Quamuis enim in illis solum videatur prohibitum ingredi sceminas Monasteria virorum, aut Religiosos illas admittere virtutes, & prætextu aliquorum indultorum, seu facultatum, tamen etiam extenditur ad eos, qui permittunt illas quomodolibet intrare, etiam sine prætextu, aut virtute alicuius facultatis, seu indulti. Tum quia Pius Quintus hanc esse suam mentem declarauit in alia Constitutione, quæ incipit, *Delet Romanum Pontificem* anno 1570. quam refert Confectius in *pruilegijs Ordinũ Mend. fol. mibi 147*. vbi explicans suum priorem Motum proprium declarat, mentem suam, & intentionem esse, fuisse, quòd dicta littera non solum comprehenderent mulieres habentes, & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi Monasteria, seu etiam omnes, & quascumque Mulieres alias, tam in genere, quam in specie. Tum quia ipse Gregorius Decimustertius explicuit isto modo suam mentem, vt refert Villaguta tract. de *Vsuris* q. 25. num. ult. Tum etiam, quia ita praxi receptum est in Pœnitentiaria Rom (quod pro lege haberi debet, maxime cum agatur de interpretatione Sanctionis Apostolicæ) Nauarrus in *Summ. lat. cap. 27. num. 105. ex com. 61*. Azor. tom. 1. *Instit. mor. lib. 13. c. 8*. Vnde Suarez 4. tom. de *Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 7. num. 9*. propter hanc Constitutionem Pij Quinti retractat, quòd alibi dixerat, scilicet in priori Constitutione eiusdem Pij Quinti solum prohiberi ingressum sceminarum in Monasteria virorum prætextu facultatum obtentorum.

10 Possunt tamen permitti intrare in Monasteria Religionum puellæ paruulæ, non obstante prædicta prohibitione Pontifici. Eò quòd finis illorum est, ne detur Religiosis occasio impudicitie, quod cessat in paruulis puellis. Rodriguez in *excom. possit. Mot. propr. Pij Quinti* n. 12. Sanchez lib. 6. in *Decal. c. 17. num. 4*. Idem dico de Imperatricibus, aut Regni, saltem quando intrant Monasteria non occultè, sed magno comitatu, & ex bono fine. Cum enim Pontifices non fecerint in prædictis Bullis mentionem de

illis, credendum est noluisse ipsas comprehendere. Rodriguez tom. 1. quæst. Regul. quæst. 48. art. 1. Sanchez lib. 6. in *Decalog. c. 17. num. 5*. Qui etiam extendit hoc ad filias Imperatricum, & Reginarum. Quia nomine Reginarum, censet comprehendi Fundatrices autem Monasteriorum, quantumuis nobiles sint, & excellentes comprehenduntur sub ista prohibitione. Quia hoc creditur fuisse intentum Pij V. in suo Motu proprio. Ideo enim in eo expressit Ducifas, & similes, quia hæc solent esse fundatrices. Rodriguez in *expos. huius Mot. propr. num. 3*. Similiter causa medendi Monacho graui morbo laboranti, intrare potest scemina in Monasterium, si infirmitas solum per ipsam curari possit, nec Religiosus possit extrahi foras. Quia lex humana non est accipienda in tam graui necessitate. Rodriguez tom. 1. quæst. Regul. quæst. 46. art. 7. Sanchez lib. 6. in *Decalog. cap. 17. num. 30*.

11 Nominè Monasterij, in quod sceminis ingressus interdicatur, solum intelligantur ea, quæ sunt intra septa Monasterij. Quia ea propriè sunt Monasterium, vel partes illius. Nauarrus lib. 1. *conf. in 1. edit. tit. de Regular. conf. 16. in 2. lib. 5. tit. de verb. signific. conf. 5*. Hinc prædia, domus, horti, seu vineæ Religionum ab illorum Monasterijs separata non comprehenduntur prædicta prohibitione. Rodriguez in *expos. huius Mot. propr. n. 1*. Secus verò horti, vel viridaria, quæ in ipsis Monasterijs esse solent, etiam si habeant ianuam, per quam, absque claustrorum ingressu, in illa intrari possit. Quia ista reuera sunt partes Monasterij, & communiter sic habetur in praxi. Sanchez lib. 6. in *Decalog. c. 17. num. 15*. Idem dico de Sacrifijs Ecclesiæ immediatè contigujs. Propter eandem rationem. Licet in hoc, si scandalum, & perturbatio Religionum absit, sitque contrarium vsu receptum propter audiendas confessiones, possit tolerari. Rodriguez in *expos. prædicti Mot. propr. num. 14*. Sanchez lib. 6. in *Decalog. c. 17. n. 17*. Addunt alij, quòd Sacrifiæ, ad quas non est aditus per claustra Monasterij, sed per Ecclesiam non sunt subiectæ clausuræ. Bonacina de *Clausur. quæst. 5. punct. 1*. Monasteria verò nondum fabricata, sed fabricari incepta, vbi non est communitas Religionum, sed tantum aliquis, vel aliqui pro fabrica, non comprehenduntur sub prædicta prohibitione. Quia illa verè non sunt Monasteria. Sorbus in *pruileg. mendic. verbo ingress. M. nial. num. 11*. Pro quo extat declaratio Cardinal. quam refert Quaranta in *Summ. Bullar. verb. Monast. affirmans*, idem dici debere de domibus, seu Infirmarijs in ciuitate positjs, cum nec Ecclesiam, nec Conuentum habeant. Secus de Prioratibus, quos habent aliquæ Religiones Monachales, quia sunt Monasteria, & habent clausuram. Sanchez lib. 6. in *præcepta Decalog. lib. 17. num. 21*.

12 Præterea licitus est ingressus sceminarum in claustra Religionum (illorum scilicet, qui habent communicationem generalem priuilegiorum aliarum Religionum quarumcunque.) Quando in eis Missæ, & alia Diuina Officia celebrantur, ac cum Processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadauera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt. Similiter quando diuinum verbum in claustris Monasteriorum, & Regularium locorum huiusmodi proponitur, vel per aliam quamcunque causam tantus concursus populi fuerit, quòd commodè ingredi non possint, & egredi per portam Ecclesiæ, perpetuò concedimus, vt dictæ mulieres vna cum alijs secularibus personis possint ingredi, & egredi per portam claustris Monasteriorum, & locorum Regularium huiusmodi, dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur è Monasterio, si que volumus pariter, & indulgemus. Ita ad verbum Pius V. in dicta Constitutione *Delet Romanum Pontificem*. Quæ licet fuerit data intuitu, & fauore Congregationis Montis Virginis, postea ab alijs Religionibus acceptata est, ob communicationem priuilegiorum, vt credo. Rodrig. etiam infra citandus refert similia declarasse Pium V. viux vocis oraculo. Sed quia, vt diximus cap. 3. num. 21. Viux vocis oracula omnia his temporibus abrogata sunt, saltem quatenus continent nouam concessionem, idè solum videtur ob communicationem priuilegiorum cum dicta Congregatione Montis Virginis, prædicta ab alijs Religionibus acceptata esse. Nisi dicamus cum Portello in *Responsionib. Moral. casu 13. n. 13*. hoc viux vocis oraculum esse meram declarationem, ac per consequens non esse reuocatum.

uocatum à Greg. XV. & Urb. VIII. quia ipsi solum reuocantur ea uixæ uocis. Oracula quæ continent nouam gratiam, aut priuilegium, uon quæ continent declarationes, iuxta dicta *supr.* c. 3. n. 21. Circa quæ animaduertendum est primò, non posse Prælatos prædictarum Religionum instituere Processiones, uel officia Diuina extraordinaria ad eum finem, ut mulieres ingrediantur eorum claustra. Quia hoc est contra intentum Pontificum. Secundò non posse ingredi prædictas mulieres, quando sunt celebrata iam, aut postea celebranda prædicta Officia, nisi in hoc sit parua mora temporis. Quia ista concessio solum procedit de tempore, quo celebrantur. Tertio, quòd etiam possunt ingredi prædictæ feminae, quando intra aliquod Sacellum illius claustrum ob alicuius potentis deuotionem celebratur Missa. Quia tunc celebratur Diuinum Officium. In his tamen laudabilis usus retinendus erit, & abusus vitandus. Rodriguez *tom. 1. quest. 48. art. 3. & in expos. Mot. propr. P. V. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 17. num. 22.* Quarto adiangunt aliqui licere hunc ingressum, quando in claustrum datur habitus alicui Nouitio; sed non credo hoc licere, cum non comprehendatur hic casus in assignatis à Pio V. Laurentius de Peitinis *tom. 1. priuileg. Min. in Const. 6. July II. n. 14.* Nec dare habitum Nouitio sit diuinum Officium. Bonacina de Clausur. q. 5. punct. 4. n. 10. Qui aliter docet dum datur professio.

- 13 Pœnæ autem, quas incurrunt Religiosi admittentes feminas in sua Monasteria, sunt, priuationis Officiorum, quæ in present. obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia, & Suspensionis à Diuinis ipso facto, sine alia declaratione incurrens pœnis. Ita Pius V. in suo Motu proprio. Præterea Gregor. XII. addit priuationem dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, & excommunicationem Pontifici reseruatam. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 48. art. 1. Sanch. lib. 6. in Dec. c. 17. à n. 33.* Quomodo autem istæ pœnæ, & alia similes intelligi debeant, & quis possit in illis dispensare dicemus in hoc capite à n. 29.
- 14 Sixtus V. in Bulla *Cum de omnibus* anno 1587. edita prohibet, ne quis Regularis ex una Prouincia ad aliam Prouinciam sui Ordinis transendo etiam in itinere intra aliquod Monasterium, domum, uel locum alterius Prouincie ad habitandum, uel tanquam hospes recipi, aut ad modicum tempus diuertere possit, nisi à Superiore eius loci, ubi residet, expressam licentiam discedendi in scriptis obtentam, seu litteras obedientie, uel commendatitias, secum deferat, atque exhibeat, uel nisi ita cognitus, sit us, ad quos diuerterit, ut de eius persona nullus omnino dubitationi, aut suspitioni locus relinquatur. Præcipit etiam ne recipiantur tales Fratres sub grauissimis pœnis ibi assignatis. Postea uero in alia Bulla eiusdem Pontificis anno 1588. edita, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*, sic prædicta declarat: *Dum interdiximus, ne quis Regularis alterius Prouincie, intra aliquod Monasterium, Domum, uel locum, aliene Prouincie, etiam tanquam hospes, & ad modicum tempus recipi possit, nisi à Superiore loci, ubi residet, & à quo discessit licentiam expressam in scriptis, exhibuerit, uel nisi satis cognitus sit, id obseruari uolumus non solum in Religiosis itinerantibus de una in aliam Prouinciam, sed in us quoque, qui proficiscuntur de uno in aliud eiusdem Prouincie Monasterium, tam sui, quam alterius Ordinis. Quòd si dicerent se ad Apostolicam Sedem confugere ob grauamina à suis Superioribus sibi illata, & ideo ab ipsis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi ualeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per suos superiores denegata confiterentur.* Laut. de Peitinis *t. 1. priu. Min. in Const. 13. Leon. X. §. 1. Quarantam Summ. Bullar. uerb. Monasteria.*
- 15 Deinde Religiosi Romam uenientes sine licentia legitima, aut sine litteris suorum Superiorum, ex Sixto V. in Bulla citata, *An Romanum Pontificem*, non sunt recipiendi, sed remittendi ad Congregationem Eminentiss. Cardinal. uel Dominos Protectores, ut ipsius auditis, quid agendum sit, statuatur. Ex decreto autem S. Congregat. anno 1587. debent remitti ad suos Superiores seneriori pœna plectendi. Quaranta in *Summ. Bullar. uerb. Monasteria.*
- 16 Circa illos autem hæc præcipit Clem. VIII. in Decreto pro reformatione Regularium approbatis à S. Congregatione SS. D. N. Urbani VIII. iussu, *Nullus Fratres Romam*

uenire Superiores permittant, nisi prius à Generali, uel Protectore dumtaxat, licentiam in scriptis impetrauerint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam uenire presumpserit, uoce actiua, & passua biennio priuatus existat, subiturum etiam alias arbitrato Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos, qui supra dictas admiserint, & receperint, sine ulla exceptione locum habeant. Postea extenditur facultas concedendi hanc licentiã, etiam Prouinciali, ex causa communi totius Prouincie dumtaxat, & declaratur prædictam pœnam priuationis uocis actiua, & passua Sanctitati suæ reseruatam esse.

- 17 Prohibitum etiam est Religiosis recurrere ad personas extra suam Religionem, pro consequendis honoribus, dignitatibus, aut gratijs in ipsa. Primò enim id prohibuit Fratres Prædicatores S. Dominici sub pœna inhabilitatis ad illa, & similia, uel maiora consequenda Gregor. XIII. in Bulla *Cum nihil magis*, & habetur 2. tomo Bullar. n. 62. Ampliuit hoc Clemens VIII. in alia Bulla *Relig. uiros* anno 1592. edita, confirmando Decretum Capituli Generalis eiusdem Ordinis, & hoc ipsum præcipiendo in uirtute sanctæ obedientiæ. Deinde idem Clemens VIII. in alia Bulla *Quoniam nemo* 1593. Idem prohibet Carmelitis per hæc uerba. *Omnes, & singulos Fratres dicti Ordinis cuiuscunque status, gradus, conditionis, & præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis existentes, qui de cetero ad Prelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis assequenda intente, ad Principum, & Prelatorum, atque aliarum quarumcumque personarum tam secularium, quam Ecclesiasticarum de gremio dicti Ordinis non existentium, etiam Cardinalatus honore, & quacumque seculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali, & Ducali fulgentium fauores recurserint, uel etiam pactis pollicitationibus, alijsque uis, directe uel indirecte, palam uel occulte ad Prelaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, functiones, & alia officia prædicta obtinenda aspirauerint, uel alijs minime legitimis, & honestis rationibus ea obtinere quesierint, aut etiam sponte oblatis, & minime conquisitis uis fuerint illorumque complices, & fauores ad quascumque Prelaturas, dignitates, & officia, gradusque honores, administrationes, & munera in ipso ordine obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis per eos Prelaturis, gradibus, honoribus dignitatibus, administrationibus, functionibus, & officijs huiusmodi eò ipso priuamus, ac priuatos uoce tam actiua, quam passua carere decernimus, & declaramus.* Iure autem optimo huiusmodi intercessiones prohibite sunt Religiosis, quia per illas maximum damnum Obseruantie Religiosæ accidit sæpius. Vnde illas quoque prohibet idem Clemens VIII. Camaldulentibus in alia Bulla anno 1596. edita, quæ incipit, *Ambitiosam*, & Hieronymianis, in alia, quæ etiam incipit, *Ambitiosam* anno 1600. edita, & Cruciferis in alia, quæ incipit, *Quoniam nemo* anno 1604. & Augustinianis in Bulla eodem titulo, & anno edita. Et Paulus Quintus Canonicis Regularibus Sancti Salmatoris in Bulla edita anno 1607. *Quoniam nemo*, & Augustinianis in Bulla *Admonemur* anno 1608. & Celestinis in Bulla *Quoniam nemo* anno 1616. Et Fratres Minoribus de Obseruantia anno 1619. in Bulla *Admonemur*, 4. tomo Bullar. inter Bullas Pauli Quinti num. 16. & Minoribus Conuentualibus simili modo num. 18. Specialiter etiam idem Paulus Quintus in Bulla *Admonemur* anno 1608. edita, præcipit Fratres Ordinis Prædicatorum in uirtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicatione latæ sententiæ Papæ reseruatæ, ne ad fauores extra Religionem recurrant pro se, uel alijs ad effectum consequendi officium Generalis, uel alijs minus legitimis uis, & modis illud obtinere quærant. Insuper idem Paulus Quintus in Bulla *Admonemur*, prohibet idem Minimis Sancti Francisci de Paula 4. tomo Bullar. inter Bullas Pauli Quinti num. 19. Tandem idem Paulus Quintus in Bulla anno 1613. edita, quæ incipit, *Alias per nos*, prohibet recursum ad fauores extra Religionem Monachis Cisterciensibus Congregationis Italiæ in uirtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ sententiæ pœna. Vide dicenda c. 15. n. 27. & c. 18. n. 82.

- 18 Sacra Congregatio Romæ 12. Ianuarij 1604. statuit, decla-

& declarauit. Quibusuis Regularibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, nullo modo licere, etiam specialis alicuius consuetudinis pretextu, Parochiam cum Cruce processionaliter, aut alias ad efferenda, & leuanda defunctorum snera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem praesente, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus venire expressè omnino recuset. Quaranta in Summa Bullarum verbo privileg. Regul. Vide dicenda tom. 2. c. 1. n. 31.

19 Regulares debent Crucem ferre in Processionibus cum velo, seu panno. Deferri debet tabernaculum SS. Eucharistiae non Sacerdotum humectis, sed manibus tantum celebrantibus. Quod probat Gauantus in Comm. in Rubric. Missal. tom. 1. par. 4. tit. 10. §. 12.

20 Praeterea Clem. VIII. in Decretis pro reformatione Regularium, quae habentur inter Bullas huius Pontificis 3. tom. Bullar. num. 60. & postea confirmata sunt à S. Congregatione Concilii iussu SS. D. N. Urbani in Decreto de Regularibus Apostatis, & eiectionis anno 1624. sic habet, inter alia Decreta, quae nos sparsim suo loco in hoc opere collocamus. *Nullus omnino pretextu cuiuscunque privilegij, vel superioritatis, etiam Generalatus à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprijs officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Praedicatoribus, Superiores, usque tantum diebus quibus eos legere, aut praedicare contingerit, dispensare possint; Idem quoque praestare valeant cum aegrotis, & studiorum causa legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia Superiores animaduertant ad praescriptum Regulae, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione. Aegroti in hoc Decreto intelligantur, temporanei, quam perpetui, & Religiosi valde senes. l. Prator. ff. de vic. & excomm. & ex l. semper ff. de iure imm. Similiter per eos, qui studiorum causa sunt impediti, intelligi debent, qui imprimeendis libris pro bono Ecclesiae, vel Religionis occupantur. Laurent. Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. Const. 10. Urb. VIII. num. 3. & 4. Item, Lectio sacrae Scripturae, vel casuum Conscientiae, bis in hebdomada, praescriptis diebus, in singulis Monasterijs, & Conuentibus habeatur, ad quam Fratres omnes conueniant, eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exercent. Vide dicta cap. praecedenti num. 48. Item, Cellae, seu aedulae, quae extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem usum, & commoditatem Conuentus redigantur. Item, Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. Vide dicta, cap. 5. num. 15. Item, In priuatis cellis nulli camini permittantur; sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus conuulsis, vt res illa non ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, & Praedicatoribus exceptis. Item Conuentus fenestras omnes, quae in vias publicas, aut in vicinas laicorum aedes prospiciunt, munita obstruantur, vt omnino ijs prospectus impediatur. Item Valetudinarium in singulis Conuentibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum aegrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui vero infirmorum curae praepositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam praestabunt, ac curabunt, ne quid aegrotis omnino desit; quod ad sanitatem recuperandam pertineat. Item, Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitiones munerum, & praescribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conuentu inuolubiter obseruetur. Circa hanc Constitutionem vide dicta cap. 6. n. 52. 53. 54. & 55. Item, Eligantur in Capitulo Generali, ac Provinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Provinciae, saltem tres, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curae sit, examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, pro-*

moendos ad quoscunque Ordines, in quo seruetur Decretum, Congregationis Interpretum sacri Concilii Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum. Hoc Decretum puto esse illud, quod nos afferimus cap. 14. à num. 12. Item, Illud potèd Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores sint rationis, quam in nouissimo die reddituri sunt, pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilent, vt quae in eorundem Ordinum Regulis, & Constitutionibus, de Oratione mentali, silentio, ieiunijs, Capitulo culparum, alijsque spiritualibus exercitijs, prudenter, ac pie sancitae sunt, ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur intelligantque super his, veluti fundamentis, omnium Religionum aedificia constructenda, & amplianda esse, quae vt faciliorem exitum sortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conuentu, singulis hebdomadis habeatur Sermo de Religiosa disciplina, Regularique obseruantia. Consonant ea, quae adduximus ex Concilio Trident. supra cap. 7. num. 28. Item, Quod verò omnia ordinatè peragantur, appendantur tabella in loco conspicuo vniuscuiusque Conuentus, in qua distinctè adnotetur, quid singulis horis cuiusque diei quilibet Frater praestare debeat, vt certo quoque signo praemonitus, maiore animi praeparatione suo muneri satisfacere possit. Quae Ordinis Constitutiones his Decretis non aduersantur, inuolubiter custodiendae erunt.

- 21 De mandato etiam eiusdem Clem. VIII. anno 1601. die 17. Aprilis factum fuit edictum à Congreg. Regularium, quo praecipiebatur regularib. sub poena priuationis officiorum, ne retinerent bannitos, & decoctores, seu fallitos. Pro quo etiam extant quaedam litterae Cardinali de Florentia ad Vicarium Archiepiscopatus Genuensis, & Nuncium Neapolitanum. Scortia in Selectior. Bull. theorem. 357. Laurentius de Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 4. Clem. VIII. à num. 5. Addens quòd si quis regularis reciperet, aut retineret in suo Conuentu bannitum aliquem propter homicidium sine dolo commissum, seu non facinorosum, non incurreret praedictas poenas, quae solum contra receptatores facinorosorum impositae sunt. Cautè tamen in hoc procedendum.
- 22 Qui Missas celebrant in gradu Sacerdotij non constituti, aut Confessiones audiunt fingendo se Sacerdotes, non solum sunt irregulares ex c. 1. & 2. de Clerico inordinato ministrante (Cornexo 2. tom. in 3. par. de irregular. disp. 7. dub. 2.) sed etiam ex Clem. VIII. in Bulla, Et si alias ann. 1601. edita, & inter Bullas huius Pontificis num. 81. à Iudicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs à foro Ecclesiastico abiciuntur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint, rite degradati, Curiae seculari traduntur, per Iudices seculares debitis poenis plectendi. Post quae SS. D. N. Urbanus in Bulla Apostolatus officium ann. 1627. edita habetur 4. tom. Bullar. inter Bullas ipsius num. 79. Statuit, & decreuit, Vt qui in posterum ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus, Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire praesumpserit, etate minoris annis viginti quinque non excusetur, quominus eidem Clementis Constitutioni subiciatur, dummodo viginti annos suae aetatis annum compleuerit.
- 23 Pius V. in Bulla Cum nil magis anno 1570. edita, & est inter Bullas huius Pontificis num. 111. voluit tondeutes monetas, siue aureas, siue argenteas vltimi supplicij poena puniendos esse, tam in Vrbe, quam in toto Statu Ecclesiastico. Postea verò SS. D. N. Urbanus VIII. in Bulla In summa ann. 1627. edita, inter Constitutiones ipsius 4. 10. Bull. n. 75. extendit hoc ad quascumque personas Ecclesiasticas, etiam regulares, in tota Italia existentibus, quae aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere praesumpserint. Volens, vt culpabiles in praemissis reperti, praevia degradatione, Curiae seculari puniendi tradantur. Pecunias verò adulteratas scienter detinentibus, seu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, instrumenta, siue opem ad praemissa praestantibus, poenam interemium per decennium imposuit. Et cognitionem causarum huiusmodi in Prouincijs Sedi Apostolicae subiectis ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ibidem Legatos. In alijs verò Prouincijs Italiae ad Ordinarios locorum

- rū spectare voluit. *Gran. in Manual. Episc. v. Monetarij.*
24. Deinde pro Doctoribus, seu Scriptoribus, extat Decretum Pauli V. in generali Congregat. S. Inquisitionis, quo præcipiebantur Nuntijs Apostolicis, vt notificarent Superioribus Religionum, & Ordinarijs locorum, ne sinerent imprimi in materia de Auxilijs etiam sub prætextu commentandi S. Thomam, aut alio modo, nisi consulta prius S. Inquisitione Romana. Quod Decretum SS. D. N. Urbanus confirmavit anno 1625. præcipiens omnibus, vt in posterum non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere, libros, tractatus vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut prætextu commentandi D. Thomam, vel quemlibet alium Doctorem, aut alia quavis occasione, prætextu, vel modo, de materia Auxiliorum diuinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia à Sanctitate sua in Congregatione S. Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à dicta sancta Sede Apostolica fuerit ordinatum. Vt autem huiusmodi Decretum inuiolabiliter obseruetur eadem Sanctitas suas voluit, & declarauit, controueniens, penas priuationis dignitatum, & officiorum suorum, vocis actiue, & passiuæ, facultatis concionandi, publicè legendi docendi, & interpretandi ipso facto, absque alia declaratione incurrere, & nihilominus alijs etiam penis Sanctitatis sue, & successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, subiacere. Libros porro, quos in futurum contra presentis Decreti tenorem editi contigerit, absque alia declaratione tanquam expressè prohibitos haberi voluit, & Impressores, præter amissionem librorum, pecuniarijs, alijsque corporalibus penis, iuxta criminis gravitatem, teneri mandauit, contrarijs quibuscumque non obstantibus. Laurent. de Peirinis tom. 1. privileg. Minim. in Constit. 2. l. 4. §. 1. num. 20. Circa quod Decretum illud animaduertendum occurrit, quod quantum per ipsum prohibeatur imprimi libros tractantes, siue ex professo, siue incidenter de materia Auxiliorum diuinorum, non tamen videtur prohiberi libros tractantes de aliquo puncto, difficultate, seu questione de Auxilijs; aliud enim est materia de Auxilijs, aliud verò punctus aliquis, seu difficultas prædictæ materie. Quod rationi, & intentioni Summi Pontificis congruere videtur; aliis necesse esset, materias alias Theologicas, quæ cum materia de Auxilijs connexionem habent, non nisi imperfectè, truncatè, & defectuosè imprimi. Maximeque hoc verum erit, si prædictus punctus, modo testè, sinceriter, & sine amulatione aliqua, vt decet tractetur.
25. Decreta S. Congregationis Concilij de celebratione Missarum iussu SS. D. N. Urbani VIII. edita, quæ afferimus cap. 21. num. 5. debent legi sexto quoque Mense, id est, feria secunda post primam Dominicam Aduent. & feria sexta post Octauam Corporis Christi, in publica mensa, in omnibus Monasterijs, Conuentibus, aut Domibus Regularibus, sub pena priuationis officij, vocisque actiue, & passiuæ ipso facto incurrenda Superioribus localibus in hoc negligentibus. Ita enim præcipitur in eisdem Decretis: Similiter Decreta S. Congregat. eiusdem SS. iussu edita de Apostatis, & ceteris, quæ nos afferimus cap. 16. num. 16. cap. 23. num. 3. debent etiam legi in prædictis Monasterijs, saltem bis in anno cum Decretis Clement. VIII. pro reformatione Regularium, quæ nos sparsim in hoc opere inserimus. Sic enim præcipitur in eisdem Decretis sub pena priuationis officiorum, & vocis actiue, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda transgressoribus infligenda. Vide etiam obligationem quoad aliud Decretum S. Inquisitionis singulis annis promulgandum cap. 18. num. 110.
26. Item SS. D. N. Urban. VIII. in Bulla edita anno 1626. ad instantiam Philippi IV. Hispaniarum Catholici Monarchæ, & habetur 4. tom. Bullar. inter Constitutiones Urbani num. 57. cessauit, reuocauit, & abrogauit omnia, & quæcumque privilegia, siue exemptiones, non solum à Superioribus, sed etiam à Sede Apostolica concessa, quibuscumque Religiosis in Regnis Hispaniarum commorantibus, per quæ ad eorum Prælatorum obedientiam eximuntur, ex Monasterijs, & Regularibus domibus, ad eorum libertatem, & cum locis sibi bene visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia, egrediuntur, absque eò quod eadem Superiores tam huiusmodi egressum, quam secularium personarum quibusvis horis ad illorum Cellas ac-

cessum, atque ingressum impedire possint. Præterea de vno ad aliud Monasterium, seu Regularem domum, etiam ipsis Superioribus inuitis, transeunt, nec Choro, & alijs spiritualibus exercitijs, minusque refectorio cum alijs intersunt. Hæc autem Bulla intimata est à sua Catholica Maiestate Provincialibus Religionum per litteras ad illos missas, quarum copiam apud me habeo.

27. Idem præterea Sanctiss. D. N. Urbanus in Bulla Inscrutabilis anno 1621. 4. tom. Bullar. num. 117. confirmans, & innouans Constitutionem Sixti V. contra Astrologos Iudiciarios, decernit, quascumque personas, etiam Regulares quæ de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiue consanguineorum Mathematicos Ariolos, Aruspices Vaticinatoreseve nuncupatos, vel alios Astrologiam Iudiciariam exercentes, seu alias quomodolibet profitentes, de cætero consulerint, siue desuper eorum iudicia pronostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas receperint illis quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderit necnon ipsdem Mathematicis, Ariolis, &c. incurrere excommunicationem lætæ sententiæ, & penas lætæ Maiestatis, & vltimo supplicij, ac priuationis beneficiorum, dignitatum ac officiorum, ac inhabilitatis perpetuæ ad illa, & quod præuia degradatione Curie seculari tradantur puniendæ, cognitionemque causarum huiusmodi in Vrbe, & illius districtu ad Vicarium Generalem, & Urbis Gubernatorem, & Auditorem Generalem Camera, extra Urbem verò ad Cardinales, Legatos, & Prolegatos; in alijs verò partibus Superioribus Religiosis penitus exclusis ad Ordinarios locorum, vbilibet verò locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores, spectare voluit: Vide Gaudentium in Manual. Episc. v. Astrologia. Vnde transgressores huiusmodi Constitutionis denunciari debent Iudicibus in ea designatis, etiam si vnus tantum id sciat, si tales sint pertinaces. (Tollerus in Summa lib. 4. cap. 5.) alioquin, si spes emendæ credatur, prius erunt fraterna correptione admonendi. Cum enim præceptum correctionis fraternæ, quando adest spe probabilis lucrandi Fratrem, sit Iuris diuini, non est cur non obliget in hoc casu, cum etiam in casu hæretis à multis dicatur obligare, non obstantibus Edictis Inquisitorum, quibus præcipitur denunciatio, statim quod habetur notitia delicti. Bannez 2. 2. q. 33. art. 8. d. 8. ad 7. Peir. tom. prim. Min. in Const. 4. Greg. XV. a num. 26.
28. Pro Decreto S. Inquisitionis contra Regulares ab eadem condemnatos, vide c. 15. num. 39. Pro Decreto etiam S. Congr. circa ea, quæ regulares possunt facere in suis Ecclesijs, vide c. 12. num. 41. & alia dicenda in eodem capite a num. 23. vsque ad finem Capituli.
29. Circa penas autem, quæ in huiusmodi Decretis, Bullis, seu Constitutionibus Summorum Pontificum, aut S. Congregation. apponi solent contra transgressores, dicendum est primò: Penæ excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis impositæ ipso facto, vt si dicantur ipso facto, ipso iure, aut eo ipso incurrendæ, non solum obligant in foro exteriori, sed in interiori conscientia, ita vt antè omnem Iudicis sententiam, teneatur transgressor Legum ad illas obligantium illas subire. Ratio est, tum quia hæc est communis praxis totius Ecclesiæ, tum quia ita videtur supponi à Concilio Trident. sess. 24. cap. 6. dum in eo concedit facultatem absoluedi ab istis, quando sunt occulta, absque dubio supponens, incurri, etiam si non sint deducta ad forum exterius. Sotus 1. de iust. quest. 3. art. 6. Quando autem huiusmodi penæ non ponuntur infligendæ ipso facto, vt si lege dicatur solum sub pena excommunicationis, sub pena suspensionis, interdicti, &c. vel dicatur excommunicabitur, suspendetur, excommunicetur, suspendatur, &c. non incurruntur donec per Iudicem, sit lata talis sententia, vel declaratio. Quia ita etiam communis praxis fert. Alfonso a Castro lib. 2. de Lega. penali cap. 1.
30. Penæ etiam illæ, quæ in huiusmodi Decretis, Bullis, aut Constitutionibus Summorum Pontificum, aut S. Congregationis adiungi solent, pro transgressoribus, videlicet, Priuationis vocis actiue, & passiuæ, priuationis officiorum, dignitatum, administrationum, bonorum, &c. intupet, inhabili-

*habilitatis ad prædicta, vel alia quevis obtinenda, ipso facto, vel ipso iure, &c.* infligendæ, non obligant in conscientia ante sententiam Iudicis, ad minus declaratoriam transgressionis talis Legis. Ratio est, tum quia ita in praxi recipitur apud viros doctos, & timoratos, vt non se credant obligatos esse ad tales pœnas subeundas, nisi præmissa supradicta Iudicis sententia. Tum quia hoc est conforme naturæ Legis humanæ, quæ debet esse facilis, & accommodata fragilitati humanæ, videtur autem nimis rigidum, & durum, quodd huiusmodi pœnæ incutrantur ante Iudicis declarationem. Sorus 1. de iust. q. 6. art. 6. ad 4. Molina tom. 1. de iust. disp. 69.

- 31 Quando tamen non solum ponuntur istæ pœnæ sub illis terminis *ipso facto, ipso iure, aut eo ipso, &c.* incurrendæ sed adduntur vterius istæ dictiones, seu verba, *absque vlla declaratione, ante omnem declarationem, absque vlla Superioris Decreto, aut ministerio, aut sententia, &c.* vel similia, incurruntur tales pœnæ, & obligant etiam in conscientia, & foro interiori ante quæcumque declarationem. Ratio est quia nihil aliud videntur intendere Pontifices, & Latore harum Legum dum his terminis vtuntur, nisi quod nulla expectetur sententia ad hoc, quod illæ pœnæ incurrantur in vtroque foro, sed in hoc sint similes Censuris, & irregularitatibus, aliàs superflue adderent illas particulas, *absque vlla declaratione, absque vlla sententia, ante vllam sententiam, &c.* Suarez lib. 5. de Leg. cap. 8. Vasquez 1. 2. disp. Quia tamen aliqui Theologi oppositum sentiunt dicentes, per illas particulas, *absque declaratione, absque sententia, vel ante declarationem, aut sententiam, &c.* solum denotari, non requiri ad hoc quod tales pœnæ incurrantur etiam in conscientia, sententiam, aut declarationem talis pœnæ, sed ante illam incurri, non verò denotari non requiri sententiam, aut declarationem, delicti, aut criminis commissi, quia hanc dicunt semper esse necessariam, ideo hoc non videtur improbabile, tum quia hoc modo temperatur rigor istarum Legum, scilicet, quod reus non teneatur exequi in se pœnam sui delicti, tum, quia ita consuli vidi etiam à Pœnitentiarijs Ecclesiæ Sancti Petri, quos circa hoc consului. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 65. Sossa in exposit. Mot. propr. Clementis Octau. de Largit. mun. num. 102. Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in Const. 6. Iulij Secundi n. 19. Addiderim tamen maxime hoc esse verum loquendo de Pœnis, non quidem pure priuatiuis, in quibus exequendis non exigitur aliqua actio hominis, vt sunt inhabilitas, &c. sed de alijs in quibus talis actio non exigitur. Bonacin. de legibus disp. 1. quest. 1. punct. 7. §. 2. n. 9. & de contractib. disp. 3. q. 8. punct. vlt.
- 32 Quamuis multi credant nomine officiorum, graduum, dignitatum, & administrationum, de quibus statuuntur priuationes, vel ad quæ inhabilitantur transgressores horum Decretorum, seu Constitutionum, solum intelligi dignitates, officia, & administrationes habentia coniunctam Superioritatem, vt esse Generalem, Prouincialem, aut Priorem, non verò alia non habentia talem Superioritatem, vt esse Concionatorem, Confessorem, Lectorem, &c. Eò quod cum Sixus V. in quadam Constitutione contra Regulares illegitimè natos, eos dignitatibus, gradibus, & officijs priuauerit, postea in alia, priorem explicans, per illa solum intellexerit, & intelligi declarauerit ea munera, quæ habent coniunctam prædictam Superioritatem, non verò alia, quæ illam non habent. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 66. Rodrig. in exposit. Mot. prop. Pij Quinti circa ingressum Fœminarum in Monasteria virorum num. 21. Mihi tamen non placet hæc sententia, eò quod sine fundamento sufficienti restringit amplissima verba. Nam quod dicitur de Sixto V. manifestè ipse declarat se solum loqui quantum ad Constitutionem illam à se editam, non quoad alias à se, vel ab alijs editas, vel edendas. Sic enim dicit, *Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, bonorum, &c.* expendo enim particulam illam, *hac in re, de qua nunc agitur* quo denotat, se non loqui in alijs casibus aliarum Constitutionum, seu Bullarum Pontificalium. Immerito ergo propter fundamentum adductum prædictam opinionem sustinent auctores adducti. Quate dicendum est, per officia, dignitates, gradus, honores, administra-

tiones, &c. de quibus in Bullis, & Decretis Pontificum, & S. Congregationis fit sermo, intelligi debere ea omnia, quibus propriè, & secundum communem vsum, & æstimationem, talia vocabula accommodantur. Verba enim Legis secundum communem vsum, & significationem vsurpari debent. Vide dicenda tom. 2. c. 13.

- 33 Quando in huiusmodi Bullis, & Decretis, aut alijs litteris Apostolicis, in quibus aliquid prohibetur, vel præcipitur, apponitur verbum præsumptionis vt si dicatur de transgressoribus *si presumpserint, presumant, presument, &c.* vel similia, non comprehenduntur talibus Legibus, aut Censuris, vel pœnis per illas impositis, nisi illi, qui ipsas transgrediuntur ex dolo, malitia, vel præsumptione, non verò illi, qui etiam ex ignorantia culpabili illas transgrediuntur. Ratio est, quia verbum *presumptionis* significat temeritatem, vel malitiam excludentem omnem ignorantiam. Caietan. in Summ. verb. Excom. cap. 81. Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 24. & in cap. statutus num. 62. Quando tamen non apponuntur talia verba, sed solum communia, videlicet fecerint, perpetraverint, non obediunt, &c. vel similia, comprehenduntur etiam ignorantes ignorantia affectata, crassa, vel supina non tamen illi, qui solum habent ignorantiam probabilem, vel inuincibilem. Ratio primæ partis est, quia ignorantia affectata, crassa, vel supina æquiuale malitiæ, & dolo vnde non poterit excusare, neque à Censuris, neque à pœnis per legem impositis. Ratio verò secundæ partis est, quia talis ignorantia facit actum inuoluntarium, ac per consequens excusat transgressorem. Syluester verb. Excommuni. 7. num. 87. Miranda in tractat. de Sacram. q. 2. art. 12. Cornexo 2. to. in 3. p. tr. 5. de Cens. disp. vlt. dub. vlt.
- 34 A Censuris excommunicationis, suspensionis, vel interdictionis, quæ in huiusmodi litteris Pontificijs ponuntur, si non sint Papæ reseruata, possunt absolueri iure communi Prælati Religionum. Quia eo ipso quod huiusmodi censuræ nulli reseruantur, conceditur proprio Ordinario absolutio illarum. Suarez to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. Imò etiam si tales Censuræ sint Papæ reseruatae possunt aliqui Prælati religionum ab illis absolueri suos subditos propter priuilegia adducenda cap. 18. num. 36. cum conditionibus tamen ibidem assignandis. Inter quas illa præcipua est, quod in prædictis litteris Apostolicis non fiat talis reseruatio Papæ cum abrogatione priuilegiorum Religionum, tunc enim inutilia erunt talia priuilegia ad talem effectum.
- 35 In pœnis etiam priuationum, & inhabilitatum, quæ in prædictis litteris Apostolicis apponi solent, similiter si non sint reseruata Summo Pontifici, possunt dispensare Prælati religionum cum suis subditis, si delicta non sint maiora adulterio, & peracta pœnitentia. Propter rationem adductam, scilicet quod eò ipso, quod tales pœnæ non sint Papæ reseruatae censentur concedi Ordinario, seu Episcopo, cui iure communi competit dispensare in pœnis latis ob adulterium, & alia crimina minus graui, dum non expresse reseruantur, peracta tamen pœnitentia, vt declarauit Alexandr. III. in cap. At si Clerici. §. de Adulterijs. Vnde videtur posse Prælatos religionum in huiusmodi pœnis non reseruatis dispensare cum suis subditis, dummodò delicta non sint maiora adulterio, & peracta pœnitentia. Henriquez lib. 14. de Irregular. cap. 19. num. 2. Miranda in Manual. tom. 2. quest. 9. artic. 2. & quest. 31. artic. 11. Si autem tales pœnæ sint Papæ reseruatae, licet in illis non possint Prælati Religionum iure communi dispensare, cum suis subditis, nec etiam ex vi præcisè Decreti Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap. 6. vbi dicitur *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto pronentibus, &c. dispensare*, eò quod prædictum Decretum solum intelligitur de Episcopis, quia sic declaratum est à S. Congregat. Cardinalium dicente: In hoc Decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantum Episcopi priuatiue quoad omnes alios. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 12. n. 8. Nihilominus possunt aliqui Prælati Religionum cum suis subditis in prædictis pœnis dispensare, propter priuilegia adducenda c. 18. n. 46. cum

conditionibus ibidem assignandis. Maxime id videtur fieri posse ex privilegio Gregor. XIV. concessio Clericis ministrantibus infirmis, quod adducimus in eodem cap. 18. num. 35. dum dicitur; *Necnon cum eis, si opus fuerit, etiam cum rati habitatione, & absterione inhabilitatis, & infamie macule dispensare.* Quod etiam fertur concessisse Pium V. Abbatibus, & Prælatibus Cassinensibus. Laurentius Peirinis tom. 1. privileg. *Minim. in Const. 6. Iulij II. num. 24.* Vide dicenda c. 18. ut supra.

36 An verò etiam in foro externo possint Prælati regulares cum suis subditis in istis pœnis dispensare. Quidam affirmant cum Rodriguez tom. 1. quest. 24. art. 17. Cruz lib. 1. de stat. Relig. c. 6. dub. 15. con. 6. Alij verò (quod tutius est) negant. Cum nullum pro hac parte solidum fundamentum, aut privilegium afferatur. Peirinis ut supra post alios n. 25.

### SYMMARIUM. CAP. XI.

Religiosi non exempti DD. Episcopis obediunt. n. 1.  
Religiosi exempti non tenentur ex vi voti illis obedire. n. 2.  
Tenentur tamen illos reuereri, & honorare. n. 3.  
Quo ad obseruantias Regulares solum suis Prælatibus obediunt. n. 4.

Privilegio exemptionis an possint renunciare. n. 5.  
An possint absolui, & dispensari ab Episcopis. n. 6.  
Possunt Episcopi Parochiales Ecclesias visitare quoad ea, &c. num. 7.

An Regularis extra Monasterium degens si delinquat ab ordinario puniatur. n. 8. & 10.

Cui subsint qui in Monasterijs curam animarum obtinent. num. 9.

Quid de causis civilibus, & miserabilium personarum quoad Regulares extra Monasterium degentes. n. 10.

Qui dicantur tales. ibid.

Quid si Abbates negligentes fuerint in habendo lectionem S. Scripturæ. n. 11.

Quid de Regularibus extra Monasterium sine mandato suorum superiorum. ibid.

Quid de illis qui ad vniuersitates mittuntur, & in conuentibus non habitant. ibid.

Contra Regulares dantes vel accipientes aliquid pro ingressu nouitiorum an procedant Episcopi. n. 12.

An teneantur Religiosi obedire Constitutionibus Synodalibus. n. 13.

An possint Episcopi procedere contra Regulares per censuras. n. 14.

An possint illos declarare excommunicatos. n. 15.

Immunes & exempti sunt Regulares à secularium Iudicium iurisdictione. n. 16.

An etiam à legibus civilibus. ibid.

An à pœnis ipsarum. n. 17.

An à legibus irritantibus contractus, aut taxantibus preuarerum. ibid.

Nomine ordinariorum qui intelligantur. n. 18.

An clerici non exempti delinquentes in Monasterijs subiciantur pœnis ab Episcopo impostis. n. 19.

Qui regulares cogi possunt ab Episcopis ad assistendum Synodis. n. 20.

An suspensio generaliter lata in clericos Regulares comprehendat. n. 21.

Potest Episcopus coniugem inualide professum à monasterio extrahere. n. 22.

Possunt Religiosi Indulgentia quas Episcopi cōcedunt. n. 23.

An possint compelli Regulares ad testimonium ferendum in causis, &c. n. 24.

An emptores Gabellarum possint à Regularibus iuramentum exigere. n. 25.

An teneantur soluere donatum Principibus. n. 26.

### De his in quibus tenentur obedire Religiosi Dominis Episcopis, & Principibus sæcularibus. Cap. XI.

1 Religiosi non exempti, quales sunt aliqua Moniales Episcopis subiectæ, tenentur ipsis obedire ex voto

Obedientiæ. Ratio est, quia Episcopi sunt verè Prælati ipsarum, illisque emittunt votum Obedientiæ. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 1. num. 11. Immo prædictæ Moniales Episcopis subiectæ, tenentur potius ipsis, quam suis Abbatibus, aut Prioribus obedire. Eò quod duobus Prælatibus contrarij præcipientibus standum est Superiori, seu maiori Prælato. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 1. n. 11.

2 Religiosi autem exempti (quales communiter sunt ferè omnes. Religiosi propter multa Pontificum privilegia, ut constat ex cap. quam sit necessarium 18. quest. 2. de quo Nauarrus in cap. non dicitur num. 63. & in cap. nulla 18. q. 2. num. 40) non tenentur ex vi Voti Obedientiæ obedire Episcopis, aut eorum Vicarijs. Ratio est, quia solum promittunt Obedientiam Prælatibus Regularibus. D. Thom. 2. dist. 44. in fine in exposit. literæ ad 3. Syl. verb. Obedientia quest. 8. & 10. dicto 2. Vnde si Episcopi velint aliquo modo, vel de facto tentent procedere in Iudicio, vel extra contra regulares, aut contra res Monasterij in quavis causa civili, vel spiritali, (præter inferius assignandas) processus, sententiæ, & inde secuta sunt nulla & irrita. Cum enim non sint Prælati Regularium exemptorum nullam habent iurisdictionem supra illos. Rodrigu. tom. 2. q. Regul. q. 63. artic. 6.

3 Non obstante tamen privilegio exemptionis, tenent Regulares reuereri, & honorare Dom. Episcopos. Quia exemptus à iurisdictione non est exemptus à iure reuerentiali, ut docet Roman. singular. 486. Vnde cum venerint ad eorum Ecclesias ad celebrandum, reuerenter recipiendi sunt, possuntque in Regularium Ecclesijs uti baldachino, & contradicentes, Censuris, & pœnis cogere. Ex Decr. S. Congregat. apud Quarantam in Summ. Bullar. verb. priuileg. Regular. & Peirinis tom. 1. privileg. Minim. in Const. 26. Leone X. num. 45. Exercere etiam possunt Pontificia in locis exemptis. Erasimus CoKier in tract. de Iurisdictione. Ordin. in exempt. p. 5. q. 21. Sed vide Peirinis ut supra. Vide etiam Bartholomæum Gauantum tom. 1. Theaur. S. Rit. p. 2. tit. 3. §. in eorum residencijs.

4 Secluso etiam privilegio exemptionis, & stando in iure diuino, & ex vi voti Obedientiæ, quod Religiosi emittunt, non tenentur obedire Episcopis, sed suis Prælatibus, quoad obseruantias regulares, bene tamen quoad disciplinam Ecclesiasticam. Ratio est, quia etiam secluso tali privilegio exemptionis, cum votū Religiosorum non sit de obediendo Episcopis, sed proprijs Prælatibus, solum poterunt illis esse subiecti, sicut alij Clerici seculares, ac per consequens, non quoad obseruantias regulares, sed solum quoad disciplinam Ecclesiasticam, sicut prædicti Clerici. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 1. num. 12. contra Petrum Ledesma 2. tom. Summ. tract. 10. cap. 7. not. 2.

5 Huic Privilegio Exemptionis non possunt renunciare Religiosi saltem particulares. Eò quod illud datum est in honorem status religiosi, & consequenter noceret iuri Religionis, qui illud renunciare tentaret. Præsertim cum Papa in Bullis exemptionum regularium non solum dicat suscipere eos sub eius, & Sedis Apostolicæ protectione, sed dicat *immediate nobis subicimus*, quo denotatur, Pontificem se constituere immediatum Superiorem Iudicem Ordinarium, & quasi Episcopum Regularium. Rodriguez tom. 2. q. 63. art. 10. Laurentius Peirinis tom. 1. de privileg. Minim. in Constitut. Sixti Quinti §. 7.

6 Nihilominus Religiosi, etiam exempti, & non subditi Episcopis, possunt ab illis dispensari in irregularitatibus, & absolui à Censuris Episcopis specialiter, & priuatiuè referuatis. Vnde possunt ab illis absolui, & dispensari in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto proueniens, iuxta Decretum Concilij Trident. sess. 24. cap. 6. quod solis Episcopis competere diximus cap. preced. num. 35. Ratio est, quia licet Religiosi sint exempti ab Episcopis quoad iurisdictionem ordinariam; quoad actus tamen proprios Episcoporum, & in quibus non subduntur iurisdictioni suorum Prælatorum, quales sunt huiusmodi absolutiones, & dispensationes, possunt esse illis subiecti. Suarez 4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 12. Sanchez lib. 4. in Decalog. cap. 39. num. 32. Cornexo tomo 2. in 3. part. de irregulari. disput. 3. dub. 5. Imò ad hunc effectum non requiritur licentia, vel voluntas Prælati,

Prælati, tum quia Religiosus utitur iure suo, & in re conducente ad salutem animæ suæ. Licet quando huiusmodi dispensationes, vel absolutiones possunt obtineri à proprio Prælato ratione alicuius privilegij, vel aliunde, non debent, & forsitan non possunt, peti ab Episcopis. Quia hoc videtur cedere aliquo modo in dedecus religionis. Præsertim, quia est probabile, quòd eò ipso quod Prælati exemptus habet potestatem dispensandi, habet etiam Ius, ut nullus se intromittat circa suum subditum. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. n. 13. & 15. & cap. 23. n. 3. & 4. Vbi etiam extendit hoc ad casum necessitatis, in quo religiosus non potest adire Prælatum suum.

7 Non obstante etiam privilegio exemptionis regularium ab Episcopis, possunt ipsi Episcopi Parochiales Ecclesias ad eòdem Fratres ratione locorum suorum legitime spectantes, quoad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum conservacionem, administrationemque pertinent (sine tamen visitatorum insolito gravamine vel impensa) visitare, & illatam curam gerentes, & circa illam delinquentes, si religiosi fuerint, iuxta ipsius Ordinis regularia instituta intra septa regularis loci punire. Ita in Concilio Lateranensi in Bulla Leon. X. quæ habetur in Bullar. tom. 1. fol. 509. Qualiter autem hoc sit faciendum explicat Concilium Trident. sess. 7. de reformat. cap. 7. dicens, Beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu alijs Ecclesijs, vel Monasterijs, beneficijs, seu Collegijs, aut pijs locis quibuscunque perpetuo unita, & annexa reperuntur, ab Ordinarijs locorum annis singulis visitentur. Ne autem in hoc sit aliquis excessus, extat declaratio S. Congregationis Concilij anno 1602. edita, vbi dicitur: Episcopus, aut alios locorum ordinarios vigore cuiusvis Decreti eiusdem Concilij nullam habere facultatem quovis tempore in Monasterijs, Domibus, & Ecclesijs regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum personarum secularium, visitandi curam animarum personarum secularium, visitandi Curam, sacramenta, vasa facta, altaria, & cetera huiusmodi: aut etiam tabernaculum, seu pyxidem, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur. Flavius Cherub. in Compend. Bullar. circa Bullam 41. Pij V. Laurentius Peirinis to. 1. privileg. Minim. circa Constitut. 2. Sixti IV. §. 10. referens etiam declarationem Cardinalium ad Archiepiscopum Genueensem. Præterea, cum propter Constitutionem Gregor. XV. de exemptorum privilegij, & c. dubitatum fuerit, an liceat Episcopis visitare altaria regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca, vbi in eisdem Ecclesijs asservatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur confessiones personarum secularium S. Congregatio respondit: Episcopis non licere in vim eiusdem Constitutionis. Vide 4. tom. Bullar. post Constitut. 18. Gregor. XV. & Gauantum in Man. Episcop. verb. regularium Iura sub Episcop. n. 54. Nota insuper S. Congreg. Episcoporum & Regularium declarasse 11. Ianuar. 1641. Episcopum non posse visitare Capellas, aut Altaria posita in Ecclesijs Regularium, etiam si à secularibus fabricata sint.

8 Ex eodem Concilio Tridentino sess. 6. de reformatione cap. 3. sic habetur. Nemo Regularis extra Monasterium degens, etiam sui ordinis privilegij prætextu, tutus censetur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato secundum Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. Rodriguez 2. tom. quest. Regul. quest. 67. art. 11. Quaranta in Summ. Bullar. verb. exemptio. Infertur aliqui hoc Decretum intelligi solum de regularibus degentibus extra Monasterium, absque licentia Prælati, nam qui extra Monasterium degit cum licentia sui Prælati, dicitur esse in Monasterio. Laurentius de Peirinis to. 1. privileg. Minim. in Constit. 2. Sixti V. §. 11. n. 22. Quid verò dicendum sit de religioso intra Claustra Monasterij degente, sed extra illa notorie delinquentem, ex eodem Concilio Tridentino. & Clemente VII. agemus infra cap. 16. num. 26. & 27. Vide infra num. 10.

9 Idem etiam Concilium sess. 25. cap. 11. præcipit, quòd in Monasterijs, seu Domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ, tam Regulares, quam seculares

huiusmodi curam exercentes, subsint immèdiatè in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, Iurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Episcopi, in cuius Diocesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac prævio examine, per eum, aut eius Vicarium faciendi, excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, & exceptis etiam ijs Monasterijs, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinationis principalem habent, atque alijs Regularium Superioribus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores, iurisdictionem Episcopalem, & temporalem in parochos, & Parochianos exercent, salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in prædicta loca, vel personas iurisdictionem exercent. Augustinus Barbola de offic. Parochi cap. 3. num. 152. Vide etiam Henricum lib. 7. de indulgent. cap. 25. num. 11. Circa quod Decretum Concilij S. Congregatio declaravit, quòd In Monasterio, in quo Generalis alicuius Regularium sedem ordinariam principalem habeat, licet personæ seculares sint in eodem Monasterio curam animarum exercentes, quantum ad ipsam curam, & Sacramentorum administrationem spectat, nulli visitationi, seu Iurisdictioni Episcopi Ordinarij Diocesis, in qua ipsum Monasterium situm est, subiectæ sint. Laurent. de Peirinis ut sup. n. 30.

10 Præterea ex eodem Concilio Trident. sess. 7. c. 14. sic habetur. In exemptorum causis Constitutio Innocentij IV. quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunensi edita, servetur; quam eadem Sacrosancta Synodus innovandam censuit, & innovat. Addendo insuper, quòd in Civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum, Clerici seculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etiam si certum Iudicem à Sede Apostolica delegatum in partibus habeant; in alijs verò, si ipsum Iudicem non habuerint, coram locorum Ordinarijs, tanquam ad hoc ab ipsa Sede Apostolica delegatis conveniri, & iure medio ad solvendum debitum cogi, & compelli possunt, privilegij, exemptionibus, Conseruatorum deputacionibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valuturis. Pro quo advertendum est primò, non dici extra Monasterium degere Religiosum, qui causa Prædicationis, vel Confessionis, vel Eleemosynæ, vel alicuius rei, ad tempus, & non permanentes, extra Monasterium moratur. Laurent. de Peirinis tomo 1. privileg. Minim. in Constit. 2. Sixti IV. §. 11. num. 29. Similiter, miserabiles personæ, de quibus in hoc capite Concilium loquitur, sunt, Viduæ, Pupilli, Orphani, Senes, Decrepiti, diturno morbo fatigati, Puella pauperes nobiles, Peregrini, Adueræ, Cæci, Mutilati membris, atque similes. Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 65. art. 3. Regulares autem intra Claustra degentes per hoc Decretum Concilij in nullo casu possunt conveniri coram Ordinarijs. Ratio est, nam licet caput volentes (in quo Statuitur quòd Ordinarius loci possit procedere contra exemptos ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa) innovatum sit in hoc Decreto, tamen Paulus V. in Bulla, quæ habetur to. 3. Bullar. num. 34. inter Bullas huius Pontificis, approbat Decretum Sac. Congregationis, in quo ad instantiam Procuratoris Generalis nostri Ordinis ab eadem Sac. Congregatione declaratur; Neque Constitutione in generali Concilio edita, quæ incipit Volentes, neque Decreto Concilij Tridentini sess. 14. c. 7. comprehendi Regulares; ideoque eos, iuxta eorum privilegia coram suis Superioribus, vel Conseruatoribus esse conveniendos. Gauantum in Manual. Episcoporum. verb. Iura Regular. sub Episcop. num. 55. Cui etiam consonat declaratio alia Sac. Congregat. anno 1573. in hæc verba. Dubitatum fuit, an Regulares possint civiliter coram Episcopo à creditoribus suis conveniri. Et fuit responsum, quòd possint conveniri, si non sint sub Regulari observantia; at si sint sub Regulari observantia, non possunt conveniri coram Episcopo, quia habent propriam Superioris, & nihil habent cum eis commune Episcopi propter exemptionem. Nauarrus comm. 2. de Regular. n. 63. Rodriguez tom. 2. q. Regul. q. 2. art. 8. Peirinis to. 1. privileg. Minim. Constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 30.

11 Item iuxta dicta cap. 9. n. 48. ex eodem etiam Concilio



*sess. 5. cap. 7. Si Abbates negligentis fuerint* (scilicet in habendolectionem S. Scripturae in Monasterijs, vbi comode fieri queat) *Episcopi locorum, in hoc, vt Sedis Apostolica delegati eos ad id opportunis remedijs compellant.* Quaranta in *Summ. Bullar. verb. exemptio.* Sunt autem ista remedia opportuna. Excommunicatio, vt habet *Rodrig. tom. 2. q. 130. art. 2.* Vide supra c. 9. num. 48.

Insuper ex eodem Tridentino *sess. 25. cap. 4. Regulares, qui sine mandato in scriptis suorum Superiorum extra suos Conuentus reperti fuerint, tanquam desertores sui instituti ab Ordinarijs locorum puniantur.* Consonanter ad hoc decretum video Sac. Coagregat. Episcoporum & Regularium declarasse 14. Febr. 1642. Regulares Leopoldis, qui itinere sunt non teneri presentare Vicarijs forancis, aut Decanis licentias suorum Superiorum. Si tamen sine tali licentia reperti fuerint, posse incarcerari, & puniri ab Ordinario. Quae tamen non videntur intelligenda de aduente Superiorum etiam sine licentia, eo quod a Praelato iniuste grauetur, iuxta dicenda c. 16. n. 9. Diana *tract. 3. de Dub. Regularium resol. 56.*

Similiter ex eodem Concilio ibidem Regulares, qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur.

12. Praeterea ex eodem Concilio *sess. 25. de reformat. cap. 18.* conceditur Episcopis, vt per Censuras possint procedere contra regulares dantes, vel accipientes pro ingressu Nouitij aliquid per haec verba. *Quin potius praecipit S. Synodus sub Anathematis poena dantibus, & recipientibus, ne hoc villo modo fiat; & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quae sua erant, quod vt recte fiat, Episcopus etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.* *Rodriguez tom. 2. quest. Regul. quest. 63. art. 12.* De subiectione Regularium ad Ordinarios, quando sunt extra Claustra Monasteriorum, dicemus *cap. 16. praesertim hum. 17. & 26.* De subiectione Confessorum, & Confessorum ad Episcopos dicemus *cap. 19. & 20.* Insuper de subiectione Monialium dicemus *cap. 25.* De subiectione quoque Religiosorum ad Episcopos, quoad dies festos celebrandos, & ad publicas processiones accedendum, diximus supra *cap. 9. num. 46. & 47.* Vbi etiam *num. 29.* de obligatione publicandi, & seruandi Censuras positas ab Episcopis.

13. Tenentur praeterea religiosi obedire Constitutionibus Synodalibus concernentibus actiones communes totius populi, & obseruantiae Regulari non derogantibus, vt de ieiunijs seruandis, celebrandis aliquibus festis, & alijs huiusmodi; non quidem debito obedientiae, cum Religiosi (loquor de exemptis) subditi non sint Episcopis, sed debito, & iure naturali, quo sicut partes, & membra illius populi, tenentur se toti corpori conformare. Valquez *1. disput. 167. num. 33.* Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 15. num. 21.* Qui bene & propter eandem rationem, dicit teneri regulares obseruare vora, & promissiones facta a populis, vel ciuitatibus, in quibus morantur. Constitutionibus autem Synodalibus, seu Episcopalibus, solum concernentibus reformationem Clericorum, non tenentur regulares, cum nulla ratione illos comprehendant. Laurentius de Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Constit. 2. Julij 11. num. 67.* Diana *tract. 10. de legib. resol. 11.*

14. In praedictis autem casibus, in quibus religiosi etiam exempti subduntur Episcopis a Concilio Tridentino, probabile est non posse compelli ad obediendum illis per Censuras Excommunicationis, Suspensionis, &c. nisi forte hoc illis concedatur ab ipso Concilio. Ratio est primo, quia quoties Concilium voluit dare hanc auctoritatem Episcopis procedendi per Censuras contra religiosos exemptos, id explicuit, vt in *sess. 25. c. 16.* contra dantes aut recipientes aliquid pro ingressu Nouitiorum, & c. *5. eiusdem sessionis* pro restituenda, & conseruanda clausura Sanctimonialium, & *sess. 22. in Decr. de obseruandis, & vti adis in celebratione Missae.* Ergo ligati est in alijs locis, & casibus, in quibus non explicuit talem auctoritatem concedi Episcopis supra religiosos exemptos, noluisse illam habere. Sanc. *1. 7. de Matrim. disput. 23. n. 22. & lib. 6. in Decalog. c. 1. n. 14.* Secundo propter multa priuilegia, quae ad id habent Mendicantes, praesertim Carmelita, vt infra dicetur a Sixto IV. & Socie-

tas Iesu a Paul. III. anno 1549. vt videre est in *Comptiueleg. num. 23. & 24.* Specialiter flocorum Ordinarios, seu Praelatos non posse sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti in Religiosos promulgare, concessit Martin. V. Fratibus Minoribus, quod idem habetur sub nomine Eugenij IV. Refertur etiam de hoc indultum Sixti IV. eisdem Fratibus Minoribus concessum. Eiusdem tamen Sixti IV. extat copiosissima Concessio Fratibus Carmelitanis. Quod nullus Ordinarius, seu Legatus, quamcumque Superioritatem super praedictos Fratres sibi vindicare praesumat. Neque aliquis absque speciali commissione Sedis Apostolicae faciente mentionem de verbo ad verbum de huiusmodi Indulto, valeat pronunciare, siue promulgare aliquas sententias Excommunicationis, seu alias Censuras super eosdem Corduba *lib. 3. quaest. 10. q. 45. Rodrig. 10. 2. q. Regul. q. 59. art. 5.* Vide Bullam in *Specul. Ordinis fol. 87.*

15. Vnde non potest Episcopus declarare excommunicatum regularem transgressorem alicuius legis, propter quam imposita est excommunicatio, siue a iure, siue ab homine, nisi hoc sit illi specialiter concessum. Ratio sumitur ex exemptione regularium, & priuilegijs adductis. Quod etiam extenditur ad casum, in quo Regularis publice perpetrasset crimen, propter quod imposita esset talis excommunicatio. Nauarrus *lib. 5. consil. de sent. excommunicat. consil. 2. num. 2.* Citatio etiam facta Regulari ab Episcopo, vt compareat, quando id non est illi concessum, est ipso iure nulla, cum sit a Iudice non competente, comparet tamen decet, & allegare priuilegium exemptionis, & sic declinare Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 25. Peirinis tom. 1. de priuileg. Minim. in Constit. 2. Sixti IV. §. 10.*

16. Quamuis etiam Religiosi immunes, & exempti sint a secularium Iudicum iurisdictione, ita vt de ipsis, aut eorum bonis, aut rebus, non liceat Iudicibus secularibus iudicare, *cap. diligenter de foro compet. cap. etsi Clerici de Iudicij, & cap. 1. cum seqq. 1. quest. 1. & in Aulhent. statumus de Episcop. & Cleric. Nihilominus non sunt exempti a legibus civilibus, quae non sunt contra libertatem Ecclesiasticam, sed ad bonam Reipublicae administrationem sunt instituta. Ratio est, quia Religiosi, sicut etiam aliae personae Ecclesiasticae, sunt ciues, & membra Reipublicae secularis, & subiacent capiti, scilicet Magistratui, vel Principi seculari, ergo tenentur legibus illius. Victoria *de potest. Ecclesiast. quest. 2. tit. vtrum Eccles. sint exemp. propos. 4. Molina tom. 1. de Iust. disput. 31. conclus. 6.* Illae autem Leges Ciuiles dicuntur Ecclesiasticae libertati contrariae, quae Ecclesiasticis tollunt ea, quae iure diuino, Canonico, aut Imperiali maiori illis sunt concessa, vt si trahantur ad secularem Iudicem, vel si Leges illae tantum pro religiosis essent latae, vt si feratur lex ne Monialis, aut Religiosus succedat in hereditatem iure sibi debitam, &c. Sorus *1. de iust. quest. 6. art. 7.* Subduntur autem religiosi Legibus Ciuilibus solum quoad vim directiuam. Cum non possint cogi a seculari Iudice, sicut nec trahi ad ipsum. *Rodriguez 1. tom. quest. Regul. quest. 66. art. 2. conclus. vltim.* Vnde magis haec obligatio videtur oriri ex iure naturali, quam ex positio. Vide dicenda *num. seq.**

17. Similiter, licet Religiosi non subdantur poenis taxatis per Leges Ciuiles, eo quod, si tales poenae sunt latae sententiae, non possunt ligare illos, cum latae non sint a Iudice competente, sed a Iudice seculari, si vero sint ferendae, non ab ipso Iudice seculari, sed a Regulari imponendae sunt: *Valquez 1. 2. quest. 96. art. 1. disput. 167. fin.* *Rodriguez 1. tom. quest. Regul. q. 66. art. 2. §. 8. regul.* subduntur tamen Legibus Ciuilibus irritantibus contractus, & testamenta, nisi tali solemnitate, & modo fiant. Eo quod haec irritationes non sunt poenae, sed dispositiones Legum ad consulendum communi bono Reipublicae *Valquez 1. 2. quest. 10. 96. art. 1. disput. 167. fin.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 3. num. 29.* Deinde stare debent Religiosi Legibus taxatis praeter rerum. Cum enim sint membra Reipublicae, sicut alij ciues, stare debent eisdem communibus Legibus non contractis perfectioni statui. Ac proinde subiacent Legi Ciuili prohibenti venationem certo tempore, aut extrahere triticum, vel granum extra Regnum, vel Prouinciam tempore penuria: Legique praecipienti occisionem locustarum, & alio.

& aliorum animalium, quæ demoliantur messes & vineas, & alijs similibus. Rodriguez tom. 1. *questionum Regul. quest. 6. artic. 1. q. & quest. 66. artic. 2.* Nunquam tamen Religiosi transgressores Legum, seu Constitutionum Ciuilium deferendi sunt ad Iudices seculares, sed ad suos Prælatos, qui pro grauitate transgressionis; & scandali inde sequuti, illos punire debet. Aliter enim procedendo, contra Decreta in Bulla Cœnæ Domini fieret. Rodriguez tom. 1. *questio. Regul. quest. 66. artic. 2. §. Nona regula.*

- 18 Quamuis aliqui putent nomine ordinariorum à quorum Iurisdictione exempti sunt Religiosi, intelligi etiam Legatos de Latere (Henriq. lib. 9. cap. 25. num. 5.) verius tamen est, Regulares non esse exemptos à Iurisdictione Legati à Latere; Nam esto, quod aliqua priuilegia Religionum Legatos etiam de Latere comprehendant, per literas tamen Legationis, vt credo, derogantur. Harum literarum tenori attendendum est. Laurent. de Peirinis tom. 1. *pruileg. Minim. circa Constit. 2. Sixti IV. §. 7.*
- 19 Clerici non exempti delinquentes in Monasterio Regularium, secundum aliquos, non subiunguntur pœnis ab Episcopo impositis. Nam per exemptionem loci Monasteria Regularium sunt quasi extra Diœcesim existentia. Azor. tom. 1. *Institut. Moral. lib. 5. cap. 25. quest. 4.* Laurentius de Peirinis vt supra. Sed tu vide Erasmmum Cokier in *tract. de Iurisdictione. Ordin. in exemp. q. 109. & 110.*
- 20 Non possunt cogi religiosi ab Episcopis ad assistendum synodis Diœcesanis, exceptis Regularibus, qui curam animarum in Ecclesijs tenent. Ratio primæ partis est, quia Concilium Trident. *sess. 24. cap. 2.* expressè excipit eos ab hoc onere, qui *Capitulis Generalibus subduntur.* Ratio secundæ, quia prædicti subsunt correctioni, & visitationi Episcopi, vt constat ex eodem Concil. Trident. *sess. 25. cap. 11.* ergo debent etiam cum illo assistere synodis, vt informant, & informantur de necessarijs circa regimen animarum. Azor. tom. 2. *Institut. Moral. lib. 3. cap. 47. q. 3.* Peirinis tom. 1. *pruileg. Minim. in Constitutionem secundam Julij II. §. 25. num. 64.*
- 21 Suspendio generaliter lata in Clericos, nisi ex verbis, aut alijs circumstantijs ad seculares tantum limitetur, comprehendit etiam Regulares, si lata sit ab habente potestatem super illos. Ratio est, quia etiam Regulares sunt verè Clerici, & Ecclesiastici. Suarez tom. 5. in 3. *part. disput. 28. sess. 2. num. 8. & 9.* Cornexo tom. 2. in 3. *par. tract. 5. de suspens. disput. 3. dubio 1.* Insuper communitas Religiosorum, vt talis, bene potest suspendi, non autem excommunicari. Ratio est, quia excommunicatio est censura personalis, cum afficiat animam priuando illam interioribus bonis, suspensio verò non est talis, cum solum priuet ministerijs per se pertinentibus ad bonum commune. Suarez vt supra *seccione 3. num. 1.* Cornexo etiam vt supra. Vide dicta n. 14. & 15. & dicenda in sequenti numero. In prohibitione autem generali qua Episcopus præcipit ne aliquis exorcizet sine illius licentia, non includuntur Regulares. Cum non sint subditi Episcopi, & alijs ratione Ecclesiastici Ordinis, quem habent, sit eis permiffum. Portell. in *Additionib. ad dubia Regular. ver. exorcismus.* Diana tract. 2. *de Dub. Regul. resol. 36.*
- 22 Potest Episcopus coniugem inualidè professum, puta si sine consensu alterius coniugis professionem emisit, & Monasterio extrahere, & cogere ne detineatur. Ratio est, quia hoc non tam est agere contra priuilegiatos, quam exercere proprium munus, quod est Matrimonij Iura obseruari facere. Si tamen Religiosi illius Monasterij habeant priuilegium, quod non possint ab Ordinarijs excommunicari, suspendi, &c. iuxta dicta supra num. 14. & 15. non potest Episcopus contra illos per Censuras procedere. Sanch. lib. 7. *de Matrimon. disput. 33. num. 21. & 23.* Erasmmus Chokier in *tract. de Iurisdictione. Ordin. in exemp. part. 2. quest. 45. num. 122.* Potest tamen contra illos alijs pœnis Canonice agere, vt puta depositione, collocatione in altius Monasterium, quod idem dicendum cenfeo de alijs casibus, in quibus Episcopus procedit contra Regulares, & non per Censuras, de quibus in hoc capite. Sanch. vt supra. Henriquez de *Indulgent. lib. 7. cap. 25. num. 7.*
- 23 Indulgentiæ, quas Episcopi concedunt profunt Religiosis exemptis. Quia cum exemptio sit inducta in fauorem

religiosorum non debet illis aliquod incommodum, aut læsionem afferre, quod secus esset, si Indulgentias Episcopales lucrari non possent. Nauarrus *tract. de Indulgent. notab. 31. num. 12. versic. addo 7.* Bellarminus *tract. de Indulgent. lib. 1. c. 11. q. 3. versic. quare cum.*

- 24 Regulares non possunt compelli ad testimonium ferendum in causis Ciuilibus, nisi quando veritas aliter haberi non potest. Ita enim habetur in *cap. cum super. & cap. dilectorum de test. cog.* Quo etiam casu possunt compelli à suis Superioribus Regularibus ad testificandum coram Iudice Laico, vel Ecclesiastico; interest enim multum Reipublicæ, vt veritas pateat. Rodriguez tom. 2. *quest. 10. artic. 2.* Laurentius de Peirinis *tomo 2. priuileg. Minim. in Constitutionem secundam Julij II. n. 147.* Qui bene habent, quod in causa sanguinis non possunt Regulares compelli ad testimonium ferendum, etiam quando veritas aliter haberi non potest, quod intellige in causa sanguinis ad condemnandum, non pro liberatione. Regulares autem esse idoneos testes, tam in causis Ciuilibus, quam Criminalibus sui Monasterij probat Rodriguez tom. 2. *quest. 11. art. primo.* Peregrin. *prima parte Compend. priuileg. sui Ordinis titulo testimonium.*

25 Possunt emptores gabellarum exigere à Regularibus Iuramentum, quod res, v. gr. triticum, vinum, &c. quæ per Duanam transeunt nomine dictorum Regularium, sint ipsorum, & ad ipsorum vsus deputatæ; & tenentur dicti Regulares ad mentem dictorum exigentium Iuramentum iurare, non vtendo aliqua æquiuocatione. Ratio est, quia licet absolutè non possint Iudices, maximè seculares, compellere ad Iurandum Regulares, supposito tamen quod velint isti res illas, quas dicunt esse ad vsum proprium, sine solutione gabellæ relaxari, æquitas Iustitiæ postulat, vt possint ad iurandum compelli. Syluest. *verb. Iuramentum 3. quest. 2. & verb. mendacium quest. 6.* Sanch. lib. 3. in *Decalog. cap. 6. num. 35.* Pro hoc autem puncto, & præcedenti, vide Bonacinam *de præceptis Decalogi disput. 4. questio. 1. punct. 9. §. 1. per totum,* vbi tractat, qualiter interdicitur Sacerdotibus, & Prælati iurare in Iudicio, & in quibus casibus. Pro dictis etiam in toto hoc capite vide Gauantum in *Manuali Episcop. verb. Regularium iura sub Episcopis per totum.*

- 26 Quando in Parlamenti præbetur aliquod donatium Principibus secularibus pro custodia Regni, reparatione pontium, turrium &c. non tenentur ad illud soluendum Regulares, aut alij Ecclesiastici. Tum propter Ecclesiasticorum immunitatem à similibus impositionibus, tum quia bona ipsorum sunt ab eiusmodi gabellis exempta, & Deo consecrata. Suar. *contra Regem Angliæ lib. 4. c. 24. & 26.* & alij quos sequitur Diana *Tract. de Parlamento Resol. 22.*

*SVMMARIVM CAP. XII.*

- Officium diuinum quid sit. n. 1.*  
*Ad illud tenentur religiosi in sacris constituti. n. 2.*  
*Quid de Professis non constitutis in sacris. n. 3.*  
*Quid de conuersis. n. 4.*  
*Quid de nouitijs. n. 5.*  
*Legati aliqua censura an teneantur ad officium. n. 6.*  
*Excommunicati recitantes non possunt discere Dominus vobiscum. ibid.*  
*Quid de Regularib. expulsis aut damnatis ad tritremes. n. 7.*  
*Quid de monialibus. n. 8.*  
*Omnes Ecclesia Regulares tenentur quotidie psallere in choro. n. 9.*  
*Quando omittens aliquid officij diuini peccet mortaliter. num. 10.*  
*Quæ attentio seu deuotio sit necessaria ad officium diuinum. num. 11.*  
*Dicere horas Canonicas deglutiendo aut syncopando verba peccaminosum. n. 12.*  
*Concessio Leonis decimi pro scrupulosis an valeat hoc tempore. n. 13.*  
*Recitans officium exercendo aliam actionem impeditiuam attentionis an & quale sit peccatum. n. 14.*  
*Hora Canonica statuta temporibus debent dici. n. 15.*  
*An possint separati dici matutinum & laudes. n. 16.*  
*An possint interrumpi hora canonica. ibid.*

- An inuertere ordinem dicendarum horarum licitum sit. num. 17.
- Quilibet tenetur dicere horas iuxta Breviarium sibi approbatum. num. 18.
- Religiosi assumpti ad dignitates ad quod Breviarium teneantur. n. 19.
- Mutare qualitatem officij quale sit peccatum. num. 20.
- Ad officium paruum B. V. virginis qui teneantur. num. 21.
- Ad psalmos penitenciales, & graduales, seu officia defunctorum qui teneantur. num. 22.
- Ad anniuersarium Defunctorum die secunda Nouembris & litanias in diebus litaniarum omnes tenentur. n. 23.
- Ad ternaria Defunctorum qualiter obligentur Religiosi. num. 24.
- Qui excusantur à diuino officio persoluendo. num. 25.
- An qui excusantur ab officio recitando, excusantur ab illo audiendo. n. 26.
- Qui excusantur à dicendo officio non excusantur à dicendis illis horis quas possunt. n. 27.
- Quae privilegia sint circa dispensationem Regularium in officio diuino. n. 28.
- Quid de infirmis quos notabiliter offendit recitatio. *ibid.*
- Quando res est dubia quid faciendum. n. 29.
- Pro occupatis & impeditis quae privilegia sint. num. 30. 31. & 32.
- Decreta S. Congregationis Rituum. n. 33.
- De Sanctis celebrandis in Hispania. n. 34. 35.
- An clerici seculares, & regulares teneantur recitare officia sanctorum Diocesis. n. 36.
- De quibus sanctis fieri potest officium. n. 37.
- Defunctorum officium quando cadauera deferuntur ad ecclesias à quibus dicendum. n. 38.
- Cultus sanctorum quib. concedendus vel negandus ex Sacra Congregatione inquisitionis. n. 39.
- An non Canonizati nec Beatificati aliquo modo coli possint. n. 40.
- De iis quae Regularibus permittuntur, vel interdita sint facere in suis Ecclesijs à Sacra Congregatione. n. 41.

## De Religiosis quoad Obligationem recitandi Diuinum Officium.

### Cap. XII.

- 1 Officium Diuinum dicitur series horarum Canoniarum ab Ecclesiasticis ex praescripto Ecclesiae certis temporibus recitandum, ex antiquissima Apostolorum, & Patrum traditione, ipsiusque Ecclesiae sanctae Institutione. Thomas Vualdensis de *Sacramentalib. tom. 3. tit. de horis canonic. à c. 20.*
- 2 Ad illud soluendum tenentur omnes Religiosi in Sacris Ordinibus constituti. Ex cap. presbyt. de celebr. Miss. & ex cap. dolentis etiam de celebrat. Miss. Et ex antiquissima consuetudine. D. Thomas quodlib. 6. ar. 8. Sotus lib. 10. de Iust. q. 5. art. 3.
- 3 Tenentur etiam ad officium diuinum Religiosi professi Choro destinati, etiam si in sacris Ordinibus constituti non sint. Ratio est, quia licet ad id non obligentur ratione professionis, cum tantum Vota Religionis fuerint professi, non autem recitare officium diuinum; neque etiam ex praescripto aliquo Ecclesiae, cum non extet textus de tali praescripto; nihilominus antiqua, & laudabilis Religionum consuetudo ad id illos obligauit. Ioann. Medina Cod. de orat. quest. 7. Caietan. in Summ. verb. hora §. 1. Vnde si in aliqua Religione talis consuetudo non sit, qualis dicitur esse in Societate Iesu, non erit talis obligatio Graffis 1. par. decision. lib. 3. cap. 5. num. 89. Praedicti vero Choro destinati, si ad Conuersos fuerint deiectioni, non amplius tenebuntur ad diuinum officium. Quia cessat fundamentum talis obligationis. Laurentius de Peitinis tom. 1. de Subdito q. 1. de obedient. c. 24. §. 7.
- 4 Professi autem; qui non sunt choro destinati, ver. gr. Laici, seu Conuersi religionum, non tenentur ad officium diuinum. Cum nec ex vi professionis religiosae, nec ex praescripto aliquo Ecclesiastico, aut consuetudine ad id ob-

- ligentur. Rodriguez in Summ. cap. 138. Addens quod etiam si casu dato, aliquis ex illis Ordinem sacrum sine licentia sui Superioris susciperet, non teneretur dicere Officium diuinum, sed laborare tantum domesticis operibus Religionis. Tenentur tamen Conuersi, seu Laici Religionum ad dicendas certas orationes Pater noster, & Ave Maria iuxta Institutum regulae, vel Constitutionum, licet haec obligatio Regulariter saltem non sit sub mortali. Sotus 10. de Institut. quest. 5. art. 3. Dixi Regulariter, quia Conuersi ordinis Minorum tenentur sub mortali ad praedicta, ratione suae Regulae. Petrus Marchant. in expost. Regul. S. Francisci. c. 3. text. 2. tit. 2. q. 1.
- 5 Nouiti) autem Religionum (intellige nisi alias sint in Sacris constituti) non tenentur ad officium Diuinum, seu horas Canonicas. Ratio est, tum quia reuera non sunt religiosi, nec in onerosis sub hac voce comprehenduntur, tum quia nulla est lex, vel consuetudo ad id illos obligans. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de horis c. 17.
- 6 Religiosi verò, qui ad Officium Diuinum tenentur etiam si sint excommunicati, Suspensi, Interdicti, Depositi, aut Degradati ad idem officium manent obligati. Ratio est, quia tales priuantur honoribus, non oneribus, recitatio verò officij onus est, non honor. Nauarrus in Summ. cap. 7. num. 17. Cornexo 2. tom. in 3. par. tract. 5. de Excommunic. disp. 10. dub. 1. Addens cum alijs, excommunicatum recitantem officium non posse dicere Dominus vobiscum, quia hoc verbum denotat ipsum dicere officium, non vt priuatam personam. Vnde nec cum socio potest dicere officium, quia hoc est cum alio in diuinis communicare, quod est prohibitum illi. Cornexo vt supra post alios.
- 7 Religiosi expulsi, si sint in Sacris constituti, tenentur ad officium recitandum ratione Ordinis Sacri, & praescripti Ecclesiastici adducti supra num. 2. Si verò non sint in Sacris constituti, etiam si alias essent Choro destinati, non tenentur ad illud. Ratio est, quia quod professi non Ordinati teneantur ad Diuinum Officium solum est ex consuetudine non est tamen talis consuetudo circa eiectiones, praesertim, cum iam non sint amplius astricti Choro, aut Religioni. Sotus 7. de Institut. quest. 2. art. 1. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 6. num. 12. Idem dico de religiosi ad triremes damnatis, (licet Doctores aliqui omnino illos excusent ab onere dicendi horas Canonicas) illi enim si in Sacris sunt constituti ad Officium tenentur, si illud commodè dicere possunt, sin verò non sint in Sacris, non tenentur. Propter rationem traditam à Bonacina de horis Canonicis disput. 1. quest. 2. punct. 2. n. 3. De transeuntibus ad aliam Religionem, vide dicenda cap. 22. num. 19. Monachus etiam habens facultatem viuendi perpetuò extra Monasterium, vel uxorem ducendi, si in Sacris Ordinibus constitutus non sit, immunis est ab onere dicendi Diuinum officium. Quia, etsi talis verè religiosus sit, Regularis tamen non est, vnde non obligatur consuetudine Religiosis. Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 8. num. 11. Bonacina vt supra num. 4. Qui benè secus dicit dicendum, cum religiosus viuit extra Conuentum solum per aliquod tempus.
- 8 Tenentur etiam ad officium Moniales, non quidem ex aliquo praescripto Ecclesiastico, cum tale non extet, sed ex consuetudine, vt docet communis sententia. Nauarrus de orat. cap. 7. num. 2. & 5. argum. cap. 1. de celebrat. Miss. & cap. final. 29. Azor. 1. part. lib. 10. cap. 6. quest. 1. Intelligetiam extra chorum. Hieron. Rodriguez in Compend. q. Regul. Resolutio. 98. num. 5.
- 9 Tenentur praeterea omnes Ecclesiae regulares psallere quotidie in Choro horas canonicas. Ita habetur Clem. 1. de Regular. Licet autem hoc praescriptum obliget vnamquamque Religionem magis, vel minus iuxta modum sui Instituti, probabilissimum tamen est obligationem banc esse sub mortali. Quia ita est communiter receptum. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de horis canon. cap. 10. Cadit autem haec obligatio praesertim in Praelatos Conuentuum, Monasteriorum, seu Ecclesiarum regularium, vt curent, quòd eius subditi satisfaciant huic muneri. Quia quoties obligatio aliqua cadit in corpus aliquod mysticum, talis corporis capiti, seu Praelato incumbit curare, vt adimpleatur. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de hor. Canon. cap. 10. & 4. tom.

- ¶ 4. tom. tract. 3. lib. 1. cap. 11. num. 2. Idem dico de Missa cantanda in Ecclesijs regularium diebus saltem festiuis, regulariter enim illam omittere sine graui causa, graue peccatum est, non solum ratione scandalii secularium, sed etiam ratione consuetudinis Ecclesie vniuersalis, & Religionum Peregrin. in Commentar. ad constitutiones sui ord. par. 1. capit. 1. litt. E.
- 10 Quamuis omittens aliquam ex Horis Canonicis, aut partem notabilem officij Diuini peccet mortaliter, vt tradunt communiter Doctores, eo quod transgrediatur preceptum in re graui; omittens tamen vno die septem horas Canonicas, aut sex, non peccat totidem peccata mortalia, sed vnum tantum. Eo quod tantum transgrediatur vnum preceptum, seu vnam obligationem, scilicet integre dicendi Officium Diuinum. Nauarrus de Orat. cap. 7. num. 6. Qui autem Officium, vel partem notabilem Officij vnus diei non recitauit, non tenetur illud altera die recitare. Quia Officium est onus diei, & ita transit cum die sicut ieiunium, &c. Syluester verb. Hora §. 17. Nota tamen obiter omnino falsam & reijciendam esse sententiam Filiberti Marchini in Tract. de Sacram. Ord. tract. 2. p. 6. diff. 3. n. 4. asserentis, omissionem vnus integræ Horæ Canonicæ non esse peccatum mortale: quia (inquit) singulis diebus vnicum tantummodo videtur preceptum, sed omisso vnus Hora est parua materia comparata ad integrum Officium diuinum, ergo. Hæc enim sententia communiter reijcitur à Theologis; ommissio enim cuiuscumque Horæ, vt dixi, est notabilis deformitas & mutilatio Officij diuini, ac per consequens non est parua materia, sicut nec talis esset, si per se sola præcipere. Alioquin eadem ratione dici posset violationem ieiunij in vna die Quadragesimæ non esse peccatum mortale, eò quod comparatiue ad totam quadragesimam videatur parua materia. Diana p. 6. tract. 6. res. 6. post Castrum Palaum, Ledesnam, Reginaldum, Mophesium, & alios. Ac Petrus Ansell. in Tractat. de Hor. Canon. cap. 8. dub. 2. num. 5. post Sotum, Nauarr. Azorius, Lessium, Sanchez, & alios. Apud quem etiam num. 6. quæ censenda sit pars notabilis vnus Horæ Canonicæ.
- 11 Attentio, seu deuotio est necessaria recitantibus Horas Canonicas, seu Officium Diuinum. Ex Innoc. III. in cap. Dolentes de celebrat. Miss. per hæc verba: *Districte precipimus in virtute Sanctæ Obedientie, vt Diuinum Officium, nocturnum pariter, ac diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter, & deuotè.* Sotus 10. de iustu. q. 5. art. 5. conclus. 5. Imò hoc preceptum attentionis, seu deuotionis est obligans sub peccato mortali, nisi ex leuitate materiae, quando scilicet est defectus attentionis ad pauca verba, vel paucos versus, solum sit veniale. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de horis Canon. cap. 26. Sufficiens autem adimpletur hoc preceptum attentionis ad Officium Diuinum ab eo, qui initio Horæ Canonicæ proponit, & desiderat ad illam attendere, talemque voluntatem, & intentionem in progressu Orationis, ex proposito, & consuetudine non interrumpit. Quia ita interpretatur hoc preceptum maior pars virorum timorata conscientia. S. Thomas 2. 2. quæst. 3. art. 13. Sotus de Iustu. quæst. 5. art. 5. Tunc autem censetur quis retractare hanc voluntatem, quando aduertens se non attendere ad Orationem, sed ad alia, non curat de hoc. Id enim est implicite retractare voluntatem, quam primò habuit. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis cap. 26. Addens bene ex Caietan. in Summa. Oportere, quod aduertat se diuertit ab Oratione. Quod est præ oculis habendum scrupulosus.
- 12 Dicere Horas Canonicas cum aliqua mutatione, aut corruptione, vel deglutiendo, aut sincopando verba, syllabas, aut versus, non solum est peccaminosum contra cap. Dolentes de celebrat. Miss. sed etiam erit peccatum mortale, quando ex tali modo dicendi Officium sequitur non dici integre quoad partem notabilem. Quia hoc est idem, ac omittere partem notabilem officij quod est peccatum mortale Nauarr. cap. 10. de oration. num. 9. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de hor. canon. capit. 13.
- 13 Pro scrupulosus verò, qui non ex malitia, sed ob aliam

causam committunt aliquos defectus in pronunciando, seu proferendo Officium diuinum, refertur Concessio Leonis X. Fratribus Minoribus, quod scilicet dicendo horas Canonicas, & alia Officia diuina in Choro, vel extra, satisficiant precepto capituli *Dolentes de celebrat. Miss.* de dicendo studiosè pariter, & deuotè, ac etiam regulæ suæ, etiam si propter aliquam fatigationem, vel aliam causam dicant sedendo, aut deambulando, vel non integre verba proferendo, prout scripta sunt, propter negligentiam, aut imperitiam, aut malam prononciationem naturalem, propter defectum linguæ; seu aliâs qualitercumque imperfectè dicant, aut cum animi distractione, an sensum vagatione, dum tamen non ex malitia hæc faciant. Et similiter concessit, quod, qui cum talibus malè prononciantibus, vel alios supradictos defectus facientibus, dicunt Officium Diuinum, non teneantur reiterare ab alijs imperfectè dicta, aut ab eis, non integre audita, propter distantiam localem, vel strepitum, vel aliam causam, sed satisficiant precepto Ecclesie, aut Regulæ suæ, qualitercumque audiendo, quæ alij debent dicere, præsertim in Choro. Compend. priuileg. Mendic. verb. Offic. Diuin. n. 8. Rodriguez tom. 1. quæstionum Regul. q. 42. artic. 2. Hæc verò concessio (præterquam, vt dixi, solum pro scrupulosis, & timoratis intelligitur, non pro illis, qui ex malitia, id est voluntariè, malè, & indeuotè recitant, ipsos enim non iuuat, vt ex intento, & verbis ipsius colligitur. (Miranda in Manual. Prælat. tom. 1. quæst. 37. artic. 12.) Vtremque his temporibus nullius momenti est, quia videtur esse viua vocis oraculum, vt colligitur ex prædicto Compend. vbi annoratur o. paruo, quod est signum oraculi viua vocis. Omnia etenim viua vocis oracula, vt diximus supra cap. 3. num. 21. sunt iam reuocata. Vnde quatenus concedit aliquid supra ius commune nihil valet. Quid verò secundum ius commune sentiendum sit, ex dictis, & dicendis constabit.

- 14 Recitare Officium Diuinum, vel partem eius notabilem exercendo aliquam actionem impeditiuam attentionis debitæ, est peccatum mortale, vt si quis dum recitat, studeat, pingat, scribat, &c. Ratio est, quia hoc est idem, ac voluntariè non habere debitam attentionem. Si autem talis actio non impediatur simpliciter attentionem debitam, vt est vestiri, deambulare, &c. tunc solum erit peccatum veniale. Quia est aliqua irreuerentia ita loqui cum Deo, & quia impeditur perfecta attentio. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 26. num. 21. Aliquando autem nec erit hoc peccatum veniale, quando scilicet est necessitas ita faciendi, & sunt prædictæ actiones cum magna attentione ad Officium Diuinum. Rodriguez tom. 1. quæstionum Regular. quæst. 42. artic. 2. Hinc recitans Officium Diuinum potest simul satisfacere precepto audiendi Missam, saltem secundum aliquos. Eò quod ista duo ordinantur ad eundem finem, scilicet ad vacandum Deo. Tolet. lib. 2. Summa cap. 13. Similiter, qui peragit ea, quæ conducunt ad celebrationem Officij, vt sunt pulsare organa, thurificare altare, ponere, aut tollere libros pro cantu, &c. Propter eandem rationem. Rodriguez in Summa cap. 1. q. 2. num. 2. Intellige tamen, dummodo hæc facientes etiam recitent Officium quàm attentè poterint.

- 15 Omnes Horæ Canonicæ, siue quæ publicè, siue quæ priuatè recitantur, dici debent debitis, & statutis temporibus, scilicet, à solis, occasu vsque ad ortum; Matutinum; Prima post ortum solis; Tertia, Sexta, & Nona ante prandium, seu Meridiem; Vesperæ post Meridiem (seclusa quadragesima, in qua ante prandium dici debent) & Completorium prope noctem. Ita colligitur ex Clem. 1. de celebrat. Miss. & ex c. 1. decretal. eodem tit. adiuncta consuetudine Ecclesie. Sotus lib. 10. de Iustu. & iure quæst. 5. artic. 3. Nauarr. de Orat. & Hor. Canon. cap. 3. n. 45. Vnde Horas publicas, quæ in Choro dicuntur, sine magna causa non dicere temporibus statutis, credo esse graue peccatum, propter Ecclesie consuetudinem. Secus quādo priuatim dicuntur, si enim nulla causa subest, erit tantum veniale, causa tamen aliqua subsistente nullum peccatum. Quia ita etiam consuetudine apud timoratos habetur. Sotus 10. de Iustu. q. 5. art. 3. Nauarr. de Orat. & Hor. Canon. cap.

2. num. 78. Potest etiam dici Matutinum sequentis dici non solum post occasum Solis, sed etiam ante illum, dictis Vesperis, & Completorio, quinque horis post meridiem, siue in hyeme, siue in aestate. Quia ita etiam consuetudine receptum est apud multos, etiam Romae. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. cap. 27. Pro quo etiam referuntur aliquae concessiones factae Regularibus, quibus si certae sint, & non sint viuae vocis oracula, quae iam sunt annullata: vt dixi num. 13, tollitur omnis scrupulus. Rodriguez 10. 1. q. Regul. q. 42. artic. 18.
16. Possunt extra Chorum separatim dici Matutinum, & Laudes. Cum de hoc nulla sit prohibitio iure communi, Nauarrus cap. 3. num. 64. Quando autem separantur dicenda est Oratio Festi, Pater noster, & Ave Maria in fine Matutini secundum Breuiarium Carmelitanum, sed secundum Romanum solum Pater noster. Eo quod tunc fit Matutinum diuersa Hora à Laudibus, & ita debet finire sicut alia Hora Canonica. Nauarrus, & alij. Causa etiam rationabili subsistente possunt per aliquod tempus separari Nocturni Matutinales. Propterea quod antiquitus ita fiebat, & de hoc nulla est prohibitio. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 6. num. 10. Alias autem Horas Canonicas interrumpere notabiliter, sine rationabili causa non licet. Eò quod vnitas vnuscuiusque Hora Canonica spectat ad ritum recitandi illam, ab Ecclesia praescriptum. Haec verò culpa quandoque erit venialis, quandoque mortalis, quod perendum est, tum ex temporis interruptione, tum ex causa, & sine illius. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 24. à num. 9. Qui autem interruptit Officium, causa aliqua rationabili subsistente, non est necesse repetat recitata, aut quod incipiat à principio Hora Canonica. Aragon. 2. q. 83. artic. 12. Rodriguez in Summ. cap. 141. num. 3.
17. Inuerrere ordinem dicendarum Horarum, vt si dicatur Prima ante Matutinum, vel Vesperae ante Nonam, quando fit propter rationabilem causam nullum est peccatum: sine illa tamen, vel propter incuriam aut negligentiam solum erit veniale. Quia ita fere communiter interpretatur hoc praecipuum Ecclesia. Sotus 10. de Iustit. & Iure q. 5. artic. 2. Nauarr. de Orat. & Hor. Canon. c. 2. n. 65. Grauius autem peccatum, etsi veniale, videtur, dicere Matutinum sequentis dici ante perfolurum officium dici presentis, iusta aliqua causa non interueniente. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. c. 24. n. 2.
18. Quilibet Religiosus tenetur dicere horas Canonicas iuxta Breuiarium pro suo ordine approbatum. Ita sumitur ex cap. de vs. & c. placuit dist. 12. Caietan. verb. hora §. 2. Haec obligatio est sub mortali. Propter penas graues, quae in dictis Iuribus ponuntur. Sotus 10. de Iustit. & Iure q. 5. artic. 4. Vnde Religiosus Carmelita, aut alius, proprium Breuiarium habens, non potest vt Breuiario Romano. Ratio sumitur ex Pio V. qui in Bulla quadam Quod à nobis Ann. 1568. edita, praecipiens ab omnibus recitandum esse Officium diuinum per Breuiarium Romanum ab ipso approbatum, & correctum, eximit ab hac obligatione eos, qui vel ex institutione, vel ex consuetudine excedente ducentos annos alijs Breuiarijs vsi fuerint. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de hor. canon. cap. 23. n. 9. Neque obstat quod ibidem Pontifex dicat Eisdem, si forte hoc nostrum (intellege Breuiarium) quod modo promulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiant, vt id in Choro dicere, & psallere possint permutimus. Ex quo inferunt aliqui auctores posse religiosum, qui non tenetur vt Breuiario Romano, vt illo extra Chorum, etiam sine consensu superioris, & Capituli, propter istam concessionem Pij Quinti Nauarrus lib. 3. consil. tit. de celebrat. Missar. consil. 15. Rodriguez tom. 1. questionum Regular. quest. 42. artic. 13. In hoc tamen attendenda sunt consuetudo, & particularia iura Religionum specialia Breuiario vtentium. Lege pro Carmelitis Bullam Gregor. XII. in principio Breuiarij ipsorum positam. Dicitur esse quoad hoc priuilegium quoddam Innocentij I V. nescio tamen an sit, vel non viuae vocis oraculum, quia si tale fuerit nihil valebit hoc tempore.
19. De Religiosis autem assumptis ad dignitates extra Ordinem, puta Cardinalatum, Episcopatum, Abbatiam, Parochiam, &c. an teneantur dicere Officium diuinum iuxta ritum suae Religionis, an verò Ecclesiarum, quibus praeficiuntur, dicimus cap. 17. n. 11.
20. Mutare qualitatem Officij, vel Ordinem Breuiarij, recitando scilicet de Sancto, eo die, quo debet celebrari de feria, aliqui volunt non esse peccatum mortale, saltem si per duas, aut tres vices hoc fiat. Rodriguez tom. 1. q. 42. artic. 8. Miranda tom. 1. q. 27. artic. 13. Verius tamen est talem immutationem facere esse peccatum mortali in suo genere, nisi magna aliqua necessitas urgeat id faciendi, quia sic faciens contrariatur intentioni Ecclesiae, quae non vult aliter recitari officium diuinum, nisi iuxta Ordinem in Breuiarijs approbatis dispositum. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de hor. canon. cap. 23. à num. 11. Toletus in Summa lib. 2. cap. 13. Idem dico de mutatione ritus in officio dicendo, vt si celebretur duplici ritu Festum, quod non est nisi semiduplex, aut simplex. Pontifices enim, qui praecipunt vt aliquo Breuiario non solum praecipunt substantiam Festorum, sed etiam modum, & formam, quibus celebranda sunt. Gauantus in comm. in rubric. Missalis. Augustin. Barbosa de offic. & potestat. Parochi cap. 10. num. 31.
21. Religiosi vtentes Breuiario Romano non tenentur dicere extra Chorum Officium paruum B. Virginis, bene tamen in Choro in illis Ecclesijs, in quibus erat consuetudo illud dicendi. Ita Pius V. in Bulla adducta supra num. 18. vbi etiam illud recitantes Indulgentias concedit Rodriguez 1. tom. quest. Regul. quest. 42. artic. 14. Extendit hoc de obligatione recitandi praedictum Officium ad Dominicas, & Festa semiduplex. si adsit talis consuetudo, Gauantus in commentar. in rubr. Breu. tom. 2. sect. 9. cap. 1. Vbi, & alia ad hoc. Religiosi autem non vtentes Breuiario Romano, (quales sunt nostri Carmelita) tenentur ad id Officium Beatae Virginis, tam in Choro, quam extra, si in eorum Religionibus sit praecipuum, aut consuetudo illud dicendi. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. canon. cap. 13. & 25. Thomas de Iesu in Expos. Reg. Carm. 3. par. cap. 7. dub. 4. §. 1.
22. Ad Psalmos etiam Poenitentiales, Graduales, & Officium defunctorum, quae dicuntur aliquot diebus Aduentus, & Quadragesimae, non tenentur Religiosi vtentes Breuiario Romano. Quia ab hac obligatione illo exemit Pius V. in Bulla supra adducta, tam in Choro, quam extra, Indulgentias nihilominus recitantes illa concedens. Aragon. 2. q. 13. artic. 12. pag. 856. Rodriguez 1. tom. questionum Regul. quest. 42. artic. 14. Religiosi autem non vtentes Breuiario Romano; sed alio particulari, prout sunt Carmelita, tenentur ad supradicta recitanda, si adsit praecipuum, vel consuetudo in religionibus ipsorum illa dicendi. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 13. & 25.
23. Tenentur etiam Religiosi tam vtentes, quam non vtentes Breuiario Romano ad dicendum Anniversarium Defunctorum die 2. Nouembris, scilicet Vesperas cum Matutinis, & Laudibus. Quia hoc Anniversarium est pars Officij, eo die praescripti, ita vt beneficiatus, qui illud non recitaret, teneretur ad restitutionem fructus ad ratam. Suarez de Hor. Canon. lib. 4. c. 25. num. 8. & 9. Gauantus in Comment. in rubric. Breuiarij sect. 7. c. 13. Vbi etiam Matutinum Defunctorum in praedicto die, recitandum esse manet, & non pridie. Barbosa de Offic. Parochi cap. 10. num. 29. Tenentur etiam ad Litanias cum precibus in die S. Marci, & tribus diebus ante Ascensionem Domini, si non assistant processiones. Ratio est, quia ita praecipitur generaliter in Breuiarijs, & iste est vsus Ecclesiae. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 25. Bonacina de Horis canon. disp. 1. q. 3. punct. 1. n. 13.
24. Ad dicendum Ternaria Defunctorum, quae ter in anno in Religionibus dici solent, videntur solum obligari Religiosos ex Ceremoniali, Constitutionibus, aut Consuetudine, & ita ex illis pensanda erit quanta sit haec obligatio.
25. Excusantur à Diuino Officio perfoluendo, primò infirmi, quos notabiliter offendit, vel aggrauat recitatio. Paulud. in 4. dist. 15. artic. 2. Nauarrus cap. 25. n. 110. Deinde vtenter occupati circa negotium publicum, quod notabiliter impet-

impediretur Officij recitatione, ita vt non posset fieri conuenienter si diceretur Officium Diuinum, v. gr. Prædicatione, &c. Syluester *verb. Hora* §. 18. Et idem dico de vrgenter occupatis circa negotium, etiam in priuatum, magni ponderis; vel etiam multum occupatis circa curam infirmorum. Quia in his omnibus casibus, vel similibus non est credendum obligare Ecclesiam ad Officium diuinum, cum tanto dispendio boni communis, vel particularis, proprii, vel alieni, si vtrique obligationi satisfieri non potest. Toletus *lib. 2. Summa cap. 14.* Carentia autem Breuiarij excusat Religiosum ab officio diuino, quando sine sui culpa, fuit illi perditum, vel ablatum, v. gr. in itinere, mari, &c. Quia tunc moraliter est illi impossibile recitare. Quando autem voluntariè, vel per negligentiam culpabilem amittit Breuiarium, non excusatur. Quia tunc non recitatio erit illi voluntaria in sua causa. Suarez *2. tom. de Relig. lib. 4. de hor. canonic. c. 27.*

26. Quotiescumque autem Religiosus excusatur ab officio diuino recitando, excusatur etiam ab audiendo illud ab alio, qui illud recitet. Ratio est, quia præceptum impositum Ecclesiasticis non est de audiendo, sed de recitando Officio vocaliter, seu de illo pronunciando. Paludan. *in 4. dist. 15. quest. 5. art. 5.* Rodriguez *tom. 1. questionum Regul. q. 42. art. 10.* Possunt tamen Religiosi etiam excusati a recitando officio obligari ad illud audiendum, vt præcipitur in Constitutionibus Carmelit. *part. 1. cap. 20. §. 1.* Hæc tamen obligatio solum erit quanta fuerit Constitutionem Religionis.

27. Qui propter aliquam causam, infirmitatem scilicet, magnam occupationem, &c. excusantur à dicendo toto officio diuino, non tamen excusantur à dicendis illa, vel illis Horis Canonicis, quas commodè dicere possunt. Sicut qui debet centum, & non potest soluere nisi decem, tenetur decem soluere, & sicut, qui non potest ieiunare totam quadragesimam tenetur ieiunare illis diebus, quibus potest. Suarez *2. tom. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. cap. 27.* Qui tamen ab officio Diuino sunt excusati, nullo iure tenentur ad dicendum aliquas orationes, aut faciendum aliquod pium opus loco illius.

28. Cum Religiosis infirmis poterant quidam Prælati Regulares in recitando officio diuino dispensare. Primò ex priuilegio concessio à Leone X. scilicet, quòd sine propter febrem, aut dolorem intersum, vel aliam infirmitatem Fratres fuerint grauari, satisfaciant dicendo pro horis Canonicis preces, hymnos, Pater noster, Ave Maria, vel alia iudicio Prælati seu Præsidentis loci, aut Conuentus assignanda, & hoc quando Medicus corporalis (si commodè haberi potest) dixerit, infirmo esse suæ salutis nocuum recitare. Sed quia hæc concessio fuit facta viuæ vocis oraculo, vt refert Compend. priuileg. Mendicant. *Offic. Diuin. 1. num. 10.* ideo his temporibus vacat. Poterant etiam secundò id facere ex ampliori priuilegio Eugenij IV. Monachis Benedictinis Hispaniarum, vt scilicet, quilibet pro tempore Abbas, Prior, siue Prælati quorumlibet Monasteriorum prælatorum, liberè possint dispensare cum omnibus, & singulis presentibus, & futuris Monachis quorumcumque Monasteriorum huiusmodi, qui sine tædio non possunt dicere Horas Canonicas, quòd tempore infirmitatis, vel postquam conualuerint, loco horarum, ac Officiorum, ad quæ aliàs tenebantur dicant aliquid certum ad arbitrium ipsorum Superiorum; & non teneantur ad illud Officium Canonicum. Ac cum Prælati ipsis simili modo quilibet Presbyter Monachus per quemuis eorum eligendus, etiam dispensare possit. Sed etiam hæc concessio fuit viuæ vocis oraculum, vt refertur in ipso Compend. priuileg. Mendic. *verb. infirmi Fratres num. 8.* & sic nihil valet. Idem dico de alia concessione Martini V. facta Hieronymianis, propter eandem rationem. Nihilominus quartò pro infirmis vel circa infirmorum curationem occupatis, ita vt non super sit eis congruum tempus ad diuini officij recitationem, concessit Paul. III. Congregationi Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, *Vt infirmitate, aut circa infirmos occupatione huiusmodi durante, certum Psalmorum, per ipsum Superiorem eis assignandorum numerum, non minus septem, aut sex cum diuisione, & orationem Dominicam septies, ac symbolum Apostolorum bis; grauius autem egrotantibus, Orationem Dominicam semel, salutationem Angelicam septies*

*in die recitando, septem Horis Canonicis, & toti Diuino officio satisfecisse censeantur. tom. 1. Bullary pag. 618.* Quo priuilegio vt possunt regulares, qui habuerint communicationem priuilegiorum cum prædictis Patribus. Sine hoc tamen, aut alijs priuilegijs, infirmi, quos notabiliter offendit, vel aggrauat recitatio, excusantur ab illa, vt diximus supra num. 25. Illi autem, quos non ita notabiliter offendit, & aggrauat, si rationalis causa dispensandi subsit, possunt, stando in iure communi, & secluso priuilegio, dispensari à suis Prælati, sicut & Clerici possunt dispensari ab Episcopis, cum Prælati Regulares habeant autoritatem quasi Episcopalem. Episcopi autem dispensant cum suis subditis in præceptis Ecclesiasticis, nisi quando specialiter ex lege, vel consuetudine talis dispensatio reseruatur Papæ. Vide dicenda *cap. 18. num. 55.* Rodriguez *tom. 1. quest. 42. artic. 5.* Sorbus *in addit. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. Off. Diuin. 2.* Quod maximè est verum loquendo de professis non constitutis in Sacris ordinibus; ij enim cum solum ratione consuetudinis ad officium obligentur, faciliùs, & ob minorem causam in eo soluendo dispensari possunt à suis Prælati. *Less. l. 2. cap. 37. dub. 9. n. 51.* Diana *tract. 12. de horis canonic. resol. 19.*

29. Quando verò res est dubia, an ægritudo Monachi excuset illum ab Officio recitando, consulendus est Medicus, & illius iudicio standum. Nauarr. *in Manu. cap. 25. n. 100.* & *de orat. c. 12. num. 3.* Si verò Medicus manet dubius, tunc requiritur, & sufficit iudicium Prælati. Azor. *lib. 10. cap. 13.* Grassi *lib. 2. cap. 53. num. 2.* Fugendi tamen sunt Medici parum timorati, & qui magna facilitate huiusmodi dispensationes solent concedere. Rodriguez *tom. 1. questionum Regul. quest. 42. artic. 7.* Miranda *tom. 1. quest. 37. art. 16.*

30. Pro occupatis autem extat primò priuilegium Leonis Decimi concessum Fratrib. Minoribus, & per consequens gaudentibus ipsorum priuilegijs, vt scilicet, possint Officia Feriarum, quæ sunt prolixiora, anticipare, diebus quibus sunt otiosi, & Officia Festiua, quæ sunt breuiora, reseruare in illos dies, quibus credunt se fore occupatos Concionibus, & Confessionibus; modò id non faciant in fraudem, sed ad meliùs studendum, prædicandum, & Confessiones audiendum. Nauarr. *de Orat. cap. 19. num. 88.* Rodrig. *tom. 1. quest. 42. art. 5.* Nullus tamen eorum dicit, an hoc priuilegium sit viuæ vocis oraculum, an non, si autem tale fuerit nihil valet iam, propter sæpius dicta de reuocatione istorum oraculorum à SS. D. N. Urbano. Secundò extat hoc priuilegium Iulij II. Canonicis Regularibus sancti Saluatoris. Volumus, quòd, qui ex præfatis Canonicis, adeò Monasteriorum suorum Officijs occupati, vt in Choro interesse, & Officium Diuinum, vix sine labore, & tædio dicere, ac ipsa eis ratione officiorum huiusmodi incumbencia Charitatis opera implere nequeant, & qui ad Diuinum Officium huiusmodi dicendum, adeo vel non docti, vel minus experti pro tempore existunt, dummodo in Sacris non sint Ordinibus constituti, licet professionem emiserint, tamen ad persoluendum totum Diuinum Officium integrum minimè teneantur, sed eorum Prælati, habita suorum suppositorum consideratione, vltra Officium B. M. Virginis ad quod obligati remaneant, iuxta dispensationem eis creditam, si eorum animabus expedire uidebitur, aliquid dicendum iniungant, quod cum animi alacritate valeant adimplere. Vide Bullam *tom. 1. Bull. Laertij Cherub. fol. 452.* vbi etiam *fol. 464.* affertur simile priuilegium Leonis X. pro Camaldulensibus.

31. Extat etiam priuilegium eiusdem Leon. X. concessum Fratrib. Minoribus, quòd scilicet, *ne mutuo se impediunt in officio Diuino, aut alijs sint fastidiosi, quòd illa, que in Ordinario iubentur dici secrete sub silentio, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo inter se librum.* Nauarr. *de Orat. cap. 19. num. 88.* Rodriguez *tom. 1. questionum Regul. quest. 42. art. 4.* Quia tamen hoc priuilegium fuit viuæ vocis oraculum, omniaque talia oracula reuocata sunt à SS. D. N. Urbano, vt diximus *cap. 3. num. 21.* ideo non possunt Religiosi vt tali priuilegio. Iure autem communi, sufficit dicere Officium Diuinum secrete, dummodo formentur verba intra labia, & dentes, ibique distinctè proferantur, etiam si non audiantur. Peirinis *tom. 1. prin. Minim. in Constit. 28. Leon. X. n. 4.* Quod

Quod saltem est verum quando officium priuatè dicitur. Addunt quidam, etiam sic recitans non audiat seipsum, quod est probabile, dummodo, vt dixi, formentur verba intra labia, & dentes ibique distinctè proferantur. Azor. part. 1. lib. 10. cap. 11. quest. 4. Diana Tract. 12. de Horis Canonicis Resol. 11.

- 32 Pro Religiosis etiam occupatis in Prædicationibus, aut opetibus pietatis, vt putà Confessionibus audiendis, aut S. Theologiæ, ac Canonum studijs, aut infirmis, vel infirmis feruentibus extat privilegium Clement. VII. concessum Clericis Regularibus Theatinis, quod scilicet, Superiores illorum possint dispensare *Super recitatione Diuinorum Officiorum, ad hoc quod ipsi occupati, vel impediti, certum Psalmorum per ipsos Superiores eis assignandorum numerum, non minus septem, aut sex, cum diuisione, ac Orationem Dominicam septies, symbolum Apostolorum bis; grauius autem egrotantes Orationem Dominicam semel, & salutationem Angelicam septies in die recitando, septem horis Canonicis, & toti Diuino Officio satisfecisse censere*. Vide Bullam tom. 1. Bull. pag. 606. Vide etiam Laurentium Peirinis 10. 1. priuileg. Minim. in Constit. 28. Leon. X. n. 9.
- 33 Ad tollendos abusus in Officio Diuino recitando introductos Sacri. Congregatio Rituum, hæc decreuit die 8. Aprilis 1628. ex mandato SS. D. N. Urbani. Primò. *Non potuisse, nec posse locorum Ordinarios, tam Seculares, quam Regulares, aduere. Calendarijs etiam proprijs, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacra Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur* Lege Gauantum *Comment. in Rubric. Breuiarij tom. 2. sect. 1. cap. 5. tit. 2. n. 9. & 10. Barbofam de Offic. & Potest. Parochi cap. 10. num. 13.* Insuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Dioccesim, etiam de cuiusque Ordinarij auctoritate, Missam, vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adfit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesiæ Titulari, seu vbi asseruatur insignis Reliquia, & non alibi. Insignes autem Reliquias declarauit esse Corpus, Caput, Brachium, Crux, aut illam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integras, & non paruas, & legitime ab Ordinarijs approbata. Consonat huic declarationi Ceremoniale Ordinis nostri libro secundo, Rubric. 57. num. quinto, Lege Gauantum vt supra sectione tertia capite tertio, num. quinto. Item reiecit damnauit, & reprobauit eadem Sacra Congregatio Missas, quæ circumferuntur à Sacra Congregatione non approbatas, Sancti Gregorij pro Vniuersis, & Defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre eterno, & quascumque alias, exceptis ijs, quæ sunt permissæ Regularibus tantum, veluti Rosarij, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & alias, sicut etiam Officia ab eadem non approbata. Quæ omnia decreuit, & obseruari mandauit sub pœnis contentis in Bullis Pij V. initio Breuiarij, & Missalis positis, quod scilicet, non satisfaciant muneri recitandi Diuini Officij; Quod verò ad vtentes supra dictis Missis, sub alijs pœnis contentis in Indice Librorum prohibitorum ex Decreto Sacri Concilij Tridentini edito. Et, ne præmissorum ignorantia vllò vquam tempore possit ab aliquo prætendi, neque obliuio possit irrepere, eadem S. Congregatio voluit, & mandauit, prout de facto video in Ecclesijs Vrbs obseruari, Decreta huiusmodi affigi in Sacristijs omnium Ecclesiarum, tam Regularium, quam Secularium, etiam Patriarchalium, Metropolitana- rum, Cathedralium, Collegiarum, & aliarum quarumcunque in eisque perpetuò affixa asseruari. Vide dicenda cap. 21. num. 21. & 22. & Augustinum Barbofam de Offic. & Potest. Parochi cap. 10. num. ...
- 34 Item Gregorius XIII. in quodam Breui, quod incipit, *Pastoralis Officij* ann. 1573. edito, aduertens, quod in Ecclesijs Hispaniæ concessum erat, vt possent celebrare Officia propria Sanctorum illius Prouinciæ, illique sint plures numero, ideo declarauit Vnamquamque Hispaniæ Ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breuiario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius Diocesis sunt naturales, vel eius Ecclesiæ, seu Diocesi sunt Patroni, vel eorum Corpora, seu notabiles reliquie in ea Ecclesia, seu Diocesi requiescunt. De alijs verò Sanctis, etiam si sint naturales, vel Patroni alterius Diocesis, etiam si illorum corpora, vel notabiles reliquie in aliqua Ecclesia

alterius Diocesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed seruetur ordo Breuiarij Romani. Et, quo die celebrabitur Festiuitas Patroni vnius Diocesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis Ecclesijs intra limites illius Diocesis existentibus eandem Festiuitatem celebrare, & in hoc cum Ecclesia Matrice se conforment. Quaranta verbo Diuin. Officium.

- 35 Item concessit, quod quælibet Ecclesia, & Monasterium Hispaniæ habens reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti etiam alienigenæ, non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario fit tantum commemoratio, possit illius Festiuitatem celebrare, & Officium duplex facere; & de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio; si verò fuerit duplex, vel semiduplex, transferatur in primam, diem simili festo non impeditam. Quarant. in Sum. Bull. vt sup. Vide ibid.
- 36 Aduerte etiam quod Clerici Seculares, Regularesue in Ciuitate, vel Diocesi commorantes non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diocesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in choro. Gauantum in *Comment. in Rubric. tom. 2. sect. 1. cap. 5. tit. 2.* Nec obstat Gregor. XIII. num. 34. relatus; quia ibi loquitur de Patrono, & pro Ecclesijs Hispaniarum.
- 37 De Sancto cuius reliquia insignis habetur, & approbata, fieri potest officium duplex. Iuxta dicta sup. num. 35. Gauantum in *Thesaur. 1. tom. part. 1. tit. 11.* De sancto verò, cuius reliquia non insignis habetur, si concedatur officium, debet esse semiduplex, ad differentiam insignis reliquie. Barbofa de offic. Parochi cap. 10. num. 20. Item de Sancto Canonizato non potest fieri officium extra propriam Ecclesiam sine nouo decreto. Gauantum in *Thesaur. tom. 2. sect. 2. cap. 2. num. 30.* Barbofa vt supra num. 21. Præterea de Sancto Beatificato nec ab alijs personis, nec alio die, aut loco quam designantur in Bulla Beatificationis potest dici Officium aut Missa. Quia cultus Sancti Beatificati omnibus est prohibitus, nisi ijs quibus expressè concessus, & eo modo quo concessus. Diana Tract. 15. *Miscellaneous Resol. 55.* & in *Additionib. resol. 2.* Festum Patroni loci celebrari potest (imò, & debet) sed sine octaua, à Regularibus. Idem Gauantum 2. tom. *Thesaur. sect. 1. cap. 5. tit. 1. & in Manu. Episcop. verb. Regular. iura sub Episcopis num. 28.* Titulus altaris, seu Capellæ celebrandus est sub ritu in Calendario descripto, si autem ibi non nominatur, ad illud altare celebrari poterunt Missæ festiue cum Gloria in excelsis, sed officium nullatenus fiat sine licentia Maiorum. Gauantum ibid. sect. 3. cap. 12. num. 15. August. Barbofa de offic. & potest. Parochi cap. 10. a num. 17.
- 38 Quoties aduere ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur officia mortuorum, ac reliqua munera, quæ in huiusmodi Monasterijs fieri solent, non à Canonicis, neque Clero, sed ab eisdem fratribus obiri, ac peragi debent. Ita declarauit S. Congregatio vt refert Petegr. 2. p. sui *Compend. tit. sepultura in scholio §. 3.* Laurentius de Peirinis 10. 1. priuileg. Minim. in Constit. 2. Iulij II. §. 21. num. 57. Vide dicenda tom. 2. cap. 1. num. 47.
- 39 Circa cultum Sanctorum, qui ab Ecclesia Canonizati, aut Beatificati non sunt, animaduersione dignum est S. D. N. Urbanum decreuisse in generali Congregat. Sanctæ, & vniuersalis Inquisitionis die 2. Octobris anno 1625. Vt habetur 4. tom. Bullar. inter *Constitutiones Urbani num. 37.* *Ne quorumuis hominum cum Sanctitatis, seu martyrij fama quantumcumque illa sit, defunctorum Imagines, cum laureolis, aut radijs splendoribus factæ, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præferens, & indicans in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs tam Secularibus, quam Regularibus cuiuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis, apponantur, antequam ab Apostolica sede Canonizentur, aut Beati declarentur; & si quæ appositæ sunt, amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.* Ac pariter impedit de cætero inhiuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, siue martyrij fama, vel opinione, vt præfertur, celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, arque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos

doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tam graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsam expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supra dicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hætenus sine recognitione, atque approbatione huiusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandataque sua Sanctitas. Ad horum hominum sepulchra vetuit etiam, ac inhiuit tabellas, atque Imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia tam pictas, quam fictas atque exculpas appendi, seu affigi, & lampades, siue alia quæcumque lumina accendi, sine recognitione ab ordinario, omnino prout supra, facienda; Sedique Apostolica referenda, ac approbanda. Declarans, quòd per suprascripta præiudicari in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij coluntur. Postea verò præcipiens ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, vt vigilent ne aliqua contra prædicta fiant, his pœnis afficit delinquentes. *Transgressores verò si regulares fuerint priuationis suorum officiorum, ac vocis actiue, & passiue, nec non, & Suspensionis à diuinis, si verò Clerici seculares priuationis prauiter suorum officiorum, Suspensionis à diuinis, & ab administratione Sacramentorum, executioneque suorum Ordinum respectiue; alijq; arbitrio prædictorum ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpa infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculperint, seu quoquomodo affixerint, vel formauerint, ceterisque artifices circa premissa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs, alijsque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatem eorumdem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.* Postmodum verò idem S. D. N. à quibusdam reuocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conferuare liceret: Pro quo Sanctitas sua declarauit, quòd sicut nunquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & Imaginum huiusmodi, ita vt nulli deinceps hæsitatori locus relinquatur, statuit in præsentiarum, & decreuit, vt quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum Secularem, seu Regularem, tabellas, & Imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamuis cum martyrij, vel sanctitatis fama demortuorum, optata se impetrauisse dixerit, liceat Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve prædictorum curæ Præpositis, tabellas, & Imagines, siue pictas, siue ex quauis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque qui conscij fuerint attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinarijs, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque iam amota collocare, & asseruare, vt si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extant huiusmodi Sanctitatis qualescumque probationes Apostolicæ Sedis Iudicio tunc examinanda. Peirinis tom. 1. priuil. Minim. in Const. 3. Leo X.

40 Circa quæ primò aduertendum est, licere Sanctos non Canonizatos, neque Beatificatos, qui scilicet cum opinione sanctitatis è viuus decesserunt priuatim colere, dummodò id non fiat aliquo modo ex prohibitis in hoc decreto. Cum hoc nullo iure sit interdictum, quin à contrario videatur colligi ex c. 2. de Reliq. & Vener. Sanct. quatenus ibi prohibetur publicus cultus. Bellarm. tom. 2. controu. 4. lib. 1. cap. 10. Sanchez lib. 2. in Decal. c. 43. n. 3. Secundò licere eos priuatim inuocare. Propter eandem rationem. Azor. p. 1. lib. 5. c. 6. q. 8. Tertio non licere eis solemnes, aut publicas preces offerre, & multo minus templa, & altaria erigere, aut Sacra in eorum honorem dicere. Ex dicto c. 2. de Reliq. & Venerat. Sanctor. Laurentius de Peirinis tom. 1. priuil. Minim. in Constitut. 3. Leon. X. vt sup.

41 Pro ijs autem, quæ regulares possunt facere in suis Ecclesijs, extant sequentes declarationes S. Congreg. Cardi-

nalium Concilij missæ ad Eminentiss. Cardinalem Ludouisium Archiepiscopum Bononiensem, & Principem 2. Iulij ann. 1620. Cum enim à S. Congregatione quæsitum fuisset per Curatos illius Ciuitatis. Primò, an regulares possent annunciare dies festos, & ieiunia in suis Ecclesijs ad altare in celebratione Missæ? Secundò, an possent recipere ea, quæ offeruntur, & dare pacem populo ad Missam? Tertio, an possent portare pluuiiale, aut stolam, per Parochiam extra Ecclesiam, aut Claustrum? Quarto, an quando vocantur ad sepulturam mortuorum debeant accedere ad domum vbi est corpus defuncti an verò ad Ecclesiam Parochialem, vbi Clerus congregari consuevit, aut expectare in via? Quintò, an possent celebrare primam Missam in eorum Ecclesijs ante Missam Curati? Sextò, an possent infra Missam publicare ordinationes D. Cardinal. Archiepiscopi, Matrimonia, & alia quæ occurrunt? Septimò, an possent prædicare in eorum Ecclesijs tempore Aduentus, Quadragesimæ, & infra annum, quando prædicatur in Ecclesia parochiali? Octauò, an possent extra eorum Ecclesias, aut Claustra, portare pluuiiale, aut stolam, quando faciunt processiones sui ordinis? Nonò an possent in eorum Ecclesijs recipere mulieres ad purificationem post partum? Decimò, an cum fratres aliqui extra Monasterium moriantur, & à Curatis Sacramenta receperunt, possent ab eorum Superioribus ad suas Ecclesias deferri, Parochis inconsultis? Vndecimò, an quando moritur aliquis Superior religiosorum, vel Magister, aut Cathedraicus possent corpus illius portare per Ciuitatem per plateas, & alias Parochias cum musica, & ritibus extra ordinarijs, aut illi imponere pluuiiale, sine interuentu Parochi? Duodecimò, an Religiosi possint admittere ad celebrandum in suis Ecclesijs presbyteros extraneos non habentes licentiam à sua Illustriss. Dominat. vel eius Vicario, si hoc prohibitum sit ab eodem Illustrissimo. Tertiodecimò, an possent recipere, triticum, uuas, ligna, & similia, antequam Parochus receperit suas primitias? Quartodecimò, an possent in Hebdomada sancta benedicere domos in Diocesi existentes, cum hoc sit munus, Parochi, vt habetur in nouo rituali Romano? S. Congregatio Cardinalium Concilij Interpretum ad singula capita propofita in hunc modum respondit. Ad primum. *Regulares non prohiberi dies festos, & ieiunia in suis Ecclesijs annunciare.* An verò ad id faciendum cogi possint ab Episcopo tractat Barbofa de offic. Parochi c. 16. n. 26. Nota tamen singularem declarationem S. Congr. Episcoporum, & Regularium 9. Maij 1642. qua declarauit Priorem cuiusdā Conuentus sit in quadam Terra in qua non erat nisi vna Ecclesia Parochialis, qui volebat celebrare, vel celebrati facere in sua Ecclesia antequam Parochus, cogendum ad denunciandum inter Missarum solemnia dies festos, vigilijs, excommunicatos, Matrimonia &c. & alia quæ illi Parochus intimeret, alioquin quòd differret celebrare post Parochum. Ad secundum. *Respondit posse, dummodò à perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus elemosynarum extorsionibus abstineant.* Ad tertium. *Non posse.* Ad quartum. *Debere ad parochialem Ecclesiam accedere, ubi Clerus congregari consuevit.* Pro quo vide Barbosam ibid. c. 26. n. 63. & seqq. Ad quintum. *Prohiberi non posse, quominus Missa in Ecclesijs Regularium celebretur ante Missam parochialis Ecclesia.* Vide dicenda c. 21. n. 17. Ad sextum. *Non posse publicare Matrimonia.* Ad septimum. *Posse, petita tamen benedictione ab Illustrissimo Archiepiscopo.* Ad Octauum. *Non licere Regularibus huiusmodi processiones facere extra Ecclesias, & ambitum illarum.* Pro quo etiam vide alia apud eundem Barbosam de offic. & potest. Parochi c. 12. à n. 12. & Dianam Tract. 2. de Dubijs Regular. resol. 87. Ad nonum. *Regulares non prohiberi in eorum Ecclesijs mulieres post partum ad purificationem admittere.* Ad decimum. *Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.* Barbofa vt sup. n. 68. c. 26. Ad vndecimum. *Non posse.* Ad duodecimum. *Non licere Regularibus in suis Ecclesijs ad celebrandum admittere Presbyteros seculares contra prohibitionem Illustrissimi Archiepiscopi.* Ad tertiumdecimum. *Non esse id prohibitum Regularibus.* Ad quartumdecimum. *Non posse.* Vide circa hoc eundem Augustinum Barbosam vt supra num. 12. Vide etiam Laurentium de Peirinis tom. 2. priuil. Minim. in Const. 7. Pij V.



## SVMMARIUM. CAP. XIII.

- Regulares semper debent portare habitum sui ordinis. n. 1.  
 Sub pena excommunicationis maioris. n. 2.  
 Quando incurritur. *ibid.*  
 Incurritur etiam si hoc fiat animo non apostatandi. n. 3.  
 An si fiat modico tempore. n. 4.  
 An intra Monasterium. n. 5.  
 An si fiat assumendo habitum alterius Religionis. n. 6.  
 An tempore somni, & in lecto. n. 7.  
 An occultando proprium habitum. n. 8.  
 Potest à Papa Religiosus in hoc dispensari. n. 9.  
 Que mutatio habitus Regularis in secularem sufficiat ad hanc excommunicationem. n. 10.  
 Quid de mutatione, aut occultatione tantum partis habitus. num. 11.  
 Portantes habitum aliarum Religionum à quibus puniendi ex privilegijs. n. 12.

## De obligationibus Regularium, quoad habitum Religiosum portandum. Cap. XIII.

- 1 **Q**uamvis iuxta commune dictum, quod etiam approbat Concilium Tridentin. *sess. 14. cap. 6.* habitus non faciat Monachum; nihilominus, quia est signum Religionis, quam religiosi profitentur, ideo adstricti sunt singuli ad portandum habitum Religiosum semper, & in omni occasione; ita ut contrarium facientes peccent quandoque mortaliter, quandoque venialiter, nisi in casibus inferius assignandis. *Cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6. cap. Vidua 20. quest. 1. & c. Sanctimonialis d. 23.*
- 2 Hinc Religiosi omnes temerè habitum suæ Religionis dimittentes sunt excommunicati excommunicatione maiori nulli reservata *in cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* Comprehenditque hæc excommunicatio non solum Religiosos illarum Religionum, quæ tempore huius legis erant, sed etiam quoscumque alios futuros. Lex enim generalis, & perpetua afficit non solum natos, sed & in posterum nascituros. Bonacina *de Clausura quest. 2. punct. 2. §. 23.* Dicuntur autem temerè habitum dimittere, qui sine iusta, aut honesta causa illum dimittunt. Unde si quis Religiosus transiturus per loca Hæreticorum, aut Turcarum, aut aliorum hostium Religiosi habitus, habitum dimitteret, non incurreret hanc excommunicationem. Eò quòd tunc esset iusta causa illum dimittendi. Suarez *5. tomo in 3. par. disput. 23. sect. 4.* Nec etiam illam incurreret, qui ex ignorantia huius canonis habitum dimitteret, Quia dictio illa temerè. idem significat, quòd scienter, iuxta dicta *cap. 10. num. 33.* Suarez *10. 5. in 3. par. disput. 4. sect. 10. n. 3.* Sanchez *lib. 9. de Matrimon. disput. 32. n. 38.* Nec etiam incurret illam, qui est captivus inter Turcas, si Turcæ non permittant portare habitum. Quia tunc est causa rationalis dimittendi illum. Hieronym. Gratian. *in disciplin. Regul. c. 3. §. 1.*
- 3 Incurritur tamen hæc excommunicatio, etiam si is, qui dimittit habitum, non hoc faciat animo apostatandi. Eò quòd talis conditio non assignatur *in dicto cap. 2. ne Clerici,* nec includatur in dimissione habitus, cum possit esse aliquis apostata cum habitu, si recedat à religione animo deserendi illam in perpetuum, & non apostata dimittendo illum, si relinquat illum non animo dicto. Palud. *in 4. dist. 18. quest. 3. art. 3. n. 41.* Nauarrus *lib. 5. consil. ut. de apostat. cons. vnic.*
- 4 Incurritur etiam hæc excommunicatio, etiam si hæc habitus dimissio solum sit per aliquod tempus. Eò quòd decisio *tex. in dicto cap. 2. ne Clerici* loquitur absolute. Caietan. *in Summa verb. excommunicat. c. 61.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 8. n. 48.* Si autem sit per tam breve tempus, ut moraliter loquendo, secundum prudentiam æstimationem potius ipsatio, quàm dimissio habitus dicatur, non incurritur. Cum textus solum loquatur de dimissione habitus, & cum sit lex pœnalis non sit extendenda ultra verborum proprietatem. Bannez *2. 2. quest. 12. artic. 1. dub. 2.* Azor. *lib. 12. Institut. Moral. cap. 13. quest. 5. cas.*

16. Quod intellige, etiam si fiat animo faciendi paruo illo tempore aliquam rem minus licitam, aut etiam illicitam, seu turpem. Propter eandem rationem. Nauarrus *in Summa cap. 26. n. 131.* Azor. *10. 1. Institut. Moral. lib. 12. cap. 23. quest. 5. casu 16.* Extenditur etiam ad illum, qui brevi illo tempore dimitteret habitum causa diuagandi, aut eundem ad quemcumque locum. Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 8. §. n. 56.*
- 5 Incurritur etiam hæc excommunicatio, etiam si habitus dimissio fiat intra Monasterium. Quia textus dicti *capituli 2.* non petit Monachi euagationem extra Cœnobium, sed solâ habitus dimissionem, maximè præbentem occasionem ad vagandum, qualis est ista. Syluester *verb. excommunicat. 9. cap. 25. n. 55.* Sayr. *de censuris lib. 3. cap. 33. num. 19.* Hinc dimittere Religiosum suum habitum, etiam in Monasterio, & indui veste feminea propter ludum larruarum, vel aliquam comœdiam faciendam, quidam dicunt esse peccatum mortale. Si tamen fiat ob honestam recreationem, eutropeliam, vel alium honestum finem, debitisque pensatis circumstantijs, quantum est ex se, & sua natura non erit peccatum, saltem mortale; licet semper sit periculosum propter infirmitatem, & corruptionem naturæ. Grassis *1. p. decis. lib. 3. cap. 5. n. 77.*
- 6 Incurret etiam hæc excommunicationem Religiosus, qui habitum suæ religionis dimittit, & alterius Religionis induit. Ratio est, quia iste talis verè comprehenditur in illo canone *c. 2. ne Clerici* cum verè habitum suæ Religionis dimittat, Bannez *2. 2. disput. 1. q. 12. art. 1.* Sayrus *de censuris lib. 3. c. 38.* Quando tamen dimissio proprii habitus, & assumptio habitus alterius religionis fit propter rationabilem causam, ut scilicet, quia debet esse in illa religione talis Religiosus per aliquod tempus, vel in ea prædicare, docere, vel ob aliam iustam, & honestam causam, credo quòd tunc non incurret hanc excommunicationem. Eò quòd in prædictis casibus non est temeraria, sed rationalis, & honesta talis dimissio habitus, textus autem loquitur de temeraria dimissione. Bannez *2. 2. disput. 1. quest. 12. artic. 1. dub. 2.* & ex parte Azor. *10. 1. lib. 12. Institut. Moral. cap. 17. quest. 14.* Si verò assumptio habitus alterius religionis sit transeundo ad illam illicitè, & contra iura, quamvis multi probabiliter dicant incurri tunc hanc excommunicationem; ut Nauarrus *in Summa cap. 27.* & Suarez *5. 10. in 3. p. disput. 23. sect. 4.* Probabilis tamen est contrarium. Eò quòd textus *in illo c. 2. ne Clerici* eam habitus dimissionem excommunicationi subijcit, quæ attentis circumstantijs est periculosa ad vagandum, & ut credo ad mala perpetrandum; hæc autem non est ita. Aragon. *2. 2. q. 12. artic. 1. Lessius 2. de iust. & iure c. 41. dub. 13.*
- 7 Etiam in lecto, aut dormiens, tenetur Religiosus habitum suæ religionis portare, & peccat illum dimittendo. Quia ita videtur præcipi ab Ecclesia *in cap. vidua 20. q. 1.* Vbi dicitur, *seu in lectulo, quiescens, siue in quocumque loco consistens constanter utatur apra Religionis professione veste.* Fere idem habetur *c. Sanctimonialis dist. 23.* Quantum autem sit hoc peccatum? Quidam dicunt esse mortale. Grassis *lib. 3. decis. cap. 5. n. 75.* Quod admitti posset respectu illorum, qui omninò nudî, etiam sine camisia, causa aliqua non vrgenti, in lecto dormirent. Alios autem, qui aliqua decente veste, aut tunica induti dormiunt sine habitu suæ Religionis solum credo peccare venialiter. Quia decreta adducta non amplius petunt. Imò etiam à veniali peccato excusarem illos, qui ob rationabilem causam solum paruo habitu suæ Religionis cum tunica interiori induti dormiunt. Quia ita videtur consuetudine introductum etiam inter magis timoratos. Suar. *4. 10. de Relig. lib. 1. c. 5. n. 18.* Consulendæ in hoc sunt leges, & consuetudines particularium Religionum.
- 8 Illum, qui etsi non dimittat habitum suæ Religionis, illum tamen omninò occultat, ita ut nullo modo appareat, absque rationabili causa, probabilis est, incurtere prædictam excommunicationem, *c. 1. ne Clerici.* Ratio est, quia moraliter loquendo, & in ordine ad notitiam aspicientium idem est omninò occultare habitum, ac illum dimittere, sicut idem erit Iudæum inter Christianos commorantem occultare illud signum, quod portat, ac illud dimittere, atque ita eadem pœna punietur. Pariter ergo in presenti, & quoad intentum huius legis idem erit omninò occulta-

re habitum, ac illum relinquere. Atque ita utroque modo incurretur hæc excommunicatio. Nauarrus in *Summ. cap. 27. Bannéz 2. 2. disp. 1. quest. 12. punt. 1.* Sicut autem relinquere habitum propter grauem necessitatem, v. gr. tuendi vitam, vel vitandi graue aliquod damnum, vel scandalum, excusat ab hac excommunicatione, iuxta dicta *supr. num. 2.* sic etiam omnino illum occultare excusabit ab illa in prædictis, aut similibus casibus. Ratio est eadem, quia leges humanæ non censentur obligare cum tanto dispendio, præsertim, quia occultare habitum in casibus assignatis non est temeraria occultatio, aut dimissio, sed prudens, & rationalis. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 13.*

9 Potest dispensari cum Religioso quod omnino non habeat habitum, vel saltem quod illum deferat occultum: cum hæc obseruantia non sit de essentia status Religiosi. In hoc tamen solus Pontifex dispensare potest, quia ad illum spectat in iure communi dispensare. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 15. & 16.* Vnde in Concilio Trident. *sess. 25. cap. 19.* præcipitur, *ne detur licentia cuiuscumque Regulari occulte ferendi habitum sua Religionis.*

10 Qui habitum Regularem mutat in habitum sæcularem, si seriò id faciat, & ut pro illo tempore sæcularis appareat, etiam si tempus breue sit, probabile est peccare mortaliter, & incurtere excommunicationem adductam. Ratio est, quia talis mutatio quantumuis pro breui illo tempore facta videtur materia grauis, & habere notabilem deformitatem repugnantem statui Religioso. Nauarrus *Conf. de apostas. num. 6.* Rosella *verb. excommunicat.* Si verò talis mutatio habitus fiat non seriò, sed ludi causa ad representandum, vel quid simile, non erit peccatum præsertim mortale, neque propterea incurret sic faciens excommunicationem Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. l. 1. c. 5. num. 9.* Vide *supra num. 5.*

11 Loquendo autem de eo, qui mutat, aut occultat non totum habitum, sed partem illius, dicendum est: quod si sit talis mutatio, aut occultatio partis, quod ex reliquo cognosce non possit, an talis persona Religiosa sit, nec ne, committitur peccatum mortale sufficiens ad excommunicationem; quia est grauis transgressio legis, & quoad materiam, & quoad finem ipsius, qui est, quod persona Religiosa cognoscatur, & habeatur ut talis. Si verò pars habitus, quæ remanet immutata, & apparens, sit talis, quæ sufficienter manifestet personam illam esse Religiosam, non peccabit saltem mortaliter, nec incurret censuram. Quia reuera non dimittit, neque occultat proprium statum. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 11.* Bonacina *de clausura quest. 2. punt. 2. §. 8.*

12 Contra illos, qui habitum Carmelitarum deferre audent, vel ita confimilem, ut propter eum Carmelitæ credi possint, absque Sedis Apostolicæ mandato speciali, possunt procedere Diocesani per censuram Ecclesiasticam. Ita concessit Sixtus IV. in Bulla *dum attendit, in specul. Ord. fol. 89. & 90.* Eadem prohibitio, quod nullus possit habitum confimilem habitui Minorum portare, facta est à Leon. X. Laurentius de Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Const. 2. July II. §. 18. num. 53.* Consulenda etiam sunt priuilegia aliarum Religionum.

SVMMARIUM CAP. XIV.

- Aetas Regularium ordinandorum. n. 1.*
- Pæne contrarium facientibus impositæ. n. 2.*
- A quibus incurrat suspensio. n. 3.*
- Quando incurrat. n. 4.*
- Quas pænas incurrant. n. 5.*
- Priuari possunt beneficijs. n. 6.*
- Quando sunt irregulares. n. 7.*
- An quando prædicti ordinantur illegitimè in Presbyteros suspensionem, & irregularitatem incurrant. n. 8.*
- Qui puniuntur à tribunali sanctæ Inquisitionis. n. 9.*
- Regulares ordinantur sine titulo beneficij aut patrim. n. 10.*
- An possint in suis domibus ordinari. n. 11.*
- A quo Episcopo, & quilibet dimissorijs. n. 12.*
- Quid de Abbatibus dicendum. n. 13.*
- Duo sacri ordines vna die non conferuntur. n. 14.*
- In interstitijs quis dispenset. n. 15.*

- Propter quam causam. n. 16.*
- Annus interponendus an Ecclesiasticus, vel Solaris. n. 17.*
- Litteræ dimissoriæ à Superioribus concedende. n. 18.*
- Non possunt extra tempora ordinari. n. 19.*
- Quid ex priuilegijs. ibid.*
- Novitj qualiter, & quomodo ordinandi. n. 20.*
- A Suspensione vel irregularitate contractis ab illegitimè ordinatis qui absoluant vel dispensent. n. 21.*
- Excommunicationes postre ab Episcopis ordinem suscipientibus illegitimè eorum comprehendunt. n. 22.*
- Absolutiones eorum etiam iuuant. ibid.*
- Simoniace ordinati quas pænas incurrant. n. 23.*
- Ordinandi an linguam latinam calere debeant. n. 24.*

De Obligationibus Regularium, quoad Sacros Ordines suscipiendos. Cap. XIV.

1 **M**odo post Concilium Tridentinum nullo modo possunt Religiosi ante ætatem ab ipso præscriptam, nempe ad *Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum etatis annum* promoueri, priuilegijs quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. Concilio Trident. *sess. 23. cap. 12.* Nec ad hoc iuuat priuilegium quoddam, quo Pius V. viuæ vocis oraculo dicitur concessisse Regularibus, posse uti in foro Conscientiæ omnibus suis priuilegijs etiam derogatis à Concilio Tridentino. Tum quia hoc est valde incertum. Tum quia etiam si esset certum, est reuocatum à Sixto V. in Constitut. *Sanctum, & Salutare* contra male promotos edita, quia strictè præcipit obseruari Concilio Tridentino, contrarijs quibuscumque non obstantibus. Quæ Constitutio Sixti V. non est à Clemente VIII. quoad hoc moderata in Bulla quæ incipit *Romanum Pontificem* ann. 1595. edita, & habetur *3. tom. Bullar. num. 40.* Quia in ea solùm fuit moderata prædicta Constitutio Sixti V. quoad pænas, & censuras in ea contentas contra quoscumque, præterquam contra *Simoniace ordinantes, & ordinatos.* Quoad reliqua verò reducta est ad terminos sacrorum Canonum, Constit. Pij II. & decretorum Concilij Tridentini. Cum ergo à Concilio Tridentino præscripta sit ætas ordinandorum, exclusis quibuscumque priuilegijs, nullo pacto ante illam possunt Religiosi Ordinari, Miranda in *Man. tom. 1. quest. 39. art. 1.* Omitto id, quod sapienter dixi, videlicet omnia huiusmodi viuæ vocis oracula annullata fuisse à Sanctis. D. N. Urbano VIII. ac per consequens huiusmodi viuæ vocis oraculum Pij V. esto quod fuisse verum, iam nullius est momenti. Vide dicta *cap. 3. num. 21.*

2 Vnde Religiosi suscipientis Ordines ante legitimam ætatem remanent suspensi, & si huiusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare presumpserint, eo ipso irregularitatem incurruunt. Ita statuit Pius II. in Bulla *Cum ex Sacrorum* ann. 1461. edita, in *tom. 1. Bullarj* inter Bullas huius Pontificis *n. 7.* An verò huiusmodi suspensio incurrat si per aliquas horas ante ætatem requisitam aliquis suscipiat Ordines Sacros Diana *Tract. 16. Miscell. Resol. 29.* Huiusmodi autem suspensio solùm est ab executione illius Ordinis, ante legitimam ætatem suscepti, ut patet in illis verbis *in eisdem Ordinibus ministrare presumpserint.* Vnde non impedit vsum aliorum Ordinum legitimè susceptorum. Suarez *de Censuris disp. 31. sect. 1.* Quaranta in *Sum. Bullar. v. Ordo.* Permanet autem hæc suspensio non solùm vsque ad legitimam ætatem superuenientem, sed ea etiam superueniente vsque ad dispensationem, seu absolutionem. Tolet. in *Sum. l. 1. c. 61.* Cornexo *tom. 2. in 3. part. disp. 4. de Suspensione dub. 1.*

3 Eandem suspensionem incurruunt, qui absq; dispensatione Canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora iure statuta, vel absque dimissorijs litteris ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoueri. Ita statuit Pius II. in Bulla adducta, & Sixtus V. etiam in Bulla illa *Sanctum, & Salutare*, quæ est 91. inter Bullas huius Pontificis. Miranda in *Man. tom. 1. disp. 39. art. 6.* Cornexo *ut supra.* Vide infra *num. 18. & 19.*

Hanc

- 4 Hanc autem suspensionem non incurrere illos, qui non ex dolo, aut malitia, sed bona fide, aut ignorantia crederent, posse suscipere Ordines ante legitimam aetatem extra tempora, vel sine litteris dimissorias, docent aliqui. Eò quòd (inquit) Pius II. solum apposuit illam contra praesumentes, & ut constat ex dictis supra cap. 10. num. 33. cum tale verbum in Constitutionibus Pontificijs ponitur, solum comprehendit eos, qui ex dolo, & malitia illas transgrediuntur. Toletus 1. cap. 55. post Nauarrum, & alios. Miror tamen viros doctos ita dixisse, cum (ut constat ex verbis Pontificis in praedicta Bulla) non utatur verbo *presumere* quoad incurrendam suspensionem, quia ad hoc solum dicitur, *ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri*, sed quoad incurrendam irregularitatem si sic suspensi in Ordinibus ministraverint: sic enim dicit, *si huiusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare presumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant*. Quare dicendum videtur ad incurrendum dictam suspensionem non requiri dolum, aut malitiam sed sufficere ex ignorantia culpabili suscepisse Ordines sine praedictis conditionibus iuxta dicta sup. cap. 10. num. 33. cit.
- 5 Quamvis contra praedictos suscipientes Ordines sine legitima aetate, aut sine alijs conditionibus assignatis, Sixtus V. in Bulla Sanctum, & salutare ann. 1598. edita in 2. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 91. gravissimas poenas statuerit, eorumque absolutiones, & dispensationes soli Summo Pontifici referuauerit, aded, ut neque per Iubilaea, Cruciatam, aut alia privilegia, etiam à Maiori poenitentiaro absolui, aut dispensari possent, tamen Clem. VIII. in Constitutione adducta supra num. 1. moderauit, & reduxit dictas poenas, earumque absolutionem, & dispensationem (praeterquam contra simoniacos ordinantes, & ordinatos) ad terminos sacrorum Canonum, Constitutionis Pij II. & decretorum S. Concilij Tridentini, iuxta dicta sup. num. 1.
- 6 Praedicti quoque ordinati sine praedictis conditionibus, aut aliqua earum, possunt beneficijs Ecclesiasticis iure priuari. Ita statuit Pius II. in praedicta Bulla per haec verba *Præterea, ultra alias poenas in tales generaliter à iure inflictas, & beneficijs Ecclesiasticis possint iure priuari*.
- 7 Praedicti suspensi ob receptionem ordinum sine legitima aetate, aut conditionibus assignatis fiunt irregulares, si in eisdem Ordinibus ministrare presumpserint. Ita idem Pius II. in praedicta Bulla, Tunc autem dicentur ministrare in eisdem Ordinibus, quando actus proprios, ad quos tales ordines deputati sunt, exercuerint. Ut si Missam dicant, Eua-gelium cantent, aut Epistolam cum apparatu solemnem, Nauarr. in Man. cap. 27. num. 244. Non autem erunt irregulares sedendo cum Sacerdotibus, assistendo electionibus, & alijs actibus, qui solum conueniunt Sacris insignitis, aut Sacerdotibus secundum iura Religionis. Quia tales actus non sunt ex natura sua officia diuina, aut proprii Ordinis. Miranda in Man. tom. 1. quest. 39. art. 9. Semper tamen erit peccatum iuxta grauitatem materiae praedictis actibus se ingerere. Quia sunt actus prohibiti. Miranda in Man. tom. 1. quest. 39. art. 9. Rodriquez 3. tom. quest. 22. art. 12. Facere autem officium Hebdomadarij in Choro, seu dicere Collectam, aut Capitulum in Choro, & similia, cum sint actus proprii Ordinis Sacerdotalis inferent irregularitatem, in eo, qui Sacerdotium sine legitima aetate, aut aliqua ex conditionibus assignatis suscepit. Nauarrus in Man. cap. 27. num. 244. Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in Constit. 1. Iulij II. num. 25.
- 8 Suscipientem Presbyteratum sine legitima aetate, aut sine aliqua ex conditionibus assignatis, putant aliqui eodem actu incurrere suspensionem, & irregularitatem, quando ordinatur. Suspensionem quidem, propter dicta. Irregularitatem vero, quia cum ordinatur, celebrat cum Episcopo, ac per consequens exercet actum Ordinis cum suspensione. Nauarr. in conf. 4. de cler. excomm. ministr. Verum tamen opposita sententia, scilicet non incurrere tunc irregularitatem, probabilior, & benignior est. Eò quòd praxis Cancellarie illum non reputat irregularem. Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. Quaranta in Summ. Bull. verb. Ordo. Cornexo disp. 4. de suspensione dub. 2.
- 9 Contra illos, qui ad Ordinem Presbyteratus non sunt promoti, & Missas celebrant, ac confessiones audiunt, pro-
- cedit Tribunal S. Inquisitionis, Ex Gregor. XIII. in Bulla *Officy nostri* ann. 1574. & est in 2. tom. Bull. Laertij num. 21. Et ex Clem. VIII. in Bulla *Et si alias* ann. 1601. habetur tales nefarios prauius degradatione curiae saeculari tradendos esse. 3. tom. Bull. inter Bull. huius Pontific. Bull. 81. Quaranta in Summ. Bull. verb. Ordo. Vide etiam dicta cap. 10. num. 22.
- 10 Religiosi debent ordinati sine titulo Beneficij, aut Patrimonij. Ratio est, quia licet Concil. Trident. generaliter id pro omnibus praecipiat *sess. 21. cap. 2.* huiusmodi tamen decretum non extenditur ad Regulares, quia illis, ut inquit Antoninus 3. part. tit. 14. pro titulo deseruit sporta. Nauarrus in Man. cap. 27. num. 258. Hoc etiam dicitur de scolarijs Societatis Iesu, quia tria simplicia, vota fecerunt. Tum quia sunt verè Religiosi, tum quia ita declarauit Greg. XIII. ut refertur in compendio eiusdem Societatis v. Ordo. Regularis porò qui scit suam professionem irritam esse, si ordinatur, peccat mortaliter, & incurrit poenas, quam saeculares Clerici incurrunt si ordinantur sine beneficio aut patrimonio. Quia re vera talis Regularis Secularis est. Portellus in Dub. Regular. verbo Ordines Sacri n. 8. Diana tract. 2. de Dub. Regular. Resol. 113.
- 11 Regulares hodie post Concil. Trident. non possunt ab Episcopis ordinari, etiam in suis domibus, sine licentia Diocesanorum, in quorum districtu eorum Monasteria sunt sita. Ratio est, quia licet circa hoc habuerint antiquitus priuilegia, modò tamen sunt abrogata à Conc. Trid. *sess. 6. c. 5.* per haec verba. *Nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij praetextu Pontifici in alterius Diocesi exercere, nisi de Ordinario loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi.* Miranda in Man. tom. 1. q. 38. art. 3.
- 12 Quamvis antiquitus possent Regulares ordinari à quocumque Catholico Episcopo, propter priuilegium Clementis Quarti concessum Minoribus, & per consequens omnibus, qui eorum priuilegia participant, modò tamen seruari debent, quæ Sac. Congreg. ex mandato Clement. Octaui praecipit omnibus Superioribus Regularium, videlicet posse suis subditis Regularibus, qui praedicti qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerint, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diocesanum, nempe illius Monasterij, in cuius familia ab his ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit. Et si Diocesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, vel sedes Episcopalis vacauerit (Ut Quidam adiungunt. Peirinis tom. 1. de priuileg. Minim. circa Constit. 2. Sixti IV. §. 11. num. 31.) ad quemcumq; alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi Regulares non distulerint de indusuria, concessionem dimissorias, in id tempus, quo Episcopus Diocesanus, vel abfuturus, vel nullas habituras esset Ordinationes. Additur praeterea, quod cum à Superioribus conceduntur praedictae litterae dimissoriae suis subditis Regularibus, Episcopo Diocetano absente, vel Ordinationes non habente, tunc in praedictis litteris debeant exprimeri huiusmodi causam absentiae Diocetani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, sub poenis, Officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuae, & passiuæ priuationis, & alijs arbitrio Sanctissimi referuatis. Quaranta in Summa Bullarj verbo Ordo. Miranda in Man. tom. 1. quest. 38. art. 2. Si autem Regulares degant in Monasterijs sitis in locis nullius Diocesis, debent ordinari ab Episcopo viciniore, & obseruare omnia, quæ dicta sunt in praedicta declaratione Sac. Congregat. ann. 1619. Peirinis vt sup. num. 36. apud ipsum. Naldus in Summa verb. Ordo. n. 26.
- 13 Ad idem etiam extat decretum Conc. Trid. *sess. 23. cap. 10.* quod scilicet, Abbatibus, & alijs quibuscumque quantumuis exemptis non liceat imposterum intra fines alicuius Diocesis consistentibus, etiam si nullius Diocesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis sibi subditus non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre, nec litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, vt ab alijs ordinari concedant. Circa quæ Sacra Congregatio Cardinalium dixit: *Possunt ipsi Abbates eosdem Ordines conferre alijs Regularibus, qui dimissorias speciales suorum Superiorum, & specialem consensum Episcopi loci habuerunt.* Quaranta

- Quaranta in Summa Bullar. verb. Ordo. Vide dicenda cap. 18. n. 64. & 65. maximè circa qualitates pro istis Abbatibus requiritis.
- 14 Duo Sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur, priuilegijs, ac indultis quibusuis concessis non obstantibus quibuscumque, Ita statuitur in Concil. Trid. sess. 23. c. 13. Vnde nullo modo licet contrarium, etiam rationabili causa subsistente, sine dispensatione Papæ, aut alterius eius auctoritatem habentis, Miranda in *Man. tomo 1. quest. 38. art. 5.* Quoad minores Ordines sic statuit idem Concilium sess. 23. c. 11. *Minores Ordines vs, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur conferantur.* Vnde ad arbitrium Episcopi est illos vna die conferre, vel non. Miranda in *Man. to. 1. q. 38. art. 5.*
- 15 Ordines maiores non possunt conferri etiam Religiosis, nisi seruatis interstitijs, ita scilicet, vt Subdiaconatus non conferatur, nisi seruato interstitio vnus anni ad minus à susceptione postremi gradus Ordinum Minorum; nec Diaconatus, nisi post vnum annum à Subdiaconatu; nec Presbyteratus, nisi post vnum etiam annum Diaconatus. Ita statuitur in Concil. Trident. sess. 23. cap. 11. 13. & 14. Quamuis autem aliqui putent vt probabile, Prælatos Religionum posse cum suis subditis dispensare in interstitijs supradictis, eò quod licet prædicta facultas concedatur à Concilio Episcopis; nomine tamen Episcoporum intelligi possunt Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, quales sunt Prælati Religionum, eò præsertim, quia ipsi possunt melius iudicare de necessitate dispensationis. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 12. à n. 21. Vide Dianam tract. 2. de dubijs Regular. resol. 32. & 112. Certum tamen credo non posse id facere propter declarationem Sac. Congregationis, quæ declarauit, quòd Prælati Regulares non possunt dispensare interstitijs, in litteris dimissorijs, quibus mittunt suos subditos ad suscipiendos Ordines. Sed dicti Prælati cum mittunt suos subditos ad Ordines suscipiendos, & expedire iudicauerint, ac necesse habuerint, vt cum eisdem in interstitijs dispensetur, in prædis litteris dimissorijs humiliter debent exorare Episcopos, vt id faciant. Passarellus in suo compend. priuileg. fol. 223. Miranda in *Man. tom. 1. q. 38. art. 7.* Quando autem Abbates regulares ordinant suos subditos in Minoribus ad illos spectat dispensare in interstitijs. Eò quod accessorium sequitur naturam principalis. Miranda in *Man. to. 1. q. 38. art. 7.* Sorbus ver. *Ordines sacri quando verò.*
- 16 Causa quare potest dari huiusmodi dispensatio in interstitijs non est eadem in omnibus Ordinibus, nam ad minores Ordines sufficit, quod Episcopo videatur magis expediens, vt habetur sess. 23. cap. 11. & diximus supra num. 14. Ad Subdiaconatum requiritur necessitas, aut Ecclesie utilitas iudicio Episcopi. Ex eadem sessione c. 11. Ad Diaconatum non exigitur tanta necessitas, cum Concilium nihil de hoc dicat, sed solum voluntati rationabili Episcopi id relinquat dicto sess. 23. cap. 13. Ad Presbyteratum vero maior causa requiritur, scilicet Ecclesie utilitas, ac necessitas iudicio Episcopi; vt constat ex eodem Concilio dicta sess. c. 14. Miranda in *Man. q. 38. art. 8.*
- 17 Annus interponendus ab vno ad alterum Ordinem Sacrum est Ecclesiasticus, non solaris. Hinc Sac. Congregatio declarauit, eos, qui ad Subdiaconatus Ordinem quatuor temporibus Quadragesimæ promoti fuerint, posse anno sequenti eisdem quatuor temporibus Quadragesimæ ad Diaconatum promoueri, licet annus naturalis integer tunc lapsus non fuerit, cum futuro anno Paschæ Festum celerius, quam præterito celebretur. Prosper. August. in addit. ad Quarant. in Summ. Bull. verb. Ordo.
- 18 Litteræ dimissoriæ pro Religiosis ordinandis debet esse suorum Superiorum Regularium. Ratio est, quia quamuis Concilium Trid. sess. 23. cap. 8. hoc tribuat Ordinatio, nomine tamen Ordinarij in præsentia, quod attinet ad regulares, intelligi eorum Prælatos, constat, tum ex praxi Ecclesie, tum ex ratione, quia cum illi soli habeant notitiam de moribus, & sufficientia ordinandorum Regularium ad eos videtur necessarium id spectare. Eò præsertim, quia ita dicitur declaratum esse à Sac. Congregatione. Nauarrus lib. 2. consil. 22. & 23. Henriquez lib. 7. de Indulgent. c. 26. Vide Dianam Tract. 16. *Miscellaneo Resolut. 15.* Quam-
- liter etiam, & à quibus debeant examinari, & approbati promouendi ad Sacros Ordines iuxta decreta Clement. VIII. & Sac. Congregat. sub S. D. N. Urbano vide c. 18. num. 79.
- 19 Regulares non possunt morò post Conc. Tridentinum extra tempora Ordinari. Ratio est, quia licet de hoc fuerint varia priuilegia Religionibus concessa, vt patet ex Còpend. priuileg. verb. *Ordines Sacri*; Concilium tamen Tridentinum sess. 23. cap. 8. id prohibet fieri, & consonant Constitutiones Pij II. & Sixti V. & Praxis Ecclesie; maximè quia ipsum Concilium sess. 25. c. 22. præcipit omnia, & singula in suis Decretis contenta obseruari à Regularibus, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, &c. Miranda in *Man. to. 1. quest. 38. art. 4.* Concessio autem quædam Gregor. XIII. facta Religiosis Societatis, vt possint ordinari extra tempora non videtur communicari alijs Religiosis, quia Pontifex id expressè declarauit. Peirinis to. 1. priuileg. *Minim. in Constit. 2. Sixti IV. n. 38.* Vbi etiam tractat, an per posteriores concessiones factas Religiosis vt possint gaudere priuilegijs Societatis, possint vt hoc priuilegio. Video tamè aliquos auctores asserere probabile esse Regulares ordinari posse extra tempora à iura statuta, quos sequitur Diana 2. de dub. Regul. resol. 31. ijs tamen non est credendum nisi ostenderit priuilegium post Concil. Trid. concessum & quod non sit viuæ vocis oraculum.
- 20 Si Nouitij Religionum ordinari volunt (quod fieri posse saltem iure communi dicemus infra cap. 24. num. 26.) obseruare debent Decretum Concilij Trident. sess. 21. cap. 2. vbi præcipitur, *ne quis deinceps Clericus secularis quamuis alijs sit idoneus moribus, scientia, & etate, ad Sacros Ordines promoueat, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere.* Ratio est, quia ita determinauit Pius V. in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex to. 2. Bullarj inter Bullas huius Pontificis num. 75.* vbi grauissimis pœnis prohibet religiosos, siue sæculares more Religiosorum viuentes in communi, non professos, ordinari posse, non seruata forma prædicti Decreti Concilij Trident. Laurent. de Peirinis tom. 1. priuileg. *Minim. in Constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 37.* Gauantus in *Man. Episc. verb. Ordo in genere n. 29.*
- 21 A suspensione, quam incurrunt Regulares suscipiendo Ordines, illegitimè, & absque etate requisita, possunt aliqui absolui in foro conscientie à suis Prælati, Generalibus scilicet, vel Provincialibus respectiue, propter dicendum in c. 18. de Prælati à num. 36. Peirinis to. 1. priuileg. *Minimor. in Constit. 1. Iulij II. §. 16. à n. 31.* Diana Tract. 2. resol. 85. Quod idem dico de irregularitate ab istis commissa celebrando cum prædicta suspensione, propter eadem fundamenta. Peirinis vt supra num. 34. Si autem prædicta suspensio (& idem dico de Irregularitate) sit deducta ad forum exterius; si attendamus ad aliqua priuilegia ex relictis, cum indistinctè loquantur, & fauores sint ampliandi, vt sapius diximus, verè dicendum esset, posse ab illa absolui Prælatos Regulares suos subditos. Quia tamen stylos curiæ dicitur esse in contrarium, quòd scilicet semper petatur dispensatio à Papa, vel per Datarium, vel Summum Pœnitentiarium, stylo autem Curie standum sit, cum faciat ius, & præualeat consuetudini, cum tamen de illo constat; ideo aliorum iudicio hoc remitto. Peirinis vt supra n. 36. qui tamen n. 35. aliquos auctores pro contraria parte refert non fideliter.
- 22 Excommunicatio, quam solet ponere Episcopus ante Ordinationem contra eos qui ordinantur habentes aliquod impedimentum occultum, afficit omnes etiam Regulares. Quia in illo actu subduntur Episcopo. Nauarrus cap. 25. num. 72. Peirinis tomo 1. Priuileg. *Minimor. in Constit. 1. Iulij II. §. 16. num. 39.* Addens, ab illa, & Irregularitate, quæ incurritur suscipiendo Ordines cum prædicta excommunicatione absolui posse Prælatos Religionum. Absolutiones etiam, & dispensationes, quas solent dare Episcopi Ordinantes Ordinatis ad cautelam solent etiam Regularibus exemptis. Quia Prælati Regularium concedentes illis licentiam suscipiendi Ordines, consequenter concedunt ea sine quibus Ordines non possunt recipi rectè, ac per consequens etiam facultatem vt ab Episcopis Ordinantibus absoluantur, & dispensentur in Censu-

Censuris, & Irregularitatibus, saltem dubijs, & occultis. Hentiq. lib. 10. de Sacram. Ordin. cap. 20. num. 2. Syluester verb. Irregular. quest. 9. n. 11.

23 Simoniā in Ordinis susceptione committens ab Ordinis executione suspenditur. *Cap. Inquisitionis de accusat. cap. qui studet 1. quest. 1.* Et perpetuo deponitur ab Officio *cap. cum super de Confessis c. de hoc de Simonia.* Est etiam ipso iure suspensus. *Extrana. 2. de Simonia cap. tanta de Simonia. Syluester ver. suspensio num. 7. Nauarrus in Manual. cap. 23. num. 111.* Item est ipso iure excommunicatus, *Extrana. 2. de Simonia. Nauarrus ut supra. Suarez 5. tomo in 3. parte disp. 22. sect. 5. num. 22.* Incurrit etiam poenas statutas à Pio V. in *Constitut. cum primum*, & à Sixto V. in *Bulla Sanctum & Salutare*, quam retulimus supra num. 5. Quam quoad hoc punctum de Simoniā Ordinatis, & Ordinantibus non reduxit ad terminos Iuris communis Clem. VIII. ut ibidem diximus. *Alderete lib. 2. de Relig. discipl. cap. 16. num. 44. & 45.*

24 Ordinari posse Regulares ab Episcopis etiam si linguam latinam non calleant, aliqui videntur existimare. *Peirinis tom. 2. privilegiorum Minorum in Constitut. 26. Leon. X. num. 25.* quia tamen Concil. *sess. 23. cap. 11.* vult Ordinandos etiam in minoribus ordinibus linguæ latinæ intelligentiam habere, & hoc sit conforme iuri naturali, ut ministri Ecclesiæ intelligant quæ faciunt, ideo sine aliqua saltem intelligentia latinitatis, & spe maioris, credo non esse licitum aliquem ordinari.

#### SVMMARIVM CAP. XV.

- Electioes Prælatorum Regularium ad Regulares ipsorum spectant. num. 1.*  
*Eligentes debent esse professi. n. 2.*  
*Non conuersi aut laici. n. 3.*  
*Clerici, & in sacris constituti. n. 4.*  
*Liberi à censura, & impedimento canonico. n. 5.*  
*Quid somnes electores, vno excepto essent inhabiles, vel vnus solus esset inhabilis. n. 6.*  
*Quid si plures inhabiles admitterentur. ibid.*  
*In dubio de inhabilitate quid faciendum. n. 7.*  
*Ad electiones qui necessario vocandi. n. 8.*  
*An infirmi, vel absentes. ibid.*  
*Iure communi Procuratores substitui possunt. n. 9.*  
*Quæ pars capituli sufficiat ad electionem. n. 10.*  
*Electioes per modum Scrutini, compromissi, & inspirationis an valida. n. 11.*  
*Quæ conditiones in illis seruandæ. ibid.*  
*Electores tenentur eligere digniores. n. 12.*  
*Quid seruandum ex decretis Summorum Pontificum. ibidem & n. 13.*  
*Eligentes indigni cuius pœna, & culpa sint participes. n. 14.*  
*Quid de electione peccatoris dicendum. n. 15.*  
*An defectus eligendorum, debeant propalari. ibid.*  
*Vota in electionibus debent esse absoluta, & certa. n. 16.*  
*Item secreta. num. 17.*  
*Quid quando aliquis ex electoribus mittit in urnam schedulam albam. num. 18.*  
*De loco & tempore electionis canonica. n. 19.*  
*An extraneus admitti possit in capitulo. n. 20.*  
*Electioes debent esse omnino libera. n. 21.*  
*An possint coartari ad aliquas personas. ibid.*  
*An Suffragium semel datum possit reuocari. n. 22.*  
*Electus an debeat acceptare electionem. n. 23.*  
*An liceat procurare vota. n. 24.*  
*Qui possint eligi in Prælatos. n. 25.*  
*An impediatur electionem quod aliqui dies deficiant de interstitijs. n. 26.*  
*Procurantium officia per fauores pœna. n. 27.*  
*Quando commutatur Simonia in electionibus Regularium. n. 28. & sequentibus.*  
*An commutatur propter pacta & conuentiones. n. 29.*  
*An si detur aliquid ne aliquis accusetur. n. 30.*  
*Quando licitum erit conferre pecuniam. n. 31.*  
*Quid de permutationibus aut commutationibus officiorum ordinis. n. 32.*  
*De pœnis Simoniacorum. num. 33.*  
*Præsidentium electionibus munus. n. 34.*

*Quæ possint vel non facere. ibid.*

*In quacumque electione necessaria est confirmatio. n. 34.*

*Quis debeat confirmare electionem. ibid. & 36.*

*Electio indigni non confirmanda. ibid.*

*Eligentes quando se possunt opponere electioni. n. 37.*

*Quid si illegitimus occultus eligatur in Prælaturam. n. 38.*

*Pœnitentia S. Officio inhabiles sunt ad officia ordinis. num. 39.*

### De obligationibus Religiosorum, in electionibus faciendis. Cap. XV.

1 **E**lectiones Prælatorum Regularium ad Regulares ipsos spectant, sicut generaliter cuiusvis Congregationis Prælaturam instituire ad ipsam Congregationem. *cap. 1. de election. & cap. 2. 3. 4. & sequent. 18. quest. 2.* Syluester verb. elect. 1. quest. 1. Addens, quod etiam si in aliquo Collegio non sint nisi duo, aut tres, electio pertinet ad eisdem. *Nauarrus lib. 1. consil. de Electio. conf. 6. Vniuersusque* autem Prælati electio ad Congregationem proportionatam pertinet: ita vt Conuentualis Prælati ad Conuentum, Provincialis ad provinciam, & Generalis ad totum Ordinem; *Vt colligitur ex cap. 1. de Electio. & ex c. cum dilectus de Consuetud. & 18. quest. 2. per multa capita, & ferè ex natura rei id sequitur, supposita prudenti, & suaui regimine Religionis. Vnde ita obseruari debet, nisi iure aliquo positiuo, aut consuetudine præscripta oppositum constet. Suarez 4. tom. de Religio. tract. 8. q. 2. c. 6. n. 17.*

2 Eligentes Prælaturam, vel Superiorem Religionis debent esse in illa professi. Ita habetur *18. quest. 2. & cap. ex eo §. in Ecclesiis de elect. in 6. & in cap. indemnitatibus.* Et ratio esse potest, quia Nouitius non est actu pars, aut membrum Religionis, non ergo debet eligere caput. Sufficit tamen ad hoc professio tacita. Tum quia ita determinasse videtur Bonifac. VI. *in prædicto cap. ex eo.* Tum quia professio tacita est vera professio, nec quoad hoc excluditur à iure *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 4. Miranda in Manual. tom. 2. q. 23. art. 5.*

3 Conuersi, siue Laici non habent Vocem, & Votum in electionibus Canonicis Prælatorum. *Ex cap. ex eo de Electio. lib. 6. §. in Eccles. Sylu. verb. Electio 1. quest. 2. dict. 2. Miranda in Manual. tom. 2. q. 23. art. 5.* Addens, hoc esse de iure communi, secus autem esse posse de consuetudine antiqua Religionis. Vide dicenda *1. 2. c. 8. n. 19.*

4 Hinc eligentes debent esse Clerici, & in Sacris constituti, Prima pars constat ex *dicto cap. ex eo §. in Eccles.* Secunda verò, sicut & prima patet ex *Clem. vt ij qui de etat. & qualit.* Vbi præcipitur, quod nullus in Ecclesijs etiam Regularibus vocem habeat in Capitulo, etiam si hac sibi ab alijs concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus Ordine sit constitutus. Quod est etiam confirmatum à Concil. Tridentin. *sess. 22. capite quarto, dum dicitur; Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, Seculari, vel Regulari Ecclesia Diuinis mancipatus Officijs, & Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesijs in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum.* *Miranda in Manual. tom. 2. quest. 23. art. 5. Suarez 4. tomo de Relig. tractat. 8. lib. 2. cap. 4.* Vnde, quamuis etiam aliquarum Religionum vsus sit, quod solum seniores, aut ætate prouectiores habeant Votum in electione Prælatorum, congruentius tamen est, vt omnes in Sacris constituti legitimum impedimentum non habentes, dent suffragia, vt colligitur ex iuribus adductis *cap. ex eo & Clem. vt ij. Nauarrus lib. 1. consil. de consuetud. consil. 2.* Votum autem, seu suffragium datum ab eo, qui non est in Sacris constitutus, non solum illicitum, sed inualidum est; hoc enim videtur inferri ex verbis Concil. Trid. adductis *Suarez vt sup. num. 8.*

5 Debent præterea electores liberi esse à censura, impedimento Canonico, priuatione vocis, aut inhabilitate ad munus eligendi. Aliàs peccabunt grauiter, etiam si talis inhabilitas sit occulta. *Suar. 4. tom. de Relig. tractat. 9. lib. 2. cap. 4.* Hinc excommunicati excommunicatione maiori non possunt eligere *c. cum inter in sine de elect. c. cum dilectus de*

*Etus de consuet.* Vnde electio ab illis facta irrita est, & nulla. Cornexo *tom. 2. in 3. p. tract. 5. de excommunic. disp. 10. §. 5. dub. 1.* ubi multa ad intentum. De quo *tom. 2. cap. 12. num. 29. & 30.* Excommunicati autem excommunicatione minori bene possunt eligere, *c. ult. de cleric. excommunic. ministr.* Deinde suspensi ab officio non possunt esse electores, aut eligere *cap. cum dilectus de consuet.* Tertio interdicitur, per *cap. cum inter de elect.* Quarto quibus interdicitur est eligere sine licentia Superioris, per *cap. fin. de elect.* Quinto qui scienter celebraverunt in loco interdicto, nisi super hoc sint privilegiati *cap. is qui de sentent. excommunic. lib. 6.* Sexto omnes irregulares *cap. is qui de sent. excommunic. in 6.* De quibus, & alijs vide Syluestrum *verb. electio 1. q. 4.* Miranda *in Man. tom. 2. q. 23. artic. 8.* & Barbosa *de Canon. & Dignit. c. 41. fere per totum.*

6 Si casus esset, quod omnes electores essent inhabiles, Electio deuoluitur ad superiorem immediatum *cap. Ne pro defectu de elect. c. licet. & c. fin. de supplend. negligent. Prelat. & alijs iuribus.* Syluester *sup. quest. 12.* Sigismundus de Bononia *de elect. dub. 13. n. 2.* Si vero omnes electores essent inhabiles, vno excepto, ad illum solum Ius electionis deuoluitur, cum in tali casu representet totum capitulum. Non tamen posset se ipsum eligere. Quia id esset signum euidens ambitionis. Rodriguez *1. tom. quest. 53. artic. 11.* E contra vero, si omnes electores, vno excepto, habiles essent, inhabilitas illius non reddet irritam electionem, iuxta regulam *utile per inutile non vitiatur*, nisi solum quando illum cognitum euidenter, vt inhabilem, ad eligendum, voluntarie admitterent ad electionem, cum posset repellere. Quia tunc censetur consentire voluntarie in defectum electionis. Suar. *4. to. de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 4. n. 9.* Idem dico si plures inhabiles admittantur, si n. admittantur ignoraret, valida est electio, si scienter, inualida propter eandem rationem. In casu autem quo Capitulum haberet facultatem dispensandi super inhabilitate illa, etiam si scienter admittantur inhabiles valida est electio. Quia tunc censetur dispensare. Sunt etiam aliqui qui dicunt minime vitari electionem ob suffragia inhabilium etiam scienter admissorum exceptis casibus a iure expressis, scilicet de excommunicato *cap. fin. de Procuratoribus.* & de laico *cap. Massana de electionibus.* Quia, inquit, quod suffragia habilium sunt separabilia ab inhabilibus & utile per inutile non vitiatur, sed censeri eos omni meliori modo eligere voluisse. Ita videtur tenere Imola super Clement. de aetate & qualitate referens Ioannem de lignano, & Paulum alij etiam id sequuntur. Sed non admitto istam sententiam, & casu quo esset admittenda, supponi deberent in electione electores habiles sufficientes, ita vt illis solum numeratis sufficiant pro electione facta, quod idem dico in casu quo inhabiles admitterentur ignoraute. Vide *10. 2. cap. 12. num. 29.*

7 Quando est dubium, quod aliqui ex electoribus sint excommunicati, suspensi, &c. non irritatur electio si admittantur ad illam ab alijs cum protestatione talis dubij. Nam in dubijs fauet possessio. Miranda *in Manual. 10. 1. q. 23. art. 11.* Laurentius de Peirinis *10. 1. de Subdit. q. 1. de Obedient. cap. 31. §. 6.* Vide dicenda *10. 2. c. 12. n. 30.*

8 Ad electiones vocandi sunt in primis omnes presentes, ad quos de iure pertinet eligere. Deinde omnes absentes, qui commodè vocari possunt, ac tandem omnes, qui debent, & volunt, & possunt commodè, & legitime interesse. Hoc colligitur ex *cap. quia propter de election. & ex c. coram.* Syluester *verb. electio 1. quest. 5.* Miranda *in Man. tom. 2. q. 23. art. 6.* Qui etiam bene addunt, quod si quis electorum legitimorum fuerit contemptus, & ad electionem non vocatus, ad ipsius petitionem electio cassanda est, & cassari debet, nisi liberè consentiat, & velit eam ratam habere. Non est tamen contra ius commune quod aliqui, aut etiam multi ex illis, qui habent ius ad eligendum, non interfint electioni, quia in *c. quia propter* adducto expressè dicitur: *Presentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse.* Non ergo coguntur omnes interesse. Suarez *4. tomo de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 5. num. 2.* Si tamen casus esset quod absentia Religiosi à capitulo causa esset, quod minus dignus, aut indignus eligeretur, aut aliquod inconueniens sequeretur, teneretur tunc sub graui peccato sepius mortali interesse electioni.

*Summa Lexana Tom. I.*

Quia tunc iure communi naturæ quod præscribit mala imminetia prohibere, & iure particulari Religionis, quæ ideo vocem tribuit in Capitulis religiosis, vt bonum ipsius promoueat obligatus est assistere capitulis. In hoc sensu accipiendi sunt Diana *Tract. 2. de Dubijs Regul. Resolut. 6.* & Peregrinus ab ipso relatus. Infirmorum vota accipi debent, si commodè id fieri potest, & ipsi voluerint. Quia etiam illi censentur præsentibus, Azor. *tom. 2. lib. 6. cap. 14. quest. 7.* Inhabiles tamen eo quod habeant legitimum impedimentum, censuram videlicet, vel simile, quando id certo constat, ita vt nulla tergiversatione celari possit, non sunt vocandi, nec si non vocentur, electio erit nulla. Quia electores debent esse habiles. Sigismundus *de electione dub. 11. ex alijs.* Assignato autem termino ad eligendum, v. grat. die, Pentecostes, vel alio, si aliqui non compareant, possunt qui presentes sunt ad electionem procedere. Quia non debent perdere suum ius propter aliorum absentiam. Miranda *10. 2. in Manual. quest. 23. artic. 6.* Laurentius de Peirinis *tom. 1. de Subditio quest. 1. de Obedient. cap. 31. §. 6.* Addens, hoc etiam esse verum, etsi vnus solus reperiat in Capitulo. Hoc tamen displicet, quia vno solo presente, nec est Capitulum, nec fit propriè electio, quæ fit ex pluribus. Spectanda ergo est decisio authoritatis Superioris, qui in tali casu, quid faciendum sit decernat.

9 Non est contra ius commune quod Elector, si fuerit absens, & iusto impedimento detentus, eligere, & instituire possit aliquem in procuratorem, qui habeat votum ipsius in electione facienda. Ratio est, quia ita habetur in *cap. quia propter*, quod ius non est derogatum à Concil. Trident. *sess. 25. cap. 6.* dicente: *Vt in posterum non liceat voces, & suffragia absentium supplere.* Quia mens Concilij solum fuit tollere consuetudinem quorundam Prælatorum, qui vt facerent electiones ad suum beneplacitum, votum, & votum absentium dabant alijs. De quo extat declaratio Sac. Congregationis Illustris. DD. Cardinal. ann. 1570. Passarellus *in compend. priuileg. Minim. Rodriguez tomo 2. questionum. Regular. quest. 61. art. 6.* seruanda tamen in hoc sunt consuetudines Religiosorum, & ipsarum Statuta. Syluester *verb. electio 1. quest. 3.* Vide etiam Barbosam *de Canonizat. & Dignitatib. capit. 39. à num. 14.*

10 Quamuis iure antiquo requisitum fuerit ad electiones, vt maior, vel sanior pars, conuenerit in aliquem eligendum, post Concilium Tridentinum tamen sufficit, quod maior pars concurrat, etiam si non sit sanior. Ratio est, quia eo ipso quod Concilium præcipit *sess. 25. cap. 6. vt eligentium nomina numquam publicentur*, prohibet disquisitionem, quæ antiquitus fiebat ad sciendum si sanior pars elegerit, non enim alio modo id sciri posset, nisi publicatis nominibus eligentium. Miranda *2. tom. in Man. quest. 23. art. 27.* Augustinus Barbosa *de Canonizat. & Dignitatib. capit. 38. num. 8.* Vbi etiam *num. 9.* quod hæc maior pars sumenda sit respectu totius, non respectu aliarum partium. Consonant etiam nostræ Constitutiones *par. 4. c. 6. num. 3. & cap. 23. num. 2.*

11 Electiones factæ per modum scrutinij, quando scilicet assumuntur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & per modum compromissi, quando scilicet committitur aliquibus viris idoneis facultas eligendi nomine omnium aliorum, & per modum inspirationis, quando scilicet omnes electores, Deo inspirante, in vnum eligendum conspirant absque vlla malicia, sunt iure communi licitæ. Ex *cap. quia propter de elect.* Quod non est derogatum à Concil. Trident. *sess. 25. cap. 6.* Et si enim ibi præcipiatur, quod in electionibus Superiorum, & personarum Regularium seruetur secretum, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur, tamen ibi solum loquitur Concilium de electionibus factis per modum scrutinij. Rodr. *1. 1. Sum. c. 102. de elect. n. 2.* Miranda *2. to. in Man. q. 23. art. 3.* In electionibus per scrutinium scrutatores debent esse ad minus tres de Collegio, & fide digni, quia ita habetur in *d. ea quia propter.* Miranda *vt supra artic. 15.* Suarez *4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 5.* Quamuis autem stando in rigore dicti capituli *Quia propter.* imo etiam *c. sicut de electione in 6.* post suffragia præstita electio debeat fieri

E

fieri

fieri ab vno omnium nomine, ita scilicet vt habens primam vocem, seu Præsidentis dicat: *ego nomine omnium eligentium eligo te N. &c.* Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 5. num. 24. imò hoc videatur esse de essentia, & substantia electionis. Suarez *ibid.* Vbi tamen consuetudine oppositum introductum fuerit poterit id obseruari, cum sine tali nominatione ab vno nomine omnium facta saluetur quidquid ex natura rei requiritur ad electionem, scilicet consensus liber eligentium signis expressus. Nihilominus pro ordine nostro obseruari debet modus præscriptus, quia ita præceptum est à Reuerendis. Generali Theodoro Stratio. Vide Portellum in *Dubijs Reg. verbo Elect. n. 14.* & dicenda tom. 2. cap. 12. num. 18. Similiter in electionibus per compromissum obseruari debet, quod prædictum compromissum fiat ab omnibus habentib. vocem in Capitulo, nemine discrepante. Quia eo ipso, quòd est in potestate eligentium vno, vel alio modo electionum vti, nullus potest cogi ad specialem modum electionis, nisi id velit, ac proinde si electio fit per modum compromissi, si omnes non compromittant, non erit valida. Syluest. *verb. elect. secundo quest. 11.* Miranda *vt sup. art. 34.* In casu autem quòd omnes electores compromittant se in vno de Capitulo, valebit electio ab ipso facta, etiam si se ipsum elegerit, dummodo capax sit, nec exclusus ab Electoribus. Rodriguez 2. *tomo quest. 53. 12.* Compromissio autem potest fieri etiam in eos qui non sunt de Collegio. Quia textus d. cap. *Quia propter.* non restringit hoc ad eos solum qui sunt de Collegio. Gloss. *ibid.* Biaxius in *direct. elect. par. 3. c. 17.* Sigismundus *supra dub. 21.* ex Rotæ decision. & alijs. Apud quem alia circa hunc modum electionis, quæ omittimus, quia parum est in vsu in Religionibus. In electionibus per modum communis inspirationis requiritur etiam, quòd omnes simul congregati in istam viam eligendi vitro conueniant, & in vnam personam eligendam, absque aliquo vitio Simonie, vel contractus. Alias enim non crederetur talis electio facta Deo inspirante, prout requiritur in prædicto cap. *quia propter.* Syluest. *verb. electio 3. n. 1.* Miranda *vt sup. art. 42.* His verò non obstantibus omnes Religionibus obseruare debent modum electionis sibi per sua Statuta, vel laudabiles consuetudines præscriptum, qui regulariter est per scrutinium secretum.

12 Electores cuiuscumque electionis tenentur eligere digniores sub reatu peccati mortalis. Id enim exigit æquitas iustitiæ. S. Thomas 2. 2. q. 63. *artic. 2.* Sotus 3. *de Iust. quest. 6. art. 2. conclus. 9.* Imò id se facturos debent iurare, vt constabit ex Decretis Summorum Pontificum inferius adducendis. Ad hoc autem quòd in foro exteriori censetur valida electio, sufficit, vt eligatur dignus. Alias omnes electiones calumniari possent. Syluest. *verb. Electio 1. quest. 16.* Sor. 3. *de Iust. & iur. q. 6. art. 2. conclus. 8.* Huiusmodi autem maior, vel minor dignitas in ordine ad electionem non solum est attendenda secundum bonitatem simpliciter personæ electæ, sed etiam secundum alias circumstantias necessarias ad officium ad quod eligitur. S. Antonin. 3. p. Sotus 3. *de Iust. & Iure quest. 6. artic. 2. & 4.* Vnde infertur quòd peccat minus dignus, etiam mortaliter concurrente cum manifesto digniori, etiam si id faciat non vt ei præponatur, sed vt ex concursu cum eo reportet aliquem honorem. Quia petit id quod alteri est debitum, Nauarr. *Miscellan. 40. de Orat. à numero decimo.* Peitinis tom. 1. *de Subdito q. 1. de obedient. cap. 31. §. 4.* Dignus tamen electus canonicè potest licitè acceptare officium ad quod eligitur, etiam si credat alium esse digniorem. Ratio est quia ipse non est iudex in illa causa, & debet credere electores rem bene pensasse. Sigismundus *supra dub. 34.* post plures alios.

13 Ex decreto Clementis VII. approbato, & innouato à Sacra Congreg. Concilij iussu S. D. N. Urbani VIII. in Decretis de Apostatis, & electis, sic præcipitur omnibus cuiuscumque Ordin. Regularibus. *In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iureniq. Electores secundum veritatem cuiusque conscientie probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniant, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia gradus,*

*& praelaturas illi præcipue eligantur, qui possint, & consueverint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.* Hæc præcipiunt Pontifices in gratiam, & intuitu vitæ communis, quam maximè commendata esse volunt Regularibus. Vide pro ea *capit. 6. num. 60.*

14. Scienter eligentes indignum non solum peccant mortaliter, cum in re graui peccent contra iustitiam ad minus distributiuam (Sotus lib. 3. *de iust. quest. 6. num. 2. conclus. 7.*) sed, & participes sunt omnium peccatorum commissorum à Prælato indigno electo. Rodriguez tom. 2. *quest. Regular. quest. 52. artic. 5.* Imò etiam incidunt in censuram suspensionis contra illos latam in iure *cap. Cum in Cunctis §. fin. de elect.* Nauarrus in *cap. Sacerdos de Pœnitent. distinct. 6.* & quamuis ipse dicat hanc censuram incurri etiam ab illis, qui eligunt, eum quem sola confessione sacramentali nouerunt indignum, meritò tamen in hoc reprehenditur, quia sine dubio vti scientia confessionis, etiam in secretis electionibus, est contra sigillum Sacramenti, & in maximum ipsius detrimentum. Cum propterea retraherentur aliqui Religiosi à confessione suorum delictorum. Quare dicendum est, solum incurri hanc censuram ab illis, qui eligunt indignum quem sciunt esse talem alia scientia; quam quæ habetur per Confessionem Sacramentalem Rodriguez tom. 2. *quest. Regular. quest. 53. artic. 4.* In nullo quoque casu licet eligere indignum, etiam casu dato, quòd omnes qui sunt de corpore Capituli, & ex quibus fieri debet electio sint indigni; tunc enim debet eligi vnus ex extraneis. Sotus lib. 3. *de iust. quest. 6. artic. 2.* Rodriguez 2. *tomo quest. 51. artic. 11.* Neque etiam in casu, quòd omnes electores vellent eligere indignum, possum ego, qui inter illos sum, & certo scio me nihil profecturum per denegationem suffragij, alijs me conformare. Valquez *opuscul. de benef. cap. 2. §. 3. dub. 3.* Secus verò quando electores omnes vellent eligere minus dignum, relicto digniori, possum enim tunc pro bono pacis consuando credere illum esse digniorem, & me illis conformari Bannez 2. 2. *quest. 63. artic. 2. dub. 3. conclus. 3.* Insuper, qui eligit indignum, & inde aliquod malum subsequitur religioni tenetur illud recompensare eo modo quo fieri possit. Hoc enim exigit æquitas iustitiæ, propter iniuriam illatam. Sotus 3. *de iust. & iure quest. 6. art. 2.* Nauarrus in *Manual. cap. 17. n. 72. & 73. & lib. 5. consil. de Simonia consil. 8. n. 1. & 2.* Vide etiam Dian. *Tract. 5. Miscellaneo resolut. 110.* Vbi aliquot casus affert in quibus licere dicit eligere minus dignum, relicto digniori. Sed cautus procede ne sis reus iuramenti de quo *sup. num. 13.*

15 Qui eligit peccatorem publicum, & famosum peccat omnino mortaliter, iuxta illud Pauli ad Titum, oportet Episcopum sine crimine esse: præsertim quia præbet alijs causam offensionis. Nauarrus *Miscellanea 34. de orat. num. 4.* Azor. tom. 2. *Institut. Moral. lib. 6. cap. 14. quest. 10.* Eligens vero peccatorè occultum alias cæteris digniorem in Prælatum Religiosorum, non peccat mortaliter, nisi credat eum habere animum permanendi in peccato. Quia talis occultus peccator, secluso prædicto malo animo, non est in scandalum alijs, & potest illis esse vtilis. Bannez 2. 2. *quest. 63. art. 2. dub. 1.* In casu verò vbi agitur de aliquo eligendo in Prælatum, quem ego scio fore perniciosum Communitati, quia malæ vitæ & conscientie est, teneor eius delicta reuocare, etiam si occulta sint. Nam bono Communitatis consulere strictiori iuri naturali astringit, quam secretum seruare. Si vero non est futurus perniciosus Communitati, sed vni, vel aliquibus particularibus in rebus non magni momenti, tunc secretum seruare teneor, quia illius obseruatio est de iure naturali, quod propter bonum huiusmodi particulare aliorum non est omittendum. Rodrig. tom. 2. *quest. Regular. q. 53. artic. 3.* Laurentius de Peitinis tom. 1. *de Subdit. quest. 1. de Obedient. cap. 31. §. 3. post 3. conclus.*

16 Vota, & suffragia in electionibus debent esse absoluta, non conditionata, ita vt si sub conditione dentur, nihil valeant, debeantque haberi pro non adiectis. Ratio est, quia alias redderetur electio incerta, & dubia Syluest. *ver. electio 2. q. 3.* Similiter debent esse certa, & determinata

non incerta, vt si aliquis diceret, Eligo illum, quem Petrus voluerit, nec indeterminata, vt si aliquis diceret, eligo Petrum, vel Ioannem, propter eandem rationem S. Antoninus 3. p. tit. 19. c. 2. §. 3. Laurentius de Peirinis tom. 1. de subdit. q. 1. de obed. cap. 31. §. 6. Vnde prædicta vota non debent computari inter alia, vt dicemus inferius de scheda alba. num. 18. Idem dicendum de votis inutilibus, vt si in electione Prioris v. gr. aliquis diceret in sua scheda, ego eligo in Priorem Prætozem ciuitatis, Episcopum &c. Sigismundus de elect. dub. 29. vbi alia ad intentum.

- 17 Debet etiam electio Canonica fieri per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Ita decernitur in Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. Vnde ipsi etiam suffragatores astringuntur hoc præcepto numquam publicandi sua vota, ita vt oppositum facientes peccent. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 5. n. 12. Si tamen aliquis in secretum suum votum alij detegeret, licet peccaret contra preceptum à Concil. Trid. traditum, non tamen ideo red deretur nulla aut irrita electio. Eò quod defectus particularis vnus de Capitulo, non debet toti Capitulo nocere, & quia aliàs situm esset in potestate cuiuslibet, electionem quantumuis legitimam, vitare. Nauart. lib. 1. consil. tit. de elect. conf. 9. Rodrigu. 2. tom. q. 51. art. 9. Si verò, vel vnus electorum publicè manifestat suum votum, permittente Capitulo electionem irritat. Quia iam talis electio est simpliciter publica. Rodr. in sum. c. 102. n. 4. Laur. de Peirin. vt supr. §. 8.
- 18 Non irritatur electio aliqua, eò quod aliquis ex electoribus miserit in vnam schedulam albam, in qua nullus eligeretur. Ratio est, quia per illud factum elicitur sic facientem renunciaffe iuri suo, nec voluisse habere vocem actiuam in tali electione, quod non potest derogare electioni aliàs licitæ. Nauart. de elect. conf. 7. Rodrigu. tom. 2. q. 51. artic. 13. Vnde hoc fieri consulerem, in casu, quo aliquis crederet electionem non fieri canonicè, aut omnes eligendos esse inhabiles. In tali autem casu tale votum computandum non est cum alijs.
- 19 Electio canonica facienda est in loco Sacro, nempe in Ecclesia, vel Capitulo, aut alio simili loco honesto, Syluest. verb. elect. 1. q. 8. Tenentur etiam Electores intra tres menses eligere, legitimo non obstante impedimento, alioquin deuoluitur electio ad Superiorem proximum. Ita habetur in cap. Ne pro defectu, de elect. Sylu. verb. elect. 1. quest. 6. Quamuis etiam ex rigore iuris electiones canonicæ non possint fieri de nocte, ex cap. Quia propter, & ex cap. Si quis dist. 79. Nauart. 1. consil. de elect. conf. 8. n. 2. In casu tamen necessitatis, præsertim si consuetudine aliqua id obtentum sit possunt de nocte fieri. Miran. in Man. to. 2. q. 23. art. 12.
- 20 Omnes vnanimiter de Capitulo, nemine discrepante, possunt admittere extraneum ad eligendum vnà cum eis, saltem in vi Iuris communis. Ratio est, quia sicut possunt totam potestatem eligendi in compromissarios transferre, iuxta dicta supr. num. 11. ita etiam poterunt communicare alijs, vt cum eis coeligant. Nauart. lib. 5. consil. de simo. consil. 9. vide tamen dicta supra n. 4. ex decreto Concil. Trident. Ad minus tamen Notarius, Tabellio, seu Scriba, non est necesse de iure communi, quod sit de corpore Capituli, sed potest esse extraneus, & etiam laicus. Cum nullum ius de hoc extet, & solum sit hoc nudum ministerium. Laur. de Peirinis to. 1. de subdit. quest. 1. de obedient. cap. 31. §. 8.
- 21 Debent electiones esse omnino liberæ, ita vt aliter factæ sint ipso iure nullæ, ex cap. vbi periculum, §. ceterum. de elect. in 6. Vnde omnis electio per metum, etiam teneantialem, facit electionem saltem in foro conscientie irritam. Nauart. cap. 17. num. 29. & cap. 22. num. 51. & lib. 1. consil. & elect. conf. 5. Non est tamè contra libertatem electionis, quod electores coarctentur ad eligendum aliquod genus personarum, v. g. Magistrorum, Diffinitorum, talis nationis, &c. Id enim habet communis consuetudo, & aliquando est necessarium. Nauart. lib. 1. consil. de constit. conf. 7. Quando verò coarctatio fit non ad certum genus personarum, sed ad certas aliquas, & determinatas personas, tres scilicet, vel quatuor, multi dicunt esse contra libertatem electionis, & illam irritare, ex cap. cum terre.

Summa Diana Tom. I.

- Rodriguez 2. tom. q. 51. art. 11. Miranda in Man. tom. 2. q. 23. art. 22. Cum tamen videam apud aliquos hanc esse consuetudinem, illam reprobare non audeo, maximè si Superiores facientes talem coarctationem nominent, & designent per ipsam solum digniores. Quia cum electio solum de illis fieri debeat secundum ius, & rationem, si ipsi soli nominentur, alijs exclusis, nec istis fiet iniuria, nec electio debita libertate priuabitur. Aliorum tamen iudicio id relinquo. Solum dicam consuetudinem, quæ est in ordine nostro scilicet quod Prouinciales non eligantur nisi ex propositis à Generali, nec Priores locales, nisi ex propositis à prouinciali sùdari, tum in decretis capitulorum Generalium, præsertim S. Martini de montibus ann. 1564. & S. Mariæ Traspontinæ anno 1580. tum etiam in eo quod religiose semper intendit vt probiores, & reformatiores in superiores eligantur, ad quem finem consequendum prædicta coarctatio scilicet ad prædictos probiores, & magis reformatos in ordine introduci capit. Quod animaduertendum duxi propter quosdam qui causam prædictæ coarctationis nescientes eam improbare non dubitant. Est etiam de hac re pro Prouincialium electione manifestum decretum, id præcipiens in Capitulo Generali Paduano anno 1532. quod etsi tantum dicatur duraturum vsque ad Capitulum Generale proximum futurum, in eo tamen ratificatur idem decretum etiam vsque ad aliud Capitulum proxime futurum in quo (quod fuit Venetum anno 1548.) sine determinatione temporis admittitur hoc decretum cum alijs duorum præcedentium Capitulorum. Nec obstat declaratio quædam Sac. Congregationis, quæ communiter circumfertur, & quam refert Sigismundus de elect. in addit. ad dub. 52. n. 5. in qua cum propositum esset dubium Anstante libertate electionis, liceat Prælato Superiori proponere duos vel tres, ex quibus necessario vnus eligatur? S. Congregatio respondit. Non licere. Hæc inquam declaratio non obstat dictis. Tum quia non constat esse authenticam, aut subscriptam ab Eminentiss. Cardinali Præfecto, & Secretario Congregationis, quod est necessarium, vt similibus declarationibus fides adhibeatur, vt decreuit ipsa Sac. Congregatio in declaratione authentica 2. Augusti 1631. & Romæ impressa, quam refero 3. tomo verbo S. Congregatio n. 10. Tum etiam quia esto authentica sit, per ipsam non videtur reprobari dicta coarctatio, nisi quando fit ad libitum Prælati superioris, vt patet ex illo verbo Prælato Superiori, non quando fieret ex lege, vel Constitutione Religionis in quam Religiosi consenserint, prout contingit in Ordine nostro, cum in dicta decreta Capitulorum Generalium non solum consenserint nostri Religiosi ratione consuetudinis, sed etiam quia edita sunt à Diffinitoribus Capitulorum Generalium, qui ab ipsis Religiosis proximè, vel remotè electi habent auctoritatem faciendi quicquid ipsi facere possent. Vnde Sigismundus relatus hoc approbare videtur in simili casu. Vide ipsam eo num. 5. & Sanchez lib. 4. de matrim. disput. 12. num. 20.
- 22 Suffragium semel datum potest reuocari, si non sit publicatum, aut cum alijs permixtum. Colligitur à contrario ex cap. publicat. scrutin. de elect. Miranda in Man. tom. 2. q. 23. n. 24. Non est autem causa sufficiens huius mutationis, quod vnus electorum dicat, se de nouo scinisse vitium, vel defectum personæ electæ; aliàs posset quilibet ex malitia, electiones omnes inquietare, vel prolongare. Laurentius de Peirinis tom. 1. de subdito, quest. 1. de obedient. cap. 31. §. 6.
- 23 Religiosus Canonice electus ad aliquod officium multò melius facit assentiendo, quàm dissentiendo regulariter loquendo. Quia eo ipso, quod est Canonice electus, debet credere electionem esse iuxta voluntatem Dei. Si tamen indignum se, & insufficientem reputer, renunciare potest electioni, non tamen pertinaciter. Ita D. Thom. Quodlib. 5. art. 23. ex mente S. Gregorij Papæ in Pastoralibus. Si verò per obedientiam cogitur, aut secundum dictamen suæ conscientie credit quis, quod si non acceptat electionem, dispendium aliquod Religioni, vel Conuentui imminet, tenetur acceptare. Rodrigu. tom. 2. q. 55. art. 1. Etiam si credat futurum, vt sapius peccet, dummodo id non intendat, & procuret placere semper Deo. Valentia 10. 3. diff. 10. q. 3. punct. 3. assert. 6.



24. Ex Clemente VIII. in Decretis pro reformatione Regularium approbatis à S. Congregatione iussu S. D. N. Vrbani Octauo sic habetur contra Religiosos ambitiosè pro se, vel pro alijs vota, vel suffragia procurantes. *Ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur, caueant omnes à directis, vel indirectis vocum, seu suffragiorum procuracione, tam pro se ipsis, quam pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in ceteris, praesertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, praeter alias poenas, & censuras haecenus contra huiusmodi ambientes inflatas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam priuationis officiorum, quae obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.* Per haec tamen non tollitur quominus electores possint procurare, quod dignitates dentur dignis, & indigni excludantur. Quia Pontifex solum intendit prohibere Officiorum ambitus, ut patet in primis verbis huius Decreti. Nauarrus lib. 5. *Consil. de excommunic. consil. 20. n. 6. Peirinis tom. 1. de Subdito quest. 2. de paupert. cap. 2. §. 11.* Nec etiam tollitur per hoc Decretum, quod iidem electores possint secum de qualitatibus eligendorum tractare, etiam vitia manifestando, virtutesve ostendendo, seruata tamen iustitia, charitate, veritate & cum recta intentione scilicet, quod dignior ceteris praeferatur. Tum quia hoc est conforme iuri naturali, vsus omnium etiam piorum, & necessarium, ut electores nouerint virtutes, & vitia eligendorum. Rodriguez tom. 2. *quest. Regular. quest. 56. artic. 1.* Neque hoc prohibent Summi Pontifices, & aliquarum Religionum Constitutiones poenas taxantes contra subornatores in electionibus, intelligi enim solum debent contra illos, qui precibus, vel donis suadent alijs, ut dent vocem quibusdam, lib. finem prauum, vel iniuste, mentiendo vitia, vel virtutes eligendorum. Rodrig. tom. 2. *quest. 56. art. 1.*
25. Non possunt eligi in Praelatos Religionum nisi expressè in illa professi. Ita Sylu. *verb. Electio 1. quest. 13.* Vide dicenda *cap. 18. num. 5.* Sunt etiam incapaces ut eligantur, primò infames, seu notorie prauis. Quia hoc est valde indecens, & repugnans tali muneri. Suarez 4. tom. *de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 28.* Secundò excommunicati excommunicatione maiori. Excommunicati enim excommunicatione minori electio non est ipso facto nulla, sed potest annullari. Tertiò suspensi, vel interdicti, aut qui interdictum non seruauerunt. Quartò, qui non fuerint legitime nati (iuxta dicenda in hoc *cap. num. 38. & cap. 18. n. 7.*) aut debite aetatis, vel sufficientis litteraturae. Quintò irregulares; cum enim irregularitas sit inhabilitas quaedam ad Ordines, & munus Praelati requirat ordines, ideo consequenter est impedimentum ad Ecclesiasticam praelationem. Suarez *ut sup. num. 24.* Esse verò aliquem de seendemem ex radice infecta macula Haereticis, Apostasias, vel Iudaismi, aut alterius sectae damnatae, non est impedimentum, ex vi iuris communis, ad praelaturas. Suar. *ut sup. num. 28.* Sextò, qui semel propter vitium personae fuerunt reprobati. *cap. sup. eo de Elect.* Laurentius de Peirinis tom. 1. *de subdito q. 1. de obedient. cap. 31.* Accusati verò de aliquo delicto, nec infamati, non sunt incapaces electionis. Aliàs esset in potestate vnus maleuoli meritissimos viros à dignitatibus excludere. Nauarrus lib. 5. *consil. de decusat. consil. 6.* Licet oppositum videatur haberi *ex cap. omnipotens Deus, extra de accusa.* Franciscus Aretin. in *practic. crimin. cap. 2. de examin. Rei.* Pro his, & alijs Sylu. *v. Elect. 1. q. 14.* Miranda in *Manuali Praelat. quest. 23. art. 11.*
26. Non obstantibus Constitutionibus aliquarum Religionum, quibus cauetur ne aliquis assumatur ad aliquod Officium, nisi post determinatum tempus, v.g. triennium, vel sexennium, si pauca dies defecerint, v.g. viginti, aut viginti quinque, poterit nihilominus eligi ad tale officium. Ratio est, quia paruum istud tempus pro nullo reputatur. Nauarr. lib. 1. *consil. de aetate, & qualitate. consil. 7.* Rodriguez 2. *tomo qq. Regul. q. 52. art. 12.*
27. Procurantes officia in Religionibus medijs fauoribus secularium, aut aliorum extra Religionem, incidunt in censuras, & poenas assignatas a nobis supra *cap. 19. num. 17.* Si verò contingeret, quod Religiosus impetrasset à seculari aliquo, vel extraneo litteras fauorabiles pro consequendis Officijs, vel dignitatibus, &c. in Religione, postea verò poenitentia ductus, vel alio moriuo illas non dedisset, vel ipsae intercepraessent, ita ut ad manus Praelatorum non venissent, non incurreret praedictas poenas, aut censuras. Cum tales litterae effectum suum sortita non fuissent. Nauarr. lib. 5. *consil. de Sent. excommun. consil. 19. num. 2.* Peirinis 10. 1. *de subdito quest. 2. de paupert. cap. 2. §. 10.*
28. Religiosi simoniam committunt in electionibus, si dant temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio pro consequendis dignitatibus Ecclesiasticis v.g. Abbatia, Prioratu, Prouincialatu, Generalatu, Vicariatu, Distinctionatu, seu etiam licentia confessiones audiendi, praedicandi, Ordines recipiendi, seu à casibus referuatis absoluedi, &c. Ratio est, tum *ex cap. non satis, & in cap. mandato de simonia, & in c. 2. §. Prioratus de Stat. Monachor. & ex cap. quam pio 1. q. 2.* Tum etiam, quia semper dare aliquod temporale pro spirituali simoniacum est. Suarez 10. 1. *de Relig. lib. 4. cap. 54. num. 3.* Laurentius de Peirinis 10. 1. *de subdito q. 1. de obed. cap. 31. §. 9.* Qui etiam extendunt hoc ad illos, qui dant aliquod ex praedictis muneribus pro consequendo officio Sacristae, vel Procuratoris ordinis. Habetur hoc expressè in *cap. Saluator 1. q. 2. Bonacina de Simonia q. 5. n. 7.* Similiter dans pecuniam, seu aliquid ex assignatis pro obtinenda voce, seu suffragio alterius in electionibus committit Simoniam. Quia est datio rei temporalis pro spirituali. Peirinis, *ut sup.* Similiter si pro suffragio ferendo beneficium aliquod, vel res spiritualis promittatur, electio secuta est Simoniacae. Propter eandem rationem. Azor. 10. 3. *Instit. Moral. lib. 12. cap. 7. quest. 1.* Praeterea si alius dedit pecuniam, sciente illo cui officium procurabatur, & non contradicente, electio est Simoniacae, propter eandem rationem, secus si contradixit, & repugnauit. Suarez 10. 1. *de Relig. lib. 4. cap. 57. à num. 28.*
29. Similiter committunt Simoniam Religiosi in electionibus, si conuentionem, vel pactum faciunt, quod vnus suffragetur vni in vna electione, & alter suffragabitur in alia. Ut si dicant, si dederis mihi, vel alijs tuum votum, ego dabo tibi meum, vel amico tuo. Ratio est, quia huiusmodi pactiones in materia praelatorum regularium semper continent labem simoniacam, cum sit datio rei spiritualis, pro alia re spirituali, vel onere ad illam; ut habetur *ex cap. quam pio 1. q. 2. & cum pridem, & cap. pact. de pactis, & c. praeterea 1. de transactionib. & c. tua nos de Simonia, & cap. questum de rerum permutatione.* Nauarr. in *Summa cap. 23. num. 100.* Reginald. in *Praxi lib. 23. n. 244.* Vnde in electionibus regularium maximè cauendum est religiosis, ne in simile barathrum perditionis, animas miserè illaqueando, cadere permittant. Vide Dianam *tract. 2. de dub. Regular. resol. 125.*
30. Praeterea in electionibus Regularium Simoniam committitur, si aliquis priuatus iure eligendi det aliquod munus alteri ne accusetur. Quia simonia non solum committitur dando temporale pro spirituali sed etiam pro omissione rei spiritualis. Grassus 1. *par. decis. lib. 2. capit. 96. num. 52.* Laurentius de Peirinis tom. 1. *de subdito, quest. 1. de Obed. cap. 31. §. 9.* Addens benè, & propter eandem rationem, etiam esse simoniacum qui dat pecuniam alteri, ne consentiat in aliqua electione, seu ne suffragetur alicui digno, aut ne repugnet iuste alicui electioni. Azor. tom. 3. *Instit. Moral. lib. 12. cap. 7. quest. 1.* Vnde si duo essent electi in aliquod officium, non posset eorum alter dare alij pecuniam, vel promittere, aut dare illi aliquod officium, ut desistat à lite, quam iuste prosequi poterat, absque labe simoniae; propter eandem rationem. Laurent. de Peirinis, *ut supra.*
31. Licet tamen est, nec simoniacum, offerre pecuniam, vel aliquod munus, non solum, ut non eligatur indignus, sed etiam ut eligatur dignus in communi, in casu quo Electores essent determinati eligere indignum. Augustin. *Barbosa de offic. Paroch. c. 2. num. 107.* Ratio est, quia hoc non est dare pecuniam, vel munus temporale pro re spirituali; sed

sed redimere vexationem, quæ sit Monasterio, vel Religioni, si illi præficiatur indignus. Sotus 9. de Iustit. quest. 6. artic. 1. ad 2. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3. versic. 4. seq. Nec etiã committitur simonia tradendo pecuniam subornanti, qui pecunia, vel importunis precibus corrumpit Electores, ne me eligant. Non enim datur pecunia, ut me eligant, sed ne mihi damnum inferatur aut ne corrumpantur Electores. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 18. num. 108. Bonacina de simon. q. 6. punct. 5. num. 6. Idem dicitur, si aliqui Electores iniuste electionem impedirent, ne fieret, posset enim illis pecunia offerri in redemptionem vexationis, quam patitur Ecclesia non habens pastorem. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 50. Lessius 2. de iust. c. 35. dub. 19. Similiter non est simonia dare pecuniam, vel aliquod munus, ut restituatur officium illi, qui iniuste fuit ipso priuatus, vel ut non infametur iniuste aliquis Electorum, aut illi inferatur aliqua iniuria. Quia hoc solum est redimere vexationem. Laurent. de Peirinis to. 1. de Subdito q. 1. de Obedient. cap. 31. §. 9. Addens hoc esse verum solum quando cui datur pecunia non habet votum in electione, quia si illud habet, iam pecunia consequenter daretur pro voto.

32. De permutationibus, aut commutationibus Officiorum Ordinis, dicendum est sicut de permutationibus, aut commutationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, quod scilicet tales permutationes, aut commutationes non sunt simoniacæ stando in iure diuino, bene tamen iure Ecclesiastico, nisi fiant autoritate superioris. Ratio totius conclusionis est, quia quamuis huiusmodi officia non sint proprie beneficia Ecclesiastica, cum non habeant adiunctam utilitatem reddituum Ecclesiasticorum, sunt tamen quasi beneficia, & res spirituales, importantes scilicet spirituales iurisdictionem in subditos; unde eodem modo, ac de beneficijs, de illis philosophandum est. Ratio etiam primæ partis est, quia stando in solo iure diuino, simonia solum committitur dando temporale pro spirituali, non verò commutando spirituale pro spirituali. S. Thom. in cap. 10. Matth. & in 4. d. 25. q. 3. art. 3. ad 8. Ratio secundæ sumitur ex cap. questum cum olim, de rer. permut. c. Maioribus de præb. cap. ultim. de pactis. Vbi huiusmodi commutationes prohibentur. Ratio verò tertiæ partis est decisio cap. cum vntuerforum de rer. permut. vbi autoritas Superioris ad huiusmodi commutationes exigitur. Pro his autem à simili de beneficiorum commutationibus, & alijs concernentibus. Vide Suarez de Relig. to. 1. lib. 4. de simon. cap. 30. §. 1. & 32.

33. Circa penas simoniacorum dicendum est, quod omnis electio, prouisio, nominatio, & confirmatio simoniacæ facta, est ipso iure nulla ante omnem iudicis sententiam, etiam declaratoriam, nullamque ius, vel effectum confert; & qui sic electus est, tenetur in conscientia Prælatum renunciare, nec ante renunciationem potest absolui. Ratio est, quia ita deciditur in Extrauag. Cum detestabile, quæ est 2. de simonia. Suarez to. 1. de Relig. lib. 4. c. 57. Lessius 2. de iust. c. 35. dub. 25. Et hoc, etiam si simonia sit occulta, ut habetur ex eadem Extrauag. & ex cap. Mattheus, de simonia. Suarez vt sup. n. 27. Hoc etiam, siue simonia sit commissiua ab eodem, qui dignitatem obtinuit, siue ab alijs, ipso etiam nesciente, facta tamen in fauorem ipsius, ut habetur in cap. nobis, & cap. sicut tuus, de simonia. Suarez vt sup. num. 35. Laurentius de Peirinis to. 1. de subdito, q. 1. de obedient. c. 31. Secus verò dicendum est, si pecunia sit data ab inimico in odium eligendi. Idem Authores. Deinde, qui recipit simoniacæ Ecclesiasticam dignitatem, licet non sit priuatus ipso facto alijs dignitatibus, ritè acquisitis, sed expectanda sit iudicis sententia condemnatoria, cum id nullo iure habeatur, est tamen inhabilis ipso iure ad eam, & quæcunque alias dignitates obtinendas, propter Bullam Pij V. Cum primum, tom. 2. Bullarij. Azor. tom. 3. instit. moral. lib. 12. c. 21. Peirin. vt sup. Præterea per simoniam incursum in officijs Religionum, quæ sunt officia Ecclesiastica, & quasi Beneficia, vel illis similia, ut sunt Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, &c. incurritur excommunicatio maior Papæ reseruatæ: Per Extrauagant. Pauli II. confirmatam à Pio V. in Bulla adducta. Rodrig. tom. 1. quest. Regular. quest. 20. art. 13. Suarez loco cit. cap. 57. num. 47. Aliqui tamen hoc negant, eo quod ista officia non veniunt nomi-

Summa Lezana Tom. I.

ne beneficij, propter dicta num. 32. Nauarrus in Man. cap. 23. num. 111. Azor. vt sup. Vide tamen Dianam 4. p. tract. 4. resolut. 156. & Ioannem Mariam Nouarium in lucerna Regularium verbo Generalis, & Generalatus n. 10. ac dicenda 4. tom. verbo Simonia. Est etiam contra obtinentes dignitates per simoniam in iure posita pœna infamiae. Ex cap. sanè 15. q. 3. & c. si quis præbendas 1. q. 3. Azor. tom. 3. Institutionum Moral. lib. 12. c. 21. q. 7. Laurentius de Peirinis tom. 1. de subdito. q. 1. de Obed. cap. 31. §. 9. Aduertens hanc pœnam non incurri ipso facto, sed per solam iudicis condemnationem. An verò possint Prælati Regulares absolue suos subditos à pœnis contractis ob simoniam, constabit ex dicendis cap. 18. n. 39. Vide Rodrigu. tom. 1. q. Regular. quest. 20. art. 13. Suarez to. 1. de Relig. lib. 4. c. ult. n. 4. Solum est aduertendum, quod, qui fictam, & deceptoriam simoniam committunt, (v. g. si quis promittat temporale pro spirituali sine animo adimplendi promissum) cum non sint verè simoniaci, non sunt dictis pœnis obnoxij. Sotus lib. 9. de iustit. & iur. quest. 8. art. 1. Aragon. 2. 2. q. 100. artic. 6. dub. 1. concl. 3. Pro pœnis autem, quas incurrit mediatores simoniacæ electionis, vide Azor. tom. 3. Instit. Moral. lib. 12. cap. 24. q. 1. Nauarr. lib. 5. consil. de Simon. consil. 98.

34. Præsidentes electionibus Regularium debent iuxta Instituta suarum religionum procedere. Non possunt autem priuare Religiosos Capitulares voce actiua, vel passiuâ, sine eo, quod prius eitentur, ipsisque detur copia eorum, quæ contra ipsos sunt fulminata, ut possint se defendere. Quia nemo potest condemnari inauditus, & defensiones sunt de iure naturali. Rodrigu. to. 2. q. Regular. q. 51. art. 11. Miranda to. 2. Manualis q. 22. Quod adeo verum est, ut etiam si dicatur in commissione Præsidentium, ut possint priuare Religiosos Capitulares voce actiua, vel passiuâ, non possint id facere, nisi modo dicto. Quia tales commissiones semper debent intelligi seruato iuris ordine. Laurentius de Peirinis to. 1. de subdito q. 1. de obed. c. 31. §. 10. Vnde Patres Capitulares, Præsidentibus non procedentibus iuris ordine seruato, non tenentur obedire. Rodrigu. & Peirinis citat. Qui etiam adiungunt, quod si maior pars Capituli, nolit Præsidenti obedire propter eius iniustitiam in procedendo, potest ad electionem procedere sine ipso. Vide dicenda to. 2. c. 12. an. 31.

35. In quacumque electione necessaria est confirmatio Superioris, ex cap. auaritia, de elect. lib. 6. Syluester verb. confirmatio. Suarez to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 5. Generales tamen plurimum Religionum ex multis priuilegijs illis concessis, eo ipso, quod sunt electi, sunt à Sede Apostolica confirmati. Vide Sixtum IV. in Bulla Dum attenda, quæ est in Speculo Ordinis fol. 87. Vnde in Constitutionib. Carmelitarum p. 2. c. 1. sic dicitur de Generali. Cuius electio cum suo solo consensu est confirmatio eo facto, ut in priuilegio Summorum Pontificum expressè continetur. Casarrubius in Compend. verb. electio. §. 3. Si autem electio est legitima, non potest Superior non confirmare illam, imò peccabit grauius aliter faciendo. Quia canonicè electus habet ius vt confirmetur.

36. Electio omnis confirmanda est à primo Superiore; Quia ita habetur expressè cap. nihil. §. ceterum, de elect. D. Antonin. 3. par. tit. 19. cap. 4. Ante confirmationem electio per electionem solum acquiritur ius ad prælatiam non autem exercitium. Nauarr. comment. 2. de Regul. num. 65. Ad confirmatorem pertinet examinare personas, tam eligentium, quàm electionis, etiam si nihil electo obijciatur. Nauarr. lib. 1. consil. de elect. cons. 2. n. 1. Non licet confirmatori confirmare electum indignum. Quia cum non sit idoneus tali officio, confirmatio redundaret in graue damnum Ecclesiæ. Ledesma 2. par. summa tract. 7. c. 2. Peirinis tom. 2. de subdit. q. 1. de obed. c. 3. §. 11. Licet autem illi confirmare dignum, quem Electores elegerunt, relicto digniori. Tum quia eo ipso, quod est electus, est iudicandus dignior; tum quia confirmatio est actus exterior, ac proinde debet conformari electioni digni, quæ in foro exteriori valida est. Salonijs 2. 2. quæstione 63. articulo 2. controuers. 3. Bannez dub. 3. ad 7. Electus ad aliquam dignitatem, si ante confirmationem administrat, est ipso facto priuatus, iure acquisito per electionem. Vt habetur in c. auaritia, de elect. in 6. & cap. qualiter, eod.

E i iii.

- tit. Graffis tom. 2. consil. lib. 1. de elect. conf. 2. n. 3. Si confirmatori proponantur duo, vel tres, tenetur digniorem confirmare. Quia tunc electoris, & confirmatoris vicem gerit. Rodriguez in sum. tom. 1. c. 106. Salon. 2. 2. q. 63. art. 2. con. trou. 3. Confirmatur sciens per scientiam habitam in Confessione Sacramentali aliquem esse indignum, si nihil aliud obstat, debet illum confirmare. Quia cum confirmatio sit actus exterior, debet in eo procedere secundum allegata, & probata. Laurentius de Peirinis tom. 1. de subdit. q. 1. de obed. cap. 3. §. 10. Non potest electus confirmatorem iniuste confirmare renuentem pecunia emolire. Quia talis confirmatio est quid spirituale. Azor. tom. 3. Instit. Moral. lib. 12. c. 7. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 50. num. 29. Licet aliqui de hoc dubitare videantur. Maior. in 4. d. 25. q. 5. ad 2. Vide tom. 2. c. 12. a num. 39.
- 37 Eligentes aliquem ad aliquod officium, seu dignitatem unanimi consensu, non possunt deinde se electioni opponere, nisi causis legitimis postea emergentibus. Habetur expressè in cap. nulli. de electio. in 6. Opponentem autem, seu appellantes contra aliquem electum, vel eligendum, seu formam electionis, vel etiam contra electores, debent in litteris appellationem, seu oppositionem continentibus, exprimere singula, quæ intendunt obijcere, sub iuramento. Ita habetur expressè in cap. ut circa, de elect. in 6. Laurentius de Peirinis tom. 1. de Subdito, quest. 1. de obedient. c. 31. §. vlt.
- 38 Si contingat illegitimum, quantumvis occultum, eligi in Prælatum, nullo modo potest acceptare prælaturam, sed, vel procurare dispensationem, vel declarare suum defectum, si sine præiudicio suæ, aut alterius famæ id facere potest. Talis enim electio in persona illius facta, est ipso iure nulla, cap. Innotuit, de election. Sorbus in compend. verb. dispensatio. vers. Ideo Iulius. Rodriguez tom. 1. quest. 13. art. §. Si autem talis cogatur acceptare Prælationem, & ipse resistit quantum potuerit, nec possit sine sua, aut suorum infamia dispensationem petere, poterit illam acceptare: nam ius conservandi famam est naturale, quod iuri positivo non habendi Prælatum illegitimum præponderare debet. Rodriguez vt sup. Laurentius de Peirinis tom. 1. privileg. Min. num. constitut. 1. Iulij II. §. 29. num. 100.
- 39 Regulares pœnitentiæ à Sancto Officio Inquisitionis, etiam si pœnitentiæ tempus expleverint, vel gratiam receperint, sunt inhabiles eo ipso ad omnes gradus, & officia sua Religionis, exceptis illis, quibus salutare pœnitentiæ imposita fuerint; & illos promouentes incurrunt etiam ipso facto, in priuationem suorum officiorum, ac prætereà vocis actiue, & passiue, iuxta Decretum Sanctissimi D. N. Urbani VIII. anno 1626. vbi etiam adiungitur: tam prædictos pœnitentiarios, quam illos promouentes, non posse rehabilitari nisi ab eodem S. D. Nostro vel ab eadem Sacra Congregatione (scilicet S. Inquisitionis) coram Sanctitate sua habenda. Laurentius de Peirinis tom. 2. privileg. Min. in constitut. 9. Pauli V. num. 29. Pœnitentiæ salutares dicuntur illæ, quæ extrajudicialiter, & priuatim infliguntur, vt sunt ieiunia, disciplina, orationes, &c. Laurentius de Peirinis ibidem. Idem credo de aliquibus reprehensionibus, admonitionibus, seu etiam correctionibus, quæ dari solent aliquibus in hoc S. Tribunali. Declaratum autem est sæpius, vt audiuis, (imò vidi declarationem eiusdem Sacre Congregationis 22. Decembris 1632.) pœnas prædictas in hoc Decreto non incurri ab ijs Regularibus, qui ante illud pœnitentiati sunt à Sancto Officio, sed ab ijs, qui postea.

## SVM MARIVM CAP. XVI.

- Omnes Religiosi ad aliquam clausuram obligantur. n. 1.  
Egredientes e monasterijs sine licentia qualiter peccent. num. 1.  
Maximè noctu egredientes. n. 3.  
Quæ licentia requiratur. n. 4.  
Non sufficit licentia generalis. n. 5.  
Quid tenendum secundum decreta summorum Pontificum. ibid.  
Conuentus clausura qualiter custodienda. n. 6.  
Apostata, fugitiuus, vel vagus quis sit. n. 7.  
An iniuste grauius possit licite fugere e Monasterio. num. 8. & 9.

- Quid de damnato ad perpetuum carcerem, vel ad triremes. num. 10.  
Quæ pœna sit recedentis à conuentu sine licentia iure communi. n. 11.  
Veri Apostata pœna quales. n. 12. & 13.  
Cooperantes ad fugam vel Apostasiam Religiosi qualiter peccent. n. 14.  
Detinentes Apostatas an sint excommunicati. n. 15.  
Apostata, & fugitiui quomodo à superioribus capiendi. num. 16.  
Incumbit superioribus cura colligendi illos. ibid. & n. 17.  
An etiam Ordinarius. ibid.  
Redeuntes ad ordinem quomodo recipiendi. n. 18.  
Debita ab illis contracta à quibus soluenda. n. 19.  
Cui acquirant Apostata, & fugitiui. n. 20.  
Quid si intuitu beneficii aliquid adquisierint. n. 21.  
Bona illorum post mortem ad quem deueniant. num. 20. 21. & 22.  
Bona acquisita per illicitam negotiationem ad quem spectent. n. 22.  
Potest Religiosus ex legitima facultate viuere extra ordinem retento habitu. n. 23.  
Non tamen seruire beneficiis, aut dignitati sola licentia superioris. n. 24.  
An propter necessitatem parentum. n. 25.  
Qualiter Religiosus extra claustra delinquens puniendus sit. num. 26.  
Quid possint ordinarij circa illum. ibid. & n. 27.  
Accedere ad lapponum quibus Religiosis permissum. n. 28.  
Ad Indias missis quid prohibuitur. n. 29.  
Regulares extra claustra an permittendi predicare. n. 30.  
Bona regularium extra claustra decedentium ad quem spectent. n. 31.  
De Regularibus ad triremes damnatis. num. 32.  
Non possunt Regulares se alicuius loci, vel persona seruitio mancipare. n. 33.  
Nisi cum licentia, &c. ibid.  
Tenentur etiam extra Monasteria degentes parere suis Superioribus. n. 34.

## De obligationibus Regularium ad manendum in Monasteriorum Clausura. Cap. XVI.

- 1 Omnes Religiosi quicumque illi sint obligantur ad habendum aliquod genus Clausuræ in Claustris, & Monasterijs suorum ordinum. Id constat, tum ex omnium Religionum vsu, tum ex cap. Placuit il 2. cap. iuxta c. Monachi, &c. Huiusmodi autem Clausura in duobus præcisè consistit, scilicet in non egrediendo à Monasterio sine licentia suorum Superiorum, & in non apostatando, aut relinquendo Religionem, quam sunt professi; ideòque de singulis dicendum est.
- 2 Hinc primò, quicumque Religiosus ex suo Monasterio sine licentia Superioris egrediens grauitè peccat, & sæpius mortalitèr, nisi prauitas materiæ egressum solum inducat culpam venialem. Id constat primò ex consuetudine, & vsu omnium Religionum, quæ huiusmodi egressum surtitium, vt grauem culpam semper puniunt. Secundò ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. vbi dicitur: Non liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eis missi, vel vocati fuerint. Quæ doctrina conformis etiam est antiquioribus Concilijs, specialiter Chalcedonensi c. 4. & alijs apud Gratianum 16. q. 1. Tertio ratione, nam cum Religiosi ex vi sue professionis subditi esse debeant Superiori: ita vt ab illo possint gubernari, manifestum est grauitè obedientiam offendere, qui à Conuentu sine licentia Superiorum recedunt. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 1. c. 6.
- 3 Maximè hoc verum est loquendo de egressu nocturno à Monasterio sine licentia. Ratio est, tum quia Clemens VIII. in Decretis de reseruatione casuum, inter casus reseruabiles à Superiore constituit istum de egressu nocturno Religiosi à Monasterio sine licentia, constat autem casum reseruabilem esse culpam mortalem. Tum etiam propter pericu-

periculum infamiae, scandali, & detrimenti Castitatis, quod ex tali egressione nocturna oriri potest. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 8. lib. 1. c. 6. n. 7.

- 4 Licentia autem hæc, quæ requiritur ad egrediendum à Monasterio regulariter loquendo debet esse explicita, aliquando verò sufficit implicita, & interpretatiua. Prima pars constat ex vsu, vt credo, omnium Religionum. Secunda verò, quia possunt occurrere aliqui casus, in quibus sit Religiosus obligatus ex charitate exire à Monasterio, vt ad absoluehdum aliquem moribundum, defendendum aliquem innocentem, succurrendum domui vicinæ, quæ comburitur, &c. In quibus tamen non semper commodè peti potest licentia à Superiore. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. num. 11.
- 5 Non possunt Religiosi exire à Monasterijs sine licentia speciali ex vi alicuius licentiæ generalis, aut sine causa approbata, aut licentia singulis vicibus impetrata, aut sine socio arbitrio superioris. Ita decreuit Clemens VIII. in Decretis pro reformatione omnium Regularium à Sacra Congregat. iussu S. D. N. Urbani Papæ Octauis approbatis, & innouatis, per hæc verba. *Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo neque eundem sepius. Licentia verò generales exeundi, nulli omnino concedantur. Contrauenientes autem poena graui etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur, eandem etiam lanitor subeat si sciens, exeundi facultatem fecerit.* Sanctissimus quoque Dominus noster Urbanus VIII. ad instantiam Catholici Monarchæ Hispaniarum, in Bulla edita ann. 1626. die 30. Iulij, renouauit, cassauit, & annullauit omnia priuilegia, prærogatiuas, & exemptiones Religiosorum in Regnis Hispaniarum existentium, per quæ idem Religiosi ab eorum Prælatorum obedientiam eximuntur, & ex eorum Monasterijs, & Regularibus domibus ad eorum libitum, & cum socijs sibi bene visis, & iam destinatis, etiam Superiorum suorum non petita licentia egrediuntur. Vide supra cap. 10. num. 26.
- 6 Ad huiusmodi etiam Clausuram in Monasterijs magis commendandam præcipiunt Clemens VIII. & S. D. N. Urbanus in Decretis adductis; Quod vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conuentus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur, ac propterea à Superiore lanitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur. De ipso quoque lanitore, seu portæ communis Monasterijs Custode iubent. Quod, si ianuæ eustodiendæ semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit. Circa redeuntes autem ad Monasteria hæc præcipiunt idem Pontifices. *Cum autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adhibet, benedictionem receperit, qui à socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.* Sunt etiam quoad hoc peculiaria Statuta Religionum. Vide à nobis dicta in lib. de reform. Reg. c. 7. & 8.
- 7 Qui egreditur à Monasterio sine licentia cum animo redeundi non est propriè, & rigorosè Apostatas, sed fugitiuus, vel vagus. Ratio est, quia essentialis ratio apostasie consistit in hoc, quod quis recedat à Religione animo deserendi illam, vel nunquam ad illam reuertendi; vnde qui hunc animum non habuerit non erit propriè Apostata, sed fugitiuus. Aragon. 2. 2. g. 12. art. 1. Bannez *ibid.* Vnde etiam si aliquis recedat à Conuentu sine habitu, dummodò non habeat talem intentionem non redeundi, aut deserendi religionem, non erit propriè Apostata, sed fugitiuus. Valentia 2. 2. disp. 1. quest. 12. punct. 1. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 5. Nihilominus peccat grauius mortaliter, tum propter dicta, tum ex natura status Religiosi per quem tenetur subesse potestati, & imperio sui Superioris. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. Pro quorum maiori luce, nota primo quod etiam si recedens à Religione animo non reuertendi ad illam non relinquit habitum, nec etiam habeat animum illum relinquendi adhuc erit verè apostata. Sicut enim habitus non facit Monachum cap. Porrextum est, cap. Ex parte. de Regularib. ita è contra terentio habitus non tollet esse apostatam eum qui à Religione recedit dicto animo ad ipsam non redeun-

Summa Lezana Tom. I.

di. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 17. quest. 6. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 4. post Angelum, Syluestrum, Caietanum, Rodriguez, & alios. Idem colligitur ex decretis Clement. VIII. de casuum referuat. pro Regularibus, vbi inter casus à Regularibus referuabiles ponit Apostasiam à Religione siue habitu dimisso, siue retento; vbi manifestè supponitur posse esse apostasiam, etiam habitu retento. Tamburinus de Iure Abbatum tom. 3. disput. 8. quest. 1. n. 12. Nota secundo quod quamuis communiter dicatur, vt nos etiam diximus, ad veram apostasiam requiri animum non reuertendi ad Religionem vnquam, nihilominus satis probabiliter id extendi etiam ad eum qui recedit à Religione animo non reuertendi ad illam nisi post longum tempus, v. g. trium, aut quatuor annorum, aut donec aliquod negotium longum finierit, aut ad arbitrium suum. Ita Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 1. num. 22. & 23. Saltem tamen in foro externo ita iudicandum, prout colligitur ex textu in §. Pauenum. Instit. de rer. diuis. & l. 3. §. Emanfor. & l. 4. §. edita Tamburinus *supra* n. 13. ex alijs.

- 8 Poterit tamen Religiosus licitè fugere ex Conuentu, si certò, & euidenter constaret illum nimium iniuste vexari à suo Superiore, & vellet ire ad Superiorem Prælatum. Ratio est, tum quia ius defensionis est naturale, tum quia in hoc casu præsumitur licentia Superioris Prælati, ad quem accedit. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 5. lib. 3. cap. 1. num. 6. Quomodo autem hoc non opponatur doctrinæ Concilij Tridentini dicitur à nobis inferius num. sequenti.
- 9 Religiosus autem qui in poenam alicuius delicti, suo Superiore detinetur in carcere, non potest ex illo fugere, sed est fugitiuus sic faciendo. Ratio est quia est à secularibus id liceret (de quo aliàs) Religiosis non licet, tum quia tenentur obedire Prælatis, quoad poenas iuste inflictas, tum quia non possunt se abstrahere à iugo, & obedientia suorum Superiorum. Ledesma 2. tom. Summ. tit. 8. cap. 24. Sairus in Clauis Reg. lib. 12. cap. 18. num. 9. Limita hoc primò, si certò constet poenam illam carceris iniuste inflictam, aut si cibus, & necessaria ad vitam in carcere negarentur. Quia non tenetur in istis quilibet obedire Prælatis. Nauarrus Commentar. 4. de Regular. n. 64. Sairus in Clauis Reg. lib. 12. c. 18. n. 10. Nec discessus à Conuentu in tali casu est contra Decretum Concilij Trident. adducti supra n. 2. Eò quod non est credendum Concilium loqui de Religiosis à suo Superiore iniuste, & contra ius grauat. Nauarr. Comment. 2. de Regul. n. 61. & comment. 3. n. 51. Sairus in Clauis Reg. lib. 12. c. 17. n. 40. Limita secundò, si poena capitis, aut abscissionis alicuius membri Religioso illi in carcere incluso immineret. Quia tunc naturale ius conseruandi vitam, & membra sui corporis preponderare deberet iuri positiuo Religionis. Bannez 2. 2. g. 69. art. 4. Salon. *ibid.* controu. 2.
- 10 De Religioso damnato ad carcerem perpetuum, aliqui volunt posse fugere. Bannez 2. 2. quest. 69. art. 4. Probabilius tamen est contrarium. Eò quod poena carceris, etiam perpetui, est conuenientissima statui Religioso, nec tam contraria iuri naturali, vt non possit censeri ad illam se obligasse Religiosum ex vi professionis, quando crimen proportionatum perpetraverit. Rodriguez 10. 2. g. Regul. g. 22. art. 6. Num autem Religiosus damnatus ad trimeses possit à carcere fugere, vt vadat ad Superiorem, vel Pontificem, veniam petiturus? Aliqui respondent affirmatiuè. Bannez 2. 2. g. 69. art. 4. Alij verò negatiuè. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. n. 16. Ego autem magis inclino in sententiam Bannez, non solum quia talis poena est grauissima, & veluti quædam perpetua mors, sed quia illa punire Religiosum delinquentem esse videtur contra decorem, & honestatem Religionis.
- 11 Propter recessu Religiosi à suo Conuentu, etià sine causa, & occasione, non est aliqua césura, vel poena lata iure communi. Ratio est, nam cap. 2. ne Clerici vel Monach. in 6. quod adducitur ab aliquibus, solum loquitur de Religioso dimittente habitum, vel accedente ad studia sine licentia. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 1. num. 9. Nauarrus. Comment. 2. de Regul. Quare circa talem césuram, vel poenam consulendæ sunt Constitutiones Pontificum, & Religionum, Casar, in Comp. prinil. v. Apostata

E 4 ab

- ab ordine. Miranda in *Man. to. 1. q. 51. art. 1.* In nostra Carmelitana religione tales Religiosi decedentes à Conuentibus sine licentia, habentur, vt excommunicati, & vt tales puniuntur, & absoluntur secundum consuetudinem Religionis, eò vt credo, quia *par. 3. const. cap. 1. §. 2. 2. & 3.* dicuntur puniendi, vt Apostatae, & vt tales censendi. Apostatas autem à religione excommunicatos esse, dicitur infra. numero 13. Religiosos etiam accedentes sine licentia ad partes transmarinas, vbi pauci fideles reperiuntur, excommunicatos esse à iure excommunicatione Papæ reseruata diximus supra *cap. 9. n. 32.*
- 12 Religiosus verè, & propriè Apostata (ille scilicet, qui vt diximus supra num. 7. discedit à Conuentu, vel religione animo deserendi illam, & numquam reuertendi) præter alias pœnas à particularibus religionibus assignatas; iure communi si durante apostasia Ordinem sacrum recipiat, non potest in illo ministrare, sed manet suspensus donec à Papa dispensetur, etiam si postea redeat ad religionem. Ita habetur in *c. fin. de Apostat.* Suarez *5. to. in 3. p. disput. 31. sect. 6.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 8. num. 21.* Addunt aliqui esse excommunicatum à iure per *c. 2. ne cleric. vel Monac. in 6.* Sed ibi solum est sermo de illo, qui habitum suæ professionis temerè relinquit, quòd est valdè diuersum ab apostasia, cum vnum sine alio possit reperiri. Aragon. *2. 2. q. 12. artic. 1.* Suarez *5. to. in 3. p. disput. 31. sect. 6.* Ad dunt etiam alij hos Apostatas esse irregulares. Sed ex vi iuris cõmunis hoc est falsum, cum de hoc nullos ostendatur textus. Regulariter tamen loquendo ita est, quia vt in plurimum exercent Ordines sacros cum aliqua censura. Hoc verò non est ex vi apostasiæ præcisè. Suarez *5. to. in 3. p. disput. 31. sect. 6. n. 2.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 8. n. 25. & 26.* Dicit tamen potest. Apostatas, dum, perseuerant in Apostasia esse irregulares, quia sunt ipso iure infames, & vt tales non admittuntur vt testes. Grassis *lib. 3. de casib. reseru. c. 2. n. 26.* Laurent. de Peirinis *t. 1. de Subdit. q. 1. de obed. c. 26.* Præterea alij volunt hos Apostatas expositos esse pœnis taxatis à Paulo IV. in Bulla anno Domini 1558. edita, quæ incipit, *Postquam Diuina bonitas.* Sed hæc Bulla videtur moderata, & ad formam Iuris, & Sacrarum Constitutionum reducta per aliam Pij IV. anno 1560. quæ incipit, *Sedis Apostolica* Prosper August. *in addit. ad Quarant. in summ. Bullar. verb. Apostata.* Addunt vltèrius alij istos Apostatas non gaudere priuilegijs Religionum, propter Decretum Concil. Trid. *sess. 25. cap. 19.* Sed ibi non est sermo de quocumque Apostata, sed de illo, qui dimittit habitum suæ religionis, & præterdit se per vim, metum, aut ante legitimam ætatem fuisse professum, & de hoc dicitur, *Nullo priuilegio suæ Religionis inuuetur.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 8. n. 34.* Alij etiam volunt Apostatas non gaudere priuilegio exemptionis, quo gaudent cæteri Religiosi. Erasim. ChoKier. *de Iurisdic. Ordinarij in exempt. p. 1. q. 20.*
- 13 Nihilominus prædicti Apostatae Religionum incurrunt excommunicationem propter varia priuilegia Religionum, quibus Summi Pontifices prædictos Apostatas excommunicatione afficiunt, de quibus Casarubius in *Compend. priuileg. Mendic. verb. Apostata ab Ordine* Sanch. *lib. 6. in Decalogo c. 8. n. 20.*
- 14 Cooperantes ad fugam, vel Apostasiam Religiosorum non solum peccant grauiter contra ius naturale, eò quòd cooperantur ad rem intrinsecè malam, & sacrilegam, sed etiam tenentur restituere ea lucra temporalia, quæ Religio amisit propter fugam talis Religiosi, saltem quando id fecerunt vi, vel fraude. Ratio est, quia tunc fit graue nocuumentum Religioni contra eius voluntatem, ergo peccatum contra iustitiam, ac per consequens est obligatio restituendi damnum. Caietanus in *summ. verb. restitut. c. 7.* Suarez *to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 3. n. 8.* Non tamen tenentur Religionem ingredi pro illis, quos apostatare faciunt, aut alios quaerere, qui pro illis Religionem ingredientur. Ingressus namque Religionis nimis voluntarius esse debet, & propter vitæ perfectionis finem. Sotus *4. de iust. q. 6. art. 3.* Ledesma *2. p. quarti q. 18. art. 2.* An autem iure Ecclesiastico sint excommunicati propter priuilegia Mendicantium isti cooperatores, vide Suar. *to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 3. num. 26.*
- 15 Specialiter tamen detinentes in suis domibus Fratres Apostatas, occultantes, ipsique fauorem impedentes sunt ipso facto excommunicati. Propter multa priuilegia Religionibus concessa, de quibus Casarubius in *Compend. priuileg. verb. Apostata ab Ordine* Peirinis *to. 1. priuileg. Minim. in Const. 2. Julij II §. 13. num. 47.* Aduertens, quòd Episcopi retinentes Apostatas non possunt à Prælati ordinis excommunicari. Quia illi habent priuilegium iure communi, quòd excommunicari non possunt, nisi expressa mentio de illis habeatur, *cap. quia periculosum de sent. excomm. in 6.* Sed quia in isto cap. non est sermo de excommunicatione, sed de suspensione, & interdicto, ideo melius probatur ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 5. & ex c. Sedes Apostolica de rescript.* Pius quoque II. magnam prohibitionem fecit contra omnes Principes, Duces, aliosque Magnates fauentes Apostatis, & alijs fratribus inobedientibus Ord. Carm., quòd scilicet possit contra illos procedi per censuras, Ecclesiasticas, vsque ad inuocationem brachij secularis. Miranda in *Man. to. 1. q. 51. art. 2.* Detinentes etiam in suis Monasterijs Apostatas Ord. Prædicatorum sunt etiam à Papa excommunicati, D. Ant. *3. p. tom. 24. c. 7. Vin. Filiuc. to. 1. q. mor. tract. 15. c. 8.*
- 16 Apostatae, & fugitiui possunt vbique, etiam extra territorium, apprehendi à suo Superiori, incarcerationi, & duci ad Monasterium, inuocato ad hoc si oporteat, adiutorio brachij secularis. Tum ex vi Iuris communis, quod concedit hoc modo posse capi seruum fugientem vbicumque sit, *lib. si quis. §. differentis, ff. de acq. possess. & illum qui alteri est obligatus lib. 1. §. per seruum, qui in fuga. ff. de acq. poss.* Tum etiam ex multis priuilegijs religionibus concessis, specialiter Carmelitis, vt habetur in nostro Mari magno. *§. Apostatas corrigi quoque Ordin. Nauarr. comment. 3. de Regul. num. 50. Rodrig. t. 1. q. Regul. quest. 30. art. 6.* Quod etiam est verum quando Fratres Apostatae, & fugitiui detinerentur ab Episcopis, propter Constitutionem Pij V. quæ incipit, *Etsi Mendicantium* Præsertim, quia, qui debent alijs perpetuam obedientiam, possunt de manibus quorumcumque capi. Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 7. Pij V. num. 20.* Addens hoc non solum esse verum quando Religiosus fugit sine licentia, sed etiam quando iuit cum illa per certum terminum, & ille est transactus, Adde etiam, posse Prælatum Regularem auctoritate propria hoc facere, sine inuocatione brachij secularis, siue Episcopalis. Cornexo *to. 2. in 3. p. tract. 5. de Excomm. disput. 6. dub. 5.* Imò etiam teneri Prælati requirere Apostatas, & fugitiuos constat ex *cap. fin. de Regular. vbi præcipitur, vt presidentes Capitulis celebrandis, seu Paires, seu Abbates, fugitiuos suo ordine suo requirant sollicite annuatim. Qui si in Monasterijs suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione præua per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem eorum, salua Ordinis disciplina: Id est, nisi fortè Monachus fugitiuus esset notabiliter scandalosus, & periculosus alijs fratribus, & aptè non possit capi, aut detineri. Sylu. ver. Apostasia, n. 10. Rodrig. *tom. 1. questione Regul. questione 30. artic. 5.* Statuitur præterea in dicto *cap. final. de Regular.* quòd in prædicto casu, quo Monachus fugitiuus, aut Apostata, non posse in Monasterio detineri, vt apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in alijs religiosis domibus eiusdem Ordinis, ad agendum ibi penitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. Si vero huiusmodi fugitiuos inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiarum Prælati excommunicatos publicè nunciari donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur. Quæ omnia innouata sunt à S. Congregatione Concilij iussu Sanct. D. N. Urbani edita anno 1624. Vnde licet aliàs non essent in vsu, modò tamen non excusantur Prælati ab executione ipsorum. Bonacina *de clausura quest. 2. puncto 11. §. 2.* Aliàs incurrunt pœnas in eodem Decreto assignatas, Bonacina *ibidem.**
- 17 Cura recolligendi Fratres Apostatas, & fugitiuos, incumbit Prælati ipsorum. Propter multa priuilegia religionibus concessa. *Compend. priuilegior. verb. Apostata.* Nau. *comm. 3. de Reg. n. 50.* Vnde quando Concilium Tridentin. *sess. 25. c. 4.* hoc munus videtur remittere ordinarijs, intelligitur in casu, quo prælati regulares pigri, & negligentes fue-

- fuerint, aut forsan non fuerint in illis diocesisibus, vbi reperiuntur Apostata fugitiui. Miranda in *Man. tom. 1. q. 51. art. 3.* Sacra tamen Congregatio Concilij iussu S. D. N. Urbani edita in Decreto de Apostatis, & Electis præcipit ad intentum, vt fugitiui, & Apostata, siue habitum regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendantur. Vide Decreta 4. *tomo Bull. inter constitution. Urbani num. 26.*
18. Apostata, & fugitiui ad Ordinem redeunt, & humiliter precantes veniam, benignè sunt recipiendi. Id enim & ratio naturalis, & clementia Ecclesiæ, & Religionis expostulat. Nauarrus *lib. 3. consil. de Regul. consil. 66. num. 1.* An redeunt, postea ad Religionem, admitti possint ad officia illius; attendendum est ad Constitutiones, & Statuta talis Religionis. Stando enim iure communi non videtur hoc illis interdictum posita emendatione suæ vitæ. Nā *cap. Perpetuas de voto*, quod adduci solet in contrarium, non probat intentum; quia solum videtur loqui in casu quo culpa perseueret, Azor. *lib. 12. instit. moral. c. 17. quest. vlt. Sanchez lib. 6. in decal. c. 8. num. 32.* post alios, quos etiam sequitur Tamburinus *de iure Abbatum tom. 3. disp. 8. q. 9. num. 4.* In nostra autem Religione, prout habetur in *Constitutionibus par. 3. cap. 1. num. 9.* qui ab Ordine apostatauit, non admittitur ad officium Prioris, vel Diffinitoris nisi cum eo dispensetur per Generale Capitulum, vel per Priorem Generalem.
19. Monasterium non tenetur soluere debita contracta à religioso Apostata, vel fugitiuo, nisi in casu, quo rediens ad Religionem, secum adduxerit aliqua bona, ex quibus possent solui talia debita. Ratio vtriusque partis est, quia sicut ratio naturalis dicit, quod qui sentit commodum, debeat etiam sentire onus, iuxta regul. Iuris in 6. sic etiam è contra quod qui nullum commodum sentit, nec sentiat damnum. Nauarrus *lib. 3. consiliorum consil. 73. num. 3.* Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 20. art. 11.* Pro debitis contractis ab alijs Religiosis, vide *c. 2. num. 18.*
20. Ea, quæ acquirunt Religiosus Apostata, vel fugitiuus, pertinent ad suam Religionem. Tum quia ita definitur in *cap. Abbas. 18. quest. 2.* Tum quia isti sunt veri Religiosi, ac per consequens debent Monasterio acquirere. D. Antonin. *3. part. tit. 16. cap. 5.* Syluest. *verb. Apostat. quest. 9. num. 12.* Quod intellige, etiam si sit in remotissimis Prouincijs, & apud Indos, imò etiam si per longum tempus in possessione sit suæ fugæ, aut libertatis. Lugo *tom. 1. de Iust. & iure disp. 2. sect. 11. num. 23.* Item etiam si acquirat contra voluntatem Religionis, aut peccando aliquo genere peccati, præter peccatum contra iustitiam. Solum enim hoc peccatum potest priuare Monasterium suo iure. Rosella in *summ. verb. Religio. 1. num. 1.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 33. num. 6.* Si autem moritur in apostasia, vel fuga, bona, quæ illi supersunt, pertinent ad Cameram Apostolicam; propter Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit, *Officij nostri.* Nauarrus *lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de Regul. consil. 80. num. unico. in 2. verò tit. de stat. monach. consil. 17.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. c. 33. num. 9.* Vide dicenda *num. sequenti.*
21. Si Religiosus Apostata, vel fugitiuus, in apostasia, vel fuga impetrauit beneficium alicuius Ecclesiæ, ea quæ acquirunt intuitu talis Ecclesiæ, cedunt Ecclesiæ, quia illi acquirunt, vt pars illius. Ea verò, quæ acquirunt intuitu personæ, aut suæ industria, acquirunt Religioni, cum persona illa, & suæ industria, spectent ad Religionem. D. Anton. *3. part. tit. 16. cap. 5. §. 1.* Azor. *tom. 1. Institut. Moral. lib. 12. cap. 16. quest. 8.* Bona verò post mortem veniunt ad Cameram Apostolicam, iuxta dicta supra *numero præced.* Si autem in vita illa dedit Religioni, videtur non teneri ad restituendum ipsa Camera, nisi Camera petat, quia nemo tenetur ad peccatum ante condemnationem. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 2. num. 27.* Vide dicta *c. 10. num. 5.*
22. Quæ verò prædicti Apostata, aut alij quicumque Regulares acquirunt per illicitam negotiationem, vel alias contra Sacros Canones, qualiter etiam pertineant ad Cameram Apostolicam diximus supra *cap. 10. num. 5.* lege Nauarrum in *comm. de spolys. §. 7. à num. 3.* Suarez *4. tom. de*
- Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. à num. 23.* Qualiter etiam bona Regularium, etiam cum licentia, extra claustra degentium, pertineant ad eandem Cameram, post ipsorum mortem, dicemus inferius *num. 31.*
23. Potest Religiosus ex legitima facultate viuere extra Monasterium, retento habitu. Ratio est, quia nec hoc est intrinsecè malum, nec derogat votis professionis, cum etiam ibi possit obseruari Obedientia, Paupertas, & Castitas. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 7.* Quamuis autem iure communi possent Prælati Religionum hanc licentiam concedere, quia hoc spectat ad iurisdictionem, quam habent supra subditos. Nauarr. *comm. 2. de Regular. num. 16. & 40. & comm. 4. num. 14.* Tamen iure nouo Clement. VIII. in decretis pro reformatione Regularium approbatis, & innouatis à S. Congregatione, iussu S. D. N. Urbani, sic habetur: *Ineat ratio, qua sublatis licentijs, ac facultatibus hæcenus quibus umque concessis, degentes extra Conuentus claustra, ad ea quamprimum reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede Apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.* Vide *num. 25.*
24. Non potest Religiosus sola licentia sui Superioris manere extra Monasterium ad inseruiendum alicui Ecclesiæ Parochiali, beneficio seculari, aut dignitati Ecclesiastica. Probatur tum ex Decreto Clementis VIII. & Urbani VII. adducto, tum ex multis iuribus, & auctoritatibus apud Syluestrum *verb. Religio. 7. q. 3.* Casu autem, quo Religiosi nostri priuilegio Sedis Apostolicæ aliquod Beneficium simplex, vel curatum obtinuerint, etiam si ea dimiserint, non possunt amplius in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, absque Generalis licentia, admitti, aut sine ea aliquod officium in Religione habere, sub pena excommunicationis ipso facto. Ita enim concessit Sixtus IV. Car. melitis. Vide *Specul. Ordin. fol. 90.* Rodriguez *tom. 2. quest. 64. art. 3.* Dubito tamen an isto priuilegio vtantur aliæ Religiones.
25. Quamuis etiam ob necessitatem Parentum possit Religiosus habitu retento, manere extra Monasterium ex vi iuris communis. D. Thom. *2. 2. q. 101. art. 4.* Nauarrus *lib. 3. Consil. de Regul. consil. 54. 55. & alibi.* Tamen propter ius nouum adductum Clementis Octauij, & Urbani Octauij, non potest hoc fieri, nisi de licentia Sedis Apostolicæ talem causam approbantis. Vide *num. 23.* Sed ponamus Religiosum habere parentes in extrema necessitate constitutos, an exiens à Conuentu sine legitima licentia pro ipsorum sustentatione sit censendus apostata, vel fugitiuus. Respondeo quod si verè subsistit talis necessitas extrema, illa videlicet quæ sit talis vt sine exitu ipsius religiosi mox, aut breui tempore sequenda sit mors parentum, non solum possit Religiosum exire ad subueniendum illis, etiam sine licentia quacumque, si illam obtinere non possit, sed etiam teneri ad id faciendum. Ratio est, quia casus extremæ necessitatis est tam vrgens vt in ipso non solum parentibus, sed etiam extraneis teneamur subuenire. Pro quo vide dicta *cap. 2. num. 13.* & maxime dicenda *cap. 24. num. 40.* vbi quid dicendum de casu grauis necessitatis parentum. De quo etiam Nauarrus in *Comment. de Regularibus, ad cap. Nullam. 18. quest. 2. num. 48.* Reginaldus *tom. 2. lib. 20. cap. 2. de obligatione filiorum, num. 13. §. Tertia conditio, & nouissime Portellus in Responsum moral. tom. 2. casu 72.* Vnde consequenter, licet Religiosus exiens à Conuentu sine legitima licentia ad subueniendum parentibus extremè indigentibus non sit censendus apostata, aut fugitiuus bene tamen in casu necessitatis extra extremam. De casu autem grauisimæ necessitatis idem videtur dicendum, ac de graui, & ita eam cum graui confundunt Portellus relatus & alij. Vide Tamburinum *de iure Abbat. tom. 3. dispnt. 8. quest. 6.*
26. Religiosus extra Claustra delinquens, puniendus est iuxta modum præscriptum à Concilio Trident. *sess. 25. cap. 14.* scilicet. *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore infra tempus ab Episcopo præfixendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorera faciat, sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Vide Alder. *lib. 1. de Relig. discipl. cap. 3. à num. 35.*

Vbi etiam probat, non posse Ordinarium contra Religiosum componere processum, & si quos testes examinandos curauerit, vt de scandalo, & delicti notorietate constet, eorum depositionem tradendam esse Superiori, nec posse Religiosum ab Ordinario capi: quod si in ipso delicto fuerit comprehensus, ad ipsum Superiorem recta via deferendum. Vide dicenda *num. sequenti*. Quia tamen aliqui Superiores Religionum admoniti de delictis Religiosorum eos extra Episcoporum Diocesim ex industria impunitos transmittent, vel ipsi ad alias Prouincias se conferebant, & ita nec Religiosus delinquens ab Episcopo puniri poterat, nec Superior officio priuari, ideo Clemens Octauus in motu proprio anno 1596. edito, qui incipit, *Suscepti muneris*, & est inter Bullas huius Pontificis 39. precipit Omnibus, & singulis cuiuscunque Ordinis Superioribus in virtute sanctae obedientiae, & sub indignationis Apostolicae, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis poenis, vt iuxta praedictum Decretum, quilibet ipsorum, Regularem non subditum Episcopo, intra Claustra degentem, & extra ea ita notorie delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante intra tempus ab Episcopo praefigendum seuerè puniat, ac de punitione Episcopum certiore faciat, & alias Decretum ipsum, in omnibus, & per omnia exequatur. Ceterum si Superior in Regularem delinquentem non animaduertit, quinimmo si illum impunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episcopi Diocesim, vt praefertur, transmiserit, voluit, & simili motu, atque auctoritate decreuit, vt Superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo praefigendum, & sub eisdem indignationis, ac priuationis dignitatum, & officiorum, nec non & sub inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac vltius priuationis actiuae, & passivae vocis ad quas a nemine praeterquam a Romano Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis poenis, ipsum Regularem delinquentem a loco ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit constituere, seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere praetermiserit, per praesentes similiter statuit, vt Ordinarius loci ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super praemissis ab ipso Ordinario loci in quo deliquit similiter requisitus, vel alias de illius delicto informatus, vt praefertur, tanquam Sedis Apostolicae Delegatus praedictum Concilij Decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat. Quarantia in *Summa Bullar. verb. Exemptio*. Vide dicta supra *cap. 11. num. 8.*

- 27 Circa quae aduerte primò, neque Decreto Concilij, neque Clementis, concedi Episcopo, quod possit per se, vel per alios ad capturam Religiosi etiam notorie delinquentis procedere, sed solum quod debeat instare Praelato pro punitione ipsius, Laurentius de Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in Constitut. 2. Sixti IV. §. 11. à num. 62.* licet oppositum satis probabiliter teneant Barbosa *de potest. Episcopi par. 3. Allegat. 106. num. 19.* & Portellus in *Additionibus ad Dubia Regularium verb. punitione Relig. extra Conuentum num. 17.* quod intelligo in casu quod Episcopus timeret fugam Religiosi. Secundò, quod ad hoc quod Episcopus teneatur instare Praelato, vt puniat Religiosum, debet delictum eius esse notorium, & scandalosum populo, sic enim dicitur in Decreto Concilij: vnde non sufficit, quod tale delictum sit notum alicui, vel aliquibus paucis. Peirinis *num. 63.* Aduerte tertio Constitutionem praedictam Clem. VII. solum procedere, quando Superior Religiosi notorie delinquentis transmittit illum in alium locum, eo fine, vt impunitus remaneat: secus, quando remittit illum in poenam delicti commissi, vel vt decentius puniatur. Rodriguez *tom. 2. q. Regul. q. 2. art. 6.* Peirinis *vt supra num. 69.* Quid verò dicendum sit in casu, quo Regularis exemptus percuteret clericum secularem, extra claustra in Diocesi Episcopi, an scilicet Episcopus possit illum denunciare excommunicatum, ex dictis supra *num. praeced. & cap. 11. praefertim num. 14. & 15.* decidi potest. Lege Sorbum in *Compend. Priuileg. Mendicant. verbo exemptus.*
- 28 Accedite ad Iapponium, & Regiones propinquas prohibitum est omnibus Religiosis, praeterquam Patribus Iesuitis à Gregorio XIII. anno 1585. Postea tamen Cle-

mens VIII. in Bulla edita anno 1600. quae incipit *Onerosa*, concedit facultatem omnibus, & singulis Mendicantium Ordinum Magistris, Ministris, seu Prioribus generalibus pro tempore existentibus, vt cum necessitas postularerit, quilibet Ordinis sui spectata vita, & eruditionis Religiosos, quos nimirum ad praedicta officia, & ministeria idoneos, & vtilis fore in Domino iudicauerint, per Lusitaniam dumtaxat, & suscepta inde nauigatione in Indias, & Ciuitatem Goam, atque ad Superiores Ordinum in illis partibus existentes transmutere, & tam ipsi sic transmittendi, quam alij supradictorum Ordinum Religiosi in eisdem Indiarum partibus existentes, & ad hoc munus obeundum à suis Magistris, Ministris, vel Prioribus Generalibus, seu alijs Superioribus, electi, & approbati, tam ad Iapponias praedictas, quam alias proximas, & adiacentes, etiam Chinam, & finitimorum, & terrarum Indiae Orientalis Insulas, Regiones, & Prouincias accedere. Deinde monet Superiores Religionum, vt curèt praedictas missiones vtilis esse ad infidelium conuersionem, ipsosque Religiosos missos, qualiter sub obedientia suorum Superiorum, & Ordinariorum esse debeant. Ac tandem praecipit quibuscunque Religiosis sub excommunicationis sententia Papae reseruata, & sub alijs poenis. Ne ex Insulis Philippinis, siue ex qualibet alia Indiarum Occidentalium, vel quae pro partibus Indiarum Occidentalium parte tunc habetur, parte ad illas pertinente, in Iapponias, ac alias illi proximas, adiacentes, & finitimas Insulas, Prouincias, & Regiones praedictas transire audeant. Et si qui aliter fecerint, redite teneantur, sub eisdem poenis, postea vero Paulus Quintus in Bulla, *Sedis Apostolica*, anno 1608. edita, quae habetur in *Append. ad 3. 10. Bullar. fol. 48.* concessit omnibus Religiosis, etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam, ad dictas Iapponicas, & alias Indiarum Orientalium Regiones accedere posse, seruata in reliquis dictarum litterarum Clemens VIII. forma.

- 29 Religiosi autem ad Indiarum partes ad Fidem Catholicam praedicandam, siue alia Ecclesiastica ministeria exercenda missi non possunt in itinere immorari, vel ad loca eis non destinata declinare, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. A Paul. V. in Bullam, *Accepimus*, anno 1609. quae est inter Bullas huius Pontificis *num. 56. in 3. tomo Bullar.*
- 30 Regulares extra Claustra, & obedientiam Religionum suarum viuentes, ab Episcopis non permittantur praedicare, etiam quorumlibet priuilegiorum praetextu donec ab ipsis Episcopis super ea re sancta Sedes Apostolica consulatur. Concilij Tridentini *sess. 5. c. 2.*
- 31 Bona Regularium extra Claustra suorum Regularium locorum, etiam de licentia suorum Superiorum, degentium, ad Cameram Apostolicam, tamquam spolia ipsius post ipsorum mortem spectant. Quia ita declarauit Gregor. XIII. in Bulla, *Officij nostri* anno 1677. edita in 2. tomo Bullarum inter Bullas huius Pontificis *num. 43.* Suarez *tom. 4. de Religion. tract. 8. lib. 3. cap. 2. num. 30.* Vide supra *num. 20. 21. & 22.*
- 32 Licet possunt Regulares mitti ad triremes propter graua delicta commissa. Ratio est, quia licet poena haec acerbissima sit, nihilominus consuetudine admittitur, & aliquo modo est necessaria quando delicta aliter castigari non possunt. Laurent. de Peirinis *tom. 1. de Subdit. quest. 1. de obedient. cap. 27.* Quiddam volunt ad triremes damnatos, esse prius degradandos. Francisc. Penna in 3. part. *directorijs Inquisitorum comment. 46.* Quicquid de hoc sit, Ministri trirerum verberantes Religiosos ad eas damnatos si modum non excedant, vel non verberent ex odio, & malignitate, aut tempus damnationis non sit completum, non incurrunt in excommunicationem Canonis. Sic enim consuetudine introductum videtur, praecipue quia ideo traduntur à Religionibus, vt sic puniantur. Nauarr. *Comment. 3. de regul. num. 52.* Mirand. *tom. 1. Manualis quest. 52. art. 8.* Non possunt à trireribus ad Religionem redeunt iterum admitti ad Altare sine dispensatione. Quia sunt infames iuris, & per consequens irregulares. Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 24. art. 6.* Tolet. in *Summalib. 1. cap. 62.* Probabile tamen mihi est Praelatos Regulares posse cum praedictis dispensare, cum iuxta dicenda *cap. 18. num. 40.* possint dispensare in omni irregularitate, excepta

excepta bigamia, mutilatione membrorum, & homicidio. Laurent. de Peirinis *et supra*. Cautè tamen in hoc procedendum est, si forte sit aliquid quod obstat in contrarium, quod nescio; maximè quoad forum exterius, aut ubi fuerit scandalum.

33 Nullus Regularis absque sui Superioris licentia potest se obsequio alicuius loci, vel personæ mancipare. Ita præcipitur in Conc. Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 4.* In hac tamen licentia concedenda cautissimè procedendum est, præsertim cum ex S. Congr. Decreto adducto *suprà num. 23.* concedere licentiam Religioso, ut maneat extra Conuentum pertineat ad eandem S. Congregationem. Qualiter autem possint Prælati Religionum prædictos Fratres alicuius extra Religionem seruitijs deputatos corrigere, & ad Ordinem reuocare: qualiter etiam nullus possit illos in focios assumere sine licentia Prælatorum, præter multa, de quibus Rodriguez *tom. 2. q. 64. art. 1.* & Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in Constitut. 2. July II. §. 11. num. 43.* extat etiam magna concessio Sixti IV. pro Carmelitis in Bulla, *Dum attenda*, in Specul. Ord. *fol. 89.* qua concedit, quòd generalis Magister, vel Priores Prouinciales, ac ipsorum Vicarij, illos ex Fratribus, de quibus auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, ac alijs quibuscumque prouisum existit, vel in posterum contigerit prouideri, corrigere, ac etiam, non obstante contradictione aliqua possint ad suum Ordinem reuocare; nec per litteras eiusdem Sedis, seu Legatorum ipsius, iam obtentas, vel de cætero obtinendas, aliquos de Fratribus ipsius Ordinis; præfatis Archiepiscopis, & Episcopis, aut alijs, teneantur in focios deputare, nisi dictæ litteræ Apostolicæ obtinendæ de indulto huiusmodi, & ordine ipso expressam fecerit mentionem, & aliàs id honestati Ordinis, & illorum saluti uiderint expedire. Addit insuper idem Pontifex ibidem; *Nullus autem Legatus etiam de latere nostro missus, auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ specialem de hoc indulto, & ordine nostro non facientium mentionem, nullusque Prælati, nec aliqua persona religiosa, vel secularis de Fratribus eiusdem Ordinis, ad sua, seu Ecclesie negotia procuranda, vel secum manendum aliquos assumere valeat, nisi quos Generalis Magister in toto Ordine, & Priores Prouinciales in suis Prouincijs ipsorum, tamquam idoneos, & discretos sibi duxerint assignandos, quos eos etiam subiicere volumus Ordinis disciplina.* Ex quibus colligi potest decisio cuiusdam casus, quem tractat Portel. in *respons. mor. tom. 2. casu 92.* de quodam Religioso, quem Commissarius Bullæ Cruciatæ contra voluntatem sui Prælati applicauerat ad sui obsequium mittendo illum ad quemdam locum pro negotio quodam peragendo. Dicendum enim est, propter adducta ex Conc. Trident. & ex priuilegio Sixti IV. relato, si talis Religio fruatur illo, id fieri non potuisse, nisi in casu quod Commissarius Cruciatæ haberet aliud priuilegium derogans Concilio, & præfato priuilegio Sixti IV. Portel. *sup.* Addens etiam in hoc non esse credendum dicto Commissario Cruciatæ nisi ostendisset tale priuilegium.

34 Quod Religiosi etiam extra Monasteria existentes, teneantur parere suorum Superiorum præceptis, eorumque censuris ligentur, diximus *c. 4. num. 37.* Pro illis, qui transeunt ex vna Religione ad aliam, animo non manendi in Claustis, vide dicenda *c. 22. n. 29.*

#### SVMMARIUM. CAP. XVII.

Religiosi ad Cardinalatum, Episcopatum, vel Abbatiam assumpti manent veri Religiosi. *n. 1.*

Non absoluntur à votis obedientiæ, paupertatis, & castitatis. *num. 2.*

Manet in illis votum obedientiæ respectu Papæ. *n. 3.*

Manet & votum castitatis magis roboratum. *n. 4.*

Manet etiam votum paupertatis, & quomodo. *n. 5.*

Quomodo possint disponere de rebus que habent. *Ibidem & num. 6.*

Non subiacent censuris & pœnis impostis in sua Religione. *num. 7.*

Qualiter teneantur ad obseruantias sue Religionis. *n. 8.*

An teneantur habere socium sue Religionis. *ibid.*

Habitus sui ordinis gestare debent, & quomodo. *n. 9.*

An teneantur ad alia vota Religionis præter tria. *n. 10.*

Quod officium canonicum recitare debeant. *n. 11.*

Bona ipsorum post mortem ad quem pertineant. *n. 12.*

Quid de Episcopo Titulari. *n. 13.*

Quid de bonis prius acquisitis. *n. 14.*

Quid dicendum de Religiosis ad prælaturas aliarum Religionum euectis. *n. 15.*

De obligatione Regularium qui fiunt Parochi, vel beneficiati. *num. 16.*

Que suppellex admittenda in præfatis assumptis. *n. 17.*

Quibus gratijs, & priuilegijs Religionum potantur. *n. 18.*

An possint secum dispensare in obseruantijs Regularibus. *num. 19.*

Religiosi Capellani Papæ vel Principum quibus subiiciantur. *num. 20.*

Assumpti præfati ad ordines suos reuertentes inhabiles sunt ad officia. *n. 21.*

An liceat Religioso desiderare, vel procurare episcopatum. *num. 22.*

### De obligationib. Regularium si fiant Cardinales, Episcopi, Abbates, &c. Cap. XVII.

1 Religiosi ad Cardinalatum, Episcopatum, vel Abbatiam extra Ordinem assumpti, manent veri Religiosi. Sumitur ex Glossa *c. 3. 16. q. 1. & in c. unico 18. q. 1.* & ratio est, quia dispositio ad aliquam perfectionem non tollitur ipsa adueniente, status autem Religiosus comparatur ad huiusmodi dignitates, sicut dispositio ad perfectionem. S. Thom. *2. 2. quæst. 185. art. 8.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16.*

2 Hinc primò Religiosi ad tales Dignitates assumpti, non absoluntur à votis Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis in professione emissis. tum quia, ut diximus, manent verè Religiosi, sicut antea; hæc verò vota sunt de essentia status Religiosi, *cap. cum ad Monasterium, in fin. de stat. Monach.* Tum quia cum assumuntur, non dispensantur in prædictis votis. D. Thom. cum Expositoribus *2. 2. quæst. 88. art. 11. ad 4. & quæst. 185. art. 8.* Henriquez *lib. 10. de Sacram. Ord. c. 32. num. 5.*

3 Votum autem obedientiæ, quod in prædictis manet, non est respectu Prælatorum ordinis, sed respectu Papæ, ita ut ultra generalem obedientiam debitam ab omnibus fidelibus Summo Pontifici, & ultra obligationem, quam alij Cardinales, Episcopi, & Abbates habent ad obediendum illi, teneantur ex vi voti obedientiæ in professione emissi, illi specialiter obedire. Ratio est, quia, ut vidimus *cap. quarto, num. 31.* Votum, quod religiosus emittit in professione, emittitur Papæ, qui est supremus Generalissimus omnium Religionum, ac proinde cum à Papæ subiectione non liberentur assumpti à religionibus, sed tantum ab inferioribus Prælati, manebit votum obedientiæ ipsorum respectu Papæ. Henriq. *lib. 10. de Sacram. ord. cap. 33.* Suarez *2. tom. de Relig. tract. de Voto lib. 6. c. 7. num. 10.*

4 Votum etiam Castitatis manet in prædictis assumptis à Religione, imò magis roboratum in Episcopis, eò quod per Episcopalem consecrationem manet persona magis dedicata, & consecrata Deo, ita ut grauius peccet Episcopus violando castitatem. Suarez *4. tom. de Religio. tract. 8. lib. 3. cap. 16.*

5 Quoad votum etiam Paupertatis manent prædicti obligati sicut antea. Tum propter eandem rationem. Tum quia per suprascriptas Dignitates non datur illis dominium bonorum Ecclesiasticorum, sed solum administratio ex voluntate Papæ, quod non repugnat voto paupertati. Lessius *2. de iust. cap. 40. dub. 14.* & alij. Quamuis Sorus, Vasquez, Diana, & alij quos sequuntur Tambur. *de iure Abb. 10. 3. disp. 3. q. 9. num. 3.* & Zacharias Pasqualigus *dec. 267.* oppositum velint. Hinc ea quæ acquirit in Episcopatu religiosus factus Episcopus, Cardinalis, vel Abbas, non sibi, sed Ecclesie cui præficitur acquirit. Sanch. *lib. 6. in Decalog. c. 6. n. 8.* Quod etiam de acquisitis iure hæreditatis intelligitur. Suarez *4. to. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 16. num. 14.* Etiam si fuerit



- rit religiosus Religionis non succedentis in hereditatem, quia iam est capax succedendi ratione Ecclesie, quam possidet. Suarez 4. tom. de Religio. tractat. 8. lib. 3. cap. 16. num. 15. Incipit autem Religiosus acquirere suae Ecclesie, à tempore confirmationis factae à Pontifice. Quia ex tunc est à iurisdictione religionis exemptus. Rodriquez tom. 2. Summ. c. 70. n. 6. & tom. 3. q. Regular. q. 69. art. 4. Sanchez lib. 7. in Decal. c. 23. num. 67. Hinc etiam nascitur quod non possit testari sine licentia Papae. Eò quod quidquid acquirit in Episcopatu, acquirit suae Ecclesie cum sola libera administratione, quae finitur in morte. D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 6. n. 10. Hinc quoque probabilis est, quod ea, quae Religiosus Episcopus prodigè, & superuacaneè consumit; teneatur ad restituendum, aut faciendum ea restitui, eo modo, quo possit, Ecclesie, cui erant acquisita. Eò quod administratio bonorum Episcopatus, quam habet, solum est ad bonos & honestos vsus. Valentia 2. 2. disp. 10. quest. 4. punct. 8. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 6. num. 13.
- 6 Potest tamen religiosus factus Episcopus disponere inter viuos de sui Episcopatus redditibus, eodem modo, quo Episcopus secularis. Ratio est, quia quamuis religiosus Episcopus non habeat verum dominium illorum reddituum (quidquid sit, an etiam Episcopus secularis illud non habeat) habet tamen liberam administrationem illorum in honestos vsus. Vnde vterque potest de illis disponere ad moderatam sui, & familiae sustentationem, secundum decentiam status, ad pia opera, eleemosynas, &cet. Lessius lib. 2. de Inst. c. 4. dub. 5. num. 29. Molina tom. 2. de Inst. disp. 276. vers. Religiosus in conuent. Imò potest in quouis opera, & quomodo voluerit expendere id, quod minus sumptu ferit de redditibus Episcopatus, quam in suam competentem sustentationem poterat licite expendere. Ratio est, quia iuste praesumitur Ecclesiam illi concedere talem licentiam. Nauarrus lib. de Redditibus Ecclesiasticis. q. 1. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 6. num. 14.
- 7 Quamuis praedicti assumpti ex religionibus ad dignitates Cardinalatus, Episcopatus, vel Abbatiae, sint obligati ad obseruantiam trium Votorum, vt dictum est num. 2. non tamen subiacent censuris, aut poenis impositis à religione contra transgressores. Eò quod non manent amplius sub iurisdictione religionis, aut Praelatorum ipsius. Sotus vlt. de Inst. q. vlt. art. vlt. Angles in florib. 2. p. quest. vnic. de vot. art. 25.
- 8 Tenentur tamen praedicti assumpti ad eas obseruantias Regulares siue regulae, siue Constitutionum, quae non impediunt munus, quod gerunt, quales sunt oratio, moderata abstinentia, ieiunia, &c. Ratio est, quia quemadmodum in naturalibus per aduentum formae perfectioris non excluduntur dispositiones conseruantes formam imperfectiorem, nisi quatenus repugnant formae perfectiori; ita etiam in moralibus, adueniente, verbi gratia, Episcopatu, qui est forma perfectior Monachismo, non destruantur dispositiones conseruantes, scilicet obseruantiae regulares, nisi quatenus repugnant illi. S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. Syluest. ver. Religio. 6. quest. 10. Huiusmodi autem obligatio, seu debitum solum est secundum decentiam, & honestatem; non tamen legale, aut obligans ad culpam, vel poenam. Ratio est, quia religiosus factus Cardinalis, Episcopus, vel Abbas extra Ordinem, eximitur, & liberatur à iugo religionis, c. vnic. 18. q. 1. Nauar. lib. 3. cons. in prima Edit. tit. de Regul. consil. 15. num. 11. in 2. tit. de donat. consil. 6. num. 11. Valentia 2. 2. disp. 10. q. 3. par. 8. De hoc etiam debito secundum decentiam, & honestatem, intelligo, quod aliqui Authores volunt, religiosum factum, verbi gratia, Episcopum, teneri habere secum locum sui Ordinis. Propter eandem rationem. Sotus vlt. de Inst. & iure q. vltima art. vlt. Valentia 2. 2. disp. 10. q. 3. par. 8. Hoc etiam de exemptione legali Episcopi ab obseruantijs regularibus, probabilis est etiam extendi ad Episcopum titulare, & ad illum qui Episcopatum renunciauit. Ratio est, quia isti omnino legitime dispensati sunt, & exempti ratione Dignitatis Episcopalis ab huiusmodi obseruantijs: dum ergo perseverauerit ista dignitas perseverat dispensatio. Praetertim, quia Episcopi titulares creantur, vt adiuuent alios Episcopos oues habentes in Pontificalibus, ministrando Ordines, Confirmationem, &c. De prioribus Azor. tom. 1. inst. mo-

val. lib. 12. c. 10. q. 7. De posterioribus Aragon. 2. 2. q. 88. art. 11. Et de vtriusque lib. 6. in Decalog. c. 6. à num. 26. Ad dens bene num. 30. quòd si propria culpa degradarentur, cessaret dictum priuilegium Exemptionis.

- 9 Praedicti etiam assumpti tenentur habitum suae religionis ex praecipuo portare. Ratio est, quia obligatio portandi illum non est ex solo mandato Regulae, aut Constitutionum, sed ex iure Canonico, vt constat ex c. penultim. finali de vita, & honest. Cleric. & etiam ex consuetudine rationabili, eò quod habitus religiosus est signum obligationis ad vota Regularia. Sà in Summ. v. Episcopus. Henriquez lib. 10. de Sacram. Ord. cap. 23. num. 5. Concessum tamen est Episcopis regularibus à Clemente VIII. in Rituali Romano reformato, vt retento colore habitus suae religionis, possint se conformare cum Episcopis saecularibus in forma, seu figura illius. Sanchez lib. 6. in Decal. c. 6. num. 22. Cardinales etiam ex Ordinibus regularibus assumpti possunt portare birrerum rubrum, ex concessione Gregorij XIV. anno 1591. die 9. Iunij Laertius in 2. tom. Bulla fol. 696. Probabilis autem est praedictos assumptos, etiam si habitum suae Religionis dimiserint, non incidere in excommunicationem à iure latam contra religiosos habitum suae professionis dimittentes, de qua nos supra c. 13. Eò quod textus in c. 2. ne clericus vel monachi in 6. vbi talis excommunicatio statuitur, solum videtur loqui de religioso sub obedientia Superioris Regularis existente. Rodriquez tom. 2. q. 58. art. 3. Bonacina de clausura q. 2. punct. 2. num. 26. Diana tract. 2. de Dub. Regul. resol. 50. Loquimur autem de religiosis assumptis ad Episcopatum, vel Cardinalatum, non de promotis ad Parochiale munus. Quia isti simpliciter sunt subiecti Religioni, & ita incident in praedictam excommunicationem. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 6. num. 36. Bonacina vt supra num. 25.
- 10 Vota alia solemnia, praeter tria generalia, quae solent in aliquibus Religionibus emitti, quale est Minimorum de vita quadragesimali, & Patrum Societatis de obediendo specialiter Summo Pontifici circa missiones, probabile est non obligare religiosos assumptos ad dignitates praedictas. Ratio est, quia illa vota emittuntur, vt annexa, & accessoria Regulae, quam profitentur religiosi, & ad perfectionem illius. Cum ergo tales assumpti maneant liberi ab obligatione regulae (nisi solum secundum decentiam, vt dictum est) ideo etiam manebunt liberi ab huiusmodi Votis. Praetertim, quia credendum est solum ea emisisse religiosum pro tempore, quo est sub iugo religionis. Sanchez lib. 6. in Decal. c. 6. num. 15. Oppositum etiam est probabile, & infertur ex doctrina Soti vlt. de inst. & iur. quest. vlt. art. vlt. Suarez 4. 10. de Relig. trac. 8. lib. 3. c. 17. num. 8.
- 11 Praedicti etiam assumpti ex Religionibus ad Episcopatum, vel Abbatiae dignitates non tenentur soluere Officium Diuinum iuxta ritum suae Religionis, sed suae Ecclesiae, cum constituentur capita illius. Sanchez lib. 6. in Decal. c. 6. num. 25. Azor. lib. 12. Instit. moral. c. 7. q. 4. Diana tract. 2. de Dubijs Regul. resol. 50. Vnde occurrente festo Regulae in festo Diocesis, hoc debet praeferrri. Gauantus in Comment. in Rubric. Breviary tom. 2. sect. 1. cap. 5. tit. 2. num. 2. Idem credo de assumptis ad Cardinalatum, quia sunt quasi Episcopi in Ecclesijs suorum titularum, & praecipue, quia eximuntur ab obseruantijs religionis nisi solum secundum decentiam, vt diximus supra num. 8. quarum vna est specialis modus recirandi Officium Diuinum.
- 12 Bona Religiosorum, qui ad praedictas dignitates Episcopatus, vel Abbatiae sunt assumpti, pertinent iure communi post eorum mortem ad Ecclesias quibus praefecti erant. Tum quia ita dicitur cap. vnic. 18. q. 1. Tum quia praedictis Ecclesijs, non sibi, aut Monasterijs adquirunt, iuxta dicta supra n. 5. D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 8. Sotus 10. de Inst. quest. vlt. artic. vlt. ad 3. Quod etiam intelligitur de bonis, quae iure haereditario ad ipsos post assumptionem ad praedictas dignitates deuenierunt, & de acquisitis donatione, propria industria, aut labore. Propter eadem fundamenta. Lessius 2. de inst. cap. 41. dub. 11. num. 92. Azor. tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 10. q. 6. An verò hoc etiam sit verum supposita Constitutione Gregor. XIII. circa spolia regularium extra claustra decedentium, de qua nos cap. praeced. num. 31. aliorum iudicio remitto. Vide Barbosa de potest. Episcop. al. legat. 11. q. num. 28.

- 13 Episcopum autem titularem regularem, quidam dicunt acquirere Summo Pontifici, quia illi immediatè subest. Barboſa de potest. Episcop. allegat. 1. 14. num. 31. Quidam acquirere Religioni, cum nullam sedem habeat cui possit acquirere. Sorus 10. de iust. q. ult. art. ult. Sa in summa verb. Religio. num. 52. Quidam verò dicunt per se, & ex vi iuris acquirere illi Ecclesie cuius titulum habet, quia verò non possunt illi cum effectu applicari talia bona, in opera pia dispensanda esse. Suarez 4. tom. de Relig. tr. 8. li. 3. c. 17. n. 5.
- 14 Ea autem, quæ Religiosi ante assumptionem ad prædictas Dignitates Cardinalatus, Episcopatus, vel Abbatie adquisierunt, ad Conuentum, vel Religionem spectant. Tum quia habetur in capitulo statutum, tum quia cum illa adquisierint quando erant membra Religionis, ipsi debebant acquirere, sicut alij Religiosi. Quod etiam concessit Clemens IV. Ordini Prædicatorum, & Alexander IV. Minoribus. D. Antonin. in tract. de suspensione. c. 4. num. 20. Suarez 4. to. de Religio. tract. 8. lib. 3. c. 16. num. 22. Casarub. in Compend. priuileg. Mendic. verb. Episcopus num. 2. Vnde consequenter Religiosus factus Episcopus hac lege ligatur, vt omnia quæ habet debeat Monasterio consignare, antequam ad eam dignitatem ascendat. Henric. de Sacram. Ord. cap. 33. num. 4. Rodrig. tom. 3. q. regul. q. 58. art. 6. Peyrin. 10. 1. de subdito q. 1. cap. 10. §. vnic. concl. 2. Tambur. de iure Abb. tom. 3. disp. 3. q. 9. num. 8. Si verò talis Religiosus fuerit ex Ordine Prædicatorum si priusquam consecraretur non resignauerit Religioni libros, & alia quæ habet tempore suæ promotionis, non solum peccat mortaliter, sed etiam eo ipso est suspensus ab executione Pontificalis ministerij, propter priuilegium relatum Clem. IV. & Alex. IV. Henric. Peyrin. & Tambur. relati. Gaudent autem hoc priuilegio, Carmel. & alij qui habent communicationem priuilegiorum cum Dominicis. Passar. in Compend. priu. Minim. pag. 35. Peyrin. & Tambur. Addit Peyrin. quod si in aliqua religione sit Statutum quod nullus audeat consentire electioni, vel prouisioni de se factæ nisi prius facta restitutione Ordini omnium quæ habet tempore quo consentit, si non præmissa tali restitutione consentit incidet in poenas talis Statuti, etiam si Papa illum in Consistorio Episcopum pronunciauerit.
- 15 Religiosi ad Prælaturas alterius Religionis euecti auctoritate Pontificia, tenentur non solum votis cõmunibus Religiosorum; eò quòd maheant veri Religiosi, sed etiam specialibus suæ Religionis, quæ non contradicunt muneris, quod gerunt. Non enim est aliqua ratio cur credantur in eis dispensari à Pontifice cum ad prædictas Prælaturas alterius religionis assumuntur. Regula etiam, Obseruantijs, & Constitutionibus suæ religionis, quatenus non contradicunt muneris, quod gerunt, aut inter subditos Religiosos, quos regunt, non generant notabilem singularitatem, eodẽ modo tenentur sicut antea, propter eandem rationem. Quoad habitum portandum, & socium suæ Religionis habendum, attendi debet ad vsus Religionis ad cuius regimen assumuntur. Quoad Officij Diuini recitationem conformari debent Religiosis, cum quibus degunt. Quia, & hoc æquitas rationis postulat, & ad bonum regimen illorum spectat. Hæc inferuntur ex dictis, auctores enim parum confusè de huiusmodi Religiosis loquuntur. Ea autem, quæ prædicti acquirunt ratione Prælati, quam gerunt, at religionis, cuius Religiosos gubernant, pertinent ad prædictam Religionem; quæ verò simpliciter, vel alio titulo, aut respectu personæ vel religionis ex qua sunt assumpti, acquirunt prædictæ Religionis vnde sunt assumpti, & pro illa acquisita censeri debent. Sanchez lib. 7. in Decal. c. 32. num. ult.
- 16 Religiosi facti Parochi alicuius Ecclesie, vel ad alia beneficia inferiora prouecti extra Religionem, non solum tenentur votis religionis generalibus, & præcepto portandi habitum, sicut diximus de Episcopis, Cardinalibus, & Abbatibus supra num. 2. & 9. sed etiam votis specialibus, Obseruantijs Regularibus, & Constitutionibus suarum Religionum, quatenus non repugnant muneris, quod gerunt. Cum nulla sit ratio quare ab illis excusentur. Syluest. ver. Religio 7. q. 11. Azor. lib. 12. institut. moral. cap. 19. q. 15. Non verò tenentur soluere Officium Diuinum iuxta Ritus suæ religionis, sed Ecclesiarum, quibus seruiunt. Quia hoc exigit æquitas, & munus pastoris, quod habent in illis. Rosella verbo Monach. num. 5. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 6. n. 33.

Videtur tamen necessarium ex præcept. Ecclesie in cap. 2. de stat. Monach. & cap. quod Dei timorem eod. tit. habere socium sui Ordinis. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 6. num. ult. im. Regulariter etiam ea quæ acquirunt, acquirunt Ecclesie cui seruiunt, non religioni. Tum à simili de Episcopo, tum quia cum iam sint capiti, & pastores illarum Ecclesiarum, æquitas postulat, vt illis adquirant. Nauar. lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de Regul. cons. 70. num. 6. in 2. tit. de stat. Monach. cons. 12. num. 6. Rodrigu. tom. 2. quest. Regular. q. 47. art. 7. Nisi placeat loqui cum eadem distinctione, qua locuti sumus de Religiosis assumptis ad Prælaturas alterius Ordinis supra num. 15. Vide Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 32. num. 76. Pro alijs etiam obligationibus Parochorum Regularum vide Gauantum in Manual. Episcop. verb. Parochorum munera præsertim à num. 28. & dicta à nobis cap. 11. num. 7. & 9. Vide & dicenda tom. 2. cap. 18.

- 27 Prædicti assumpti ex Religionibus ad Cardinalatum, Episcopatum, Abbatiam, vel Parochiam, qui ditiores suppellectilem, & ampliores familiam habent, quam decet, peccant magis, quam alij Episcopi, Cardinales, Abbates, Parochi, &c. Ratio sumitur ex voto paupertatis, quod prædicti Religiosi in sua professione emisserunt, & à quo non sunt absoluti per assumptionem Suarez 4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 16. num. 30.
- 18 Prædicti etiam assumpti gaudent gratijs, & priuilegijs suæ Religionis, quæ respiciunt commodum animæ, vel corporis ipsorum, non autem quæ redundant in damnum, aut incommodum religionis, aut Monasterij. Ratio primæ partis est, quia verè manent Religiosi, & fauores sunt ampliandi. Ratio verò secundæ; quia huiusmodi priuilegia, & gratia semper conceduntur in fauorem Religionis, non in damnum, aut onus. Pro quo extat declaratio Sixti IV. in monumentis Minimorum concessis. 365. Suar. tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 18.
- 19 In casibus, in quibus Prælati Religionum possunt dispensare cum Monachis quoad obseruantias Regulares, potest Religiosus Episcopus (idem dico de Cardinalibus, & Abbatibus) secum dispensare. Quia hoc videtur rationi naturali congruum, ne teneatur adire Superiorem Religionis. Toletus in summ. lib. 4. cap. 4.
- 20 Religiosi cuiuscumque ordinis, etiam mendicantium, quamuis Sedis Apostolicæ sint Capellani, eorum superioribus subiecti manent, ac si prædictæ Sedis Apostolicæ non essent. Ita statuit Gregor. XI. anno 1373. in Bulla Per Romani Pontificis. Hoc etiam intelligo de Capellanis Regum, aut Principum. Flau. Cherub. in Compend. Bull. tom. 1.
- 21 Archiepiscopi, & Episcopi cuiuscumque ordinis professores, postquam munus consecrationis susceperint, etsi à vinculo Ecclesie, cui præfuerant, per Sedem Apostolicam fuerint absoluti; & facultatem reuertendi ad suam Religionem, ab ipsa habuerint, ad dignitates, officia, seu Superioritates in illa obtinendas, sunt inhabiles. Ita Paul. IV. in Bulla, quæ incipit In Sacra ann. 1559. habetur p. t. Bullar. Laertij Cherubin. punct. vltim. Quaranta in summ. Bullar. verb. electio. Laurentius de Peirinis tom. 1. priuileg. Minims. in constit. 4. Sixti IV. §. 10. num. 44.
- 22 Quamuis status Episcoporum perfectior sit statu quorumcumque Religiosorum iuxta dicta c. 1. num. 1. de quo Suarez 3. tomo de Religione, lib. 1. cap. 18. Tum quia status Religiosus est perfectionis acquirenda; status verò Episcopalis est perfectionis exercenda. Tum quia Episcopi ex vi sui status ad excellentissima opera exercenda ordinantur, nempe ad docendum, prædicandum, & illuminandum, ad quæ ex vi status non ordinantur Religiosi nisi solum ministerialiter. Suarez vt supra. Nihilominus non propterea licitum est, Regulariter loquendo, appetere, & multò minus procurare Religiosum Episcopalem dignitatem. Ratio est, tum propter magnam pericula animæ, & etiam corporis, quæ regulariter loquendo, sapissimè occurrunt in recta administratione ipsius: tum quia vix sine præsumptione, aut superbia tam altus gradus dignitatis appeti potest. Sanctus Thomas 2. 2. q. 185. art. 1. Sorus 10. de iust. & iure q. 2. art. 1. Dixi regulariter loquendo, quia in casu necessitatis Ecclesie, quando scilicet nullus esset, qui Episcopatum dignè administrare posset, aut veller, propter pericula, tunc licitè posset Religiosus illum appetere.
- Quia

Quia bonum commune est priuato anteponendum, ac proinde priuatum periculum, tunc negligendum; diuinæ gratiæ, & auxilio diuino imittendo. Sanctus Thomas, & Sotus vt supra. Valentia 3. 10. disp. 10. q. 3. punct. 2. conclus. 3. Pro quorum maiori luce distinguendum est. Primum enim indignus Episcopatu, vel quia illiteratus, vel vitiosus est, Episcopatum desiderans grauissimè peccat mortaliter, quia appetit id, quod non potest sine peccato mortali administrare. Toletus in summa lib. 5. c. 3. §. prima est. Deinde etiam, qui dignus est, & appetit Episcopatum propter redditus temporales tamquam finem, etiam mortaliter peccat. Ratio est, non solum quia peruersè vult rem spiritualem, & superioris Ordinis, esse medium in ordine ad rem temporalem, & inferioris Ordinis, sed etiam quia sic faciens, & ex vi talis ordinationis paratus est, si necessè fuerit Dignitatem Episcopalem negligere, si bona temporalia non obtinentur. Sotus vt supra. Syluester verbo Episcopatus §. 4. Tertio, qui appeteret Episcopatum (quamuis dignus) propter redditus, aut commoda temporalia, non tamquam finem ipsius Episcopatus, sed tamquam finem ipsius appetitionis, saltem secundarium, etsi non peccaret mortaliter, cum non appeteret spiritualia propter temporalia, ad minus tamen peccaret venialiter, quia tale desiderium ambitionis, auaritiæ, vel præsumptionis esset. Valentia vt supra §. nihilominus. Quarto, qui etsi dignus, efficaciter appeteret Episcopatum, non propter malum aliquem, aut inordinatum finem, sed propter salutem animarum procurandam, adhuc peccaret. Eò quod magno periculo salutis quale in administratione Episcopatus occurrit, se obijcere præsumptuosum, & temerarium est. S. Thom. vt supra. Valentia vt supra §. nihilominus tres. Neque obstat illud ad Timotheum 3. qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Quia illud solum est verum tempore necessitatis Ecclesiæ, quale erat quando Sanctus Paulus id dixit. Præsertim quia Apostolus non dixit eum, qui Episcopatum desiderat, bene desiderat, sed bonum opus desiderat. Nam opus quod materialiter est bonum, si desideretur temerariè præsumptuosè, & imprudenter, absdubiè, illicitè, & peccaminosè desideratur. Valentia vt supra §. casus autem. Toletus vt supra num. 4. An verò hoc sit peccatum mortale, aut solum veniale? Probabilius est sapius esse peccatum mortale. Syluester verb. superbia num. 7. Vide Sotus vt supra dicit esse perinde atque se in fluium cum periculo, & sine necessitate conijcere. Valentia vt supra §. 2. conclusio. Quod si dicas. Ego me credo sobrium, pudicum, &c. cum alijs conditionibus à S. Paul. 1. ad Timoth. 3. pro Episcopo requisitis, & Episcopatum pro salute animarum desidero, & spero de Dei gratia mihi affuturum, quid ergo mihi deest cur illum concupiscere non possim? Dico, si circa hoc Dei reuelationem habueris, credam tibi; si non habueris, non consentio. Credam potius te humilem non esse, qui talia de te cogitas; nec Sanctum; cum veri Sancti Episcopatum laudabiliter fugerint.

29 Vide dicenda de Episcopis non admittendis ad Religionem cap. 24. num. 11. & de illo, qui post votum religionis Episcopus electus est eod. cap. 24. num. 27. Qualiter etiam nouitius potest eligi ad Episcopatum ibid. num. 37.

### SVMMARIVM CAP. XVIII.

Pralati Regulares habent iurisdictionem ordinariam in subditos. n. 1.

Iurisdictionem etiam quasi Episcopalem. n. 2.

Nomine Pralatorum in privilegijs qui intelligantur. n. 3.

Facultates concessæ Pralatis in privilegijs an delegari possint. n. 4.

Quæ conditiones requirantur ad Pralatos eligendos. n. 5.

Debent esse litterati. n. 6.

Illegitimi non possunt admitti. n. 7.

Nec homicidæ. n. 8.

Quæ antiquitas in ordinibus exigatur. n. 9.

Quantum debeant durare in officijs. n. 10.

Conuenientius est quod supremi Pralati Religionum sint perpetui. ibid.

Tenantur Pralati legibus, & obseruantijs religionum. num. 11.

Ad residentiam etiam obligantur. n. 12.

Habent potestatem administrandi bona Monasteriorum, & qualiter. n. 13.

Tenantur procurare obseruantiam vite communis in subditis. n. 14.

Qualiter teneantur ad correctionem subditorum. n. 15.

Punire possunt illos, & quibus supplicijs. n. 16.

Qualiter procedere debeant ad cognoscenda illorum crimina ibid. & n. 17.

In causis tamen spectantibus ad tribunal S. Inquisitionis quid facere teneantur. n. 18.

Possunt reseruare sibi aliquos casus. n. 19.

Quæ sint hi casus reseruabiles. n. 20.

An possint alios reseruare. ibid. & n. 21.

Possunt imponere censuras, & qui. n. 22.

Non possunt excimere Religiosum ab obedientia sui Pralati immediati. n. 23.

Nec prouinciam fundare, aut diuidere. n. 24.

Habent iurisdictionem ordinariam delegabilem ad absoluen- dum sibi subditos. n. 25.

Illis solum vel ab ipsis delegatis possunt Religiosi confiteri. num. 26.

An etiam Pœnitentiarijs Papæ. ibid.

Quales debeant esse confessarij Religiosorum. n. 27.

A quibus casibus absoluant Pralati suos subditos. n. 28.

Cui teneantur Religiosi confiteri sua peccata. n. 29.

An possint Pralati absolvere a censuris Papæ reseruatis. num. 30.

An à casibus eidem reseruatis. n. 31.

An ex privilegio Pij V. ibid.

An ex privilegio Eugenij IV. n. 32.

Sixti IV. privilegium pro Carmelitis. n. 33.

Eiusdem Sixti IV. privilegium pro Dominicis. n. 34.

Gregorij IV. privilegium pro clericis ministrantibus infirmis. n. 35.

An à censuris Papæ reseruatis absoluant Pralati. n. 36.

An à censuris ab homine latis. n. 37.

Non à censuris, & casibus contentis in Bulla cœnæ. n. 38.

An à censuris propter simoniam. n. 39.

Quid possint Pralati pro dispensatione in irregularitatibus. n. 40.

Animaduertienda pro absoluteione, & dispensatione. n. 41.

Dispensatio sine causa concessa, illicita, & inualida est. num. 42.

Quid circa irregularitates aduertendum. ibid.

Nomine homicidij voluntarij quid intelligatur. n. 43.

An illud dispensari possit. n. 44.

Quid intelligatur per particulam in foro conscientie. num. 45.

An in penis priuationum inhabilitatum, &c. dispensent Pralati. n. 46.

Quid de irritatione votorum sit dicendum. n. 47.

Quid de commutatione illorum. n. 48.

Quid de dispensatione. n. 49.

Maximè de voto transeundi ad arctiorem Religionem. num. 50.

Quæ conditiones requirantur ad dispensandum. n. 51.

Vota ipsorum Pralatorum à quibus dispensari possint. num. 52.

Quid dicendum de iuramentis, seu votis iuratis. n. 53.

An dispensent Pralati in obseruantijs regularibus. n. 54.

An in præceptis Ecclesiasticis. n. 55.

Possunt privilegia Religionum limitare, restringere, imò etiam tollere. n. 56.

An possint benedicere Ecclesiastica ornamenta. n. 57.

An consecrare calices, aras, & patenas. n. 58.

Quid de benedictione, seu reconciliatione Ecclesiarum. num. 59.

An illegitimi possint dispensari à suis Pralatis. n. 60.

An illegitimus dispensatus in seculo indigeat noua dispensatione in Religione. n. 61.

Officia ad quæ illegitimi non possunt promoueri sine dispensatione. n. 62.

Quando Pralatus censeatur dispensare cum Subdito, cui confert aliquod officium. n. 63.

Aliqui Abbates primam tonsuram & minores ordines confert. n. 64.

Quid circa hoc decreuerit Conc. Trid. n. 65.

Reci-

Recipere & professare nouitios pertinet ad Prælatos cum monasterijs. n.66.  
 An possint applicare bona opera suorum subditorum alijs. num.67.  
 Visitare monasteria qualiter teneantur Generales, & Prouinciales. n.68.  
 Tenentur procurare ut officium diuinum debitis horis soluantur. n.69.  
 Non censentur immunes à seruitio chori. n.70.  
 Nec possunt concedere stabilia bona suis fratribus. n.71.  
 Vitam communem obseruare debent in cibo, & potu. n.72.  
 Circa redditus aut præstationes quas aliqui solent habere quid præcipiatur à Summis Pontificibus. n.73.  
 De administratione bonorum Monasterij tribus fratribus committenda. n.74.  
 Prædicti tres qualiter se debeant gerere in dicta administratione. n.75.  
 Prohibentur interpretari decreta Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum. num.76.  
 Qua interpretatio sit illis prohibita. ibid.  
 De cellis & suppellectilibus ipsarum quid illis præceptum. num.77.  
 Non possunt permittere largitiones munerum. n.78.  
 Quid de examinatis destinandis in Religionibus. num.79.  
 Pro obseruantia Regulae & constitutionum qualiter admo-ueantur à Summis Pontificibus. n.80.  
 Possunt Prælati sibi confessores eligere quos uoluerint. n.81.  
 Non possunt ad instantiam & requisitionem extraneorum alicui Religioso officium aliquod concedere, vel pœnas remittere. n.82.  
 Quid facere debent Prælati circa receptionem criminoso-rum confugientium ad eorum Ecclesias. n.83.  
 An Religiosi gaudeant immunitate Ecclesiarum. ibid.  
 Tenentur superiores Religionum instituere studia. n.84.  
 Studia etiam linguarum, hebraice, graecæ &c. n.85.  
 Prælati inferiores quid possint circa leges Superiorum. num.86.  
 Quid Superiores circa leges inferiorum Prælatorum. num.87.  
 De confraternitatibus instituendis à Prælati Regularium. num.88.  
 De indulgentijs illis applicandis. ibid. & n.89.  
 An Prælati possint condere leges, aut præcepta. n.90.  
 Possint transferre subditos de uno loco in alium. n.91.  
 Visitare Prouincias, vel Monasteria per se, vel per alios. num.92.  
 Absolutiones, & dispensationes quas tunc concedunt quantum inueniunt. n.93.  
 An possint commutare legata ad unum usum in alium. num.94.  
 Possunt aliqui ipsorum constituere fratres in notarios pro intimandis priuilegijs Religionis. n.95.  
 An possint concedere facultatem legendi libros prohibitos. num.96.  
 An possit vnus Prælatus duas vel plures prælaturas habere. num.97.  
 Generalis Carmelitarum instituere potest Prouinciales titulares. num.98.  
 Non possunt superiores mittere fratres ad partes transmarinas in quibus pauci fideles reperiuntur nisi &c. n.99.  
 Tenentur semel in anno, & in quocumque capitulo suos subditos commouere de obseruantia Constitutionum, & decretorum ad Officium Sancti Inquisitionis pertinentium. n.100.  
 De alijs facultatibus prælatorum regularium. n.101.  
 An teneantur facere professionem fidei. n.102.

De obligationibus Prælatorum Regularium, facultatibus, & Priuilegijs ipsorum. Cap. XVIII.

**P**ro comperto est, Religiosorum familijs præfici debere Prælatos, & Superiores, qui ipsos spiritualiter, & temporaliter regant. Tum ex illo Prouer. 11. *Vbi non est*

Gubernator, populus corruet. Tum quia id exigit Obedientia Votum, quod Regulares emittunt. Habent autem prædicti Prælati, & Superiores Religiosorum non solum potestatem dominatiuam, qualem habent Patres familias in suos, sed etiam Spiritualem iurisdictionem; cum utrumque sit necessarium ad rectam gubernationem, Oeconomiamque spiritualem, & temporalem Religiosorum. Hæc verò Spiritualem Iurisdictionem, saltem de iure Ecclesiastico, & à Summis Pontificibus deriuata illis conuenit. Eò enim ipso quod Religiosos ab Episcoporum ordinaria Iurisdictione exemerunt illam Prælati ipsorum concessisse censentur. Suarez 4. tom. de relig. tr. 8. lib. 2. c. 1. Imò hanc Iurisdictionem ordinariam esse, & non delegatam, eo quod competit ipsis virtute legis, vel consuetudinis, non autem ex commissione saltem temporali, est communiter receptum. Nauarr. comm. 2. de Regul. à num. 63. & comm. 3. à num. 40.

**2** Hinc huiusmodi Prælati, tam supremi, puta Generales, & Prouinciales, quàm infimi, videlicet Priores, Guardiani, Rectores, &c. habent in suos subditos Iurisdictionem quasi Episcopalem, vt tradunt communiter Authores in Clem. 1. de reb. Eccles. non alien. verb. proprijs. & sumitur ex c. Abbatis de priuileg. in 6. Et ratio est, quia cum prædicti omnes non subdantur Episcopis, sed immediatè Papæ, loco ipsorum succedunt quoad regimen suorum subditorum, ac proinde habent quasi Episcopalem iurisdictionem, Suarez tomo quarto de Relig. tractat. 8. lib. 2. cap. 2. & 13.

**3** Quando in priuilegijs Religiosorum conceditur aliqua facultas, seu potestas Prælati, nisi aliud exprimat, intelliguntur etiam Prælati Conuentuales, cum ipsi sint veri Prælati, & indefinita æquiualeat vniuersali. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 22. Si priuilegium conceditur Prælato inferiori, censetur etiam concedi Superiori, quia recta ratio dicitur ita esse intelligendam mentem Pontificis. Suar. 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 22. num. 2. Extenduntur etiam priuilegia ista ad Vicarios Conuentuum, illos scilicet, qui in Conuentibus ipsis non habent Superiorem. Quia isti etiam sunt veri Prælati. Rodriquez. 10. 1. q. 20. art. 2. & 3. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 22. num. 6. Secus dici debet de quibusdam Vicarijs quarundam Religionum, qui non sunt verè Prælati, sed instituti, vt adiuuent Prælatos, vt sunt Vicarij Chori, &c. Rodriq. tom. 1. quæst. 17. artic. 6.

**4** Similiter facultates concessæ Prælati Religiosorum in priuilegijs Pontificum, nisi oppositum declaratur, possunt ab ipsis alijs delegari. Tum propter aliqua priuilegia quæ hoc concedunt. Tum quia Commissarius ex priuilegio perpetuo potest alteri suas vices committere. Cordub. in summ. Hisp. q. 8. Suarez. 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 22. num. 8.

**5** Vt aliquis eligatur in Prælaturam alicuius Religionis, præter illas condiciones, quæ secundum iura particularium Religionum sunt necessariae, & præter illas, quas adduximus supra cap. 15. num. 25. requiritur quòd habeat legitimam ætatem, quæ ad minus debet esse viginti quinque annorum, iuxta cap. cum in cunctis de elect. confirmatum à Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reformat. Deinde debet esse Sacerdos ex cap. 1. de etat. & qualit. Quod intelligitur, vel quòd sit Sacerdos quando eligitur, vel saltem postea fiat talis. Suarez 4. tom. de Religion. tract. 8. lib. 2. cap. 3. Probabile etiam est, loquendo de Generalibus, & Prouincialibus Religionum, requiri ad talia officia ætatem triginta annorum. Quia in cap. cum in cunctis de elect. & alibi requiritur ad Episcopatum illa ætas: ij verò Prælati præcipuè habent quasi Episcopalem Iurisdictionem. Miranda in Man. tomo 2. quæst. 3. art. 1. Caterum Sigismund. de Bononia de elec. dub. 62. num. 1. dicit hoc solum esse de honestate, non de necessitate. Quod & sequitur Bordon. in resol. 21. num. 23. ac Lauor. in suis lucubr. tit. 4. c. 16. num. 6. & propterea etiam est probabile, non requiri, pro Prouincialatu maximè, dictam ætatem triginta annorum, sed minorem sufficere. In ætate autem à iure pro Prælati requisita, nequeunt Superiores Religionum dispensare, propter c. cum in nobis olim. de elect. & c. licet can. eodem tit. in 6. Syluester verb. Casus. c. 22. Deinde requiritur quòd sit professus, quia ita habetur in c. cum ad nostram. de elect. & cap.

- cap. cum causa, & cap. cum in magistrum. cod. tit. Imò videtur requiri esse professum professione expressa, non tacita. Quia ita videtur haberi in c. nullus. de elect. in 6. Requiritur etiã vt sit professus in ipsa Religione, in qua eligitur. Quia ita statuitur in Clem. 1. de elect. & in Trident. sess. 14. c. 10. de reform. & sess. 25. c. 21. de Regular.
- 6 Peccant mortaliter Religiosi, qui eligi, ac præfici se sinunt ad Prælaturas, & officia animarum curam habentia sine sufficienti scientiã, & litterarum peritiã. Colligitur ex cap. cum in cunct. de elect. & ex Conc. Trid. sess. 22. c. 2. S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 6. Nauarrus in Man. cap. 25. num. 12. Si tamen inter eligendos vnus sit litteratissimus, sed prauis moribus implicatus, alius verò mediocriter doctus, sed virtutibus præditus aprior est iste reputandus, quam ille. Sotus 3. de iust. & iur. quest. 6. art. 2. Pro gradu autem scientiæ quæ requiritur in Prælati, & pro quibus Prælati, consule Sigismundum de elect. dub. 63. & dicenda 4. tom. v. Prælati num. 3.
- 7 Illegitimi nequeunt esse Prælati in Religionibus, nisi ex Papæ dispensatione. Quia ita habetur in cap. 1. de fil. Præb. Nauarr. in cap. statutum. num. 60. Quod intelligi etiam si sint occultissimi illegitimi Syluester verb. irregul. quest. 20. Corduba lib. 1. Questionary. quest. 38. An autem ex priuilegio dispensare possint cum illis Religionum Prælati, dicitur infra à num. 60. Vide & dicenda tom. 2. cap. 12. num. 21. & cap. 12. n. 50. & c. 18. n. 34.
- 8 Non possunt eligi in Prælatos Religionum, qui homicidium aliquando perpetrarunt, iuxta Decretum Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. in quo dicitur: Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari auelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id, nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoueri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat; si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim, vi repellendo, vt quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum & Altaris ministerium, & beneficia quocumque, ac dignitates, iure quodammodo dispensatio debeat, committatur loci Ordinario, aut ex causa, Metropolitana, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis processibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit. Possunt tamen illa officia, quæ actu habent quando committunt homicidium retinere, cum hoc non prohibeatur in dicto Decreto Concilij. Nauarr. in Manual. cap. 27. num. 249. Insuper quando tale homicidium, quantumuis voluntarium, fuerit omnino occultum; id est, nec deductum ad forum contentiosum, aut villo modo deducibile, probabile est apud quosdam, cum tali homicida posse dispensare Prælatos Religionum ad officia Ordinis. Propter dicenda inferiùs num. 44. Laurent. de Peirinis tom. 1. Prin. Minim. in Const. 2. July II. num. 102.
- 9 Non requiritur ex vi Iuris communis aliqua antiquitas in Ordine ad officia, & Prælaturas, sed statim post professionem factam redditur habilis ad illa. Ratio est, quia licet pro Abbatibus requirat Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. octo annos post professionem, pro Abbatibus autem, seu Prælati Religionem, neque in ipso Concilio, neque in aliquo loco Iuris talis conditio petitur, fortassis, quia sextus virilis fortior, & perfectior est. Suarez 4. tom. de Religion. tract. 8. lib. 2. c. 3. num. 16.
- 10 Licet quoad durationem Prælatorum in suis officijs attendenda sint specialia iura, & consuetudines Religionum, & præcipue Summorum Pontificum Ordinationes, convenientissimum tamen multis pijs, & prudentibus visum fuit, Prælatos Religionum, præsertim supremos, quales sunt Generales, debere esse perpetuos. Ratio est, propter multa incommoda, quæ sequuntur ex limitato tempore officiorum, quinquennio scilicet, vel sexennio. Primum est, quia tales Prælati non possunt tam plenam, & absolutam potestatem in suos subditos exercere, quam si essent perpetui. Secundum est, propter multas expensas, quæ tempore Capitulorum, seu Congregationum à Religiosis fieri solent, multasque ipsorum diuagationes itinerando. Ter-

tium, propter euitandas multorum ambitiones, sectas, rixas, odia, scandala, recursus ad seculares, subornationes, imò aliquando simonias, & illicitas conventiones, quæ tempore Capitulorum fieri quandoque solent. Quartum, quia Prælati pro tempore limitatio electi, si sint ambitiosi suam procurant reelectionem, ad quod oportet dissimulare vitia vocem habentium in Capitulis, officia, & dignitates Ordinis indignis conferre, vt suffragia tempore electionis præstent, subornanturque quandoque Principes, & Prælati extra Religionem xenijs, muneribus, & pecunijs Ordinem, vt adiutorium præbeant. Quintum, quia tempore limitato Generalatus, verbi gratia, quinquennio, vel sexennio, vix, aut nullo modo reformari potest Religio: cum ferè vnus annus expendatur in congregando Capitulo, alius in redeundo ab eodem, alius in præparandis necessarijs pro tempore proximè futuri Capituli. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 7. & lib. 10. de regul. Societ. cap. 2. Miranda in Man. tom. 2. q. 6. art. 5. & 6. Legatur specialiter Nauarr. comment. 3. de Regul. num. 3. & lib. 3. consil. de iur. patronat. consil. 4. vbi pijsimus, & doctissimus Doctor hæc dixit: Licet ambitio, & dulcedo sensualitatis suaserint multis Regularibus melius esse regimen triennale inuentum à recentibus Regularibus, vt per frequentes mutationes, ambitiosi, & auari aliquando fiant Prælati, vel Prælati, multo profectò coram Deo, & Sanctis eius melius, & sincerius est regimen illud antiquum, quod antiqui ydem Sanctissimi Patres Basilius, Augustinus, Benedictus, Bernardus, & Ecclesia vniuersa seruaui, quando longè Regulares erant meliores, quam nunc sunt, &c. Curent ergo Religiones, Apostolica Sede consentiente, perpetuos sibi Generales, sicut antiquitus fieri solebat, habere.

- 11 Prælati Religionum, etiam Generales, tenentur obseruare leges communes Religionis, & dispositiones Capitulorum Generalium. Cum talia Capitula sint supra ipsos. Imò hæc obligatio non solum est quoad vim directiuam, sed aliquo modo coactiuam, iuxta dicta supra cap. 8. num. 21. Tenentur etiam ad obseruanda præcepta à se alijs imposita. Tum ex communi principio, quòd Princeps tenetur obseruare suas leges; tum quia lege natura obligantur ad bonum exemplum subditis præstandum. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. Vide dicenda infra num. 54. & 86. & 87.
- 12 Generaliter loquendo ea, quæ in Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. & 2. & alijs iuribus statuuntur circa residentiam Prælatorum, intelligi debent suo modo de Prælati Religionum. Propter similem rationem, Miranda in Man. tom. 2. quest. 9. art. 5. Hinc Prælati Monasteriorum tenentur assistere suis Monasterijs tempore pestis, vel hæresis, etiam cum periculo mortis. Ratio est, quia sunt quasi Parochi illorum Monasteriorum: Parochis autem non licet fugere in talibus euentibus. Sanch. lib. 6. in Decal. c. 2. n. 55.
- 13 Habent Prælati Religionum potestatem administrandi bona temporalia Monasteriorum. Tum quia ita habetur in cap. nullam. 19. quest. 2. Tum quia cum priuati Religiosi propter votum Paupertatis, quod habent, non possint tali facultate vt, nec tota communitas immediatè, vt de se patet, oportet, quòd hoc onus incumbat Prælato. Nauarr. comment. 3. de Regul. num. 5. & 6. Suar. 4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 26. Expendentes autem bona Monasteriorum in vsus prauos, vanos, aut superfluos, peccant contra votum Paupertatis, & sunt proprietarij. Ratio est, quia non sunt domini bonorum Monasterij, sed tantum administratores in vtilitatem ipsius; atque ita solum possunt expendere in ipsius vtilitatem, quia ad hoc solum habent facultatem à Monasterio, quod est dominus talium bonorum. Nauarr. lib. 3. conf. in prima edit. conf. 75. num. 2. conf. 3. Azor. tom. 1. Instunt. Mor. lib. 12. cap. 12. quest. 2. Qualiter autem alienare non possint bona Ecclesiarum, seu Monasteriorum, diximus supra cap. 10. à num. 1. Suar. tom. 4. de Religion. tract. 8. lib. 2. cap. 26. 27. 28. Imò nec posse bona vnus Monasterij (intelligo immobilia, & mobilia pretiosa) in aliud transferre, non obstantibus aliquibus Priuilegijs Religionum videtur inferri ex Decretis ibi adductis; eò quòd huiusmodi translationes bonorum sunt quedam species alienationis. Peirinis 10. 1. priuileg. Minim. in Const. 2. July II. 26. num. 76. Vide & dicenda 10. 2. c. 19.
- 14 Prælati, qui in quantum possunt, non curant suos subditos

- tos vivere vita communi absque aliquo peculio, aut proprios, & superfluos vsus vitare, non sunt in bono statu conscientia: Ratio est, quia vorum paupertatis id requirit, Summiq; Pontifices, & Concilia id precipiunt, iuxta dicta *supr. cap. 6. num. 60. Syluester verb. Relig. 6. q. 7. Sanchez lib. 7. in Decalog. c. 19. num. 27. Vide Concil. Trident. sess. 25. de Regul. c. 1.*
- 15 Possunt, & tenentur Prælati Regulares suos subditos corrigere, & punire; imò sanguis eorum de manibus Prælatorum requiretur. Tum ex *cap. irrefragabili. de offic. ordin.* Tum ex eo quod sint veri Pastores, & Rectores Ecclesiarum. *Grassius 1. part. Decis. lib. 3. cap. 5. num. 133.* Imò omittentes corrigere suos subditos ex negligentia, aut timore, facile peccant mortaliter. Quia tenentur illos in via perfectionis instruere. *Sà in Summ. verb. Correptio. num. 2.* Addunt aliqui peccare etiam mortaliter prælatos omittentes corrigere subditos in aliquibus peccatis venialibus, illis scilicet, quibus introducuntur consuetudines contrariæ Religioni, quia hoc cedit in magnum detrimentum ipsius. *Thomas de Iesu. de visitat. Regular. tractat. 1. cap. 6. Diana Tractat. 2. de Dub. Regular. Resol. 38.* Nota etiam prælatum non corrigentem suum subditum peccare contra iustitiam, quia peccat contra obligationem sui officij, quæ est ex iustitia. Vnde in Confessione non satis illi erit dicere se omisit correctionem proximi. *Bannez 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 1. conclus. ultim. Vide dicenda c. 27.*
- 16 Possunt etiam prælati Regulares punire suos subditos pœna corporali proportionata eorum delictis. Ratio sumitur ex potestate non solum dominiua, sed etiam iurisdictionis, quam super illos habent. Hinc possunt illos damnare ad tritemes, casu tamen raro, & ad satisfaciendum publico scandalo ex delicto enormi. Quia ita habet consuetudo matorum prudentium. *Vide dicta cap. 16. num. 32.* Possunt etiam pœna exilij damnare Religiosos. Cum in illa nulla sit indecentia. Licet hoc magis procedat in Religionibus Monachalibus, in quibus Monachi acquirunt domicilium in Conuentu, vbi professi sunt, non sic in Mendicantibus. *Alderete lib. 2. de Relig. discipl. cap. 27. num. 18.* Tradere tamen illos in media brachio seculari vltimo supplicio afficiendos, nisi hoc illis per aliquod priuilegium concedatur, non videtur permittum. Quia hoc vix potest excusari ab irregularitate. Idem dico de mutilatione membrorum, propter eam leu rationem. *Suarez tomo 4. de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 10.* Vnde etiam multò minùs possunt punire suos subditos pœna mortis. Ea enim à nullo iudice Ecclesiastico imponi potest. *cap. cum non ab homine, de iudicijs. Suarez vt supra.* Ex priuilegio etiam Bonifacij VIII. concessio prælati Dominicanorum, possunt contra suos subditos procedere, iuris apices postpositis. Dicuntur autem iuris apices actus illi, qui potius respiciunt subtilitatem, quam facti veritatem, & merita causæ. *Flavius Cherub. in Compend. Bullarj tomo 1.* Vnde licet seruari debeat in huiusmodi iudicijs ea forma, quæ ex iure naturali, & gentium requiritur; procedi tamen potest, & debet sine strepitu, & figura iudicij secularis. Tum ex prædicto priuilegio. Tum ex congruentia, quia in Religionibus præcipue attenditur sincera, & plana cognitio criminum, potius ad salutem animæ, quam ad puniendum, & in eis credibile sit Iudices procedere cum maiori charitate, & puriori intentione, & testes esse magis fide dignos. *Caietan. 2. 2. quest. 70. art. 2. Sorus 5. de iustit. quest. 7. art. 2. Vide dicenda cap. 27. num. 26.* Et *Portellum in Respons. mor. tomo 2. casu 28. & 29.* vbi plura vtilia prælati Regularibus vt se defendant contra Aduocatos, & Causidicos Prælatos eisdem impugnantes eo quod in processibus ab ipsis factis non obseruet aliquos iuris apices.
- 17 Possunt præterea prælati Regulares ad cognoscenda, vel punienda delicta subditorum, procedere iuridicè per viam accusationis, iudicialis denunciationis, & inquisitionis. Ratio est, quia hoc pertinet ad potestatem iurisdictionis, quam habent, & est necessarium pro bono regimine religionis. *Suarez 4. tomo de Religio. lib. 10. de regim. Societ. cap. 11. 12. & 13.* Non tamen possunt interrogate de delicto alicuius in particulari, nisi de illo præcesserit aliqua infamatio. Aliàs fieret illi iniuria, nec Iudex procederet iuridicè. *Nauarr. cap. inter verba coroll. ar. 47. num. 179. Suarez 4. tomo de Religio. lib. 10. cap. 11.* Possunt tamen subditum non plene conuictum, & negantem delictum, cogere etiam per torturam, vt fateatur illud. Cum hoc iure naturali sit licitum, & nullo iure prohibitum religiosis. *D. Anton. 3. part. tomo 9. cap. 7. §. 8. Syluester verb. Inquisit. 2. dict. 9.* Addunt aliqui, Religiosos non debere torqueri per violentas actiones instar secularium, sed per strictiorem carcerem, humi cubationem, strictiora ieiunia, &c. *Suarez 4. tomo de Religio. lib. 10. de Regimine Societ. cap. 12.* Sed hoc intelligo regulariter; quando enim delictum fuerit enorme, & prædicta non sufficiant, non video quare non possit applicari maior tortura. *Vide dicenda cap. 27. num. 16.*
- 18 Quamuis propter priuilegia Religionum, specialiter Clementis Septimi in Bulla anno 1530. eximentis Fratres Carmelitanos ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, etiã in casu hæresis, illosque sub potestate Sedis Apostolicæ constituentis, possent antiquitus prælati Religionum, etiam in casu hæresis, de suis subditis iudicare, quod limitauit Pius Quartus in alia Constitutione anno 1562. solum ad casum, in quo prælati Religionum in raliu causarum cognitione Inquisitores præuenirent. His tamen temporibus nullo pacto licet hoc facere, propter Constitutionem Pauli Quinti anno 1606. editam, vbi reuocat omnes facultates Superioribus Ordinibus, quoad hoc concessas, & similes causas ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis solum pertinere decernit. Præcipitque sub magnis pœnis tam prælati Religionum quam Religiosis subditis, quod Religiosos de hæresi suspectos denuntient Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus. *Vide Bullam tomo 3. Bullarj inter Bullas Paul. V. num. 26. Vincentius Filliucius tomo 1. tractat. 15. cap. 8.* Omnes etiam, singuli, & quicumque Religiosi, aut regulares Hæretici, seu de hæresi quomodolibet suspecti debent Inquisitoribus denunciari sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, iuxta edictum S. Inquisitionis, quod refert Peirinis tomo 2. priuileg. Minim. in Constitut. 9. Paul. V. num. 27. Vbi etiam num. 28. refert Decretum Pij V. anno 1567. prohibentis ne à suis superioribus possint per quinquennium à die recursus molestari, vel inquietari Religiosi, qui pro tempore, ad Officium S. Inquisitionis recurrerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, inconsultis DD. Cardinalibus S. Inquisitionis. Qualiter etiam regulares pœnitentiati à S. Officio inhabiles sint ad Officia Religionum constat ex Decreto S. Inquisitionis c. 15. num. 39. relato.
- 19 Possunt prælati Religionum reseruare sibi casus suorum subditorum; ita vt solum ab ipsis absoluantur. Cum veram habeant Iurisdictionem spiritualement supra illos. Ad hoc autem requiruntur duæ conditiones; prima est, quod tales casus sint peccata mortalia; secunda, quod sint actus externi; cum Ecclesia solum huiusmodi casus reseruare sit solita, saltem de lege ordinaria. *Suarez 4. tomo de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 18. num. 3.* Num autem potestate absoluta possit aliter fieri. *Sorus in 4. distinct. 18. quest. 2. art. 5.* Probabile etiam est hanc facultatem reseruandi casus extendi etiam ad Nouitios, quia verè sunt subiecti religioni. Adducitur etiam ad hoc viæ vocis oraculum Paul. V. licet iam his temporibus, vt sæpè dixi, nihil valeant viæ oracula, si aliquod priuilegium continent. *Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constitut. 10. Urban. VIII. num. 9.* Alij autem etiam satis probabiliter negant reseruationem casuum comprehendere nouitios. Quia ipsi non tenentur ad onera Religionis. *Portellus in dubijs Regular. verbo nouitij absolutio num. 36.*
- 20 Insuper ex speciali Decreto Clem. VIII. anno 1593. decernitur. Vt nemo ex Regulatiu Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint. *Veneficia, Incantationes, Sortilegia, Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. Nocturna, acfurtiua à Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. Proprietas contra votum Paupertatis.*

- peratis, que sit peccatum mortale. Iuramentum falsum in Iudicio Regulari, seu legitimo. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum factum, etiam effectu non sequito. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, que sit peccatum mortale. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque persone. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores. Adiungit præterea idem Pontifex ad maiorem cautelam, quod si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientie puritate referuandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu. Prosper Augustin. in addit. ad Quarant. in Summ. Bullar. verb. casus referuat. Suarez 4. tomo in 3. par. disput. 28. sect. 3. num. 13. & 4. tomo de Religio. tractat. 8. li. 2. c. 18. Vide Decretum 4. 10. Bull. in Constit. Urb. n. 26.
- 21 Vtrum autem, esto quod non possint prælati Regulares referuare sibi alios casus præter istos, possint tamen censuras aliorum casuum referuare, vt si prælatus præcipiat sub pena excommunicationis lata sententiæ sibi referuatæ, vt nemo, ver. gr. loquatur Monialibus? Suarez 4. tomo in 3. par. disput. 28. sect. 3. respondet affirmatiue. Eo quod Pontifex solum loquitur expresse de referuatione peccatorum, vt patet illis verbis; peccatorum absolutiones sibi referuet. Alij verò viri docti tenent contrarium; eo quod ex præmio, & ratione legis sumitur decisio ipsius: constat autem rationem huius legis in præmio ab ipso Pontifice assignatam esse, quia si prælati non vtantur prudenter facultate referuandi sibi casus, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientia maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem. Hæc verò ratio etiam procedit in referuatione censurarum; ac proinde videtur vtrumque prohiberi a Pontifice. Prima sententia conformior est verbis Pontificis. Secunda verò intentioni, & ita, vt puto, probabilior. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 1. num. 16. Extat etiam declaratio S. Congregationis Romæ 7. Iulij 1617. vbi expresse declaratur in prædicto decreto Clem. VIII. comprehendi etiam censuras. Vide Erasmus ChoKier in tractat. de Iurisdic. Ord. in Exemp. par. 4. q. 56. Diana tract. 2. de Dubijs Regul. Resol. 49. Vnde iam prior sententiam non potest in praxi teneri. Vide dicenda cap. sequenti num. 29. & infra n. 29.
- 22 Possunt Prælati Religionum etiam locales, & Conuentuales, excommunicare suos subditos. Quia omnes isti habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, vt diximus supra num. 2. Suarez tomo 4. de Religio. tractat. 8. li. 2. cap. 9. num. 6. addens, etiam posse suspendere. Quia qui potest in maius potest in minus, maius autem est excommunicare, quam suspendere; idemque dicit, de interdicto personali, licet hoc non sit in vsu. Irregularitatem verò non possunt imponere. Quia neque Episcopi illam imponunt, sola enim Pontificis autoritate, & in casibus à Iure expressis incurritur. Cap. is, qui de sent. excommunic. in 6. Suarez 10. 4. de Religio. tract. 8. li. 2. cap. 9. num. 7. Quamuis autem Prælatus peccet ponendo excommunicationem non seruata iuris forma, scilicet quod procedat tria admonitio, quod fiat in scriptis, & non diebus feriatis, quia ita habetur in Iure per multa capita, excommunicatio tamen valida erit, dummodò præcedat aliqua monitio. Quia ita interpretatur consuetudo legem canonicam. Sotus in 4. dist. 22. quest. 1. artic. 5. Suarez 5. tomo in 3. par. disput. 3. sect. 12. a num. 1. Prælati publicè excommunicati, vel suspensi non possunt suos subditos excommunicare, quia habent ligatam Iurisdictionem. Cornexo tom. 2. in 3. par. trac. 5. disp. 2. dub. 4. Quando verò talis defectus est occultus, licet peccent ferendo censuras, validè tamen sunt. Quia Ecclesia non priuat illos tunc vsu Iurisdictionis propter euitanda maxima inconuenientia, quæ ex opposito sequerentur. Idem Cornexo vt supra. Bonac. disp. 2. de cens. q. 2. punc. 5. a n. 3.
- 23 Non possunt Prælati Religionum, etiam si sint Generales, eximere aliquem Religiosum ab obedientia sui præ-

lati immediati, puta Prouinciali, vel Prioris, &c. Ratio est, quia hoc videtur à simili referuatum Sedi Apostolicæ in c. Frater noster 16. quest. 1. & vterius, est contra bonum regimen, & obseruantiam Religionum. Syluest. v. Casus q. 1. cas. 5. Miranda in Man. 10. 2. q. 7. art. 6. Oppositum tamen videtur tenere Suarez 4. tom. de Religio. tract. 8. li. 2. c. 2. n. 22. Vide dicta c. 4. num. 33.

- 24 Nec possunt Prælati Regulares, etiam Generales, de nouo aliquam prouinciam fundare, & erigere, seu iam erectam, atque fundatam diuidere, sine licentia Sedis Apostolicæ. Ita colligitur ex c. Felix 16. q. 1. & cap. Precipimus ibid. & c. de locorum de consecr. dist. 1. Syluest. v. casus q. 1. casu 8. 9. & 10. Miranda tom. 2. Man. q. 7. art. 11.
- 25 Prælati Religiosi habent ordinariam Iurisdictionem ad absoluendum sibi subditos à peccatis; Quia sunt Pastores Ordinarij illorum, & in eos translata est cura, quam Episcopi, vel parochi habent circa sæculares. Suarez tom. 4. de Religio. tract. 8. li. 2. cap. 15. Possunt etiam hanc Iurisdictionem delegare. Quia quicumque habet potestatem Ordinariam potest illam delegare. Suarez vt supra num. 4. Imò regulariter loquendo debent hanc auctoritatem delegare, iuxta dicenda inferius ex Decreto Clement. VIII. Suarez vt supra.
- 26 Vnde non possunt Religiosi alteri confiteri nisi suis Prælati, aut designatis ab ipsis, propter rationem allatam, Suarez tom. 4. de Religio. tract. 8. li. 2. cap. 16. num. 1. Et quamuis hoc non esset de Iure communi, habent illud à Summo Pontifice, propter multa priuilegia. Compend. priuileg. Mendic. v. absolutio Ord. quoad Frat. & v. Confessores, & v. confessio. Vnde etiam Religiosi sunt approbati ab Episcopis, non possunt audire confessiones Religiosorum, nisi à Prælati ipsorum habuerint licentiam. Propter adductam rationem. Nauarr. in Man. cap. 4. num. 1. Exrenditur etiam hoc ad habentes Iurisdictionem à Papa. Non enim credendum est Pontificem concedentem alicui facultatem quantumuis generalem audiendi omnium confessiones, velle quod audiat confessiones Religiosorum, inuitis eorum Superioribus; quia hoc esset in detrimentum disciplina Regularis, Suarez 4. 10. de Religio. tract. 8. li. 2. cap. 16. num. ultimo. Excipiunt tamen aliqui Penitentiarij Pape, quia Papa, qui est supremus Prælatus Religionum videtur hanc facultatem concessisse suis Penitentarijs. Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in Const. 2. Iulij 11. n. 62. Et hoc videtur certum, cum prædicti penitentiarj sint quasi ministri, & Vicarij, Pape, represententque ipsum in foro penitentiali.
- 27 Ad audiendas tamen Religiosorum confessiones non requiritur approbatio Episcoporum, quia hoc erat de Iure communi antiquo, & non est derogatum à Concilio Tridentino, sess. 23. cap. 15. cum ibi solum sit sermo de confessoribus sæcularium, Nauarr. in Manual. cap. 4. Hoc etiam extendunt aliqui ad equites militares D. Ioannis D. Iacobi Calatraue, Alcantare, &c. quia sunt vere Religiosi, ac per consequens non comprehenduntur Decreto Concilii Tridentini, Diana Tract. 2. de Dubijs Regular. Resol. 30. Attendendum tamen est tum ad consuetudinem quæ vt ipse Diana docet est in contrarium, tum ad vsu quem isti equites habebant quo ad hoc ante Concilium Tridentinum. Religiosi quoque itinerantes possunt confiteri cui libet Confessario siue Regulari, siue sæculari, quia per licentiam itinerandi conceditur illis implicite talis facultas. Miranda in Man. 10. 2. q. 35. art. 6. pro quo etiam videatur Casarubius v. absolutio ordinaria quoad Frat. §. 23. & 35. referens aliqua priuilegia circa hoc. Licet priuilegium Leon. X. quod ibi refert num. 3. nihil iam valet, cum fuerit viue vocis oraculum. Quod etiam est verum, etsi Confessarius, qui eligitur non sit ab aliquo Ordinario approbatus, sed simplex Sacerdos, quia vt diximus, Religiosi non sunt stricti confiteri approbati ab Episcopis, cum ante Concilium stricti non essent, & per Concilium nihil sit immutatum. Cordub. super Reg. S. Franc. cap. 7. quest. 2. punc. 1. Suarez de penit. disput. 28. sect. 4. Sæm Sum. v. Confessor. n. 6. Religiosi verò hospites in aliquo Conuentu sui Ordinis, Prælati illius Conuentus, vel alteri, qui ab ipso habeat licentiam debent confiteri, cum ille Prælatus sit veluti Ordinarius illius loci, Suar. 4. 10. de Religio. tract. 8. li. 2. c. 17. n. 2. & 3. Quod

Quod si Religiosus hospes habet facultatem à proprio prelato confitendi cui voluerit, poterit id facere etiam in alieno Conuentu. Possunt præterea prælati Regulares dare suis subditis licentiam confitendi extraneo Religioso. Quia quicumque habet potestatem ordinariam potest illam delegare alteri, intellige si idoneus sit. Diana 10. 3. trac. de dub. Regul. resol. 2.

28 Possunt prælati Religionum iure ordinario absoluere suos subditos Sacramentaliter, non solum à peccatis, & censuris non referuatis, sed etiam à sibi referuatis, vel per seipsum, vel per alios, quos ipsi delegauerint. Ratio est, non solum, quia, vt dictum est, habent Iurisdictionem quasi Episcopalem supra suos subditos, sed etiam, quia hæc est vis referuationis, vt qui referuat casum, ab illo possit absoluere. Suarez 4. tomo quarto de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 19.

29 Non tamen propterea tenentur Religiosi confiteri sua peccata, etiam referuata, suis prælati. Ratio est, quia ipsi prælati tenentur in singulis domibus deputare duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero, maiori, vel minori, ique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non referuatis eos absoluant, & quibus etiam referuatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit. Ita Clemens Octauus in Decr. de cas. referu. Qui etiam adiungit, & declarat, vt si huiusmodi Regularium Confessarijs casus alicuius referuati facultatem præsentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere. Si vero contingat non vna vice, sed pluribus Religiosum cadere in casum referuatum, & Confessario petenti facultatem absoluendi ab illo, Superior neget, Religiosus autem cogatur celebrare, vel communicare, dicendum est, quod si tunc solum timet Religiosus confiteri suum peccatum, prælato propter ruborem, verecundiam, vel aliquid incommodum simile, tunc tenetur ipsi confiteri antequam celebret, vel communicet. Quia huiusmodi difficultates non sunt sufficientes ad deobligandum Religiosum à præcepto diuino confessionis, cum sint parui momenti. Quando verò timet subditus Prælato suo confiteri, quia timet aliquod damnum multum graue, ver. gr. fractionem sigilli, infamiam apud alios, vel aliud huiusmodi, tunc potest habito actu contritionis communicare, vel celebrare non confitendo tale peccatum suo Superiori. Quia graua ista incommoda excusant illum ab obligatione confitendi. Si tamen habuerit alia peccata non referuata, ea alteri Confessori idoneo tenetur confiteri, à quo absoluitur directè à peccatis non referuatis, & indirectè ab eo, quod propter iustam causam non tenetur Superiori confiteri, quamuis illi sit referuatum. Cum onere tamen illud confitendi postea cuiquamque habuerit authoritatem illud directè absoluendi. Quod etiam credo facere posse etiam si non habeat alia peccata non referuata, nisi solum alias confessa, ea scilicet de nouo confitendo. Tolet. li. 3. Summ. c. 13. num. 8. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 13. Vide dicenda c. sequenti num. 37.

30 Possunt etiam prædicti Prælati Regulares absoluere à censuris referuatis Papæ, quæ in Iure sunt commissæ Episcopis, qualis est absolutio ab excommunicatione Canonis *Si quis suadente*, &c. Eò quod habeant Iurisdictionem Episcopalem. A censuris autem, quæ Episcopis sunt commissæ ex speciali commissione, præsertim, vt Legatis Summi Pontificis, qualis est illa, quæ habetur in Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. non possunt iure communi absoluere. Quia, licet prædicti prælati habeant Iurisdictionem Episcopalem, hæc tamen non committuntur Episcopis, vt talibus, sed vt Legatis Sedis Apostolicæ, vel ex speciali commissione. Suarez 4. tomo de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 20. num. 9. Similiter à censuris latis ab Episcopis (in casibus, in quibus eas in Religiosos exemptos ferre possunt, iuxta dicta supra cap. 11. num. 14.) non possunt absoluere prælati Regulares iure communi suos subditos. Ratio est, quia in illis actibus sunt Episcopi Superiores Prælati Religionum, quia vel pro illis sunt Sedis Apostolicæ delegati, vel saltem pro illis ablata est exemptio à Religiosis. Non ergo possunt ab illis censuris absoluere prælati Re-

Summa Lezana Tom. I.

ligionum. Suarez 4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 20. num. 4. An autem ex privilegio possint ab illis absoluere, lege Suar. *ibid.* num. 5.

31 A casibus autem, peccatis, aut criminibus Summo Pontifici referuatis, non possunt ex vi iuris communis absoluere suos subditos prælati Regulares. Cum nullus inferior possit contra voluntatem Summi Pontificis suam Iurisdictionem exercere. Id tamen facere possunt primò Prælati Ordinis Prædicatorum, & qui cum ipsis communicant in privilegijs, ex privilegio Pij V. eisdem concessio. Cum enim Trident. Concil. concesserit Episcopis, vt absoluere possint in foro animæ, seu conscientie ab omnibus peccatis, & casibus occultis, & dispensare in irregularitatibus prout sess. 24. cap. 6. habetur, ne prælati dicti Ordinis in hac parte deterioris conditionis, quam clerici, aut seculares existant, ideo Pontifex iste concessit *Priori Conuentuali, & Superioribus Prælati, vt ipsi per seipsum, idem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & laicos sibi subditos, iam quoad absoluendi & dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates.* Passarellus in lib. Privileg. fol. 127. Sorbus in Comp. fol. 45. Quare licet à prædictis casibus non possint prælati suos subditos absoluere ex vi Decreti Concil. Trident. iuxta dicta supra cap. 10. num. 35. ex vi tamen huius privilegij, & cum conditione ibi assignata, scilicet, quod id faciant *ipsi per se ipsos*, & in casibus occultis, id efficere possunt. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 8. & 9.

32 Secundò id facere poterant olim ex privilegio Eugenij IV. concessio Fratribus Minoribus de Obseruantia Castellæ (quod postea Pius Secundus extendit ad totam familiam) quod refert Casarub. in *Compend. Priuil. Mendic. verb. Absolutio extraordinaria quoad Fratres num. 3.* Sed quia hæc concessio fuit viuæ vocis oraculum, vt patet ex eodem Casarubio *ibidem*, & extensio, quæ dicitur esse facta à Pio Secundo non constat, an fuerit per Bullam, aut viuæ vocis oraculum; ideo his temporibus, in quibus à S. D. N. Urbano omnia viuæ vocis oracula abrogata sunt, non licet vti tali concessione. Possunt tamen prædicti prælati à prædictis casibus suos subditos absoluere, propter alias concessiones, quas modò afferimus.

33 Nempè pro Religione Carmelitarum ex privilegio Sixti IV. in Bulla, quæ est *Mare Magnum Religionis*, & incipit *Dum attenda*, vbi Pontifex refert privilegium Eugenij Quarti, quo concessit Generali, vel ab eo deputatis, vt haberent circa omnes sui Ordinis Fratres, in Confessionibus eorum audiendis, & pœnitentijs iniungendis, alijsque dumtaxat salutem animarum concernentibus, exequendis, eandem potestatem, & facultatem, qualem in præmissis Minores Pœnitentiarij Papæ in Romana curia præsentibus ex officio exercebant, & habebant. Et cum in huiusmodi concessione eis ab eodem Eugenio concederetur, suos dicti Ordinis Fratres ab omnibus absoluere excessibus, censuris, & pœnis, nisi talia forent, propter quæ meritò essent ad Sedem Apostolicam destinandi, & propterea quæ sunt illa, propter quæ Fratres ipsi essent ad Sedem Apostolicam destinandi, sæpè reuocaretur in dubium, vt absoluentium, & absoluendorum; dispensantium, & dispensandorum pro tempore, puritati conscientie consulere, declarauit prædictus Sixtus IV. *hereticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos; reliquis verò omnibus, etiam simonia prauitate qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus inibi conceditur, absolutiois beneficium, & dispensationis gratiam, iuxta casum exigentiam impartiri.* Insuper, quod in prædicta Eugenij prædecessoris Constitutione de Fratribus fit mentio ad omnes vtriusque sexus dicti Ordinis professores extendit. Et præterea facultatem concessit Generali dicti Ordinis, pro tempore existenti, dispensandi cum dicti Ordinis professoribus, defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incæstu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem, patientibus, necnon cum his, qui ex quavis causa, præterquam homicidij volunta-



rij, bigamiæ, & mutilationis membrorum irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscumque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare, & quod tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti ad quascumque administrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valeant. Vide Bullam in libro, cui titulus est. Speculum Ordinis Carmelitarum fol. 84. Et aduerte priuilegia hæc non concedi omnibus Superioribus Religionis, vt patet ex contentu, sed tantum ibi expressis.

34 Tertio ex priuilegio eiusdem Sixti IV. in Bulla, quæ est Mare Magnum Prædicatorum, vbi Priuilegia Gregor. XI. confirmat, quibus idem Gregorius facultatem concesserat Magistro, Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & eorum Vicarijs absoluedi Fratres eiusdem Ordinis; necnon Fratibus dicti Ordinis, quos ipsi Magister, Priores Prouinciales, & Conuentuales habuerint pro tempore in Confessores, absoluedi ipsos Magistrum, Priores Prouinciales, ac Conuentuales ab excessibus, & censuris, nisi talia forent; propter quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò destinandi, ac cum eis desuper dispensandi. Et cum similiter propterea, qui essent destinandi, per sepe reuocaretur in dubium, declarauit, *Hereticos relapsos schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos. Reliquis verò omnibus, etiam simonia qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus imbi conceditur, absolutionis beneficium, & dispensationis gratiam, iuxta casum indulgentiam, impartiri.* Præterea etiam facultatem concessit Magistro, & Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, ac eorum Vicarijs defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem, patientibus, necnon cum his, qui ex quauis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, irregulares forent, dispensandi cum dicti Ordinis prædicatorum professoribus, postquam ipsum Ordinem professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstantibus, irregulares ipsi ad quoscumque etiam sacros Ordines promoueri, & in illis, & in altaris ministerio ministrare: & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti, ad quascumque administrationes, & officia eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere, liberè, & licitè valerent. Ioann. Baptist. Confert. in priuileg. Mendic. referens Bullam Sixti IV. fol. 41. in impressione Colonienfi.

35 Quarto ex priuilegio Gregorij XIV. concessio Religionis ministrantium infirmis, vbi inter alia concedit Generali pro tempore existenti, vt per se, vel per alium, seu per alios ad id per eum pro tempore deputatum, seu deputatos, omnes, & singulos eiusdem Congregationis Socios, & personas sub eius obedientia, disciplina, & correctione pro tempore degentes; ab omnibus, & singulis eorum peccatis ante, vel post ingressum in dictam Congregationem per eos commissis, nec non à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis, & secularibus sententijs, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis in foro conscientie absoluedere possit. Et præterea ipsi concessit, quatenus huiusmodi sententijs innodatos, aut in locis Ecclesiastico interdicto suppositis diuina Officia celebrantes, & suscipientes, & censuris huiusmodi sic ligatos, & propterea, aut alijs ex quocumque, vel causa (præterquam homicidij voluntarij, bigamiæ, aut membrorum mutilationis) irregularitatem incurrentes, in foro conscientie tantum absoluedere, nec non cum eis, si opus fuerit, etiam cum rehabilitatione, & abstensione inhabilitatis, ac infamiæ macula dispensare possit. Vide Bullam in 2. tom. Bullar. Laertij Cherub. fol. 706.

36 Possunt præterea plures Prælati Religionum absoluedere suos subditos ab excommunicationibus, & censuris Papæ referuatis. Primò enim id possunt facere Generalis, & ab ipso deputati ex priuilegio Eugenij IV. & Sixti IV. Carmelitanis concessio, vt patet illis verbis supra num. 33. ad-

ductis. V. habeant circa omnes sui Ordinis fratres in confessionibus eorum audiendis, & pœnitentijs iniungendis, alijsque, dumtaxat salutem animarum concernentibus, exequendis, eandem potestatem, & facultatem qualem in præmissis Minoris Pœnitentiarij Papæ in Romana Curia præsentibus exercebant, & habebant. In qua etiam concessio eis conceditur, suos dicti Ordinis Fratres ab omnibus absoluedere excessibus, censuris, & pœnis, nisi talia forent propter quæ meritò essent ad Sedem Apostolicam destinandi. Sub qua limitatione solum vult Pontifex comprehendere hæreticos relapsos schismaticos, & qui dictas litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent dumtaxat. Secundò ex priuilegio eiusdem Sixti IV. adducto supra num. 34. Vbi concedit Prælati Ordinis Prædicatorum facultatem absoluedi ab excessibus, & censuris, nisi talia forent, propter quæ essent ad Sedem Apostolicam meritò destinandi. Explicans verò casus in quibus sunt destinandi dicit; *Declaramus, hæreticos relapsos, schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse ad Sedem prædictam meritò destinandos. Reliquis verò omnibus, etiam simonia qualitercumque irretitis, posse per illos, quibus imbi conceditur absolutionis beneficium, &c.* Consecutus vt supra num. 34. Tertio id possunt facere ex Julio II. qui idem quod Sixti IV. concessit Prædicatoribus in Bulla num. 34. adducta, concessit ipse, & eisdem verbis Minimis S. Francisci de Paula. Habetur Bulla 1. tom. Bull. Laertij Cherub. pag. 417. Excludit autem conspirationem in Romanum Pontificem. Laurentius Peirinis 1. tom. priuileg. Minim. in constitut. 4. Sixti IV. §. 5. Tandem Quarto, ex priuilegio Gregor. XIV. concessio Religionis ministrantium infirmis, vt patet illis verbis supra num. 35. *Nec non à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque censuris, & pœnis à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis.* Vide Bullam 2. tom. Bullar. Laert. Cher. fol. 706. Et aduerte priuilegium hoc solum concedi Generali, & ab ipso deputatis, non verò alijs superioribus.

37 Probabile etiam est posse aliquos prælatos Religionum absoluedere suos subditos à censuris, etiam specialibus, & ab homine latis per sententiam specialem. Primò propter priuilegium illud Eugen. IV. & Sixti IV. Carmelitis concessum, de quo num. 33. diximus. Cum enim ibi concedatur facultas Generali, vel ab ipso deputatis, absoluedi subditos à quibuscumque censuris, illis solum exceptis casibus, quæ ibi numerantur, cum exceptio regulæ firmiter illam in contrarium dici posse videretur, prælatos posse suos subditos absoluedere, etiam à censuris specialibus, & ab homine latis. Secundò idem colligitur ex illo simili priuilegio Sixti IV. pro Ordine prædicatorum adducto num. 34. propter eandem rationem. Tertio ex illo Gregor. XIV. pro ministrantibus infirmis concessio, ponderando illa verba supra num. 35. *allata, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine (non tamen nominatim) quomodolibet latis.* Quarto ex indultis Pauli III. in Bulla licet debitum inter Bullas huius Pontificis num. 48. vbi concedit Generali Societatis Iesu, vt per se, vel alios ad id deputatos possit suos Socios absoluedere. *A quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis, & secularibus sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quomodolibet latis, & promulgatis.* Expendo enim illud quomodolibet latis, & promulgatis, Rodriq. 1. tom. 1. quæst. regular. quæst. 20. art. 4. Suarez 10. de relig. tractat. 8. lib. 2. cap. 25. Qui addit hoc etiam intelligi debere quando aliquis religiosus nominatim denunciatus esset. Idem ibid. num. 5.

38 A censuris verò, seu casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, non possunt prælati regulares absoluedere suos subditos, neque ex iuris communis, propter dicta supra num. 31. neque ex vi facultatis concessæ Episcopis à Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. extensa postea à Pio V. ad prælatos Ordinis prædicatorum, iuxta dicta supra etiam num. 31. Eò quod talis facultas reuocatur omni anno per Bullam Cœnæ Domini. Sanchez l. 2. Dec. cap. 11. num. 7. Suarez 4. to. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 20. num. 10. Neque etiam ex vi priuilegiorum Religionum, propter eandem rationem. Vnde quamuis aliqui teneant posse prælatos religionum absoluedere, Religiosos ab excommunicare incurfa per pecca-

peccatum hæretis, propter aliqua priuilegia Religionum, quæ id concedunt, & non censentur reuocata per Bullam Cænæ Domini, eò quòd in clausula reuocatoria priuilegijs dicitur, *Nisi in eis* (intellige priuilegijs) *etiam casus presentibus litteris expressi comprehendatur*, prout adiungebatur in Bullis Cænæ Sixti V. & Clement. VII. (Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21. Rodriguez 1. tom. 1. quest. Regular. quest. 20. art. 9. & 10.) Tamen quia huiusmodi clausula non apponitur in Bulla Cænæ S. D. N. Urbani, sed generaliter dicitur; *A prædictis sententijs nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, &c. absolui possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarum Regularibus, &c. in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.* Ideò nullo modo ab hoc, aut ab vilo casu in Bulla Cænæ Domini contentis absolui possunt regulares à suis superioribus. Ioannes de la Cruce de voto obedientie dub. 14. Nec placet, quòd aliqui volunt in contrarium. Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. §. 5. à num. 10. & alij apud Dianam tract. de absolut. ab heresi Resolut. 6. vbi post multa tandem concludit sententiam nostram esse sequendam propter declarationem Congregationis Cardinal. 17. Nouembr. anno 1628. Ex qua declaratione constat quid sentiendum sit de sententia Portelli in Respons. Mor. tom. 2. casu 41. num. 4. asserentis posse prælatos regulares (intellige habentes priuilegia) absoluerè suos subditos à casibus Bullæ Cænæ, hæresi excepta. Pro qua citat Suar. & vtrumque Rodrig. Cautius ergo loquitur Bordonus in Resolut. resolut. 2. num. 3. dicens me relato cum Sigismundo, Naldo, Vecchio, Cruce, Zorbo, Tamburino, Zanardo, & Diana, nullatenus posse prælatos Regulares absoluerè suos subditos à casibus Bullæ Cænæ.

39 Comprehendi autem videntur sub prædictis priuilegijs, præsertim illis, quæ adduximus ex Sixto Quarto num. 33. & 34. & ex Iulio Secundo pro Minimis num. 36. absolutiones à censuris incurfis à Religiosis propter simoniam, quam committere possunt (quod absit) in officijs Religionis. Ratio est, quia prædicta priuilegia generalia sunt, & non excludunt istum casum simoniæ; sed potius illam includunt. Rodriguez tom. 1. quest. 20. art. 13. An verò prædicta priuilegia (excepto illo Gregorij XIV.) derogata sint à Pio V. in Bulla Cum primum. relata à nobis cap. 15. num. 33. vbi hic Pontifex confirmat excommunicationem Papæ reseruatam à Paulo Secundo contra simoniacos in officijs Religionum, aliorum iudicio remitto. Vnde cautè nimis procedendum est. Simoniacè autem ordinati non possunt absolui ex vi prædictorum priuilegijs. Ratio est, nam Sixtus V. in Constitutione aduersus Clericos malè promotos, reuocat omnia priuilegia Religionibus concessa quantum ad absolutionem à censuris propter hanc causam incurfis, quòd confirmauit quantum ad simoniacè ordinantes, & ordinatos, Clemens VIII. vt diximus cap. 14. num. 5. Suarez 4. tom. de Religio. lib. 2. cap. 21. num. 9. Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in Constit. 2. Iulij II. §. 29. num. 88.

40 Quod attinet ad dispensationem in irregularitatibus possunt prælati regularij cum sibi subditis dispensare; primò in omnibus illis, in quibus possunt Episcopi cum sibi subiectis; & hoc ex iure còmuni, quia scilicet habent Iurisdictionem quasi Episcopalem, iuxta dicta supra num. 2. Possunt etiam Prælati aliqui respectiue dispensare in omnibus alijs irregularitatibus, etiam reseruatæ Papæ, exceptis tribus, videlicet bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione membrorum. Primò ex priuilegio illo Eugenij IV. & Sixti IV. Carmelit. Generali concessio in illis verbis adductis supra n. 33. *Nec non cum ijs, qui ex quavis causa, præterquam homicidij voluntarij, bigamia, & mutilationis membrorum, irregulares forent, postquam Ordinem ipsorum professi fuerint, vt defectu, & irregularitate huiusmodi non obstante, irregulares ipsi ad quoscumque, etiam sacros Ordines promoueri, & in illis etiã in altaris ministerio ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti, ad quascumque administrationes, & officia dicti Ordinis eligi, recipi, & assumi, illaq. gerere, & exercere libe-*

Summa Lezana Tom. I.

re, & licite valeant, moto, scientia, & auctoritate prædictis concedimus per presentes. Secundo ex priuilegio Sixti IV. pro Ordine prædicatorum, ab illis verbis. *Nec non cum his, adductis num. 34.* Tertio ex priuilegio Pij V. supra n. 31. relato, ibi enim datur facultas Superioribus religionum, vt per se ipsos possint facere cum sui Ordinis subditis, quòd possunt Episcopi cum Clericis, & Laicis, iuxta Concilij Tridentini Decretum. Cum ergo in dicto Decreto sic habeatur *sess. 24. cap. 6. Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oriur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatæ.* Idem ergo facere poterunt Prælati Religionum circa suos subditos. Extat etiam quartò alia concessio eiusdem Pij V. facta Clericis Regularibus Theatinis, quòd scilicet, possint absoluerè venientes ad istam religionem à quacumque irregularitate. (Intellige seclusis illis tribus.) Habetur hæc Bulla 2. 10. Bullarj inter Bullas Pij V. loco 33. Idem etiam habetur ex priuilegio illo Greg. XIV. pro ministrantibus infirmis adducto sup. n. 35. Vbi Generali pro tempore existenti concedit facultatem absoluerè in foro conscientie ab omni irregularitate, præterquam in tribus illis assignatis. Idem habetur ex priuilegio illo Iulij Secundi Minimis concessio, de quo supra n. 36. Id tandem habetur ex priuilegio Pij IV. concessio Generali, & alijs Abbatibus, & visitatoribus Congregationis montis Oliueti Ordinis S. Benedicti. Vide priuilegium satis amplum in 2. 10. Bullarj Laertij pag. 8.

41 Ne autem prælati errent in absolutione à casibus, & censuris reseruatæ, vel dispensatione in irregularitatibus, propter prædicta, aut similia priuilegia. Primò animaduertere debent ad formalia verba priuilegij, concessionis, vel indulti, quo vti volunt. Aliquando enim in illis certæ conditiones apponuntur, quibus non seruatis absolutio, vel dispensatio nulla est, constat id ex illo Gregor. XIV. priuilegio n. 35. adducto, vbi dicitur, *ita tamen, quòd sic absoluti, & dispensati pro tempore, si ex huiusmodi Congregatione quandoque egrediantur, eo ipso in pristinas sententias, & censuras relabamur, & reincidant.* Ecce conditionem pro validitate absolutionis, & dispensationis. Quæ etiam in alijs indultis apponi solet. Aliqua etiam ex prædictis priuilegijs restrictionem habent respectu prælatorum, alia non, vt notauimus n. 33. & 37. Aliquando in illis conceditur absolutio, vel dispensatio, nisi peccata fuerint commissa in contemptum clauium, vel cum fiducia talium priuilegijs, aliquando verò non. Quando autem non exprimuntur non debent intelligi inclusa. Suarez 4. 10. de Religio. tract. 8. lib. 2. cap. 21. an. 10. Quædam etiam priuilegia religionibus concessa expressè excludunt quòd alijs communicentur, vt diximus cap. 14. num. 19. Peirinis tom. 1. in Constitut. Pyrrhi n. 28. alia verò nihil de hoc. Præterea multa ex priuilegijs religionibus concessis per non usum, seu per contrarium usum, aut etiam per renunciationem omnino sublata sunt. Pro quo vide Bonacina in tract. de legib. quest. 3. punct. 8. & dicenda infra num. 64. Secundo præcipuè animaduertere debent, an tale priuilegium, vel indultum aliquo modo, vel ab ipso Pontifice, qui illud concessit, vel à Successoribus reuocatum, vel moderatum sit. Tunc verò tale censetur quando prædictus Pontifex, vel eius successores aliquem casum, vel censuras ex prædictis sibi reseruauerint, apponendo clausulam derogatoriam priuilegijs, vt si dicant, *non obstantibus quibuscumque priuilegijs, &c.* Ratio est, quia per illam clausulam annullatur priuilegium antiquum. Quando verò, vel ipse Pontifex, qui tale priuilegium concessit, aut eius successores, non apponunt in Bullis, vel Decretis particulam illam derogatoriam priuilegijs antiquorum, scilicet, *non obstantibus quibuscumque priuilegijs*, sed solum præcipiunt, vel prohibent aliquid, sibi absolutionem reseruantes, tunc antiqua priuilegia manent in sua vi, & ratione illorum possunt absolui transgressores. Ratio est. Quia sensus illorum priuilegijs non est, per ea dari facultatem ad absoluerè solum ab illis peccatis, quæ tunc reseruata sunt, quando priuilegium conceditur, sed ab illis etiam, quæ reseruata sunt, vel fuerint quando sit confessio, & abso-

- luto præstanda est; ergo licet reservatio sit posterior nihil refert, Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21.* Peirinis *tom. 1. privileg. Minim. in constit. 4. Sixti IV. §. 5. num. 24.*
42. Circa dispensationem in irregularitatibus specialiter animadvertendum est, illam sine legitima causa concedi non posse, nec licite, nec valide, etiam si talis causa in indulto concessio non exprimitur, ut necessaria ad dispensationem. Ratio sumitur ex natura Dispensationis, quæ sine causa concessa irrita est, & invalida. Nauarrus in *Man. cap. 35. num. 74.* Sylvest. *verb. dispensatio.* Unde peccatum Prælati dispensantis sine rationabili causa est abusus propriæ potestatis ei datæ non ad destructionem, sed ad ædificationem. Grassi 2. *par. decis. lib. 3. cap. 19. num. 30.* Secundò animadvertendum, quod quamvis in aliquibus privilegijs religionum concessa videatur facultas dispensandi in omni irregularitate, semper tamen debent intelligi exceptæ illæ tres bigamiæ, occisionis voluntariæ, & abscissionis membrorum. Ratio est, quia casus speciales sine specifica expressione non reputantur concessi. Ita in Simili Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 21. num. 2.* Imò etiam semper debent intelligi exclusæ ab generali facultate dispensandi illæ irregularitates, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis, vel etiam animæ vitio, quod posset scandalum generare fidelibus videntibus celebrare illud habentem, ut si aliquis sit lepra infectus, vel morbum caducum patiat, aut sit conuictus de peccato indicibili, &c. Ratio est iam adducta, quia cum casus isti sint specialissimi non est existimandum Pontifices voluisse illos includere in generalibus concessionibus. Miranda *tom. 2. Man. quest. 8. art. 5.*
43. Nomine homicidij voluntarij, cuius dispensatio in prædictis privilegijs excipitur, probabile est, solum intelligi homicidium iniustum, & illicitum, non homicidium iustum, & licitum, quod inducit irregularitatem, quæ vocatur ex defectu lenitatis, quam scilicet, incurunt Iudices, & ministri iustitiæ, & milites in bello iusto. Ratio est, quia isti non appellantur propriè homicidæ, iuxta doctrinam S. Augustini *lib. 1. de lib. arbit. cap. 4. & 5.* relata à S. Thom. 1. 2. *quest. 88. art. 6.* & ita hoc tenent Banez 2. 2. *quest. 40. art. 2. dub. 4.* Viuald. in *Candelabr. aur. 2. par. tit. de irregul. §. de dispensat. quod frat.*
44. Loquendo verò de homicidio voluntario, etiam iniusto, & illicito, occulto tamen, aliqui dicunt posse prælatos Regulares dispensare in irregularitate propter illud contracta. Primò ex privilegio quodam Martini V. concessio Benedictinis Monasterij Vallisolemani, quod refert Casarubius in *compend. privileg. Mendic. verb. Dispensatio. num. 24.* Sed quia hoc fuit viæ vocis oraculum, ut ipse Casarubius habet, notans hoc privilegium littera Q, ideo his temporibus nihil valet. Secundò ex simili privilegio Iulij II. concessio prædicatoribus, ut refert Miranda 2. *tom. Man. quest. 8. art. 10.* Nescio tamen quantum valeat hoc privilegium, & an sit solum viæ vocis oraculum. Idem dico de alio privilegio Sixti IV. concessio Carthusiensibus, ubi conceditur Generali, & quinquaginta prælati inferioribus ab ipso deputandis, facultas dispensandi cum suis subditis in omnibus casibus Pontificalibus. Omitto etiam quod hæc concessio limitatur excludendo dispensationem in homicidio voluntario, citra altarum ministerium. Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 9.* Nihilominus quando homicidium, etsi voluntarium, & illicitum, est ita occultum, ut nullo modo sciri, aut probati possit; probabile est apud aliquos posse prælatos Regulares irregularitate propter illud contracta dispensare. Ratio est, quia etiam est apud illos probabile, posse Episcopos in prædicto casu dispensare, ac per consequens etiam Prælatos Regulares, qui quasi Episcopalem habent Iurisdictionem. Neque obstat Concilio Tridentinum *sess. 24. cap. 6.* ubi dispensatio in homicidio voluntario, etiam occulto, negatur Episcopis, exponunt enim Concilium de homicidio voluntario occulto, quòd aliquo modo probati potest, vel de illo, quòd factum est per insidias, aut proditoriè, iuxta *cap. 7. sess. 14. eiusdem Concilij, Avila de cens. part. 7. d. 6. sect. 5. dub. 5.* Miranda, ut supra. Extat etiam privilegium Pij V. concessum Congregationis Cassinensi ut habetur *tom. 2. Bullarj inter Bullas Pij V. num. 129.* ubi con-

ceditur. Prælati istius Congregationis facultas dispensandi cum subditis in omnibus casibus, & ob quemvis excessum, & delictum, publicum, vel occultum, casu, seu data opera, quomodolibet ab eis, & singulis, etiam si homicidium voluntarium seu membri mutilatio, &c. intellige in foro conscientie tantum, & dummodo tale homicidium factum non fuerit post ingressum Religionis, & semper sit in illa permanens, donec vixerint, ut in eadem Bulla expressè declaratur. Cautissime ergo in hisce casibus procedendum est. Addiderim etiam pro maiori cautela, quòd si hæc, quæ dixi probabilitatem habet, tantum intelligenda sunt de homicidio voluntario, quòd non est per assassinium, aut proditoriè patratum; hoc enim genus homicidij adeò enorme, & malignum est ut nunquam debeat credi eius dispensatio concessa in quibuscumque privilegijs, nisi expressa mentio fiat de illo. Laurentius de Peirinis *tom. 1. privileg. Minim. in Constitut. 2. Iulij II. §. 29. à num. 103.* In casu etiam, quo fieri posset huiusmodi dispensatio, attendere oportet verba privilegij, ne sit defectus in aliqua circumstantia pro illa necessaria, iuxta dicta supra num. 41.

45. Est prætereà advertendum, quòd cum his, & similibus privilegijs, aut indultis, conceditur facultas absolutionis, vel dispensationis in foro conscientie, licet per particulam illam intelligant aliqui, necessarium esse, quòd talis absolutio, seu dispensatio detur in Sacramento penitentiae Nauarrus in *Man. cap. 26. num. 31.* Suarez 5. *tom. in 3. part. disput. 7. sect. 5. num. 35.* Probabile tamen est per illud in foro conscientie, non denotari hoc, sed solum, quòd talis absolutio, vel dispensatio non suffragetur recipienti in foro exteriori, sed solum in foro interiori animæ. Enriquez *lib. tertio de Indulg. capit. 3. litter. R.* Miranda in *Manual. 2. tom. 2. quest. 35. art. 2.* Secus dicerem quando in indultis, & privilegijs apponuntur istæ particulæ, vel similes, in foro penitentiae, auditis confessionibus, eorum peccatis, &c. quia tunc clariùs denotatur talem absolutionem debere dari in Sacramento penitentiae. Vide Peirinis *tom. primo privileg. Minimor. in Constitut. Pyrrhi num. 43.*

46. Possunt etiam Prælati Religionum dispensare cum subditis in foro conscientie, in penis omnibus contractis ex quibuslibet delictis, quales sunt inhabilitationes ad Officia, Dignitates, &c. privationes Officiorum, Dignitatum, vocis, loci, &c. Primò quidem si tales penes non sint Papæ reservatæ. Nam eò ipso possunt in illis Episcopi dispensare, ac per consequens Prælati Religionum, utpotè habentes Iurisdictionem quasi Episcopalem. Casus autem, in quibus Episcopi iure communi dispensare possunt quoad penas, sunt adulterium, & delicta minora adulteria, peractata in penitentia. Ita declaravit Alexander Tertius in *capit. ac si clerici.* Miranda in *Manual. tom. 2. quest. 9. artic. 3. & quest. 31. art. 11.* Deinde quando prædictæ penes sunt Papæ reservatæ, licet in illis dispensare non possint Prælati ex vi Decreti Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 6.* quo conceditur Episcopis facultas dispensandi in illis, eò quòd ut diximus *capit. 10. num. 5.* illud Decretum solum extenditur ad veros Episcopos. Nihilominus possunt in illis in foro conscientie dispensare. Primò ex privilegio Pij V. in hoc capite num. 31. adducto. Cum ibi dicatur, Prælatos Religionum posse per se ipsos facere idem in suos subditos quòd Episcopi in suos. Episcopi autem ex prædicti Decreti Concilii possunt in huiusmodi penis quando occulta sunt delicta dispensare, eò quòd illæ nomine suspensionum, vel irregularitatum comprehenduntur, ut notat Sorbus in *Compend. verb. ingredi Monaster. Mon. in annotat. à §. dico 4.* Vide Suarez 4. *tom. de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 12. num. 9.* Rodriguez *tom. 1. quest. Regular. quest. 61. artic. 9.* Advertit tamen bene Sanchez cum alijs *lib. 6. in Decalogum capit. 15. num. 78.* non posse Superiores Religionum hanc facultatem delegare. Eò quòd Pius Quintus in hoc privilegio solum concedit Prælati, ut per se ipsos id faciant. Deinde secundò, videtur aliquos Prælatos Religionum potiri hac facultate ex privilegio Carthusiensibus concessio à Sixto Quarto anno 1481. scilicet, ut Generalis per se, vel per quinquaginta Prælatos inferiores ab ipso deputandos dispensare possit cum subditis in omni-

omnibus casibus Pontificalibus, nullo excepto, in foro conscientie tantum, sola dispensatio in homicidio voluntario conceditur cum limitatione, scilicet, citra altaris ministerium. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 11. num. 9. Aduerte tamen an hoc privilegium sit viue vocis oraculum, quia si tale est, ut sepe dixi, nihil iam valet. Tertio id credo etiam posse facere Prælatos Religionum in eodem foro conscientie ex vi omnium privilegiorum, quibus illis conceditur facultas dispensandi cum suis subditis in omnibus pœnis. Cum enim huiusmodi priuationes, & inhabitationes sint pœnæ quædam, ut docet Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 78. sub generali nomine pœnarum comprehenduntur. Horum autem privilegiorum aliqua sunt adducta in hoc capite num. 33. & 35. Vide dicta cap. 19. num. 35. Vel si vellis huiusmodi pœnas esse irregulartates, dici potest posse in illis dispensari per privilegia concedentia facultatem in irregulartatibus dispensandi, quæ adduximus supra num. 40.

47 Possunt etiam prædicti Superiores vota suorum subditorum irritare, non solum indirectè, & ex parte materiae, immutando illam, præcipiendo scilicet, vel prohibendo oppositum, sed etiam directè tollendo obligationem, etiam sine mutatione materiae, & etiam si votum sit de te, quæ nullum præiudicium inferat Religioni. Ratio est, quia voluntas Religiosi subiecta est voluntati Superioris, & Religiosus est quasi seruus respectu sui Prælati. Ludovic. Lopez 1. par. cap. 48. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 6. de Vot. cap. 7. Extenditur hæc potestas ad illa vota, quæ sunt circa materiam præceptorum. Quia etiam quoad illud novum grauamen, pendet voluntas Religiosi à suo Superiore. Suarez ut supra num. 7. Extenditur etiam ad illa vota, quæ facta sunt autoritate Superiorum, vel ab ipsis confirmata. Eò quod Prælati dando talem licentiam, vel confirmando tale votum, non se priuat suo dominio, & potestate. Maior. in 4. distinct. 38. quest. 4. Syluester verb. Votum quarto quest. 2. Votum tamen transiendi ad strictiorem Religionem non potest irritari à Superiore, quia quoad hoc votum non pendet inferior à Superiore. Nauarr. consil. 4. alias 30. de Vot. Nouitiorum autem vota licet directè non possint irritari à Prælato, eò quod in illis deficit subiectio ex Voto Obedientie, in quo fundatur hæc directæ irritatio, indirectè tamen irritari posse illa vota, quæ gubernationi, & conuenienti Ordinis regimini obuiant, probabile est. Quia quoad hoc Prælati habet iurisdictionem supra Nouitium. Suarez ut supra num. 11. & 12. Hinc sequitur non peccare Religiosum petentem à suo prælato voti irritationem. Quia vitur iure suo. Idem Suarez ut supra num. 16. Nec prælatum irritantem sine causa vota suorum inferiorum. Propter similem rationem. Caietan. verb. votum cap. ult. Sotus 7. de iustit. quest. 3. art. 1. Nec tenetur prælati, qui votum irritat illud in aliud commutare. Quia eo ipso quod irritatio voti, cadit sub ipsius potestate, non est cur ad aliud votum obliget subditum, nec est cur subditus acceptet illud. Suarez 2. tom. de Religione lib. 6. de vot. cap. 1. Imò irritatio voti potest fieri inuito vouente. Propter autoritatem dominatiuam, quam habet prælati. Idem Suarez ibid.

48 Possunt etiam prælati Regulares commutare vota suorum subditorum. Ratio est, quia hoc spectat ad potestatem Iurisdictionis, quam habent. Palud. in 4. distinct. 38. quest. 4. art. 3. cont. 5. Aragon. 2. 2. quest. 88. art. 12. & quest. 89. art. 9. Ad commutationem voti in melius bonum, dummodò euidenter constet de excessu non requiritur autoritas Superioris, sed ipsemet Religiosus potest id facere. Nam talis commutatio est consentanea fini voti, qui est promouere homines ad meliora bona. Caietanus 2. 2. quest. 88. art. 12. Cordub. in Summ. quest. 149. Ad commutationem autem voti in æquale requiritur autoritas prælati, & aequalis causa. Quia promissio debet solui in propria specie quantum est ex vi fidelitatis. Nauarr. consil. 18. de vot. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 6. de vot. cap. 19. Ad commutationem verò in minus, & prælati autoritas, & multò maior causa requiritur. Propter eandem, & maiorem rationem. Quando autem commutatio voti facta est in melius non est in potestate vouentis ad prius votum iterum redire. Quia illa commutatio habet vim noui voti. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de vot. cap. 20. Quando verò Summa Diana Tom. 1.

facta est in minus est in potestate vouentis redire ad prius votum. Quia semper licet transire ad meliora. Idem Suarez ut supra. Si verò facta est in æquale, utrumque est probabile. Idem Suarez ut supra.

49 Possunt etiam prædicti prælati dispensare cum sibi subditis in omnibus voti simplicibus ab ipsis factis, in quibus possunt dispensare Episcopi. Ratio est, quia habent Iurisdictionem quasi Episcopalem. Bonacina ut infra num. 26. In votis autem reseruatæ Papæ, qualia sunt Religionis, Castitatis, & peregrinationis, non possunt dispensare. Quia nec in his possunt Episcopi. Bonacina quest. 2. de voto punct. 7. §. 4. num. 11. Tum quia impertinens, vel inutilis esset talis dispensatio respectu Religiosorum: inutilis quidem loquendo de voto Religionis, & castitatis, cum illa sint indispensabilia; impertinens verò respectu voti peregrinationis, cum istud votum non possit fieri à religiosis, nisi in ordine ad licentiam prælati, & ita si ipse annuit, tenet votum, si non annuit, non tenet: impertinens ergo est dispensatio. Suarez 4. tom. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. num. 10. In rigore tamen loquendo dicendum est, non posse prælatos talia vota dispensare, cum nec iure communi, nec ex aliquo privilegio id habeant. Miranda in Man. tomo secundo quest. 9. artic. 8.

50 In votis tamen transiendi ad arctiorem Religionem bene possunt prælati Regulares dispensare. Ratio est, quia talia vota non sunt simpliciter vota religionis, sed arctioris religionis. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 8. Diana Trac. 2. de Dub. Regul. Resolut. 91. Semper tamen requiritur causa rationabilis ad talem dispensationem. Syluester verb. votum §. 3. Rationabilis autem causa poterit esse, si quis verè, & prudenter existimet se melius posse seruire Deo in illa Religione, quam in alia, quam vouerat. Sotus 7. de iustit. & iur. quest. 4. art. 3.

51 Generaliter etiam loquendo ad hoc, quod dispensatio voti facta à Superiore valida sit, requiritur primò, quod non fiat inuito vouente. Quia in hoc differt dispensatio ab irritatione, præsertim, quia dispensatio est quoddam beneficium, quod non fit inuito, iuxta regulas Iuris 61. & 69. m. 6. Suarez 2. tom. de Relig. lib. 6. de vot. cap. 1. Requiritur secundò, quod non fiat sine causa legitima. Quia dispensare in votis, est aliquo modo dispensare in iure diuino, & naturali, in quo non licet sine causa, cum nullus inferior possit sine illa in lege sui Superioris dispensare. Sotus 1. de iust. q. ult. art. 2. Cum autem subest causa dispensandi, & oportet dispensari, videtur peccare prælatum, qui non dispensat. Ita Sà in Summ. verb. dispensatio num. 2. Vide Bonac. de voto q. 2. punct. 7. §. 4. num. 33.

52 Vota prælatorum dispensari possunt à Superioribus prælatis, ita ut vota Prioris, vel Guardiani à Prouinciali; vota verò Prouincialis à Generali dispensari possint. Quia isti sunt veri ipsorum Superiores. Prælati autem Superior Religionis, verbi gratia Generalis, cum in Religione non habeat aliquem superiorem, oportet, quod à Papa dispensetur. Addunt aliqui posse dispensari à tota religione, quæ illi est superior. Suar. 2. tom. de Relig. lib. 6. de vot. cap. 11. Probabiliter etiam aliqui asserunt supremum prælatum Religionis, qui nulli in ipsa subiectus est, posse commissionem alicui Confessario dare, ut secum dispense. Tum quia hoc est conforme intentioni Pontificum concedentium Religionibus privilegia, & exemptiones; tum quia cum prælati superior sit ex numero Religiosorum exemptorum debet comprehendi in illis, quæ iure communi alijs conceduntur, aliàs esset peioris conditionis cæteris. Suarez 4. to. de Relig. trac. 8. lib. 2. c. 14.

53 Possunt etiam prælati Regulares irritare, dispensare, & commutare iuramenta promissoria facta in honorem Dei à suis inferioribus. Quia illa sunt quasi quædam vota; vnde de illis iudicandum est sicut de votis quoad hoc Sanchez lib. 3. in Decalog. cap. 19. & 20. Bonacina dispur. 4. circ. 2. præcept. quest. 1. par. 17. Idem dico de votis iuratis. Quia illa etiam moraliter reputantur pro votis. Suar. 2. tom. de Relig. lib. 6. de vot. cap. 14. Loquendo etiam de iuramentis, seu etiam votis iuratis factis à Religiosis in utilitatem tertij; in ijs rebus in quibus Religiosi sunt subiecti prælati; credo etiam posse in illa cadere irritationem, dispensationem, & commutationem. Quia cum tales res fuerint sub dominio prælatorum, non poterunt illa

promittere inferiores, ac perinde iuramenta illa promissoria poterunt tolli à Superioribus, Bonacina *vt supra num. 4.* Loquendo autem de illis iuramentis, aut votis iuratis factis à Religiosis de illis rebus, de quibus possunt disponere, aut sunt sui iuris, non cadit in illa irritatio, dispensatio, aut commutatio Superiorum si fuerint in commodum alicuius tertij, & ab illo acceptata. Ratio est, quia Superior non potest tollere ius alterius, ille autem in cuius fauorem facte sunt hæc promissiones, acquisiuit ius per acceptationem, Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de vot. cap. 15. Bonacina vt supra num. 8.* De votis autem, seu iuramentis factis Sanctis probabile est posse à Prælati irritari, commutari, & dispensari. Tum quia talia vota indirectè sunt facta Deo. Tum quia cum illa non sint pro humana utilitate Sanctorum, sed potius à Religiosum cultum, videntur includi in alijs factis Deo. Idem Suarez *vt supra.*

54 Licet non possint prælati Religionum dispensare cum suis subditis in substantialibus Votis status Religiosi, vt colligitur ex *cap. cum ad Monasterium de statu Monach. & ex Conc. Tridentino sess. 25. de Regular. cap. 1.* neque in aliquibus Votis specialibus, quæ sunt in quibusdam Religionibus, quale est Votum Minimorum de non comedendis carnibus; quia etiam ista Vota sunt essentialia talibus religionibus. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. à num. 28.* Tamen in obseruantijs alijs Religionum, siue sint ex Regula, siue ex Constitutionibus, siue obligent ad culpam, siue non; possunt dispensare cum suis subditis; iuxta dicta *cap. 8. num. 23.* & pro casibus ibi adductis, & *c. 7. num. 29.* Tum quia hæc dispensatio frequenter est necessaria pro bono regimine Religionum; tum quia Obseruantie istæ non sunt tam essentialia sicut Vota generalia, aut particularia Religionum. Rodriguez *tom. 1. quest. Regular. quest. 26. art. 1. & Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. à num. 25. & 41.* Hæc potestas iure communi conuenit omnibus prælati, siue inferioribus, siue supremis; cum omnes illi habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem. Si verò sit reseruata superiori prælato, non poterit inferior illa vt, cum sit illi à superiore ablata. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 13.* Probabile autem est prælatum superiorem, aut supremum in Religione posse alicui confessario dare facultatem, vt secum in prædictis dispense; propter dicta *supra num. 52.* Suarez *vt supra cap. 14.* vel ipsum prælatum supremum secum dispensare. Corduba *in addit. ad Sorb. v. Accedere ad Monasterium Monial.* Pro ista autem facultate prælatorum regularium ad dispensandum secum in obseruantijs regulæ, & constitutionum, nota, iure optimo concedi ipsis: tum quia id colligitur ex *c. fin. de penit. & remis.* tum ne sint peioris conditionis, quem subditi. Miranda *in Man. prælat. tom. 2. q. 31. art. 9.* Tambur. *de iure Abb. tom. 3. disput. 4. q. 12.* excipit tamen *ibi num. 7.* eos Prælatos, quibus à Regula, vel Constitutionibus prohibitum est dispensare, nisi cum talibus personis, si ipsi non sint tales. Multò magis excipi debent illi prælati qui ab eadem Regula, vel Constitutionibus priuari sunt hac facultate iuxta dicta *c. 8. n. 23.*

55 Circa dispensationem in præceptis Ecclesiasticis, stando in iure communi, & seculo etiam omni priuilegio, possunt prælati, cum suis subditis ea omnia facere, quæ possunt Episcopi cum suis. Vnde quemadmodum Episcopi possunt cum sibi subditis dispensare in omnibus casibus sibi alias non prohibitis expressè, vel ex consuetudine, iuxta *Cleme. ne Romani, de electione cum glos. ibi, & unico de etate & qualis. præficiendorum in 6.* Ita etiam, rationabili causa subsistente, possunt facere idem prælati Regulares cum sibi inferioribus. Propter rationem sapienter assignatam, quod habeant auctoritatem quasi Episcopalem. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. à num. 18.* Ioannes de Cruce *lib. 1. de Poro Obediens. cap. 6. dub. 21.* Vnde priuilegia aliqua concedentia huiusmodi facultatem prælati regularibus tantum valent ad maiorem declarationem, & securitatem, vel si aliquid de nouo concedunt, id est, vt facilius modo detur dispensatio. Authores citati. De priuilegijs autem istis vide Rodriguez *tom. 1. quest. 42. art. 7. & quest. 21. art. 10.* & ea, quæ diximus *cap. 12. à num. 28.* Circa hæc verò priuilegia cauendum est, an sint reuocata, quia viue vocis oracula sint.

56 Possunt prælati Regulares limitare, restringere, imò

etiam tollere suis subditis vsu quorumcumque priuilegiorum, etiam à Sede Apostol. emanantium, ita vt nequeant talibus priuilegijs vt. Tum ex concessione Leonis X. facta Minoribus, & Augustinianis, & Clement. IV. Cisterciensibus, & Gregorij XI. Societati Iesu. Tum etiam ex ratione, quia nullo modo credendum est velle Summos Pontifices Regularis Obseruantie maxime zelatores, vt Fratres priuilegijs eorumdem Ordinum concessis vt possint contra voluntatem suorum Superiorum. Comp. priuileg. Mendicant. *verb. priuileg. Fratru. §. 26.* Miranda *in Man. tom. 2. quest. 43. art. 1.* Potellus *in dubijs Regul. verb. priuilegium num. 78.* Imò priuilegiorum interpretatio, & declaratio doctrinalis potest, & debet fieri à prælati Religionum, qua facta, eorum subditi, tuta conscientia, ipsorum sententia stare debent. Ratio est, quia hoc pertinet ad eorum officium, quod est esse Pastores, & Doctores suorum inferiorum. Præsertim ad hoc deseruit concessio Leonis X. facta Minoribus, quæ illis indulget, Quod in rebus dubijs, & scrupulosis conscientias Fratrum Minorum subditorum tangentibus, Generales, & Prouinciales, seu Custodes, cum consilio aliquorum Patrum (si res magnæ importantiæ fuerint) possint auctoritate suæ sanctitatis determinare in scrupulis, & rebus huiusmodi, atque eorum determinationi subditi, secunda conscientia, possint, & debeant stare. Similiter amplius prædictam Constitutionem indulget, quod Fratres scrupulosi, possint in omnibus dubijs suam conscientiam tangentibus, secunda conscientia, stare determinationi sui Guardiani, vel cuiuscunque alterius prælati. Casarubius *in compend. priuileg. verb. Declaratio. §. 4. & 5.* Miranda *in Man. tom. 2. quest. 44. art. 1.* Quæ concessiones, quamuis viue vocis oracula sint, valent tamen, etsi non vt gratiam aliquam concernentes, vt explicatiuæ tamen iuris, quod habent prælati, vt veri Pastores, & Doctores sunt suorum subditorum, iuxta dicta.

57 Prælati aliqui Regulares possunt benedicere omnia Ecclesiastica ornamenta, seu paramenta, in quibus Christma non interuenit, pro suorum Fratrum vsu tantummodo. Ex priuilegio Leonis X. Casarubius *in Compend. verb. Benedicere Ecclesiastica. §. 14.* Miranda *in Man. tom. 2. quest. 40. artic. 1.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 30. præsertim à num. 10.* Aliqui etiam extendunt hoc ad simplices Sacerdotes. Propter priuilegium Sixti Quarti, quo concessit Fratribus Minoribus Sacerdotibus, vt possint benedicere paramenta Altaris, Missalia, ac indumenta, exceptis Corporalibus. Ildesonus à vera Cruce *in Compen. priuileg.* Credo tamen, quod consuetudine sit receptum, quod solum ad Prælatos hoc spectet. Miranda vt supra. Præterquam quod, cum prædicta concessio Sixti Quarti sit viue vocis oraculum, his temporibus nihil valet. Vide etiam Gauant, *in Thesaur. tom. 1. par. 4. tit. 19. num. 22.* Prælati autem, qui hoc possunt, facere, non solum sunt supremi, videlicet Generales, & Prouinciales, sed etiam sunt Priores, Guardiani, aliique prælati locales, ex dicto priuilegio Leonis X. Rodriguez *1. tomo quest. 19. artic. 2.* Omittit etiam alia priuilegia, quæ vulgò afferuntur, quia eorum quædam sunt viue vocis oracula, quæ his temporibus nihil valent, vt sæpius dixi. Alia verò non solum concedunt Regularium prælati facultatem benedicendi paramenta Ecclesiastica pro suis Fratribus, sed etiam pro alijs. Quæ etiam nihil prosunt, non solum propter eandem rationem, sed etiam quia consuetudine non sunt recepta. Miranda *in Manual. 2. tomo quest. 40. art. 3.* Præsertim quantum ad hoc de benedictione paramentorum pro extraneis, quod nihil valeat, nec illam dare possint, etiam Abbates, omni consuetudine in contrarium abrogata, probat Gauantus *in Commentar. in Rubric. Missal. tom. 1. part. 4. tit. 19. num. 22. & in Manual. Episcopor. ver. Abbas, à num. 29.*

58 Consecrare tamen Calices, Aras, aut patenas pro Missis celebrandis nullatenus possunt Prælati Regulares. Ratio est, quia nec iure communi, nec speciali priuilegio id habent. Suarez *4. tomo de Religione tract. 8. lib. secundo cap. ultimo à num. 2.* Vnde priuilegium quoddam Innocentij Octauo, quod refertur concessum quibusdam Abbatibus Conuentualibus Cisterciensibus, quod scilicet possint benedicere Calices, seu Patenas pro Missis celebrandis (præter-

(præterquam, quod non mihi constat, an sit viuz vocis oraculum, & per consequens annullatum) vel non est in usu receptum, vel esto quod apud Cistercienses sit in usu, apud alias tamen Religiones non est receptum. Miranda in *Manual. to. 2. quest. 40. artic. 4.* Qui bene etiam *artic. 5. & 6. tractat*, qualiter Religiosi se gerere debeant cum Episcopis circa benedictionem istorum.

59 Circa benedictionem Ecclesiarum, & Oratorium, reconcilationemque ipsorum extant concessionem Iulij II. pro Minimis, & Leonis X. pro Minoribus, ex quibus constare poterit, ad quæ se extendat auctoritas prælatorum Regularium quoad hæc. Lege Cafarrub. in *compend. privileg. Mend. verb. benedicere Ecclesiastica num. 12. 13. & 14. Peirinis tom. 1. privileg. Minim. in Constit. 1. Iulij II. §. 21. 22. & in Constit. 18. Leonis X.* Circa consecrationem autem altarium, vel Ecclesiarum, Oleum Sanctum, & alia Episcopalia, vide privilegium Sixti Quarti Carmelitis concessum. Cafarrubium *ut supra n. 5. & 6. & Speculum Ordin. in Bulla Sixti IV.*

60 Quamvis prælati Religionum non possint dispensare cum illegitimis ad Officia, & prælatias Ordinis obtinenda; propter privilegia concessa Religionibus ante Constitutiones Sixti Quinti, quarum prima incipit, *Cum de omnibus*, altera verò, *Ad Romanum Pontificem*. Quia hæc omnia privilegia ab ipso Sixto V. in prædictis Constitutionibus abrogata fuerunt. Possunt tamen cum prædictis illegitimis ad prælatias obtinendas dispensare, primò ex prædictis privilegijs (quorum aliqua referunt Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 13. artic. 6. Peirinis to. 1. privileg. Minim. in Constit. 2. Iulij II. §. 29. num. 93.*) secundùm moderatorem factam à Gregor. Decimo Quarto in alia Constitutione, quæ incipit, *Circumspecta Romani Pontificis providentia*, ubi moderans prædictas Constitutiones Sixti V. statuit. Licere Generali, aut Provinciali singulorum Ordinum, ac Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem privilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ dummodò usu recepta, nec alias sub vllis revocationibus comprehensa sint, vt præfertur, in hac parte retulidavit, cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Provincialis cum Generali, Provinciali, seu intermedio Capitulo, & non aliàs, suffragantibus meritis dignos iudicaverint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi ita factas, & inde sequuta quæcumque, vt antea valere, ac tenere perindè, ac si dictæ Constitutiones non emanassent. Mirand. in *Manual. to. 2. quest. 2. artic. 3.* Secundo possunt dispensari prædicti illegitimi ad Officia Ordinis obtinenda à suis prælatiis, propter privilegium eiusdem Gregorij Decimi Quarti concessum Congregationi Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, quo vti possunt tam illi, quam qui habent privilegium communicationem cum illis servatis, etiam servandis, iuxta dicta supra *num. 41. & 42.* Aduertendo insuper datum fuisse anno 1591. die 21. Septembris, ac perindè tempore posterius fuisse supradicta Constitutione eiusdem Gregorij, quæ eodem anno Idibus Martij edita fuit. Verba autem privilegij habentur in Bulla ipsius Pontificis *n. 17. & in 2. tom. Bullar. Laertij Cherub. fol. 706.* Sunt autem sequentia: Ac dicto præfecto Generali pro tempore existenti, seu de illius licentia præfectis inferioribus aliorum locorum, seu provincialibus dictæ Congregationis pro tempore existentibus, & illorum Vicarijs, ac loca tenentibus, vt cum eiusdem Congregationis personis defectum natalium etiam ex adulterio, factilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito, ac prohibito, & damnato coitu provenientes patientibus, postquam in dicta Congregatione vota emiserint, vt defectu huiusmodi non obtante, ad quoscumque sacros, etiam presbiteratus Ordines promoveri, & in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, nec non ad quascumque administrationes, personatus, præminentias, & Officia dictæ Congregationis eligi, admitti, & assumi, illaque gerere, & exercere. Laurentius de Peirinis *tom. 1. privileg. Minim. in Constit. 2. Iulij II. §. 29. à num. 95.* Diana *Tract. 2. de Dubijs Regular. Resolut. 102.* Limitant tamen aliqui traditam doctrinam, quod scilicet illegitimus Religiosus in ea religione, in qua ipsius pater esset, vel fuisset Prælatum non posset admitti, ad prædicta

Officia sine Papæ dispensatione. Tum à simili, vel maiori ratione ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 15.* & prædicta Constitut. Gregor. Decimi Quarti superius adducta. Miranda in *Man. tom. 1. quest. 1. artic. 10.* Probabile tamen puto etiam cum tali Religioso posse dispensari ad Officia Ordinis. Tum ex verbis adductis Gregorij Decimi Quarti in privileg. concessio Congregationi Clericorum Ministrantium infirmis, quæ est posterior tempore, vt dixi, quam illa alia, quæ adducitur in contrarium. Tum quia in Constitutione Gregorij, quæ adducitur, nullo pacto dicitur, quod Religiosus illegitimus non posset admitti ad Prælatias in ea Religione, in qua pater eius est, vel fuit Prælatum, sed solum dicitur: *Dummodò tamen Filius illegitimus, in Religione in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti Filij professus fuerit, ipso patre viuente non admittatur, quod expresse prohibemus.* Decretum autem Concilij, vel solum intelligitur de Clericis secularibus, nam cum sit pœnale non est cur extendatur etiam ad Regulares; vt esto, quod ad regulares extendatur, solum ex eo habebitur Religiosum illegitimum non posse esse prælatum in eodem Monasterio, in quo eius pater est, vel fuit prælatum, non verò tolli quominus in eadem prouincia, vel saltem Religione, eligi possit. Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 13. artic. 7.* Aduerte etiam illegitimos, qui postea secuto Matrimonio legitimi sunt, non comprehendi sub priori Constitutione Sixti Quinti. Quia ita declarauit ipsemet Pontifex in posteriori alia, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*.

61 Quando Religiosus illegitimus dispensatus fuit in sæculo ad quæcumque beneficia, qualiacumque sint, postea Religionem ingressus non eget noua dispensatione ad Prælatias, illa enim dispensatio se extendebat ad ista beneficia, & fuit quædam quasi legitimatio. Miranda in *Manual. tom. 2. quest. 2. artic. 5.* Si tamen solum dispensatus fuit vt beneficium curatum obtineret, indiget postea ad Officia Ordinis noua dispensatione, quia illa prima non se extendebat ad iste, sed tantùm ad beneficium sæculare. Nauarrus *lib. 4. consil. tit. qui filij sint legitimi, consil. 1.* Similiter dispensatus in Religione propter privilegia adducta ad Officia, & Dignitates, non potest extra Ordinem illa habere. Quia prædicta privilegia solum sunt in fauorem Religionis. Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 13. ar. 13.* Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 5. num. 16.* Nec dispensatus ad dignitatem inferiorem potest censeri dispensatus ad Superiorem; quia permissio minoris non est permissio maioris. Secus videtur dicendum de dispensato ad maiorem dignitatem; talis enim, eo ipso censetur dispensatus ad minorem, quod solum credo esse verum quando minor dignitas continetur sub maiori, vt prioratus sub provincialatu, & Provincialatus sub Generalatu. Sorbus in *Comp. prin. Mend. v. Dispens. & ideo Fratres Laurentius de Peirinis to. 1. privileg. Minim. in Constit. 2. Iulij II. §. 29. n. 99.*

62 Officia, ad quæ illegitimi iure communi non possunt promoueri sine dispensatione sunt dignitates, & prælatiæ, & beneficia curam animarum habentia. Ita habetur *in c. fin. de Filijs Presb.* Vnde nec possunt esse Generales, nec Provinciales, nec Priores, Guardiani, &c. Possunt tamen eodem iure communi esse Magistri Nouitiorum, Confessores, &c. & habere alia officia manualia, præter Dignitates, Prælatias, & quæ curam animarum important. Vnde similiter possunt esse Sacristæ, Procuratores. Sanchez *lib. 5. in Decalog. cap. 5. num. 16.* Laurentius de Peirinis *to. 1. privileg. Minimorum in Constit. 2. Iulij II. §. 29. n. 91.*

63 Quando prælatum habens potestatem dispensandi cum subdito Religioso illegitimo, quem scit esse talem, confert illi aliquam prælatiam, vel Officium, censetur saltem in foro conscientiæ cum illo dispensare, si seruentur aliæ conditiones, de quibus supra *num. 41. & 42.* Talis enim officij, vel Prælatiæ collatio, est quædam virtualis dispensatio. Nauarrus in *Manual. cap. 25. n. 74.* Rodriguez *to. 1. q. Regul. quest. 13. artic. 16.* Addunt alij etiam pro foro externo deseruire talem dispensationem. Dum tamen pro eo foro probari possit adfuisse requisita pro tali dispensatione. Quod facillè admitti potest. Sigism. de Bonon. *de elect. dub. 81.* post Maiolum, Suarez, Salas, & Sanchez. Sempet tamen requiritur causa iusta; & rationalis. Quia hoc est commune omnibus dispensationibus. Nauarrus

- ibidem.* Syluester *verb. dispensatio.* vbi etiam agit de causis iustis talis dispensationis.
- 64 Aliqui prælati Religionum, scilicet Abbates, solent primam Tonsuram, & minores ordines suis subditis conferre. Propter aliqua ipsorum priuilegia de quibus agit Suarez 4. *to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 29.* Hæc verò priuilegia neque per viam communicationis extenduntur ad illos Prælatos. Quia numquam fuerunt hoc modo intellecta, Suarez *vt supr. num. 27.* Num autem Abbates prædicti possint conferre dictos Ordines minores Nouitijs, dubium est apud multos, Vincent. Filliucc. *10. 1. tract. 9. c. 5.* affirmatiuam verò partem tenet Suarez 4. *tomo de Relig. vt supra num. 12.*
- 65 Abbates prædicti habentes facultatem dandi Ordines minores, aut primam Tonsuram, animaduertant, quod circa Decretum Concil. Trident. *sess. 23. cap. 10.* quo habetur: *Abbatibus, & alijs quibuscumque quantumuis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit Tonsuram, vel minores Ordines conferre, nec litteras dimissorias Clericis secularibus, vt ab alijs ordinentur concedant.* declarauit S. Greg. quòd Abbates Regulares habentes ius Baculum deferendi, & Mitram, postquam Sacerdotalem Ordinem, & munus Benedictionis susceperint, possint Tonsuras, & Ordines Minores sæcularibus Episcopi iurisdictioni subditis conferre. Si modò ipsius Episcopi consensus accedat, & à dicto Episcopo quisque litteras dimissorias impetrauerit; ita vt satis non sit id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus sit singulis, &c. Possunt etiam ipsi Abbates eosdem Ordines conferre alijs regularibus, qui dimissorias speciales Superiorum suorum, & specialem consensum Episcopi loci habuerint, ac præterea alijs secularibus, qui aliorum Episcoporum iurisdictioni subiecti sint; dummodò Superiorum suorum dimissorias attulerint, ac specialem consensum Episcopi loci, in quo Ordines huiusmodi cupiunt suscipere. Quarantia in *Summa Bullarj verb. Ordo,* Suarez à *num. 20.* Vide etiam dicta *cap. 14. num. 13.* & Gauantum in *Manual. Episcop. verb. Abbas à num. 34.*
- 66 Pertinet etiam ad prælatos Religionum recipere, & professare Nouitios; cum hoc sit negotium magni ponderis in Religione. An verò possint se solis sine consensu Conuentuum Nouitios recipere, & professare; attendendum est ad consuetudines, & particulares leges Religionum. Eis verò non stantibus, probabilius est hoc munus pertinere ad Prælaturam, & Conuentuum simul; ita vt neuter sine alio id possit facere. Ratio est, quia in receptione, & professione Nouitiorum interuenit mutuus quidam contractus inter ipsos ex vna parte, Conuentuum, & Prælaturam ex alia: ita vt ipsi promittant obedientiam, & subiectionem Conuentui, & Prælato; & ipsi vicissim promittant solitam subuentionem illis præstare. Ac proinde consensus omnium videtur necessarius. Nauarrus *lib. 1. de Constit. consil. 9. & lib. 3. de Regul. consil. 36. & 62.* Miranda in *Man. tom. 1. quest. 15. artic. 2.* Vide dicta *cap. 2. num. 25.* Tenentur tamen dicti Prælati obseruare in receptione, & professione Nouitiorum non solum conditiones assignatas à Sixto V. & de quibus dicemus *cap. 24.* sed etiam, quæ Clement. VIII. & S. S. D. N. Urbanus in Decreto S. Congregat. Concilij de Regularibus Apostatis, & eiectionis decreuerunt 4. *tom. Bullar. inter Const. Urbani n. 26.*
- 67 Possunt item Religionum Prælati applicare alijs bona opera suorum subditorum, illisque tribuere litteras talis communicationis. Hoc constat non solum ex priuilegijs Urbani V. quod refert Casarubius in *Compend. verb. indulgen. exhibentibus num. 6.* sed etiam quia iure communi quilibet Prælatus cuiuscumque Congregationis potest id facere. S. Thom. in 4. *dist. 20. quest. 1. artic. 1. & in addit. ad 3. p. quest. 26. art. 1.* Nauarrus in *tract. miscell. de psalt. ex Rosar. B. V. n. 4. & de Iubilæo not. 31.* Immo secundum multorum opinionem, saltem in aliquo casu, possunt huiusmodi opera benefactoribus applicari à Prælati, etiam renitentibus subditis. Sotus in 4. *dist. 21. quest. 1. art. 4.* Cordub. in *questionibus l. 5. de Indulg. quest. 42. artic. 5.* apud quos plura de hoc. Vide etiam Sorbum in *addit. ad Compend. verb. Indulg. quoad secular. 4.*
- 68 Tenentur Prælati Regulares, Generales scilicet, & Provinciales visitare Monasteria sibi subiecta. Tum ex Concilio Trident. *sess. 25. c. 20.* Tum quia aliàs non possunt eorum reformationi incumbere. Suarez 4. *de Relig. lib. 10. de regim. Societ. c. 11.* Hæc autem obligatio est de iure naturali, & diuino, iuxta illud Prouerb. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* S. Thomas 2. 2. *q. 83. art. 2.* Caiet. *ibid.* Monasteria autem visitantes ante oculos habeant id, quod Sac. Concil. Trident. *sess. 13. c. 1.* illis commendat his verbis: *Se Pastores, non percussos esse meminerint, atque ita præesse subditis oportere, vt non in eis dominantur, sed illos tanquam filios, & fratres diligant; elaborentque vt ipsos hortando, & admonendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, seruanda est ab eis illa Apostoli præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent, in omni bonitate, & patientia, cum sepe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam potestas; sin autem ob delicti grauitatem quandoque virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine, rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est.* In visitationibus autem maxime cauere debent à munerum receptione, ex *cap. Romana §. procuraciones de cens. in 6. & ex Trid. sess. 24. de reformat. c. 3. Peitinis 10. 1. priu. Minim. in Const. 14. Leon. X. num. 7.* Vide dicenda circa modum procedendi in visitationibus *c. 27. à num. 2.*
- 69 Tenentur etiam Prælati, & sub peccato mortali, facere vt officium Diuinum debitis horis, & statutis temporibus persoluatur in Conuentibus. *Clem. 1. de celebr. Missar. Caietan. verb. hora §. 4. Medina C. de Orat. quest. de hor. canon. dub. 1.* Vide dicta *c. 12. num. 9.*
- 70 Inter ea quoque, quæ ex Decretis Clem. VIII. & Sanctiss. D. N. Urbani sæpius adduximus, hæc Prælati præcipiuntur, vt habetur etiam 4. *to. Bullar. inter constitutiones S. S. D. N. Urbani num. 26.* Nullus omnino prætextu cuiuscunque priuilegij, vel Superioritatis, etiam Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Adiungitur tamen quòd cum Lectoribus, & Prædicatoribus Superiores, ijs tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint. Et quòd idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis. Præcipitur etiam, quòd in eos, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari penitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimentum etiam, si opus fuerit, subtractione. Nota tamen quòd cum occupatis etiam in operibus charitatis, siue corporalibus, vt cum Infirmarijs, siue spiritualibus, vt cum Confessarijs, iure etiam dispensari poterit, quia ista opera præponuntur alijs quibuscunque. Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 10. lib. 1. c. 8.*
- 71 Item pro obseruantia Concilij Tridentini circa paupertatem Religiosam, statuitur in eisdem Decretis. Neque Superioribus, quicumque illi sint, vilo pacto liceat, eisdem Fratribus, aut eorum alicui, bona stabilia, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere. Vide dicta *c. 6. à num. 19.*
- 72 Deinde pro communitate, seu vita Communi seruanda, singularitateque in victu fugienda, sic ibidem decernitur. *Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur: neque singulari aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vilo modo afferri possit, si quis in eare peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.* Pro quo nota, casus necessitatis, puta infirmitatis, vel debilitatis, semper intelligi exceptos, nec comprehendi hoc Decreto. Quia Ius naturæ hoc præscribit.
- 73 Præterea, circa redditus, aut præstationes, quas Generales aliqui, aut alij Superiores Religionum solent habere, præcipitur quòd Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus aut præstationes peculiare ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & dili-

- & diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione Officij sui necessarios quicquam expendant. Cum vero contigerit ipsos in aliquo Conuentu commorari, eam pecunie quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & illi, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulae, & Constitutionum suppeditetur. Obligantur etenim, & præcipue Vitæ Communis obseruantia Prælati, de qua cap. 6. num. 60. & a num. 7.
- 74 Item, pro administratione honorum Monasterij non habenda à Superioribus, sed ab alijs, tribus statuitur in eisdem Decretis, quòd nullus, ex Superioribus locorum, administrationem honorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & reddituum sui Conuentus, etiam nomine Conuentus per seipsum habere, siue exercere possit, sed vniuersum id onus tribus fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tamquam depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exata fideliter afferuet, alius de pecunijs, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessarijs, mandante tamen, ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator provideat, Officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta. Vide dicta cod. c. 6. n. 7.
- 75 Deinde pro prædictis tribus, prout supra designatis, præcipitur, quòd illi tres, tam impensi, quam accepti, singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus, eiusdem Conuentus probatoribus, rerumque vsus peritis, rationem reddant. Deinde ipsimet rursus presentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cum aduenerit, denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo Generali, saltem coram tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersamque suæ administrationis tam publicæ, quam priuatae, rationem reddere teneatur; cuius etiam exemplum authenticum ex Actis Capituli describatur, ad hoc, vt ad omne mandatum Sedis Apostolicæ Romæ transmitti possit. Vt hoc Decretum executioni mandetur in Conuentibus, qui non à Generali, sed à Prouincialibus visitantur, necesse est, vt quod in illo dicitur de Generali, intelligatur etiam respectiue de Prouincialibus.
- 76 Præterea pro non interpretandis Decretis Concil. Trid. & prædictis Clement. VIII. & SS. D. N. Urbani, sic illis præcipitur: *Superioribus autem ne Concilij Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare illo modo possint, omnino interdiximus, & prohibemus, decernentes irritam, &c. Si quis autem contra præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, Officioque priuatus, & ad ea perpetuo inhabilis existat.* Interpretatio, quæ hic prohibetur solum est interpretatio iuridica, non doctrinalis. Laurentius de Peirinis to. 2. priuileg. Minimor. in Constit. 10. Urbani VIII. n. 6.
- 77 Item pro Vita Comuni sectanda, & superfluitate, etiam à Superioribus vitanda, illis intimatur, quòd nullus etiam Superior cellas, siue in claustris, siue alibi, separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis omnino parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, vniformique suppellectili, quemadmodum Religiosos decet, contentus sit. Possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognouerit, alteram etiam cellam concedere. De superflua autem suppellectili Regularibus fugienda, vide dicta cap. 6. a num. 13.
- 78 Pro donationibus, seu munerum largitionibus non permittendis Regularibus à suis Prælati, sic illis etiam præcipitur: *Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conuentu inuolubiliter obseruentur.* Constitutio de qua in presenti, fuit Clementis VIII. & videtur innotata in hoc Decreto à S. D. N. Urbano, & Sac. Congregatione, vide quæ circa illam dicimus cap. 6. a num. 52.
- 79 Item pro Examinatoribus designandis in Religionibus, decernitur in prædictis Decretis, quatenus eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali, aliquot graues, & periti

- ex Fratribus cuilibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas Confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam cura sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores, promouendos ad quoscumque Ordines, in quo seruetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilij Tridentini. Hoc Decretum puto esse illud de quo nos egimus cap. 24. n. 12. circa licentias concedendas Religiosis ad suscipiendos Ordines.
- 80 Demum pro obseruantia Regulae, & Constitutionum Regularium, sic admonentur in prædictis Decretis Superiores: *Illud porro Superiores omnes in Domino admoneamus, vt memores sint rationis, quam in nouissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilent, vt quæ in eorumdem Ordinem Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiunijs, capitulo culparum, alijsque spiritualibus exercitijs prudenter, ac pie sancita sunt, ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur, intelligentque super his veluti fundamentis omnium Religionum edificia construenda, & amplianda esse, quæ vt faciliorem exitum faciantur, & fructus uberioris, in animis fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conuentu, singulis hebdomadis habeatur sermo de Religiosa disciplina, Regularique obseruantia.* Vide dicta cap. 7. & 8. & quæ in nostro opere de Reformatione Regularium præsertim cap. 5. 6. & 7. diximus.
- 81 Possunt Prælati Religionum exemptarum sibi Confessorem eligere, sicut Episcopi, & Cardinales *Sa in Summ. verb. confessor num. 1.* Suarez 4. tom. in 3. par. disp. 27. sect. 2. num. 9. & colligitur ex cap. vltim. de pœnit. & remis. imò & possunt eligere Confessarium quemcumque Sacerdotem alias idoneum, siue Seculare, siue Regularem alterius Religionis. Pro quo vide Dianam tom. 3. Tract. 2. de Dub. Regul. Resol. 1. & 3. Quod intellige nisi per Constitutiones Ordinum aliud caueatur. Vide dicta supra num. 27. Specialiter Prælati Carmelitæ, scilicet Generalis, & Prouincialis, & vices eorum gerentes, & qui eorum priuilegia participant possunt à concessione Sixti IV. in Bulla *Dum attenda*, quæ est Mare magnum ipsorum, absolui à suis confessoribus *iuxta formam concessionis super absolutione, & dispensatione fratrum eiusdem Ordinis factæ*, quam retuli supra in hoc capite num. 23. Generaliter etiam loquendo quoad vsum priuilegiorum confessorum Religionibus, quibus conceditur facultas, vt absoluantur Religiosi à suis Prælati à casibus, vel censuris aut dispensentur in pœnis, seu irregularitatibus contractis, quamuis Prælati infimi, v. g. locales absolui, & dispensari debeant à Prouincialibus, & isti à Generali, Generalis tamen, cum non habeat Superiorem in Ordine extra Capitulum, potest sibi eligere confessorem, cui committat talem facultatem. Non enim est alius modus, quo ipse Generalis possit passiuè vti huiusmodi priuilegijs, quibus priuari non debet, cum sit præcipuum membrum Religionis. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 23. num. 8. Vbi etiam hoc videtur extendere ad Prouinciales, & Prælatos locales. Quid verò faciendum sit in casu quo in aliquo Conuentu Religiosorum tam Prælati, quam Sacerdotes subditi incurrerent in censuram reseruatam Pontifici, v. g. si per mutuum ritam incidere in censuram Canonis, *Si quis suadente*, tractat Rodrig. to. 1. quest. Regul. quest. 20. artic. 12. Suar. vt supra a num. 9. Quando verò Prælati eligunt aliquem in sui confessorem non est necesse, quòd talis sit alijs approbatus, nam sic eligendo eum approbare videntur, saltem pro sua persona Laurentius de Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. num. 28.
- 82 Non possunt Prælati Regularium ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum extra suos Ordines existentium alicui Religioso suæ Religionis aliquod Officium, vel Dignitatem concedere, aut pœnas remittere. Primò enim Carmelitarum Superioribus id prohibuit Clem. VIII. in Bulla *quoniam nemo* ann. 1593. edita, per hæc verba. *Atque in virtute Sanctæ Obedientia, ac sub excommunicationis lata sententiæ pœna omnibus dicti Ordinis Fratribus, Superioribus, & Prælati, quocumque titulo nuncupatis, etiam Generali, presentibus, & futuris præci-*



precipimus, districteque mandamus, ne quempiam, ullo tempore, precibus, litteris, vel favoribus adducti, vel aliis ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem Principum, vel Prælatorum, aut aliorum quorumcumque, tam secularium, quam Ecclesiasticorum, extra dictum gremium existentium, etiam Cardinalium, Imperatoris, Regum, Ducum ad cuiusvis generis Prælaturas, gradus, honores, dignitates, administrationes, Functiones, & Officia prædicti Ordinis promovere, vel pœnas aliquas remittere audeant, seu presument. Secundò id prohibuit Gregorius XIII. Prælati Ordinis Prædicatorum in virtute Sanctæ Obedientiæ in Bulla, *Cum nihil*, quod etiam confirmavit Clem. VIII. in alia Bulla, quæ incipit, *Religiosos viros* anno 1592. edita. Idem quoque prohibuit idem Clemens Octavus Superioribus Camaldulensibus in Bulla, quæ incipit, *Ambitosam* ann. 1596. & Hieronymianis in alia etiam Bulla, quæ incipit etiam, *Ambitosam* ann. 1600. & Cruciferorum Superioribus in alia Bulla ann. 1604. edita, quæ incipit, *Quoniam nemo*, & etiam Augustinianorum Prælati in alia Bulla eiusdem tituli, & anni. Paulus etiam Quintus idem prohibuit Superioribus Congregationis S. Salvatoris in alia Bulla eiusdem tituli ann. 1607. & Augustinianis in Bulla *Admonemur* ann. 1608. & Prælati Monachorum Cisterciensium Italiæ in Bulla, *alias per nos*, anno 1613. & Celestinatorum Superioribus in Bulla *Quoniam nemo* anno 1616. edita, & Minimorum præpositis ann. 1619. in Bulla *Admonemur*, quam explicat Laurentius de Peirinis tom. 1. de subdito q. 2. de Pauperitate cap. 2. §. 1. animadvertens non interdici Prælati facere aliquam gratiam suis subditis ad instantiam extraneorum, sed solum quoad gradus, honores, Dignitates, Officia, &c. seu pœnarum remissionem. Sed licet hoc verum sit ex Bulla Clement. VIII. pro Carmelitis, & alijs, quibus eadem sit prohibitio, tamen cum Paul. V. in prædicta Bulla pro Minimis dicat, *ullam gratiam concedere*; & hoc distinguat Pontifex à concessione Officiorum, Dignitatum, &c. non videtur sacra prædicta interpretatio. Vide cap. 10. num. 17. & cap. 15. num. 27.

83 Gregorius XIV. in Bulla *Cum alias* ann. 1591. edita moderatus est privilegia concessa à suis prædecessoribus, præsertim Sixto V. & Pio V. quibuscumque Principibus secularibus, eorumque Curijs, & Magistratibus extrahendi ex Ecclesijs criminosos, & delinquentes, præscribens hunc modum Prælati Religionum, qualiter in prædictis casibus se gerere debeant: *Vt Laicis ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quivè homicidia, & mutilationes membrorum in ipsijs Ecclesijs, earumve cœmeterijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassini, vel hæresis, aut læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Posteaque subiungit. *Sed univrsis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælati, tam secularibus, quam cuiusvis Ordinis Regularibus, districte præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta Sacra, seu Religiosa respectivè confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumve aliquod indicio suo commississe videbuntur, quando à Curia seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curie secularis, absque irregularitatis nota, aut alicuius censura Ecclesiastica incursum tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.* Vide Bullam 2. tom. Bullar. Laertij fol. 694. Circa immunitatem verò, quam habent malefactores in locis Sacris, vide Peirin. tom. 2. prim. Minim. in Constit. 4. Clem. VIII. à num. 7. Erasmus ChoKier tr. de iuris. Ord. in Exemp. par. 4. quest. 65. & maxime Bonacinam circa prim. præcep. Decalog. quest. 7. de immunit. Eccles. Dianam tract. de immunitat. Eccles. super Bullam Greg. XIV. Specialiter Resol. 25. in qua quaerit an Religiosi gaudeant dicta immunitate in quo mihi videtur dicendum quod si delinquant ex-

tra loca Sacra verè gaudent hoc privilegio ad ea confugientes, quia non est aliqua ratio assignabilis cur in hoc sint peioris conditionis quam laici, si tamen intra ipsa loca sacra deliquerint, quamvis in rigore iuris possit illis talis immunitas sicut & laicis favere consuetudine tamen & consensu Summorum Pontificum est receptum contrarium.

84 Tenentur Superiores Religionum Mendicantium procurare, ut sui subditi reddantur idonei per studia litterarum ad audiendas confessiones, & concionandum. Ratio est, quia ipsi Religiosi Mendicantes, cum sint coadiutores Episcoporum, iuxta dicta c. 4. n. 19. tenentur saluti proximorum consulere. Bannez 2. 2. quest. 33. art. 3. dub. 3. dicens hanc obligationem esse sub peccato mortali. Thom. de Iesu sup. c. non dicatis par. 4. cap. 1. Vide etiam Tract. nofter. de Reform. Regul. cap. 11.

85 Tenentur etiam Superiores Religionum instituere studia linguarum in studijs suorum Monasteriorum ex Decreto Paul. V. in Bulla *Apostolica servitutis* anno 1610. in qua statuit, & determinat; *Vt in quibusvis Ordinis, & Instituti Regularium, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam quomodolibet extraneorum, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectorum, studijs omnibus, trium linguarum huiusmodi, Hebraicæ videlicet, Græcæ, & Latinæ, in maioribus verò, ac celebrioribus etiam Arabicæ, Doctores, Regulares quidem, & eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, seculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur, si studia in Urbibus, & locis existunt, ubi linguarum prædictarum peritos conducendi facultas est. Studijs verò locorum, ubi huiusmodi Doctores desunt, cum primùm in alijs studijs, ubi linguæ huiusmodi docebantur scholares tantùm profecerint, ut docendis alijs idonei sint, de ipsidem scholaribus provideatur. Vnde etiam omnibus, & singulis Regularium Superioribus sub indignationis Apostolicæ pœna præcipit, & mandat, & si ipsi negligentes fuerint, eorundem Ordinum Regularium apud Sedem Apostolicam Prorectoribus injungit, eorum conscientias de super onerando: *Vt omni cura, & sollicitudine quantum citius provideant, ut scholæ linguarum huiusmodi, quam primùm instituantur, ac Doctores prædicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus scholares assignentur, qui illis sedulam, & assiduam operam navent. Ut verò scholares alacrius huic studio incumbant voluit, & decrevit; Ut in promotione ad Doctoratus gradus, & ad alios sui Ordinis honores, illi ceteris paribus præferantur, qui cognitione trium saltem linguarum prædictarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti sint.* Extat etiam Decretum S. Congregat. de propaganda fide sub dat. 11. April. 1625. in quo præcipitur Generalibus, & alijs Superioribus Regularium; *Vt omnibus modis velint studia linguarum à S. Vienn. Concil. & à felic. record. Paul. V. Constit. præscripta, & aliarum etiam, quæ magis ex usu esse videntur ut Italica, & Græca vulgaris, in ijs Monasterijs, & Conventibus erigere, & instituere, & erecta, ac instituta conservare, in quibus Religiosi artibus, & Theologia operam navent.* Vbi etiam præscribitur modus, & forma id faciendi. Eodem etiam anno sub 17. April. Constitutio Paulina, & Decreta S. Congregat. eadem S. Congregat. præcipiente intimata sunt Generalibus, & Capitulis Generalibus, quæ tunc Romæ celebrabantur.*

86 Prælati inferiores non possunt dispensare in legibus latis à suis Superioribus, nisi quando expressè, vel tacitè, aut interpretativè hoc illis conceditur. Ita habetur in cap. inferior d. 21. ne Romani de election. Nauarr. in Man. prælud. 9. num. 15. In pœnis tamen taxatis à Superioribus Prælati, si eas non sibi reservaverunt, possunt Prælati inferiores dispensare ex causa iusta. Nam cum sint Ordinarij Religiosorum possunt circa illos facere omnia, in quibus non sunt prohibiti. Medina 1. 2. quest. 97. art. 4. Sine viginti tamen, & rationabili causa id non possunt facere. Ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. Miranda in Manual. to. 2. quest. 30. art. 11.

87 Prælati verò Superiores non solum possunt facere circa leges, & pœnas latis, & impositas à Prælati inferioribus quidquid facere possunt ipsi inferiores circa prædictas leges, & pœnas impositas à Prælati Superioribus, ut per se patet;

patet; sed etiam possunt prædicti Prælati Superiores restringere, & coarctare Iurisdictionem inferiorum. Quia Prælati inferiores pendent in suo esse à Superioribus, & sunt illorum subditi. Suarez 4. 10. de Religion. tract. 8. lib. 2. c. 2. num. 22. Talis vero restrictio, vt licitè fiat, petit iustam causam. Cum quilibet Prælati habeat ius vtendi sua Iurisdictione, ac proinde si illa priuatur sine causa aliqua iniuria illi fit. Suarez vt supra num. 23. Addens, etiam sine causa posse fieri validè talem restrictionem non solum in ijs, quæ ex commissione, aut delegatione conueniunt Prælati inferioribus, sed etiam in ijs, quæ de iure ordinario illis competunt. Quia Prælati superiores hoc facientes habent maiorem, & potentiorum auctoritatem. Immo dicit, propter eandem rationem, posse Prælatum superiorum priuare suo Officio validè inferiore, etiam nulla subsistente causa, licet peccet ita faciendo. Idem ibid. n. 26. Quæ quidem stando in iure communi probabilia sunt, secundum tamen peculiare leges, & consuetudines Religionum; ad illas pertinet iudicare, quid fieri, vel non fieri in casibus similibus possit.

88 Prælati Regularium (qui iuxta ipsorum priuilegia) possunt instituere Confraternitates suorum Ordinum, easque aggregare in quibuscunque Ecclesijs, siue proprijs siue extraneis, seruare debent conditiones assignatas à Clem. VIII. in Bulla, quæ incipit, *Quæcumque à Sede Apostolica* anno 1604. edita, quæ est 115. inter Bullas huius Pontificis in 3. 10. Bullar. & postea etiam confirmata fuit à Paulo V. in alia Bulla, *Quæ salubriter* anno 1610. & est 68. inter Bullas huius Pontificis. Prima conditio est, vt in vno loco vnam tantum confraternitatem, & Congregationem instituere possint. Secunda, vt id fiat de consensu Ordinarij loci, & cum litteris eius testimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ pietas, & Christianæ charitatis Officia, quæ exerceat cupit apud eos commendentur. Tertia, vt huic Confraternitati, & Congregationi erigendæ, instituenti, seu aggregandæ, ea tantum priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, & Religionis instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti, nominatim, & in specie, non autem, quæ per extensionem, seu communicationem sibi quouis modo concessa sint, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicare valeant. Quarta est, quod statuta harum Confraternitatum sint prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata, & eiusdem Episcopi Decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus sèper subiecta remaneant. Quinta, vt seruetur formula instituendi Confraternitates approbata ab ipso Pontifice. Sexta, vt Ministri, & Officiales dictarum Confraternitatum non vrantur priuilegijs, & facultatibus nisi præuia recognitione Ordinarij, qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo illa iuxta Sacri Concilij Tridentini Decreta promulganda decernat. Septima, quod Ministri, & Officiales dictarum Confraternitatum possint excipere eleemosynas iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mens, peluibus, & capis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueuerunt. Deinde qualiter dictæ eleemosynæ expendendæ sint, sic præscribit. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & Ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum, instituentium, erigentium, & communicantium, ac Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios vsus; arbitrio Vicarij in Vrbe, necnon Ordinarij locorum respectiue fideliter exponere, atque erogare procurent: vt omnes intelligant, cœlestes Ecclesiæ Thesaurus, non quæstus, aut alicuius lucri gratia, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apostolicæ Sedis benignitate Christi fidelibus aperiti. Præterea, assignatis casibus à quibus possint Confratres absolui à suis Confessoribus, & à quibus non, postea omnes institutiones, & aggregationes Confraternitatum vbiuis locorum erectas, & institutas, præcipit renouandas iuxta formam

ab ipso præscriptam, aliàs vult illas esse nullius roboris, & momenti, reuocatas, & annullatas. Ac tandem pœnas contrahentibus sic apponit: *Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, Institutorum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum huiusmodi quavis auctoritate, vel priuilegio, & Officio fungantur, & præsumpserint, Erecciones, Institutiones, & Communicationes priuilegiarum, Indulgentiarum, facultatum, Spiritualiumque gratiarum, & indultorum, aliorum præmissorum concessiones, nec non aggregationes per ipsos faciendæ, seu renouandæ nullius sint roboris, & momenti; & quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium, & aliorum prædictorum priuationis Officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda pœnam, quæ ab alio, quam à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.* Ne autem sit error aliquis in Institutione Confraternitatum lege prædictam Constitutionem Clem. VIII. pro his, & alijs conditionibus ibi assignatis. Pro præcedentia verò Confraternitatum vide Quarantam in *Summ. Bullar. ver. præcedentia*. Vbi etiam, in quibus Episcopus, & in quibus Iudex laicus intromittere se possint circa has Confraternitates. Non posse autem compelli ab Episcopo, aut censuris astringi, vt accedant ad publicas processiones, declaratum est pluries à Sac. Congregatione, apud eundem Quarantam vt supra. Pro formula autem instituendi, seu aggregandi huiusmodi Confraternitates, quam Pontifex præcipit obseruari, vide Flauium Cherubinum in *Compend. Bull. circa hanc Constitut. 115. Clem. VIII.* Circa Confraternitates etiam B. Mariæ de Monte Carmelo, vide Constitutiones nostras, p. 4. cap. 28. & specialiter concordiam factam inter Carmelitas nostros obseruantes, & R. R. Patres Discalceatos confirmatam à Paulo V. in Bulla *Ad ea* anno 1617. edita, quæ habetur, in lib. cui titulus est, *Priuilegia Fratrum Discalceatorum Beate Mariæ Virginis de Monte Carmelo*. Vide etiam pro Confraternitatibus multa apud Gauantum in *Manual. Episcop. verb. Confraternitates*. Maximè vide dicenda tom. 2. cap. 15.

89 Gratias autem, siue Indulgentias, quas Carmelitarum Generalis applicare potest Confratribus Confraternitatis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, habemus ex Paul. V. in Bulla *Cum certis*. anni 1606. die 30. Octobris, Vide Bullam in lib. cui titulus est, *Priuilegia Fratrum Discalceatorum*. num. præcedenti relato.

90 Quamuis prælati Religionum possint se soli per præcepta, aut decreta, quæ solum durent tempore sui Officij obligare suos subditos etiam in conscientia; ratione voti Obedientiæ, quod subditi fecerunt, & ratione Iurisdictionis Ecclesiasticæ, quam ipsi Prælati habent. Non possunt tamen iure communi condere leges, aut statuta perpetua sine Capitulo proportionato, scilicet Generali, Prouinciali, aut locali, respectu totius Religionis, Prouinciæ, aut Conuentus. Ratio est, quia vt docet S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 1. condere leges spectat ad Communitatem, nam cum legis impositio sit res grauissima, vt potè perpetuè durans, requirit Communitatis, cui imponitur, consensum, atque adeo sine ipso nihil fiet. Neque obstat, quod Prælati habeant Iurisdictionem quasi Episcopalem, Episcopi autem soli, sine consensu Capituli, condere possint leges, quia non habent in omnibus parem, aut similem potestatem sicut Episcopi, cuius signum est, quod Episcopi immediate habent suam potestatem à Papa, Prælati autem Religionum ab ipsa religione respectiue. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 4. 5. & 8. Dixi verò, iure communi non posse condere leges, aut perpetua statuta, quia saltem ex consuetudine, lege, vel priuilegio id possunt habere, iuxta dicta c. 8. n. 3. Vnde consulenda sunt intra particularia Religionum. Cum autem in nostra Religione Carmelitarum par. 2. Const. cap. 1. num. 9. committatur priori Generali, quod *possit omnia facere, quæ Diffinitores Generales facere possunt, absolutionibus Priorum Prouincialium liberè, sine culpa, & eorum institutionibus prohibito, vbi fieri potest electio, & apertione sigilli communis Ordinis, dumtaxat exceptis*; videtur posse Generalem Carmelitarum per se solum condere leges, aut statuta perpetua,

petua, sicut, & Capitulum Generale cum ipso id facere potest. Exprimi tamen semper debet se ut in hac parte Iurisdictione, & potestate extraordinaria illi in prædicto loco Constitutionum concessa, ne credatur solum potestate ordinaria usum fuisse. An vero prælati possint huiusmodi leges, aut etiam præcepta imponere solo suo arbitrio, sine consilio eorum, qui iuxta religionis morem illis assistunt, dicendum est, quod attinet ad leges, non posse, ita facere; quia, ut diximus, condere leges pertinet ad Communitatem. Loquendo verò de præceptis, attendenda sunt iura, & consuetudines particularium Religionum. Iure verò communi loquendo, in præceptis, quæ imponuntur particularibus personis, nisi valde graua, onerosa, aut extraordinaria sint, sufficit sola autoritas, voluntas, & iudicium Prælati absque alia consultatione: quia esset valde onerosum pro bis consultationem cum alijs facere. Secus in grauioribus præceptis, quæ, vel toti Communitati, vel etiam priuato religioso imponuntur. Quia lege naturali prudentia dicitur, quod res grauis non fiat sine maturo consilio. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 6. Vbi etiam num. 7. quid dicendum, an quando consilium est necessarium, sit etiam de substantia, & valore præcepti, ita ut sine ipso non teneat. Sed in hoc attendendum est ad particularia iura Religionum, sicut in alio dubio, quod ibidem num. 9. tractat, an Capitulum Generale Religionis, sede vacante ante electionem Generalis possit condere leges, seu statuta perpetua. In Religione autem nostra certa videtur pars affirmatiua, cum tale Capitulum, ante electionem etiam Generalis habeat semper aliquod caput, Vicarium scilicet, vel Præsidentem, ratione cuius totam Religionem repræsentet. Secus verò esset, si casu aliquo dato, non esset tale caput, tunc enim tale Capitulum accephalum, esset nec haberet potestatem prædictam. Audio etiam in grauiissima Augustinianorum familia, præcepta Superiorum durate etiam transacto tempore Officij, si à successoribus non reuocentur, atque ita habere quasi vim legis. Circa huiusmodi autem præcepta lata à Superioribus nota, quod illis obligantur Superiores quoad vim directiuam ita ut in conscientia teneantur ad illa; tum quia caput debet conformari membris, tum quia aliter facientes reprehendantur à Christo Matthæi 23. illis verbis: *dicunt & non faciunt*, & à Paulo ad Roman. 2. illis. *Qui alium doces te ipsum non doces, qui prædicas non furandum furaris*; & infra: *Propter quod inexcusabilis es &c.* S. Thom. 2. 2. q. 96. art. 5. Couarr. in c. Alma mater. p. 1. §. 1. num. 7. Tambur. de Iure Abb. tom. 3. disp. 3. q. 4. post alios. Casu autem quo Superiores transgrediantur præcepta à se posita pro aliquo casu, non propterea censentur ipsis derogare, quia existimandum est quod sicut potuerunt pro illo casu dispensare cum subditis in talibus præceptis, sic etiam secum. Secus verò si perseverent in inobseruantia suorum præceptorum, quia tunc videntur illis derogare, maximè si non censeantur vtilia. l. 1. ff. de const. Princ. Guttier. Canon. q. lib. 1. c. 8. n. 3. Tambur. sup. Pœnis autem impositis per præcepta Superiorum, non tenentur ipsi Superiores, quia nullus Superior tenetur pœnis à se impositis, aliàs obligarentur etiam quoad vim coactiuam suis præceptis. Tamburinus supra ex Sairo, Lefio, Suarez, & Salas.

91 Possunt prælati Religionum, videlicet Generales, & Prouinciales, transferre suos subditos de vno ad alium locum, videlicet, Generales possunt mutare Religiosos de vna ad aliam Prouinciam, Prouinciales verò de vno ad alium Conuentum, sicut Priores locales, seu Guardiani, aut alij prælati infimi suos subditos de vna ad aliam eamdem. Ratio sumitur, tum ex Iurisdictione quasi Episcopali, quam habent prædicti prælati in suos subditos, tum ex voto Obedientiæ, quod ipsi emiserunt in sua professione. Nauarr. comment. 4. de Regul. num. 22. & lib. 1. Consilior. consil. 9. num. 11. Id autem non debent facere sine causa. Quia hoc videtur esse contra charitatem; & bonum regimen Religionis. Addunt aliqui, quod si Generalis absque rationabili causa subditum transferat de sua naturali prouincia in aliam, habeat iustam causam appellandi ad Sanctissimum, vel protectorem. Nauarr. lib. 2. Consil. de appellat. consil. 5. num. 6. lib. 1. consil. 9. num. 11. Rodrig. 10. 3. quest. Regul. quest. 23. art. 3. Displicet tamen quod qui-

dam subiungunt, scilicet, quod subditus non teneatur obedire Generali illum transferenti ex vna prouincia in aliam. Non solum quia in dubijs potius fauendum est prælati, quam subditis, sed etiam, quia cum per professionem religiosus promiserit obedientiam Generali, non pro vna, aut alia prouincia, sed pro tota Religione, ad quam eius Iurisdictione extenditur, credendum est stare debere voluntati ipsius illum sic transferentis.

- 92 Possunt, & debent Prælati Superiores, videlicet Generales, & Prouinciales, per se, vel per alios visitare suam Religionem, vel prouinciam. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 1. Vide dicenda cap. 27. num. 1. 2. & 3. Non tamen possunt mittere ad visitandum Religiosum aliquem extraneum, vel Clericum sæcularem. Ratio est, quia oportet Visitatorem instructum bene esse in regula, & Instituti visitandorum. Laurentius de Peirinis to. 1. de subdito quest. 1. de Obed. cap. 18. Rodrig. 10. 3. quest. Regular. quest. 77. art. 9. & 10. 2. quest. 4. art. 2. & quest. 52. art. 7. Id autem rectè possunt facere Summus Pontifex, & Legatus à latere. Propter ampliorem facultatem, quam ipsi habent. Rodrig. 10. 2. q. 52. artic. 7. & 9. Peirin. ut supra.
- 93 Absolutiones autem, & dispensationes à censuris, & irregularitatibus, quæ communiter solent dari à prælati Regularium, tam in prædictis visitationibus, quam in aliquibus festiuitatibus solemnioribus, profunt Religiosis in foro interno animæ, saltem pro censuris, & irregularitatibus dubijs, & oblitis, seu ignoranter incurfis. Aliàs profus vanæ, & inutiles essent tales absolutiones, & dispensationes. Ledesma de statu Religiosor. in communi cap. 4. Laurent. de Peirin. 10. 1. priuileg. Minim. in Constitut. 1. Iulij 11. §. 16. num. 42. An verò profunt etiam pro censuris, & irregularitatibus certis, & manifestis, occultis tamen, & in foro conscientie? Non video aliquem de hoc puncto disputantem; sed sub aliorum censura dicerem, valere quidem ad omnia, ad quæ se extendere possunt auctoritas ordinaria, & priuilegia prælatorum. Verba enim illa, quibus in similibus casibus vtuntur prælati, scilicet, *absoluo vos, vel dispenso vobiscum*, piè, sanè videntur fauorabiliter amplianda.
- 94 Possunt etiam Prælatos Regulares commutare legata facta ad vnum usum, in aliud, tenent aliqui; propter priuilegia Minoribus concessa, Sixti IV. & Leonis X. Rodrig. tom. 2. quest. Regular. quest. 125. art. 9. Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 22. Sed præterquam quod hæc priuilegia viæ vocis oracula sunt, ac per consequens his temporibus nullius momenti, vterius non fuerunt authentica, ut testatur Casarubius in Compend. priuileg. Mendic. verb. commutare num. 1. & 2. Casu tamen quod circa hoc sit aliquod priuilegium, quod non video, ad minus tamen legitima causa talis commutationis necessariò requiritur. Beia 4. p. casuum cas. 22. Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in Constit. 2. Iulij 11. §. 26. n. 74. & 75. Vide tomo 2. cap. 19. num. 47.
- 95 Possunt aliqui Superiores Regulares in vnaquaque prouincia constituere vnum, vel plures Fratres sui Ordinis, probatos tamen, ac fide, & doctrina idoneos, in Notarios publicos, pro intimandis mandatis; priuilegijs, concessionibus, & indultis Apostolicis Ordini concessis, quibuscumque personis, siue Ecclesiasticis, siue secularibus, etiam Regibus, Ducibus, &c. vbi, & quories opus fuerit. Ita enim concessit Pius V. Dominicanis ann. 1571. die 21. Martij, in Motu proprio; qui incipit *debitum Pastoralis*, in 2. tom. Bullar. Laert. Cherub. in Pio V. n. 124. Vbi etiam animaduertit ipse Cheru. idem concessisse Iulium III. ann. 1554. Hoc autè priuilegio gaudent alij Mendicantes propter communicationem priuilegiorum, quam inter se habent. Rodrig. tom. 3. quest. Regular. quest. 8. artic. 1. Nisi fortè per non usum legitimum hoc priuilegium perdidissent iuxta dicta cap. 3. num. 17. Aduerti autem oportet priuilegio hoc non posse vti, nisi Monasteria, quæ de obseruantia sunt tantum, & ab illis personis, quæ sunt obseruantia tantum; sic enim explicat suam mentem Pontifex in hac Bulla. Aduertunt autem alij (Peir. 10. 2. priuileg. Minim. in Constitut. 9. Pij V.) quod isti Notarij possunt creari non solum à Generalibus, & Prouincialibus, sed etiam à Superioribus localibus. Similiter, quod in informationes intrantum Religionem possunt fieri ab istis Notarijs. Sed quoad primum, id est contra intentum Pontificis, solum enim conce-

concedit hanc facultatem *Magistro Generali, Vicarijs, & Prouincialibus*, vt patet ex contextu Bullæ. Quoad secundum verò, licet ex priuilegio Clem. VIII. concessio patribus Dominicanis Conuentus S. Stephani Salmanticensis, quod referimus *cap. 24. num. 14.* possint fieri informationes admittendorum ad Ordinem *per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum*, ex vi tamen huius priuilegij Pij V. non potest hoc fieri; quia, vt constat ex contextu Bullæ, solum concedit hanc facultatem creandi Notarios ad notificandum, & intimandum priuilegia Religionis. De modo autem creandi huiusmodi Notarios iuramento ab ipsis præstando, & forma litterarum. Vide Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 9. Sixti IV. num. 9.*

96 Quamuis aliqui Prælati Religionum possent concedere licentiam Religiosis legendi libros prohibitos, propter concessionem factam à Sixto IV. Ordini Prædicatorum, & Minorum, & Societati Iesu à Pio V. & Gregor. XIII. cum quibusdam conditionibus ibi assignatis; (Rodriguez *tom. 2. quest. 82. art. 7.* Peregrinus *in Compen. tit. lib. prohibiti*) tamen huiusmodi facultates, quatenus attinet ad hæreticorum libros *heresim continentis, vel de Religione tractantes*, reuocantur per Bullam Cœnæ Domini, quæ singulis annis legi solet, siquidem in illa reuocantur, omnia priuilegia etiam Mendicantibus quomodolibet concessa. Quatenus verò attinet ad alios libros prohibitos, vel suspensos, etiam videntur reuocata huiusmodi facultates, cum Gregor. XV. in Bulla *Apostolatus* anno 1623. edita, quæ habetur in *4. to. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 40.* reuocauerit omnes, & quascumque licentias legendi, & habendi libros prohibitos quomodolibet, quod etiam fecit Sanctiss. D. N. Urbanus anno 1631. in Bulla etiam *Apostolatus tom. 4. Bullar. in addit. num. 114.* reuocans prædictas licentias concessas quibuscumque personis tam secularibus, quam Regularibus, cuiuscumque gradus, status, conditionis, qualitatis, & præminentie, etiam speciali nota, & mentione dignis. Video aliquos Laurent. de Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 9. Pauli V. à num. 9.* dicere prædicta Constitutione Gregorij (idem diceret de Constitut. Urbani) solum reuocari licentias particulares legendi huiusmodi libros, non verò priuilegia Regularibus concessa. Sed quia in prædictis Constitutionibus reuocantur facultates concessæ, etiam *per litteras Apostolicas, & aliter quomodocumque*, quo videntur etiam priuilegia comprehendere, ideo securior est nostra sententia, & in praxi consulenda, licet opposita sit forsitan speculatiue etiam probabilis, dummodo constet prædictas concessiones non fuisse factas viuæ vocis oraculo, aliàs omnino inualidæ iam essent his temporibus, vt sæpius diximus, an verò talia fuerint, mihi notum non est.

97 Non potest vnus Religiosus habere duas Prælatias in Religione eadem, vel diuersis, sine auctoritate Sedis Apostolicæ. Ratio est, quia ita habetur in *cap. multa de præbend. & in Concil. Trident. sess. 7. cap. 2. & 4. & sess. 24. cap. 17.* Miranda in *Manual. 10. 2. quest. 3. art. 3. & quest. 7. artic. 12.* Consuetudo autem aliquarum Religionum, in quibus Generalis, vel Prouincialis est simul Superior immediatus alicuius Conuentus, tolerari potest, dummodo sit legitime præscripta, vel à Sede Apostolica approbata.

98 Possunt Generales nostri Carmelitani Ordinis instituire Prouinciales Titulares Angliæ, Hiberniæ, Scotiæ, Daciæ, Saxonie, & aliarum Prouinciarum, quæ olim in Religione verum, & reale Ius, & Dominium, Iurisdictionemque habuere, vt constat ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij ann. 1592. Vnde in Capitulo Generali Cremonæ celebrato 6. Iunij 1593. admissi sunt tales Prouinciales titulares sub his legibus, & conditionibus. Primò, Reuerendi Prouinciales Titulares instituantur in Capitulo Generali quoriscumque habentur Comitæ, extra Comitæ instituantur à Reuerendissimo Patre Ordinis. Secundo, Socios cum voce sibi asciscere non valeant quibuscumque Capitulis. Tertio, de triennio in triennium mutentur, vel confirmentur à Reuerendissimo Patre Ordinis. Quarto, dum Reuerendissimus Pater fuerit assumptus, vel vita functus, Generalis Vicarius Apostolicus non possit eos arbitrari suo amouere, & alios instituire.

Quinto, circa Prouincialem Terræ Sanctæ decreuerunt seruandam esse consuetudinem Religionis. Sexto, habeat locum, & vocem immediatè post Priores Conuentus, in quo degunt. Septimo, in Capitulo Generali, & coram Reuerendissimo Patre teneant locum Prouinciæ, cuius titulum habent. Octauo, si contigerit plures simul commorari, post Priorem Conuentus, inter se vnusquisque teneat locum suæ professionis, vel gradus. Nonò, subsint immediatè Reuerendis, Patri Ordinis, ipsi, & eorum Socij. Video tamen hoc vltimum de Socijs ipsorum non esse in vsu. Decimo, in Capitulo Generali habeant vocem actiuam, & passiuam in omnibus in quibus cæteri Reuerendi Prouinciales de Iure, vel de consuetudine habent. Vndecimo, possint habere munia, & Officia in Conuentu, & Prouincia in quibus degunt, quæ alioquin habere possent. Duodecimo, priuati non sint hoc titulo ob quodcumque Officium sibi iniunctum nisi Prouincialatum alium obtinuerint. Decimotertio, interessint omnibus, quibus alij Patres primarij, & discreti interesse debent in his Conuentibus, in quibus habitant. Decimoquarto, si assumantur ad Prioratum, licet non teneantur renunciare titulo, tenentur tamen subesse dispositioni, & obedientiæ Reuerendi Prouincialis Prouinciæ in qua Prioratum obtinent. Declarauit insuper eadem S. Congregatio, non prohiberi prædictos titulares ferre suffragia in electionibus Superiorum Decreto Concilij Trident. *sess. 25. de Regularibus cap. 6.* vbi scilicet decernitur non licere, *Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ constituere.* Quo datur intelligi mentem Concilij solum fuisse tollere prædictos Titulares, quando solum pro tempore electionis faciendæ, & ad hunc effectum sunt electi, non verò titulares perpetuos, prout colligitur ex Epistola Secretarij eiusdem Congregationis ad Vicarium Generalem Ordinis, quæ habetur in prædicto Capitulo Cremonensi.

99 Superiores Religiosorum concedentes alicui sibi subdito licentiam adeundi ad partes transmarinas, in quibus pauci fideles reperiuntur, nisi talis subditus sit scientia, prudentia, & experientia vsu præditus, incidunt in excommunicationem latæ sententiæ Papæ reseruatam in Extrauaganti *Ad nostrum.* Bonacina in *tract. de clausura quest. 2. punct. 4.* Qui bene etiam addit hanc excommunicationem non incurri, si ipse Superior Ordinis, ille scilicet, qui in ipsa alium Superiorem non recognoscit, vt puta Generalis, ad prædictas partes vadat, cum textus solum loquatur de Religiosis subditis. Vide dicta *cap. 9. num. 32.*

100 Ex nouissimo etiam Decreto Sanctiss. D. N. Urbani VIII. in Generali Congregatione S. R. Inquisitionis habita 24. April. 1633. præcipitur omnibus Superioribus Religionum sub pœna priuationis Officij, ac vocis actiue, & passiuæ ipso facto incurrenda, alijsque arbitrio S. suæ infligendis, vt in perpetuum semel saltem in anno, id est, feria 6. post octauam Assumptionis Beate Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter conuocato, & insuper in quocumque Generali, ac Prouinciali Capitulo, Conuentu, Dieta, vel alio quouis nomine nuncupato Capitulari Congressu, suos subditos, ac Religiosos commone de iniuncta omnibus obseruantia, & executione, litterarum Apostolicarum, Constitutionum, & Decretorum ad Sanctum Officium Inquisitionis pertinentium. Præsertim Constitut. Iulij III. quæ incipit *licet à diuersis*, & habetur *tom. 1. Bullar. inter Constitutiones huius Pontificis num. 11.* & Constitut. Pij V. quæ incipit *Si de protegendis*, & habetur in *2. to. Bullar. inter Constitutiones huius Pontificis num. 82.* & Constitut. Pij I V. quæ incipit. *Cum sicut nuper 2. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 31.* & Constitut. Greg. XV. quæ incipit *Vniuersi Domini cæ gregis*, & est in *4. to. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 34.* de qua, & nos *cap. sequenti num. 37.* Et constitut. Gregor. XIII. quæ incipit *Officij nostri partes* inter Bullas huius Pontificis *tom. 2. Bullar. num. 21.* simul cum Constitutione Clement. VIII. quæ incipit *Etsi alias*, & est in *3. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 81.* simul etiam cum Constitut. Sanctiss. D. N. Urbani VIII. quæ incipit *Apostolatus Officium* inter Bullas ipsius *4. to. Bullar. num. 79.* De quibus nos egimus *cap. 10. num. 22.* Deinde etiam Constitut. Sixti V. quæ incipit *Cæli, & Terræ crea-*

for, & est inter Constitutiones ipsius n. 17. in 2. tom. Bullar. simul cum Constitutione Sanctis. D. N. Urbani, quæ incipit *infernabilis*, & est inter Constitutiones ipsius 4. 10. Bullar. num. 113. de quibus nos egimus cap. 10. num. 27. Præterea Constituit. Clem. VIII. quæ incipit *Cum sicut in 2. tom. Bullar. num. 42.* & Gregor. XV. Constituit. 28. quæ incipit *Romani Pontificis* 4. 10. Bullar. Item Pauli V. Constituit. 26. quæ incipit *Romanus Pontifex*, de qua nos in hoc capite num. 18. diximus. Eiusdem Constituit. 97. inter Bullas ipsius, quæ incipit *Regis pacifici*, simul cum alia Gregor. XV. quæ incipit *Santissimus Dominus noster auditus*, & est 29. inter Constitutiones ipsius, de quibus, & nos cap. 20. num. 12. dicemus. Præterea Constituit. Gregor. XV. quæ est 27. inter Constitutiones ipsius, & incipit *Romanus Pontifex in Specula*, simul cum alia Sanctissimi D. N. Urbani VIII. de eadem materia, quæ incipit *Aliis fel. record. Gregorius Papa XV.* sub Datis Romæ 20. Decembris 1631. de quibus nos cap. 3. num. 21. Similiter eiusdem Gregor. Constituit. 40. quæ incipit *Apostolatus officium*. Et Sanctis. D. N. Constituit. 114. quæ incipit eodem modo, & de quibus nos cap. presenti. num. 96. Insuper Sanctis. D. N. Urbani Constituit. 37. quæ incipit *Santissimus Dominus Noster sollicitè animaduertens*, de qua & nos c. 12. num. 39. & 40. Item eiusdem Sanctis. D. N. Urbani Constituit. 50. quæ incipit *Santissimus Dominus noster pro debito sui pastoralis officij*. Ac demum eiusdem SS. D. N. Constituit. sub Datis Romæ die 5. Nouembr. 1631. quæ incipit *Cum sicut accepimus*. Ad adimpletionem autem huius decreti (vt puto) necessarium non est prædictas Constitutiones integrè legi, sed solùm summam quoad substantialia eis contenta. Præcipitur autem ab eodem SS. D. N. Urbano eiusdem superioribus, quatenus teneantur curare, & efficere, vt prædicti Decreti exempla aliquo loco apud eos publico affigantur, & affixa conferuentur, ita vt ab eisdem subditis Religiosis videri, ac legi commode queant. Deque huiusmodi commonitione publico documento statim certiorum facere Congregationem S. Inquisitionis in Vrbe.

101 Circa facultatem, quam habent prælati Regulares, præsertim Ordinum Mendicantium recipiendi Tertiatios, vide dicta cap. 3. num. 22. Circa ea, quæ possunt præcipere suis subditis, vide cap. 4. per totum. Qualiter etiam Religiosi nihil possint habere, recipere, dare, &c. sine licentia suorum Superiorum cap. 6. ferè per totum. Et qualiter ipsi prælati non possint suis subditis aliquid superfluum, aut impertinens permittere, ibidem à num. 13. De aliquibus obligationibus prælatorum Regularium, quæ habentur in Iure, & Concilij cap. 9. specialiter num. 27. 32. 34. & de ijs, quæ habentur ex Constitutionibus Summorum Pontificum, & Decretis Sacr. Congregat. cap. 10. n. 1. 2. 16. 20. 21. De obligatione Prælatorum ad faciendum recitari Officium Diuinum in suis Ecclesijs c. 12. n. 9. Circa facultatem dispensandi in illo cum suis subditis. ibid. à num. 28. Proijs, quæ facere possunt, aut tenentur circa suos subditos volentes recipere Ordines, cap. 14. Pro electionibus ipsorum, cap. 15. Pro cura, quam habere debent circa Apostatas, & fugiuos, cap. 16. à n. 16. Pro obligatione, quam habent examinandi Concionatores, nec permittendi prædicare Idiotas c. 10. n. 1.

102 Quamuis ex vi cuiusdam constitutionis Pij V. Regularium prælati tenerentur emittere professionem fidei, quia tamen ferè in omnibus Religionibus vsus est in contrarium in illis non est talis obligatio. Sorbus in Annotat. ad compend. priuileg. tit. professio fidei. Portellus in Dub. Regular. verb. professio n. 3. Idem probabiliter dico de lectoribus etiam Sac. Theolog. in Religionibus in quibus non est in vsu talis Bulla. Diana tract. de Dub. regul. Resol. 78.

#### SUMMARYM CAP. XIX.

Regulares minus confessoriorum exercere possunt. n. 1.  
Presentati tamen, & approbati ab Episcopis. n. 2.  
Quid si sine legitima causa licentia concedere renuat. n. 3.  
Presentatio in uno Episcopatu non sufficit pro alijs. n. 4.  
De priuilegijs quæ circa hoc dicuntur esse. n. 5.  
Quid de graduatis in theologia, lectoribus, Prælati, &c. num. 6.

Approbatio Confessoriorum quomodo non perpetua. n. 7.  
An possit limitari ad tempus, locum, personas, &c. n. 8.  
Quomodo possint vel non suspendi ab Ordinarijs. n. 9.  
Approbatio Confessoriorum non exprat morte concedentis. num. 10.  
Aliqui ipsorum audire possunt confessiones omnium. n. 11.  
An requiratur voluntas suorum superiorum. n. 12.  
Quid de Confessarijs excommunicatis suspensis, &c. n. 13.  
A quibus casibus possint absolvere. n. 14.  
An dispensare in irregularitatibus. ibid.  
An absolvere à casibus Papalibus. n. 15.  
Quomodo intelligenda decreta Sacr. Congregationis circa hoc. num. 16.  
Quid de casibus Episcopi reseruatis. n. 17.  
Quid de locis ubi publicatur Bulla Cruciate. n. 18.  
Nomen Ordinarij quomodo intelligendum in Iubilais, & Bullis præsertim Cruciate. n. 19.  
An in illis censeatur concessa facultas dispensandi in irregularitatibus. ibid.  
Qualiter absolvere possint Confessarijs confratres confraternitatum suorum ordinum. n. 20.  
An teneantur absolvere à reseruatis quando possunt id facere. n. 21.  
An possint dispensare in votis. n. 22.  
An illa commutare. n. 23.  
Quid de votis Papa reseruatis. n. 24.  
Quid de Coniugibus incestuosis. n. 25.  
Quid de illis qui voto factò castitatis contraxerunt. n. 26.  
An absolvere possint plenarie Religiosos sui ordinis. n. 27.  
Saliem in articulo mortis. n. 28.  
An Religiosi possint sibi confessorios eligere præter assignatos à suis superioribus. n. 29.  
Qui credit se non esse idoneum ad confessiones audiendas quid facere debeat. n. 30.  
Confessores qui in domibus laicorum confessiones audiunt quid facere debeant. n. 31.  
Decretum Congregationis Sanctæ Apostolicæ visitationis. num. 32.  
Confessores sollicitantes ad illicita suos penitentes puniuntur à S. Officio. n. 33.  
Qui comprehendantur in constitutione Gregor. XV. contra istos sollicitantes. n. 34.  
Quid statuerit Gregor. XV. circa administrantes sacramenta. n. 35.  
Quid Clemens Octauus circa confessorios Religiosorum. num. 36.  
Quid quando Religiosus habet casum reseruatum, & postulat à Confessario Prælati. n. 37.  
Litteras Pœnitentiariæ an possint aperiri à Confessarijs Regularibus. n. 38.  
An liceat elemosynas postulare à Pœnitentibus. n. 39.  
Quando committitur à confessorio simonia. n. 40.  
Pœna audientis Confessiones sine licentia, & autoritate. num. 41.  
Pœna Confessarij secretum Confessionis detegendis. n. 42.  
Pœna Confessarij absoluentis à censuris, vel casibus quando non possunt. n. 43.  
Omnes Confessarij tenentur, apud se habere transumptum Bulla cœna. n. 44.  
Curati Regulares tenentur interesse congregationi casuum conscientie. ibid.  
A quibus examinandi Confessarij Regulares. n. 45.  
Pro pœnis quas incurrunt non facientes conscientiam suis pœnitentibus circa soluendas decimas. ibid.

### De Confessoribus Regularibus, eorumque facultatibus, & obligationibus. Cap. XIX.

1 Regulares, seu Religiosos Sacerdotes de suorum prælatorum licentia, secularium confessiones audire posse, dummodò ad id, siuè ex priuilegio, siuè aliter, delegatam habuerint iurisdictionem, res est in confesso apud omnes, antiquioribus quibusdam paucis exceptis, qui rem hanc licentiosè nimis tractarunt.

Quamuis

- 2 Quamuis olim tempore Bonifacii VIII. in Extrauag. quæ incipit, *Super Cathedram*, dederit ipse facultatem regularibus, vt solummodò à suis prælatis præsentati Episcopis secularium confessiones possent audire. Et tempore Benedicti XI. in alia sua Extrauag. quæ incipit, *Inter cunctas de priuilegijs*, etiam sine præsentatione, aut licentia Episcoporum concesserit posse Regulares audire secularium Confessiones. Et tempore Clem. V. in Concilio Vienensi in Clem. quæ incipit, *Dudum de sepult.* reuocatum fuerit Decretum Benedicti, & renouatum illud aliud Bonifacii, iam tamen post tempora Concil. Trident. ad hoc quòd Religiosi possint confessiones secularium audire, requiritur præsentatio, & approbatio Episcoporum per hæc verba *sess. 23. cap. 15.* Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluedi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneus reputari, nisi, aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis datur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus, &c. Nauatr. *cap. placuit num. 52.* Quia verò postea aliquibus Religiosis concessum est indultum audiendi Confessiones secularium, absque præuio examine Ordinarij, SS. D. N. Urbanus in Bulla edita anno 1628. quæ habetur *tom. 4. Bullar. inter Constitutiones huius Pontificis num. 92.* cassauit, annullauit, & reuocauit omnia, & singula priuilegia quibuscumque religionibus, & Societatib. cõcessa. Vnde iam his temporibus nullum extat priuilegium aliquibus Religiosis concessum, quo possint secularium confessiones audire non præuio examine Ordinarij. Nec sufficit approbatio à Parocho, etiam pro subditis illius Parochiæ. Quia Concilium requirit approbationem Episcopi. Bonacina *de Sacrament. pœnit. disput. 5. quæst. 7. punct. 4. §. 1. num. 12.* Nec etiam requiritur consensus Parochi, in cuius Parochia Religiosus audire vult confessiones, si accepit facultatem audiendi confessiones independentem à parochis, Bonacina *vt supra num. 17.* Barbola *de Officio, & potestate parochi c. 19. num. 22. & 23.*
- 3 Aliqui dicunt non obstante prædicto Concil. Trident. Decreto, quòd si Episcopi, (quod absit) ex inuentione, mala voluntate, odio, aut absque alia legitima, iusta, & rationabili causa regularibus præsentatis coram ipsis, noluerint dare licentiam audiendi confessiones, posse nihilominus secularium confessiones audire. Tum quia quoad hoc non est reuocata per Concilium Clementina illa *Dudum de Sepulturis*; quæ hoc statuit; tum quia non est credibile Concilij Decretum procedere in hoc casu. Nauarrus in *Manual. c. 27. n. 264.* Miranda in *Man. tom. 1. q. 45. art. 6.*
- 4 Præsentatio Confessariorum Regularium facta in vno Episcopatu non sufficit pro alijs Episcopatibus. Colligitur ex Concilio Tridentino illis verbis. *Nisi ab Episcopo approbationem obtineat*; verbum enim illud (*Episcopi*) in plurali positum, satis insinuat, quod non sufficit vnus, aut alterius Episcopi approbatio, sed eorum omnium, in quorum Diocesis Regulares audire volunt confessiones. Collector. priuileg. Mendicantium in suo *Compendio verb. absolutio quoad seculares.* Suarez quarto tomo ad 3. partem *disp. 28. sect. 7.*
- 5 Affertur tamen priuilegium, quod Gregor. XII. concessit Confessarijs, & prædicatoribus Societatis Iesu in Bulla *Ad perpetuam*, quòd ab aliquo Ordinario semel approbati, & a suis Superioribus ad huiusmodi munera deputati, quocumque, suum, siue in mari, siue in terra, iter faciendo, possint, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Ecclesiarum, Verbum Dei prædicare, & quorumcumque Christi fidelium confessiones audire, dummodò id non faciant in oppidis, & locis, in quibus Ordinarij exstant; sine eorum licentia desuper obtenta. Suarez 4. tomo in 3. part. *disput. 28. sect. 7.* Entiquez *lib. 3. de Sacram. pœnit. cap. 6. num. 7.* Verum tamen hoc priuilegium non solum videtur derogatum à SS. D. N. Urbano propter dicta supra num. 2. (licet aliqui id non admittant) sed etiam, vt quidam volunt, reuocatum fuit iam pridem, & ante tempora Urbani, viux vocis oraculo, vnde cautè in hoc procedendum. Laurent. de Peirinis tomo 1. de *subdito Summa Lezana Tom. I.*

*questio. 1. de Obedient. cap. 21. §. 2.* Ad minus tamen videtur posse prædictos Confessarios Regulares audire vbique terrarum Confessiones subditorum illius Diocesis, vbi sunt approbati. Quia Curati possunt absoluerè suos subditos vbicumque repertos, ac per consequens idem facere poterunt Religiosi approbati, qui sunt quasi Parochi, ex Clement. *dudum de sepultur.* Sotus in 4. *disput. 18. quæst. 4. artic. 3.* Ledesma tomo 1. *Summ. de pœnit. cap. 12. dub. vlt.* Hoc verò intelligo, dummodò subditus extra territorium repertus non mutauerit domicilium. Peirinis vt supra. Affertur etiam ad præsens intentum priuilegium Sixti IV. concessum Minoribus, quod omitto, quia fuit viux vocis oraculum, quod his temporibus nihil valet. Casarubius in *compend. priuileg. verb. absolut. quoad secular. 1. num. 11.* Vbi illud inter viux vocis oracula non authentica signata littera O. numerat.

6 Etiam Regulares graduati in S. Theologia, vel Lectors, &c. debent Episcopis præsentati, & ab ipsis examinari, & approbati, vt possint munus Confessariorum exercere. Ratio est, quia quamuis oppositum videretur insinuari illis verbis Concilij, *Aut aliàs idoneus iudicetur*, tamen Pius V. in Bulla *Romani Pontificis prouidentia* ann. 1571. determinauit supradictum Decretum obseruari debere ab omnibus Regularibus, *etiamsi sint Doctores, aut in Theologia de Superiorum suorum licentia graduati, vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus, vel Prouincialibus pro secularium confessionibus expositi.* Suarez tomo 4. in 3. part. *disput. 28. sect. 4.* Quod Decretum reuocatum non est, aut reductum ad terminos Concilij Trident. vt testatur S. Congregat. Cardinal. de qua Quaranta in *Summ. Bull. ver. Confessor.* Idem dico de Superioribus Regularium, quia non habent beneficium parochiale super seculares prout requirit Concilium. Suarez tomo 4. in 3. part. *disput. 28. sect. 4. num. 21.* Vnde non sunt audiendi oppositum asserentes, videlicet aliqui apud Herinquez *de Indulgent. cap. 22.* & Ioannes Valerus in *differentijs viriusque fori verb. nullitas diff. 5. num. 3.* praxis enim Ecclesiæ est in contrarium.

7 Approbatio hæc pro confessarijs Regularibus requisita non est perpetua, sed semel approbati ab vno Episcopo, possunt à successore iterum examinari, & approbati, seu reprobati; non tamen ab eodem. Ita Pius V. in extrauag. *Romani Pontificis prouidentia* ann. 1571. ijs verbis. Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diocesis suis, præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari; à successore autem Episcopo pro maiori suæ conscientiæ quiete examinari de nouo poterunt. Idem etiam habet declaratio Congreg. Cardinaliũ per hæc verba. Congregatio Concilij censuit Regulares ad audiendum secularium confessiones in ciuitate, & Diocesi ab Episcopo præuio examine approbatos iterum ab eodem examinandos non esse; ceterum posse iterum à successore examinari iuxta constit. S. mem. Pij V. dat. Idibus Augusti Pont. sui ann. 6. quæ à fel. rec. Greg. XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum regularium ad terminos Conc. Trid. Vivaldus in *Candel. aur. 1. part. tit. de Confess. n. 28.* Miranda in *Man. to. 1. q. 45. art. 7.* Quando tamen Religiosus semel approbatus in vna Diocesi ab illa recessit, si iterum reuertatur, non tenetur nouam quærere approbationem. Quia prima fuit, vt suppono, sine temporis limitatione. Secus verò quando est nouus Episcopus, & ille vult illum de nouo examine. Propter dicta. Bonac. vt supra num. 16.

8 Approbatio confessariorum regularium potest ab Ordinarijs, iusta, & rationabili causa subsistente, restringi, & imitari ad certum tempus, locum, atque personas. Ratio est, quia ita determinatur in Clem. *Dudum de sepulturis*, nec reuocatum fuit per Concilij Tridentini Suarez to. 4. in 3. part. *disp. 28. sect. 7. dub. 6.* Nauarrus in *Man. cap. 4. num. 4.* Si tamen id fiat sine iusta, & legitima causa, probabilissimum est talem restrictionem nihil valere. Henriquez *lib. 3. de Sacram. pœnit. c. 6. n. 5. & 9.* Miranda in *Manual. tom. 1. quæst. 45. art. 10.* referens hanc declarationem Cardinalium die 2. Iulij ann. 1587. *Regulares, qui ad audiendas confessiones idonei generaliter ab Ordinarijs, eorũq; examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoq; & indistinctè absq; vlla limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarũ admittantur in propria Diocesi*

De ceteris verbò, qui non adeò idonei reperiuntur si petierint se admitti arbitrio Ordinariorum relinquunt, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere. [Videò etiam similem declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium 1641. pro 13. Septembris. Eodem etiam die ad instantiam Procuratorum Generalium declarauit eadem Sacra Congregatio Regulares approbatos ab Ordinario posse sine licentia Patochi audire confessiones infirmorum in eorum domibus, relinquendo tamen fidem pro Patocho quod tales infirmi confessi fuerint; nec in hoc prohiberi posse ab Ordinario. Vnde eadem Sacra Cōgregatio 7. Nouembris 1642. reuocari fecit quandam prohibitionem, quam quidam Archiepiscopus fecerat ne administraretur Eucharistia ægrotis, qui confessi fuerant nostris Carmelitis]. Vide Gauantum in *Manual. Episc. verb. Confessarius num. 12. & seq.*

- 9 Præterea Confessarij Regulares semel ab Ordinarijs liberè approbati non possunt ab ipsis suspendi ab audiendis confessionibus, nisi ex noua causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinens, aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Similiter, nec possunt simul omnes confessarij vnius Conuentus priuari ab Ordinarijs facultate audiendi confessiones. Ita enim determinatum est à Sac. Congregat. 20. Nouembr. 1615. cuius Decretum referunt Alphonsus Leo in *fin. 2. p. de Lubil. pag. 114.* Laurentius de Peirinis *to. 1. de priuileg. Minim. in Constit. 2. Sixti IV. §. 11. n. 45.* Gauantum in *Man. Episc. verb. Confessar. n. 23. & 24.* Vnde si contra hoc Decretum, Confessarij Regulares suspendantur ab audiendis confessionibus, puto quod non tenentur obedire, cum excedant in tali casu Ordinarij limites auctoritatis quam habent. Peirinis *ut supra.* Quod maxime est verum, si cum ipso, & alijs dicamus facultatem, quam habent confessarij Regulares ad Confessiones audiendas, dari illis immediatè à Papa, & quod Ordinarij solum dent approbationem personæ, declarando illam esse idoneam ad hoc ministerium. Rodrig. *tom. 1. q. 58. art. 1.*
- 10 Approbatio Confessariorum Regularium non expirat per mortem concedentis. Ratio est, tum quia ista approbatio conceditur nomine Dignitatis, quæ nunquam perit, tum quia id videtur supponi à Sac. Congreg. in Decreto adducto supra num. 7. dum dicitur *posse iterum à successore examinari*, non dicitur *debere*, Vnde si successor non reuocat, semper durat approbatio. Nauarrus in *c. placuit de pœnit. dub. 6. n. 161.* Suarez *lib. 8. de leg. c. 32. n. 9. & 10. 4. in 3. p. disp. 26. sect. 3. n. 9.* Deinde approbatio hæc non requirit ad sui validitatem, quod detur in scriptis. Cum Concilium non requirat hoc, nec sit necessarium ad rationem priuilegij. Bonacina *ut supra num. 32.*
- 11 Confessarij Regulares Minores de obseruantia, Carmelita, &c. qui cum ipsis communicant in priuilegijs existentes in Diocesis vbi sunt approbati, possunt omnium secularium quarcumq; Diocesam Confessiones audire. Ita concessit Nicolaus V. Minoribus, & postea Sixtus IV. Maxime Vrbanus IV. Carmelitis concessit, vt de licentia prælatorum Ecclesiæ possint audire Confessiones omnium Christi fidelium causa deuotionis ad ipsos recurrentium, de licentia tamen prælatorum ipsorum fidelium (vt constat ex Bulla in speculo Ordinis *fol. 69.*) & nisi talia commisisse, propter quæ esset Sedes Apostolica merito consuetudina. Cui concessioni non reperitur similis in priuilegijs Mendicantium, inquit Casarub. in *compend. priuileg. Mendicant. verb. absolutio quoad seculares primo num. 19.* Miranda in *Man. to. 1. q. 45 art. 14.* Vide etiam Suarez *4. tom. de Relig. tract. 10. lib. 9. c. 2. à num. 8.* Audire tamen Confessiones aliorum Regularium, siue suæ, siue alienæ Religionis non possunt ex vi prædictarum concessionum; nisi forte ipsi religiosi, qui volunt audiri in Confessione licentiam habeant suorum prælatorum. Ratio est, quia Confessores religiosorum solum sunt, vel prælati ipsorum, vel ab ipsis delegati, vnde non intelliguntur comprehensum in illa generali concessione. Præsertim, quia non est credendum Pontifices concessisse hoc priuilegium vni Religioni cum præiudicio prælatorum alterius. Syluester *verb. Confessor. 2. num. 6.* Armilla *verb. absolutio num. 23.*
- 12 Regulares approbati ab Episcopis ad audiendas Confessiones secularium, si contra voluntatem suorum Superio-

rum audiant Confessiones, peccant; propter Votum Obedientiæ, quod sic faciendo, transgrediuntur. Nauarr. in *cap. 1. de Pœnit. disput. 6. num. 73.* Valide tamen absoluunt. Cum reuera habeant potestatem Ordinis, & Iurisdictionis, vt supponitur. Si verò in Religione sit receptum Breue Iulij III. concessum Generali Prædicatorum, (quo vt possunt Religiones habentes communicationem priuilegiorum cum illis,) videtur nec valide absoluere. Eo quod in prædicto Breui Pontifex reuocauit licentias, & immunitates concessas Religiosis eiusdem Ordinis, quas Magister ipse Ordinis reuocandas diiudicauerit, vnde cumque emanatas. Miranda in *Manual. tomo 1. quest. 45. artic. 12.* Ad minus tamen prædicti regulares approbati ab Ordinarijs ad audiendas Confessiones secularium possunt à suis Superioribus rationabili de causa reprobari, suspendi, coarctari, &c. Nam quæcumque autoritas huiusmodi Confessarij regularibus concessa, semper intelligenda est quoad vsum, & exercitium pendere à voluntate Prælatorum, ratione Voti obedientiæ. Sotus in *4. dist. 18. quest. 4. artic. 3.* Grassis *to. 1. concl. lib. 5. de pœnit. & remiss. conf. 4. num. 18.* Vide dicenda infra num. 41.

- 13 Similiter prædicti Confessarij si excommunicati, suspendi &c. publici sunt, per sententiam, (vel per notorietatem facti in casu publicæ percussiois Clerici) nec licitè, nec valide absoluunt, vt omnes admittunt, propter Extrauag. Martin. V. *Ad euitanda.* Secus verò quando tales censurae sunt occultæ, tunc enim licet peccent sic faciendo, cum per illas hoc prohibeatur, valide tamen absoluunt. Eo quod pia mater Ecclesia tunc tribuit Iurisdictionem, suppleto defectum illius propter existimationem communem. Iuxta l. *Barbarius ff. de officio Prætoris.* Nauarrus in *Man. c. 9. num. 7.* Cornexo *2. tom. in 3. part. tract. 5. de excomm. disp. 10. dub. vlt.*
- 14 Prædicti Confessarij in primis absoluere possunt ab omnibus casibus, qui Summo Pontifici, Episcopis, aut alijs Superioribus reseruati non fuerint. Quia vt habetur ex Regula Iuris in *cap. nuper de sentent. excommunic. & cap. etsi Clerici de iudic.* quæ specialiter non reseruantur iure concessa censentur. Miranda in *Manual. tomo 1. quest. 46. artic. 2.* Deinde etiam possunt absoluere ab omni excommunicatione minori. Cum minus hoc sit, quam absoluere à mortalibus, quod possunt facere. Nauarrus in *Manual. cap. 27. num. 26.* Similiter absoluere possunt ab omni excommunicatione etiam maiori non reseruata. Quia eo ipso quod non reseruatur videtur remitti iurisdictionem habentibus. Cornexo *2. tomo in 3. part. tractat. 5. de excomm. disput. 11. dub. 1.* loquens de censura iuris nemini reseruata, & *dub. 3.* loquens etiam de censura hominis nulli reseruata. Vbi etiam affert aliquas exceptiones. Numquam tamen possunt dispensare in irregularitate aliqua, secluso speciali priuilegio (quod non video alicui Religioni concessum respectu secularium.) Quia irregularitas omnis de iure communi solum tollitur Papæ dispensatione, exceptis illis, quæ Episcopis, & Prælatibus Regularium, quoad sibi subditos conceduntur. Syluester *verb. dispensatio quest. 9. 10. & 11.* Suarez *5. tomo de censuris disput. 41. de irregular. sect. 2.* Vnde nec possunt prædicti Confessarij dispensare in irregularitatibus propter priuilegium Pauli III. Societati Iesu concessum, vt scilicet possint absoluere à pœnis Ecclesiasticis. Licet enim aliqua irregularitates sint pœnæ Ecclesiasticæ, vt sunt illæ, quæ incurruntur celebrando cum censuris, tamen secundum stylum curiæ (qui facit legem) sub Generali clausula absoluendi à pœnis non venit irregularitas, sicut nec depositio, aut degradatio. Suarez *4. tomo de Religio. tract. 10. lib. 9. c. 4. num. 43.* An verò virtute Bullæ Cruciatæ in aliqua irregularitate dispensare possint Confessarij, dicemus infra num. 18. & 19.
- 15 A casibus etiam, seu censuris Papalibus, seu Papæ, aut Sedis Apostolicæ reseruati poterant olim absoluere aliqui confessarij regulares certis anni diebus, & solemnitatibus, propter priuilegia Leon. X. & Pauli III. concessa Minimis S. Francisci de Paula, qua refert Peirinis *to. 1. priuileg. Minim. in constitut. 8. Leon. X. & tom. 2. in Constit. 2. Pauli III. & Confertius in Sum. priuileg. Maris Magni tit. 17. c. 6. & præsertim (etiã quolibet anni tempore) ex priuilegio eiusdem Pauli III. Iesuitis concessio, quod refert Casarubius in fine*

Compendy pag. mibi 545. quo uti possent omnes, qui habent communicationem priuilegiorum cum illis. Modò tamen post tempora Clem. VII. extat Decretum S. Congregationis eiusdem Clem. mandato editum ann. 1601. quo sub grauissimis pœnis prohibetur omnibus Confessarijs tam secularibus, quam regularibus per vniuersam Italiam extra Urbem degentibus, ne quis sub prætextu priuilegiorum, Indultorum aut facultatum, &c. possint absolueri ab illo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per Sanctitatem suam, eiusque successores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam casibus, quos Ordinarij locorum hæcenus reseruauerunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, vel speciali sanctitatis suæ, aut suorum successorum, vel Ordinariorum, quo ad casus ab ipsis tantum reseruatos respectiue, impetrata in scriptis licentia. Quod decretum postea moderatum fuit à Sacra Congregatione eiusdem Clementis Octauæ speciali mandato ann. 1602. *Videlicet, sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Præterea violationis immunitatis Ecclesiarum in terminis Constitutionis fel. record. Greg. XIV. que incipit, Cum alias nonnulli. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta Decretum S. Concilij Tridentini, & Constitutionem fel. rec. Gregor. Pape XIII. incipientem, Ad tollendam. Inuicentium violentas manus in Clericos iuxta can. Si quis suadente, &c. 17. q. 4. ac Iuris dispositionem. Simonie realis, scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficalis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruauerunt, vel in posterum reseruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confessiones, eadem S. Congregatio vult, & mandat dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere. Quaranta in Summa Bullar. verb. cas. reseru. Miranda to. 1. Man. q. 46. art. 2. 4. & 5. Quia verò tempore Paul. V. dubitatum fuit, an per prædicta Decreta prohiberentur Regulares absolueri à censuris Sedi Apostolicæ, & Episcopi reseruatis, esto à casibus absolueri non possent: ideo S. Congreg. de mandato eiusdem Paul. V. declarauit anno 1617. die 7. Ianuarij, comprehendi etiam absolutiones à prædictis censuris Laurent. de Peirinis tomo. 1. priuileg. Minum. in Const. 1. Iulij 2. §. 32. num. 63. Erasmus ChoKier in tract. de Iuris. Ord. in exempt. par. 4. q. 56. Barbosa de offic. Parochi c. 19. num. ult. Nota etiam quod quamuis in hac declaratione S. Congregationis sub Paulo V. generaliter dicatur, non posse absolueri Confessarios à casibus Pape reseruatis, intelligendum tamen id est iuxta subiectam materiam id est à casibus illis Pape reseruatis, de quibus est sermo in dictis Decretis Clementis VIII.*

16 Ex quo inferitur priuileg. ab alijs casibus, seu censuris Papalibus, seu Sedi Apostolicæ reseruatis præter annumeratos in prædicta declaratione S. Congregationis posse Confessarios omnes, qui prædicto priuilegio Paul. III. vtuntur (vel alijs, si forsan habuerint,) absolueri suos penitentes, siuè extra, siuè intra Italiam, siuè in Vrbe, siuè extra Urbem, cum exceptio Regulæ firmet illam in contrarium. Sequitur secundo, extra Italiam in Hispania, Gallia, vel Germania posse eosdem confessarios absolueri ab omnibus casibus Papalibus, à quibus alijs absolueri poterant ante istud Decretum. Cum prohibitio Decreti prædicti solum se extendat per vniuersam Italiam. Quod etiam expressè habetur ex nouissima declaratione S. Congregationis Episcoporum, & regularium edita anno 1628. Nouembri die 17. & approbata à SS. D. N. Urbano VIII. ibi enim sic dicitur. *Ab alijs verò casibus (scilicet præter casus Bullæ Cœnæ, & reseruatos Ordinarijs) & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem regulares habeant à Sede Apostolica absolueri facultatem, illam extra Italiam minime sublata fuisse ipsam S. Congregationis Decretis hac de re editis in San. memoria Clementis VIII. An verò idè sit dicendum de Sicilia, Sardinia, & Corsica, quæ Insulæ videntur Italiae, tractat Diana trac. 17. Miscellaneo resol. 20. Sequitur tertio, nec intra, nec extra Italiam posse Confessarios*

Summa Lexana Tom. I.

Regulares absolueri à casibus in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, virtute suorum priuilegiorum. Non solum propter annuam ipsius Bullæ publicationem, in qua reuocantur quæcumque priuilegia. Sed etiam quia ita expressè declaratum est à prædicta S. Congregatione Episcoporum, & Regularium verbis inferius adducendis. Sequitur quarto Confessarios regulares Romæ degentes non comprehendi Decretis adductis S. Congreg. sub Clem. VIII. expressè enim ibi est sermo cum Confessarijs regularibus per vniuersam Italiam extra Urbem degentibus. Naldus in Sum. verb. Bulla Cœnæ num. 62. & Peirinis to. 1. priuileg. Minum. in Const. 1. Iulij II. §. 32. n. 62. Comprehenduntur tamen in Decreto S. Congregationis sub S. D. N. Urbano adducendo nu. seq. tam Romæ, quam vbi libet existentes quantum ad ea, quæ in prædicto Decreto continentur. Barbosa vt sup.

17 Similiter licet à casibus Episcopalibus, seu Episcopis reseruatis (de quibus Nauarrus in Manual. c. 27. n. 256. 258. & 259. possent olim aliqui regulares Confessarij absolueri ex priuilegijs maximè Sixti IV. & Urbani IV. pro Carmelitis, his tamen temporibus nullatenus ab illis absolueri possunt virtute suorum priuilegiorum. Primò propter responsum S. Congregationis Concil. Trident. ad S. Cardinalem Boromæum anno 1577. Cum enim S. huic Cardinalis à S. Congregatione quæsiuisset, an Regulares ex priuilegio à Sede Apostolica impetrato præsertim autem ex eo quod nominant Mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit, absolueri contentes. Hac de re, vbi Congregatio accuratè egisset deinde ad SS. retulisset, sanctitatis suæ, etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, alijs priuilegia Regularibus concessa, factam eis non potestatem absolueri à casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Confessarius in Summa mater. ex priuileg. Mendicant. Secundo ex Decreto Clem. VIII. & S. Congreg. adducto supra n. 15. Quaranta in Summa Bullar. verb. cas. reseru. Miranda to. 1. Manual. q. 46. art. 2. Tertio & principaliter ex Declaratione Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium sub Sanctiss. D. N. Urbano VIII. supra num. precedenti, qua declarauit ipsa Sac. Congreg. per confirmationes priuilegiorum quas Regulares à Sede Apostolica post Sac. Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuicisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si qua habebant absolueri à casibus Ordinario loci reseruatis. Quemadmodum nec indulta absolueri à casibus contentis in Bulla, que in die Cœnæ Domini legi consuevit, vt potè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequens priuilegiorum confirmationibus. Ac proinde Regulares cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra, Italiam, in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hæcenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt posse quemquam absolueri ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis: ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore Barbosa de offic. Parochi c. 19. n. ult. §. illud Regularibus. Post mortem tamen Episcopis qui casus sibi reseruauit, potest quilibet Confessarius ab illis absolueri. Quia tunc desinunt esse reseruati. Sa in Sum. verb. absolutio n. 20. Quaranta in Sum. Bull. ver. confess. in addit. & ver. cas. reseru. in fine, vbi hoc limitat solum pro casibus, quos Episcopi sibi reseruauerunt, non verò pro illis, qui de iure sunt reseruati prædictis Episcopis.

18 In locis autem vbi publicatur Bulla Cruciatæ possunt Confessarij virtute ipsius absolueri penitentes iuxta tenorem ipsius Bullæ ab omnibus casibus, & censuris ibidem contentis. Cum priuilegium illud non sit pro Confessarijs sed pro penitentibus, vt possint sibi eligere Confessorem, qui illos à casibus in prædicta Bulla numeratis absoluant. Tenent aliqui etiam ab irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, verbis gratia illis, que incuruntur ob celebrationem vel susceptionem Sacri Ordinis cum excommunicatione posse absolui penitentes virtute prædictæ Bullæ. Eò quòd in ipsa deest facultas absolueri à quibuscumque pœnis, & censuris, irregularitates autem prædictæ sunt pœnæ. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. artic. 1. Medina in Sum. 1. par. c. 11. §. 9. Quia tamen in alijs Bullis

G 2 eiusdem



eiusdem Cruciatæ, qualis est illa anno 1628. à Paul. V. concessa, & à S. D. N. Urbano publicata non est talis particula à pœnis, ideo nullatenus admitti potest sententia relata. Licet videam viros doctos prædictam irregularitatem, quæ scilicet habet solum rationem pœnæ impositæ propter delictum numerare inter censuras. Cornexo tract. 5. de censuris disputatione 1. dub. secundo cum alijs, quod non approbo.

19 In Iubilæis, seu Bullis etiam Cruciatæ, nomine Confessoris approbati ab Ordinario, respectu sæcularium intelligendus est ille, qui approbatus est ab Ordinario loci, seu Diœcesis, ubi administranda est confessio, sic enim responsum est à S. Congregatione Archiepiscopo Valentino; *Approbatum ab alio quam à Valentino Archiepiscopo in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.* Prosper. Augustin. in *addit. ad Quarantam in summ. Bullar. verb. Confessor. Bonacin. de Sacrament. Pœnit. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. n. 21.* Quamuis multos referat pro contraria opinione, forsitan, quia non viderunt prædictam declarationem Sac. Congreg. Respectu verò regularium intelligi potest ille, qui est approbatus à suo superiori regulari. Hoc fundatur in benigna interpretatione vocis *Ordinario*. Vincencius Filliuccius *tom. 1. tract. 8. cap. 10.* Benè addens, quòd si in prædictis Iubilæis addatur *Ordinario loci, vel locorum*, tunc non possit interpretari nomine Ordinarj prælati Regularis. Confessarium autem regularem approbatum ab Ordinario pro viris tantum, & non pro feminis, posse eligi à femina illius Diœcesis, habente privilegium virtute Iubilæi, vel Bullæ, ad eligendum Confessorem ab Ordinario approbatum; apud aliquos probabile est. Cum verè talis Confessarius sit approbatus ab Ordinario, & fauores sint ampliandi. Henriquez *lib. 6. de Pœnit. cap. 6. num. 8. & lib. 7. c. 12.* Bonacin. *vt supra n. 12.* Vide Dianam *tract. 2. de Dub. Regular. Resol. 93. & Tract. de Bulla Cruciatæ resolut. 9.* in prædictis etiam Iubilæis, aut Bullis, nunquam venit concessa dispensatio in irregularitate, nisi exprimat. Quia hic est stylus Curie, ut nunquam intelligatur concessa facultas dispensandi in irregularitate, nisi illius fiat expressa mentio. Vide dicta *supra num. 14.* Nauarrus *cap. 27. num. 250.* Bonacin. *de Irregular. disp. 7. quest. 5. punct. 2. num. 7.* An autem quando in prædictis Iubilæis conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, concessa etiam intelligatur facultas absoluendi ab heresi, & si plures negent, probabilis tamen satis est sententia affirmans nisi quædam declaratio, quæ adduci solet ex Gregor. XIII. pro negatiua parte authenticè constet. Diana *Tract. de absolutione ab heresi Resolut. prima.*

20 Confessarij Regulares, qui virtute privilegiorum volunt absoluere Confratres Confraternitarum suorum Ordinum, debent esse approbati à suis Superioribus, & Ordinarijs, nec possunt illos absoluere à casibus contentis in litteris, quæ die Cœnæ Domini legi consueverunt, nec non violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, & urgente causa, ac sine Superiorum licentiâ, vel etiam si causa, & licentiâ concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint, nec non violentæ manus iniectio in Clericum, & singularis certaminis, seu duelli, ac ab alijs etiam casibus, tam à Nobis, quam à nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectiue referuatis, & pro tempore referuandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata absoluere, nec super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu prouenientibus, quam occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, prætextu dictorum privilegiorum. Ita Clemens Octauus in Bulla *Quacumque à Sede* anno 1604. edita in 3. Bulla. num. 115. Vide privilegium Clement. VII. Confratribus Carmelitarum concessum, quod habetur *tomo 1. Bullar. inter Bullas huius Pontificis, num. 31.* magna ex parte reuocatum iam est à Clemente Octauo. Vide dicenda *tom. 2. c. 15. à num. 16.*

21 Confessarij audientes secularium confessiones tenentur illos absoluere, etiam à referuatis, si ad id habeant facultatem, nisi forte propter iustam, aut legitimam causam, eos ad suos Superiores remittere sit conuenientius. Ratio est, quia licet vnusquisque possit renunciare proprio priui-

legio, non tamen in casu, quo id vergit in damnum, & præiudicium alterius, prout contingit in proposito Henriquez *lib. 7. de Indulg. c. 28. n. 2.* Nauarr. in *Manual. prel. 9. n. 12.*

22 Aliqui tenent posse confessores regulares dispensare cum secularibus sibi consentientibus in votis referuatis Episcopis. Primò, ex priuilegio Eugen. IV. concessio Monachis S. Benedicti. Secundò, ex alio eiusdem Eugen. IV. concessio Monachis S. Benedicti Vallisolerani. Tertio, ex Innoc. VIII. in simili priuilegio Minoribus concessio (exceptis votis peregrinationis ultra duas dietas.) Ac tandem ex Martino V. Rodrig. *to. 1. q. 63. art. 3.* Miranda in *Man. to. 1. q. 48. art. 3.* qui hoc limitat *art. 4.* ad vota solum iure communi Episcopis referuata. Verumtamen non video solidum fundamentum in priuilegijs adductis ad hoc quòd confessores regulares vtantur prædicta facultate dispensandi cum secularibus in votis. In primis enim priuilegium illud Eugen. IV. concessum Benedictinis obseruantie Italiae obicure satis loquitur ad intentum, vt proinde Rodrig. vt supra dicat nihil valere ad illud, licet oppositum teneat Miranda *etiam vt supra.* Deinde priuilegium aliud eiusdem Eugen. IV. concessum Benedictinis Vallisoleranis præterquam quòd mihi non constat, an per Bullam, an verò viue vocis oraculo concessum sit, habet quamdã limitationem, scilicet, quòd confessarij possint vt prædicta concessione solum in suis Ecclesijs, & non alibi, vt aduerterunt Rodrig. vt supra, & Casarubius in *Compend. priuileg. Mendic. verb. absolutio quoad secular. 2. n. 16.* Habet quoque aliam limitationem, scilicet pro tribus, aut quatuor confessarijs solum, vt videre est in eodem Casarubio: Præterea concessio illa Innoc. VI. fuit solum viue vocis oraculum, & non authenticum, vt refert idem Casarubius, *vt supra n. 12.* De priuilegio illo Martini V. non mihi constare potuit, an per Bullam, verò viue vocis oraculo concessum sit, & ita consulere ab hac facultate abstinendum, prout in simili consuluit circa aliam concessionem Corduba in *annotat. ad compend. priuileg. Mendic. verb. dispensatio §. 17.*

23 Possunt tamen confessores Regulares habentes communicationem priuilegiorum cum Benedictinis, & Iesuitis commutare prædicta vota, illa scilicet, quæ proprie Episcopalia sunt, vt ait Laymanus in *theolog. moral. lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 17.*

Primò, ex priuilegio illo Eugen. IV. concessio Benedictinis Obseruantie Italiae, quòd refert idem Casarubius *vt supra n. 19.* Secundò, ex Paulo III. qui Patribus Iesuitis confessarijs facultatem concessit commutandi vota venientium ad se in alia pietatis opera, (*Vltimarum, Visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe, ac S. Iacobi in Compostella, nec non Religionis, & Castitatis votis dumtaxat exceptis.*) Extat hæc Bulla apud Casarubium in *Compend. priuileg. Mendicant.* Gregor. XIII. extendit etiam hoc priuilegium ad vota iurata, dummodò commutatio in alterius præiudicium non fiat. Omitto ad hoc intentum priuilegia aliquot, quæ adduci solent, quia sunt viue vocis oracula, quæ his temporibus nihil valent, propter sapius dicta.

24 Vota tamen Papæ referuata, qualia sunt regulariter votum Religionis, Castitatis, Peregrinationis ad Romam, Hierosolymam, vel Compostellam, ex Extrauagant. *Esti Dominici 2. de pœnitent. & remis.* quando perfecta sunt, & absoluta, nec dispensari, nec commutari possunt à Confessarijs. Cum nullum circa hoc extet, quòd sciuerim, priuilegium. Dixi quando perfecta sunt, quia quando deficiunt à perfectione voti, vel quia animus vouentis solum fuit se obligare ad culpam venialem, aut solum ad pœnam, vel quia ex parte materiae imperfecta sunt, vt si sit votum Religionis non approbata, vel partis voti Castitatis, scilicet Castitatis coniugalis, tunc etsi dispensari non possint à Regularibus, propter dicta *num. 22.* videtur tamen posse commutari ab Episcopis, ac per consequens à Confessarijs Regularibus, qui habuerint communicationem priuilegiorum cum Benedictinis, & Iesuitis, iuxta dicta etiam *num. 23.* Peirini *tomo 1. de subdito questio. 1. de Obediēt. cap. 21. post 4. conclus.* referens etiam Sanchez. Dixi etiam, quando sunt absoluta, quia quando tantum sunt conditionata, & pœnalia, possunt commutari, secundum aliquos. Eò quòd talia vota, cum non sint simpliciter voluntaria, quia non emissa ex deuotione ad

ad ipsa, non presumuntur referuata à pontificibus. Cordub. in *Summ.* q. 52. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 12.

- 25 Possunt (secundum plures) Confessores aliqui Regulares dum coniugibus incestuosis post contractum Matrimonium ad petitionem debiti dispensare ex privilegio Martini V. concessio Benedictinis, & confirmato à Julio II. & ex viua vocis oraculo Pij V. qui Minoribus concessit, quod fratres Confessarii, si sint viri docti, & iuxta formam Concilii Trident. approbati, ex commissione Provincialis dispensare possint in foro conscientia tantum ad perendum debitum cum his, qui consanguineum, vel consanguineam sui coniugis post Matrimonium carnaliter cognouerunt. *Rodriguez tom. 1. q. 63. art. 1.* Miranda *1. 1. q. 47. art. 1.* Est verò aduertendum, quod cum omnia viua vocis oracula abrogata sint hoc tempore à Sanctiss. D.N. Urbano vt diximus c. 3. n. 21. nihil iam valet prædictum viua vocis oraculum Pij V. Vnde ex vi illius non habent Confessores Regulares tale privilegium dispensandi cum coniugatis incestuosis, habebunt tamen illud ex Martino V. & Julio II. adductis Benedictinis, & qui cum illis habent communicationem privilegiorum, nisi fortè tales concessiones sint etiam viua vocis oracula, quod mihi non constat. Securius tamen est huiusmodi concessionibus non vt, vt consuluit Corduba in *annotat. ad Collect. privileg. Mendicant. circa quandam similem concessionem Innocentij Octavi, verb. dispensatio. §. 17.*
- 26 Similiter quamuis multi velint posse aliquos Confessores regulares dispensare cum illis, qui voto facto de castitate, contraxerunt, ad petitionem debiti, propter viua vocis oraculum eiusdem Pij V. (*Rodriguez tom. 1. quest. 67. art. 2.* Miranda in *Man. tom. quest. 47. artic. 2.*) Quia tamen huiusmodi viua vocis oracula his temporibus abrogata sunt, non possunt Confessarii vt prædicta concessione.
- 27 Confessores Regulares Ordinis Prædicatorum, & Minorum, & qui cum ipsis communicant in privilegijs, videtur posse semel in vita absolueri plenariè Religiosos sui Ordinis ex privilegio Sixti IV. quod refert Casarubius in *Compend. privileg. Mendicant. verb. absolutio extraordinaria quo ad fratres num. 6.* Sed adiunxit Pontifex hoc privilegium esse intelligendum in forma Confessionalis per ipsam edita, quod Casarubius ibidem intelligit de confessionali ab ipso Pontifice facto in quadam Bulla, quæ incipit, *Esi Dominici gregis*, quam etiam refert in *verb. excommunicatio §. alterum sciendum*, vbi excipiuntur plures casus à quibus vult Pontifex non posse absolui Religiosos. Deinde id possunt facere in certis anni festiuitatibus ex alijs concessionibus Leonis X. factis Monialibus Sanctæ Clare. Lege eundem Casarubium in *Comp. v. absolutio extraord. quo ad frat. §. 8. & 9.* Aduerte tamen vsum istorum privilegiorum debere esse dependentem à voluntate Superiorum, & non aliàs, iuxta dicenda infra num. 29. ex Clem. VIII. Urban. VIII. & alijs. Omitto alias concessiones Sixti I V. Eugenij I V. & Leonis X. quas refert idem auctor, *ibidem §. 3. 5. & 7.* quia sunt viua vocis oracula, quæ his temporibus nihil valent. Alia etiam privilegia refert Miranda in *Manual. tom. 2. q. 33. art. ult.* quæ etiam non refero, quia mihi non constat an sint viua vocis oracula, aut quæ conditiones in illis adiungantur. Vide Compendium privilegiorum Ordinis D. Hieronymi, & Societatis Iesu in *dispensatio.*
- 28 In articulo etiam mortis possunt prædicti Confessores Regulares plenariè absolueri Religiosos ex privilegio Sixti I V. iam adducto, quod refert idem Casarubius *ibid. §. 6.* Affertur etiam privilegium Benedicti XIII. concessum Benedictinis, sed illud omitto, quia fuit viua vocis oraculum (Casarubius, vt sup. §. 11.) Alia etiam referuntur Innocentij VIII. & Nicolai V. Miranda in *Man. to. 2. q. 33. art. 7.* Illa tamen prætermitto, quia scire non potui an sint, vel non viua vocis oracula. Specialiter tamen pro Carmelitis extat concessio Eugenij IV. in Bulla *Romani Pontificis*, quæ habetur in fine Constitutionum, in qua singulis fratribus dicti Ordinis, qui Regulam Carmelitarum ab ipso moderaram obseruauerint, omnium peccatorum suorum plenam remissionem per Superiores religionis, vel alium quemcumque idoneum sacerdotem Ordinis concedit, cum certis tamen conditionibus ibidem assignatis. Peccata autem virtute prædictorum privilegiorum in mor-

- tis articulo semel confessa, & absoluta etiam si sint referuata, non tenentur ea iterum infirmis confiteri, si non moriatur. In quo differt hic modus absolutionis in articulo mortis per ista privilegia ab ea, qui fieret à quocumque Sacerdote, seu alio Confessore non habente illa. Sotus in *4. dist. 18. q. 4. art. 4.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 19. num. 15.* Circa modum, & formam prædictæ absolutionis præstandæ, vide Mirandam in *Man. to. 2. q. 33. art. 8.* Suarez *4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 19. n. 8.* An verò Indulgentia plenaria, quæ in articulo mortis per hanc formam absolutionis Religiosis concedi solet, reuocata sit à Paulo V. constat ex dictis c. 3. n. 19. Circa vsum etiam horum privilegiorum, vide dicta *num. precedenti.*
- 29 Non possunt Religiosi, cuiuscumque Ordinis sint, eligere sibi Confessorem aliquem præter illum, vel illos, qui à suis Prælati eorum Confessionibus audiendis destinati sunt, aut absolui à casibus prædictis Superioribus referuatis, virtute Bullæ Cruciatæ, aut quorumcumque aliorum indultorum, aut privilegiorum Religionibus concessorum. Non solum, quia nunquam Pontifices hæc privilegia concedere credendum est, nisi dependenter à voluntate Superiorum, quoad illorum vsum, aliàs Regulari disciplinæ multum inde derogaretur. Est enim regula Iuris in *6. cap. 2. de Pœnit. & remiss.* sub clausula generali comprehenduntur particularia, quæ non esset quis verimiliter in specie concessurus. Sed etiam, quia id expressè declaratum est à Clement. VIII. in Bulla *Romani Pontificis* ann. 1599. ad instantiam Procuratoris Generalis Carmelitarum edita, & habetur *3. tom. Bullar. num. 64. vbi* habetur. Talem concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum Indultorum particularium quantum ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absoluedi à casibus referuatis, cum Fratribus, & Sororibus Monialibus Ordinis prædicti, ac aliorum, quorumcumque Ordinum, & Congregationum cuiusvis instituti Mendicantium, & non Mendicantium, tam Provinciae Hispaniæ, quam extra eam vbilibet, locum minimè habere, neque censeretur, sed suæ intentionis existere, quod idem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum penitentiae, seu Confessionis administrationem dispositioni suorum prælatorum subiecti sint. Eisdem tamen Prælati, vt in vfu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos, & faciles exhibeant præcipit, & mandat. Quaranta *verb. Confessor.* Post quæ Sanctiss. D.N. Urbanus Papa, anno 1630. die 19. Iunii, prædictam Constitutionem Clementis Octau. in nouauit pro ordine Prædicatorum, ac alijs Religionibus (vt habetur *4. tom. Bullar. inter Bullas Urbani num. 105.*) ac motu proprio ampliauit, ferè per similia verba, scilicet prædictam Bullam Cruciatæ, & alia quæcumque indulta Religionibus concessa, *Quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluedi à prædictis casibus referuatis, etiam in Bulla Cæne Domini contentis, cum Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatisque & Instituti prædictorum Mendicantium & non Mendicantium, tam Provinciae Hispaniæ, quam extra eam vbilibet constitutorum, locum minimè habuisse, neque habere, nec illis vilo modo suffragari potuisse, neque posse, sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod idem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum penitentiae, seu Confessionis administrationem ordinaria dispositioni suorum Prælatorum, & Sedis Apostolicæ, quo ad sibi referuata, subiecti sint, earundem tenore præsentium perpetuo declaramus.* Extant etiam pro hac parte Decreta Pij V. Gregor. XIII. & declaratio DD. Cardinalium facta ad instantiam Patriarchæ Valerini pro Monialibus Episcopo subiectis. Cordub. in *annot. sup. Regul. S. Francisci c. 7. q. 8. punct. 2.* Suar. *to. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 16.* Miranda *2. to. Man. q. 34. art. 15.* Vide Dian. *Tract. 2. de dubijs Regul. Resol. 94.* & nota quod licet hic Author in *Tract. de Bulla Cruciatæ Resol. 14.* aliquantulum inclinauerit in sententiam contrariam nostræ. Postea tamen visa Bulla S. D. N. Urb. nostram sententiam tueretur, & dicit contrariam non esse probabilem in *additionibus secund. Resol. 9.*
- 30 Qui dubitat, an sit idoneus ad audiendas confessiones, Superiorum præcepto excusatur; non autem si sciat certè se ad id munus esse ineptum, Quia in dubijs standum est

judicio Superiorum, non in euidenter malis. Eman. Sà in Summ. verbis confessor. num. 10.

31. Confessores, qui in domibus Laicorum confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur & fidem auditæ confessionis pro medico adueniente relinquere. Ex S. Congregat. die 2. Julij 1587. Quaranta in Summ. Bullar. verb. priuileg. Regul. Vide num. sequenti.
32. Extrat etiam Romæ Decretum Congregationis S. Apostolicæ Vistationis de mandato Sanctiss. Dom. N. Urbani VIII. quo præcipitur omnibus, & singulis Confessarijs, tam secularibus, quàm cuiusvis Ordinis Congregationis, Instituti, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularibus, quocumque nomine nuncupatis, cuiusvis gradus, & dignitatis in suo Ordine, ne imposterum tam Virorum, quàm Mulierum, cuiuslibet qualitatis, vel conditionis existant, præterquàm si graui infirmitate detenti, vel detentæ sint, Sacramentales Confessiones, in illorum, seu illarum, vel etiam alienis ædibus, audiant, nisi de licentia Illustriss. Cardinalis Urbis Vicarij, seu Reuerendissimi D. eius Vicelgerentis, in scriptis concedendæ exceptis tamen Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium, & Principum virorum secularium, videlicet Oratorum Regum, & magnorum Principum, nec non, & Ducum, ac Roman. Pontif. qui fuerunt (vel pro tempore erunt Nepotum) hoc etiam addito, vt idem Confessarij in mulierum huiusmodi Sacramentalibus confessionibus audiendis, cubiculi ianuam apertam, ac velum leuatum semper habeant, itaut conspici, non autem audiri possint: Sacramentumque Confessionis, huiusmodi Confessarij seculares cum superpelliceo, & stola, Regulares vero cum stola ministrent in Ecclesia, nisi ex rationabili causa audire aliquos in Sacratio, seu alio decente loco quandoque occurrit. Contrafacientes non solum suspensionis à Confessionibus audiendis, verum etiam alias penas arbitrio eiusd. S. Congregationis eo ipso incurrant. Insuper Confessarijs huiusmodi sub eisdem penis iniungitur, vt si eos vigore facultatum eis concessarum, Confessiones infirmorum huiusmodi in priuatis domibus audire contigerit, Parochum dictorum infirmorum huiusmodi ante, vel saltem eadem die, qua Confessionem audierint, absolutionemque infirmis impartiri fuerint, certiozem reddere debeant. Vide Augustin. Barbolam de Offic. & Potest. Parochi. c. 19. num. 23.
33. Confessores, qui (quod absit) mulieres, dum eas in confessione audiunt, ad actus inhonestos prouocant, puniuntur à Tribunali S. Inquisitionis. Ex Bulla Pii IV. quæ incipit, Cum sicut nuper. Licet enim ea tantum sit pro Regnis Hispaniarum, tamen Greg. XV. in Const. quæ incipit, Vniuersi Domini ann. 1622. & habetur 4. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis n. 34. illam extendit non solum pro quibusvis Christiani orbis partibus, sed ad multa etiam alia vitia concernentia. Primò enim quoad personas vult prædicta Constitutio comprehendere omnes, & singulos Sacerdotes, tam seculares, quàm quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediate subiectorum. Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regularium, cuiuscumque Dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant. Deinde quoad delinquentes, voluit comprehendere supradictos, qui personas, quacumque illæ sint, ad inhonestas, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu Confessionis huiusmodi, etiam, ipsa Confessione consequuta, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut, cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, De quibus etiam delinquentibus loquens, vult quod in officio Sanctæ Inquisitionis seuerissime, vt infra puniantur. Postea vero grauissimis penis designatis, quibus tam enorme delictum puniri præcipit, probatum esse concedit, & declarat, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, iudicijs, & alijs adiuuiculis. Subiungit tandem pro Confessarijs, qui talia cognouerint. Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos penitentes quos noverint fu-

isse ab alijs, vt supra sollicitatos moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, vt præsertim, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinarijs prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel penitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes vt supra, eisdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpe punire non negligant.

34. In hac Constitutione non comprehenduntur, mulieres sollicitantes Confessarium. Quia solum loquitur de Confessarijs sollicitantibus. Peirinis 10. 2. priuileg. Minim. in Constit. 4. Greg. XV. num. 8. Nec etiam comprehenduntur qui ministrantes Baptismum, Eucharistiam, vel Matrimonium feminae, ipsam sollicitarent. Quia Pontifex solum loquitur de ministro Sacramenti penitentiae. Sanctarellus tract. de heres. c. 46. n. 5. Bonacina de onere denunciand. disp. 6. punct. 3. n. 14. Verumtamen comprehenduntur non solum confessores sollicitantes feminas, sed etiam (quod absit) sollicitantes pueros ad aliquem actum inhonestum, quia id exprimitur, illo verbo, personas quacumque illæ sint. Diabla tr. de denunciationibus Resol. 12. Et hoc siue sint in actu Sacramentalis Confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, etiam ipsa Confessione non sequuta, vt ibi dicitur. Vnde Confessor, qui audiens in Confessione feminam esse leuam, ipsaque finita, leonem mitit ad domum ipsius, vt eam sollicitet, comprehenditur hac Constitutione, cum hoc faciat occasione Confessionis. Grassis 10. 1. conf. lib. 4. de cognat. spirit. conf. 1. a. n. 37. & de cas. res. lib. 2. c. 12. n. 30. Idem dico si Confessarius sollicitet feminam, vt consentiat alteri, aut vt tradat ei, v. g. suam filiam. Quia hoc exprimitur, illis verbis Constitutionis siue inter se, siue cum alijs. Grassis vt supr. n. 41. & 42. Sanctarellus tract. de heres. cap. 4. n. 19. Idem etiam dico si Confessarius non verbis expressis, sed solum tacitis, & occultis alliciat penitentes. Quia etiam hoc est abuti Sacramento penitentiae. Peirinis 10. 2. priuileg. Minim. in Constit. 4. Gregor. XV. n. 21. Barbosa de Offic. Parochi c. 19. a. n. 39. Et quod magis est comprehenduntur etiam illi qui extra occasiones Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque vbi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessiones audiendas electo, talia faciant Quidquid maledicat in contrarium. Portellus in Addition. ad dubia Regularia verb. sollicitat. feminas. n. 12. Limitatur tamen hoc vltimum de Confessionario, aut loco in Confessionem electo, si hoc fiat simulando Confessionem. Quia dicitur simulantes ibidem Confessiones audire. Vnde videtur dicendum quod si quis in prædicto loco similia perpetraverit non simulando audire Confessiones, vt si per noctem, v. g. in tali loco Confessarius faceret aliquid inhonestum cum aliquo suo penitente, non comprehendere illa Constitutione. Rodriguez 10. 2. q. 27. art. 1. & 2. Quaranta in Summ. Bullar. verb. Confessor. circa explanationem Bullæ Pii IV. adductam. Deinde non comprehenditur Confessor sollicitans ad alia peccata non carnalia, quia Constitutio solum loquitur de sollicitante ad inhonestas. Peirinis 10. 2. priuileg. Minim. in Constit. 4. Gregor. XV. num. 7. Nec qui consentit mulieri sollicitanti, quia ille non est sollicitator. Peirinis n. 9. & 10. Insuper, vt ex prædicta Constitutione habetur, tenentur Confessarij monere penitentes, quos scierint ab alijs sollicitatos, vt denuncient S. Officio, & illos non absoluerent si renuerint obedire. (Rodriguez tom. 2. quest. 27. artic. 1. Sanctarellus vt supra cap. 46.) Nisi forte sollicitari credant, Confessorem sollicitantem esse fraternè corrigibilem, aut esse emendatum, aut confessum suum delictum coram Inquisitoribus, aut timeant ex denunciatione periculum mortis vulneris, & truncationis membri, infamiae, vel amissionis honoris. In his n. casibus excusari poterunt penitentes à denunciatione. Cautissime tamen procedere debent Confessarij circa penitentes ab alijs sollicitatos Peirinis vt supra n. 29. & seqq. Vide Dianam Tract. de Denunciationibus, vbi de hac præsertim. Et nota quod in praxi non debent sollicitari credere Confessarios sollicitantes esse fraternè corrigibiles, aut emendatos, cum sint de heresi suspecti, Propereà tenentur illos ante quacumque mentionem, seu correctionem S. Officio Inquisitionis denunciare. Non tamen tenentur isti sollicitari manifestare suum crimen, si fortè Confessario sollicitanti consenserunt, sed denunciare solici-

solicitationem non detegendo suum defectum. Bonacina ut supra n. 10. [Nota etiam quod cum quidam Episcopus cogere vellet Regulares ad observandum id quod in dicta Constitutione Gregorij XV. §. Mandantes, continetur, sub iuramento, prohibitus est id facere à S. Congregatione Episcoporum & Regularium 7. Nouembris 1642.]

35 Preterea Gregor. XV. in Constitut. de exemptorum privilegijs ann. 1622. edita (4. 10. Bullar. inter Bullas Gregorij XV. num. 18.) statuit, & declaravit. Ut deinceps tam Regulares, quam seculares quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum secularium Monasterijs, seu domibus Regularibus, aut quibusvis alijs Ecclesijs, vel beneficijs siue Regularibus, siue secularibus incumbentem, exercent: siue alias Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent prævia Episcopi licentia, & approbatione; siue quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque vlla auctoritate se ingerant, in his, quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diocesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subijciantur. Quia tamen dura videbatur huiusmodi Constitutionis determinatio, ideò S. Congregatio Concilij censuit, Constitutionem hanc nequaquam subycere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit. Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis secularibus administrandis ydem Regulares delinquant. Similiter cum dubitaretur, an Episcopi possint Regularibus præscribere, vt certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias eorum privilegia restringere, ac moderati in Sacramentis administrandis. Respondit eadem S. Congregatio. Hac in parte Constitutionem nihil noui iuri induxisse, nec vllam nouam auctoritatem. Episcopus attribuisse. Quod si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam. Vide 4. tom. Bull. post Constitutionem 18. Greg. XV. Nota etiam huiusmodi Constitutionem iussu SS. D. N. Urbani suspensam fuisse pro Regnis Hispaniarum, vt constat ex Breui Nuntij Apostolici tunc temporis existentis, nunc verò Eminentiss. Card. Sacchetti 21. April. ann. 1625.

36 Ex Decreto etiam Clem. VIII. super casuum reservatione approbato, & innouato à S. Congr. Concil. Sanctiss. D. nostri Papæ Urbani VIII. die vigesimaprima Septembris 1624. statuitur pro Confessarijs Religiosorum, quòd non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint aut ipsimet subditi spontè, ac proprio motu, id ab ijs petierint. Item quòd Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero, maiori, vel minori, ijque sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reservatis eos absoluant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit. Preterea decernitur, quòd tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Subiungitur etiam. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reservatis, à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrands cohibere possint. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores quicumque illi sint obseruari mandauit. Non obstantibus, &c. Sanctitas sua deinceps declaravit, quòd si huiusmodi Regularium Confessarijs casus alicuius reservati facultatem perentibus Superiori dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentias Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluerè. Vide dicta c. 18. n. 29.

37 Circa quæ primò animaduertendum est, quòd si subditus habens casus reservatos petat confiteri alteri, non teneri Superiorem concedere illi facultatem, vt possit confiteri cuicumque voluerit, sed posse designare aliquem, vel aliquos, cui, vel quibus solum confiteatur. Ratio est, nam

reservatio casuum ad hoc fit, vt grauiora delicta grauius corripi, & melius emendari possint, ad quod requiritur, quòd Prælati designet doctiores, & grauiores personas. Suarez tom. 4. in 3. par. disput. 30. sect. 4. Longus de casib. reservat. par. 1. sect. 1. artic. 17. num. 10. Similiter quando Confessarium petentem licentias absoluendi aliquem à casu reservato, non teneretur Prælati, etiam pro prima vice, talem facultatem concedere, nisi talis Confessarius putetur idoneus pro illo munere exequendo. Quia non est credibile Pontificem voluisse hanc facultatem concedi Confessario non idoneo pro absolutione talis casus. Suarez tom. 4. in 3. par. disput. 30. sect. 4. num. 11. Laurentius de Peirinis tom. 1. priuil. Minimor. in Constitut. 2. Iulij II. §. 24. num. 59. si verò pœnitens pro secunda, aut tertia vice incidit in casum aliquem reservatum, & Prælati Confessario petenti facultatem ad illum absoluendum illam dare noluerit, si habeat necessitatem celebrandi, vel communicandi, quidam dicunt, habita contritione, vel probabilis existimatione eius posse communicare, non præmissa confessione, tamquam is, qui non habet copiam confessionis. Hoc verò solum est admittendum quando timet, quòd Prælati abuteretur scientia Confessionis, & inde timeat aliquod malum, vel fractionem sigilli, non tamen, quando solum ob ruborem, & verecundiam non vult confiteri Prælati. Quia in primo casu habet sufficientem excusationem, non in secundo. Imò etiam in tali prædicto casu potest, & vt credo, debet confiteri Confessario habenti facultatem absoluendi à non reservatis confitendo illi aliqua peccata non reservata saltem alias confessa, & sic celebrare, aut communicare. Quia tunc prædictus Confessarius absoluerè illum poterit ab omnibus peccatis, à non reservatis directè, à reservatis verò indirectè. Vide Suar. 4. to. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 19. n. 22. & 23. Vide dicta sup. cap. 18. circa facultatem, quam habent Prælati in casibus reservandis num. 29.

38 Possunt (secundum plures) Confessarij Regulares, qui communicant in privilegijs cum Iesuitis, approbati ab Ordinario legitime ad Confessiones audiendas, etiam non graduati, litteras, seu breuia Sacræ Pœnitentiariæ, quæ Communiter Magistris Theologiæ, vel in Iure Canonico Doctoribus destinantur, auditis Confessionibus ad eos recurrentium, impositaque pœnitentia in litteris expressa, vel de iure imponenda, ac in foro conscientie, quascumque siue verbo, vel scripto missas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum iniunctiones accipere, & exequi. Propter privilegium Gregorij XIII. concessum Sacerdotibus Societatis Iesu. Sorbus in compend. ver. Confessores in fin. Sanchez lib. 8. de Matrimon. disput. 34. num. 11. Vide Bullam inter Constitutiones Gregorij XIII. num. 75. in 2. tom. Bullar. & aduerte non esse securum potiri hoc privilegio, etiam per viam communicationis, illas Religiones, quorum Religiosi gradus Doctoratus admittunt, quia titulus ratione cuius hoc concessit Pontifex Patribus Societatis est, quia ipsi non solent ad tales gradus promoueri. Quæ ratio cessat in alijs Religionibus tales gradus admittentes.

39 Licetum est Confessarijs Regularibus elemosynas à pœnitentibus datas recipere, non ratione Confessionis, nec absolutionis, sed per modum simplicis elemosynæ. Cum in hoc nulla deformitas reperitur, quin potius rationi consentaneum sit, vt qui in Sacratio operantur que de Sacratio sunt edant, vt inquit Apostolus primæ Corinth. 9. Laur. de Peir. 10. 1. de subdit. quest. 1. de Obed. cap. 21. Iniungere autem Missas pro pœnitentia, licet res indifferens appareat, nihilominus non debet fieri à Confessarijs, ne pœnitens suspicetur ex auaricia iniunctam sibi fuisse talem pœnitentiam, Conradus 2. par. respons. q. 358. Laurent. de Peir. vt supr. Vide Bonac. de Simon. q. 4. §. 16. n. 10.

40 Qui verò pro Sacramentorum administratione pretium aliquod recipiunt Simoniaci sunt c. cum in Ecclesie, c. non satis Sanctus Thomas 2. 2. quest. 100. art. 2. Syluester ver. Simonia num. 8. Et quamuis in Iure specialis pœna non sit illis designata, generales tamen Simoniacorum pœnas incurunt, & ita deponuntur cap. sicut de Simonia, Alderete lib. 2. de Religion. disciplin. cap. 16. num. 47. Simonia committitur dando, vel accipiendo pecuniam pro leui pœnitentia iniungenda in Sacramento Confessionis, nã impositio

- sitio pœnitentiæ est a *Sus Clauium*. Bonac. de *Simoniam* quest. 4. §. 16. num. 5.
41. Sacerdos Regularis sine Ordinarij facultate Confessiones audiens (præterquam quod confessio, est nulla propter dicta supra num. 2. ex Concilij Tridentini) committit crimen despositione dignum cap. placuit de pœn. dist. 6. Nauarrus *ibid.* Rodriguez tom. 2. quest. 37. artic. 1. Regularis etiam Confessarius sine sui Superioris licentia Confessiones audiens præter particulares pœnas in specialibus statutis Religionum designatas, grauissimæ pœnæ inobedientium plectendus est. Sotus in 4. distinct. 18. quest. 4. artic. 3. Rodriguez tom. 2. quest. 37. artic. 1. Qui verò non Sacerdos Confessiones audierit punitur à S. Inquisitione, iuxta dicta cap. 10. num. 22. Vide etiam supra n. 12.
42. Confessarij, qui (quod absit) Confessionis secretum detegunt, olim perpetuò depositi omnibus diebus vitæ suæ ignominiosè peregrinare cogebantur cap. Sacerdos de pœnit. distinct. 6. Hodie verò ex Conc. Generali sub Innocentio Tertio perpetuò deponendi sunt. Sed ne in Ordinis Sacerdotalis ignominiam peregrini vagarentur, in arctum Monasterium detruendi præcipiuntur, vt ibi pœnitentiam usque ad mortem agant. Nauarrus in d. c. Sacerdos num. fin. Alderete lib. 2. de Relig. discipl. cap. 19. num. 2. Barbosa de Offic. Parochi cap. 19. n. 55. Non tamen huiusmodi Sacerdotes sunt irregulares. Suar. 4. tom. in 3. par. disp. 32. sect. 8. Alder. vt supra n. 3.
43. Confessarij absoluentes aliquem à casibus in Bulla Cœnæ Domini contentis, excommunicationis sententiâ innotantur in prædicta Bulla. §. 23. Deinde Religiosi præsumentes absoluerunt excommunicatos à Canone, nisi in casibus à Iure expressis, aut gratia Sedis Apostolicæ concessis, vel excommunicatos à sententijs per Statuta Prouincialia, vel synodalia, sunt ipso facto excommunicati, & absolutio reservatur Papæ. Vt habetur in Clementina de Privilegijs cap. Religiosi. D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 54. Caietan. in Summ. in excommunicat. cap. 64. Religiosi verò absoluentes ab excommunicatione lata ab homine, non incurunt in excommunicationem (intellige nisi talis excommunicatio, lata etiam sit contra absoluentes) peccant tamen mortaliter, & inualidè absoluunt. Sorbus in Adit. ad Compend. prim. Mendic. v. confession. & confes. §. 2. notandum.
44. Tenentur Confessarij omnes ad audiendas peccatorum Confessiones quauis autoritate deputati, sicut, & Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarij, & Ecclesiasticæ Prælati, necnon Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumuis Ordinum Regulares, habere penes se transumptum Bullæ, quæ vocatur de Cœna Domini, eamque diligenter legere, & studere. Ita enim præcipitur in eadem Bulla, vt patet in ea, quæ est SS. D. N. Urbani VIII. & habetur inter Bullas ipsius 4. tom. Bullar. num. 62. Quaranta in Summ. Bullar. vt excommunicatio in Bulla. Barbosa de Offic. Parochi cap. 19. num. 61. Tenentur etiam Curati Regulares interesse cum alijs Curatis Congregationi casuum conscientiarum. Ita enim determinatum est à S. Congregatione Episcop. & Regul. 13. Octobr. 1592. Et ita video Romæ obseruati. Gauantus in Manual. Episcop. verb. Cleri Conuentus num. 2. & verb. Parochorum manner a à num. 27.
45. Qualiter, & à quibus examinandi, & approbandi sunt Regulares ad audiendas Confessiones nedum secularium, sed etiam Religiosorum eiusdem Ordinis, vide Decretum Clement. VIII. & S. Congregat. sub Sanctis. D. N. Urbano quod attulimus cap. 18. num. 79. Pro pœnis etiam, quas incurunt Religiosi Confessarij, qui suis pœnitentibus conscientiam non faciunt de soluendis decimis, vide cap. 9. num. 26.

## SVMMARIUM CAP. XX.

- Non possunt Regulares concionari sine examine. n. 1.  
Ad prædicandum in Ecclesijs suorum ordinum requiritur licentia Superiorum, & benedictio Episcoporum petita. num. 2.  
Ad prædicandum verò in Ecclesijs quæ suorum Ordinum non sunt requiritur ulterius Episcopi licentia.

- An prædicti puniri possint ab Episcopo. n. 3.  
An per aliquas vices possit sine tali licentia regularis doctus prædicare. num. 4.  
Licet Religiosis prædicare etiam in locis publicis. n. 5.  
An prædicante Episcopo Religiosi prædicare possint. n. 6.  
Concionatores semel presentati, & approbati, an iterum presentari, & approbari debeant num. 7.  
Quæ privilegia habeant circa officium diuinum, & ieiunia. num. 8.  
Religiosi prædicantes errores quomodo puniendi. n. 9.  
Prohibentur prædicare aliquas indulgentias S. Mariæ de populo & c. n. 10.  
Quid illis prohibeat Concilium Lateranense sub Leone X. num. 10.  
Sub quibus pœnis. *ibid.* n. 10.  
Quid moneat Conc. Trid. sess. 5. n. 11.  
Concionatoribus de Immaculatæ Virginis Conceptione, quid præceptum sit à Summis Pontificibus. n. 12.  
Carmelitarum Concionatoribus qualiter liceat prædicare de speciali protectione B. Virginis erga sui Ordinis alumnos. num. 13.  
Non possunt admitti ad concionandum infames. n. 14.  
Concionatores in statu peccati mortalis an peccent concionando. n. 15.  
Qualiter peccent concionando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum. n. 16.  
Quæ illis præcipiantur vel prohibeantur à Sacris Concilijs, & à Sacris Congregationibus. n. 17.  
De alijs ad ipsos spectantibus. n. 18.

De Concionatoribus Regularibus,  
eorumque obligationibus.  
Cap. XX.

Non possunt Regulares exercere munus Concionatorum, nisi à Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia. Ita enim habetur in Conc. Trident. sess. 5. c. 4. Nauarr. in Man. c. 25. n. 141. & 143. Vnde Regularis prædicans absque sui Superioris licentia peccat mortaliter. Nauarr. n. 141. Incurrere etiam excommunicationem Papalem ex Leone X. in Concilio Lateranensi docent Zerola in praxi v. Medicat. n. 2. p. 1. Reginald. lib. 18. n. 119. Priuantur etiam officio prædicandi ab eodem Leone X. vide Bullam tom. 1. Bulla inter Bullas Leonis. num. 21. Peccant etiam mortaliter Prælati, qui subditos non examinatos de vita, moribus, & scientia aut non idoneos, permittunt prædicare. Tum ex Concilio Trident. tum ex Leone X. tum ex scandalis, quæ inde solent euenire. Perrin. de subditio q. 1. de Obed. c. 22. Vide circa hoc Decret. Clem. VIII. & Urbani VIII. c. 18. n. 79.

Deinde quicumque Regulares, ad prædicandum in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur sine qua in ipsis Ecclesijs non suorum Ordinum modo prædicari possint. Ita habetur etiam in eodem Conc. loc. cit. Ad prædicandum verò in Ecclesijs suorum Ordinum non requiritur licentia Episcopi, sed solum suorum Superiorum licentia, & quòd cum ipsa personaliter se coram Episcopis presentare, & ab eis benedictionem petere teneatur. Concil. *ibid.* Ex quo habetur, ad prædicandum regulares extra suas Ecclesias requiri non solum examen & approbationem Superiorum Religionum, de vita, scilicet, moribus, & scientia, sed etiam licentiam ipsorum, & ulterius Episcopi quoque licentiam; ad prædicandum verò intra suas Ecclesias minus requiri, scilicet examen, approbationem, & licentiam suorum Superiorum, & presentare se Episcopis, ab eisq; benedictionem postulare. Hoc est, vt puto, quòd Episcopus non contradicat, quòd videtur exprimi à Concilio sess. 24. c. 4. illis verbis: Nullus autem secularis, siue Regularis, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare presumat. Miranda in Man. to. 1. q. 50. art. 2. Perrinis to. 1. de sub. q. 1. de Obed. c. 22. Vide circa hoc declarationes aliquot S. Congreg. Episcop. apud Gauant, in Man. Episc. verb. Concio sacra. n. 16. §. 1. §. 2. §. 3. & §. 4. & dicenda to. 2. cap. 1. num. 17.

- 3 Nihilominus prædictos prædicatores Regulares, qui absque licentia Episcopi prædicauerint, in Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, tametsi Decreto Concilij contraxerint, non posse tamen puniri ab Episcopo, sed tantum a suis Superioribus Regularibus, declarauit Sac. Congregatio anno 1602. per verba adducta. Flau. Cherub. in *Comp. Bullar. to. 2. supr. Bull. 41. P. V.* Postea verò Gregorius XV. in Constit. de *Exemptorum priuileg.* ann. 1622. edita declarauit, quòd Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus habeat auctoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos tam seculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumperint. Pro huius tamen Constitutionis moderatione Religiones supplicauerunt, & pro Regnis Hispaniarum suspensa est, vt diximus *cap. 19. num. 35.* Addunt plures Episcopum non posse hanc benedictionem negare, & quòd si neget, nihilominus posse Regulares in suis Ecclesijs prædicare. Eò quòd Concilium solum dicit, quòd *teneantur petere benedictionem*, nec dicit, & illam obtinere. Præsertim, quia benedictio iure petita, si iniuste negetur, videtur iure concessa. Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 13. num. 4.* dicens, hoc censuisse Sac. Congregationem ann. 1597. Laurent. de Peirinis *tom. 1. de subdito. quest. 1. de Obed. cap. 22.* Vide Gauantum in *Man. Episc. verb. Regul. iura sub Episc. num. 35. & 36.* referentem aliquas declarationes Sac. Congregationis Episcoporum, & Regulatium circa hoc.
- 4 Non obstante etiam prædicta doctrina Concilij, putant aliqui posse Regularem doctum, & idoneum prædicare pro duabus, aut tribus vicibus solum de licentia Parochi, in sua Parochia. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 16.* Hoc verò solum admitterem, si pro tali persona, aut occasione præsumeretur licentia tacita, vel interpretatiua Episcopi, & esset in oppidis, vbi non sunt Episcopi, sed tantum Parochi; essetque hoc legitima consuetudine receptum, aliàs non. Cautè enim procedendum, maximè post Constitutionem Gregor. XV. num. præcedenti adductam, vbi viget. Sed vide Barbofam de *potestate Episcopi. Alleg. 76. num. 25.*
- 5 Licitum est, per se loquendo, Religiosos prædicare, etiam in locis publicis, vijs, & plateis. Ratio est, tum ex exemplo plurium Sanctorum, videlicet Antonij Paduani, Vincentij Ferrerij, & Petri Martyris id sapè facientium, vt ex historijs ipsorum constat, tum quia hoc, nec diuina, nec humana lege est prohibitum, aut intrinsecè malum. Suarez *4. tom. de Relig. lib. 9. cap. 1. a. num. 25.* Vnde hoc possunt facere aliqui Religiosi, etiam sine licentia Episcoporum. Ratio est, propter multa priuilegia Religionibus concessa, præsertim Sixti IV. Carmelitis, Bonifacij IX. Prædicatoribus, Pauli III. Iesuitis, & Clementis V. Prædicatoribus, & Minoribus, quibus etiam gaudent aliæ Religionis cum ipsis communicantes. Hæc autem priuilegia abrogata non sunt à Concil. Trid. aut Constitutione Gregor. XV. adducta, cum ex illis solum habeatur non posse sine licentia, aut benedictione Episcoporum prædicare Regulares in suis, aut alienis Ecclesijs. Compendium priuilegiorum Mendicantium. *verb. Prædicatores.* Miranda in *Man. tom. 1. q. 50. art. 4.* Numquam tamen vti possunt hac facultate prædicandi alicubi contradicente Episcopo. Tum ex Concil. Trident. *sess. 24. c. 4.* id expresse prohibente, tum quia prædicare verbum Dei, est proprium munus Episcoporum, atque ita ad minus exigitur, ne contradicant. Rodriguez *to. 3. q. Regular. q. 32. art. 5.*
- 6 Etiam prædicante Episcopo possunt Religiosi suo munere prædicandi vti. Ratio est, nam licet in Clement. *Dudum*, & in *Extrauag. Inter cunctas*, concedatur licentia Religiosis prædicandi, *hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prelati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari.* tamen cum in alijs priuilegijs Religionum, quale est illud Pauli III. pro Patribus Iesuitis adductum, quo etiam gaudent qui cum ipsis communicant in priuilegijs, non ponatur talis limitatio, & licentia Episcoporum ad prædicandum supponatur, nec contradicant illa hora prædicare, poterit id fieri, nisi consuetudine oppositum sit receptum, aut aliunde constet Episcopo displicere

talem concionem. Suarez *4. tomo de Religion. lib. 9. de societ. cap. 1. num. 30.* Vide tamen circa hoc Sac. Congregat. Concilij, sub Sanctis. D. N. Urb. præceptum apud Barb. de *Offic. Paroch. cap. 14. num. 2.* & aliam declarationem eiusdem S. Congreg. apud Gauant. in *Man. Episc. verb. Concio sacra. num. 52.*

7 Prædicatores semel præsentati, & approbati ab Episcopis non possunt ab eisdem iterum compelli, vt præsententur, bene tamen à successoribus, iuxta dicta de Confessoribus *cap. præced. num. 7.* Propter similem rationem, Miranda *tom. 1. Manual. q. 50. art. 9.* Sorbus in *annotat. ad Compend. verb. Prædicatores.*

8 Habent aliqui Prædicatores Regulares, videlicet Theatini, & qui cum ipsis communicant in priuilegijs, priuilegium Clement. VII. circa Officium Diuinum recitandum, de quo egimus *cap. 12. num. 32.* Habent etiam aliud Leonis X. priuilegium circa ieiunia, concessum Minoribus, & per consequens alijs Religionibus, quæ communicationem priuilegiorum habent cum illis: quòd scilicet prædicatores *alij prædicantes possint sine scrupulo, seruato ieiunio, anticipare, & retardare horas comestionis, & serotinae collationis, iuxta suam consolationem.* Nauarrus in *Man. c. 21. num. 16. & cap. 25. num. 201.* Miranda in *Man. tom. 1. q. 50. art. 11. & 12.* Quia tamen priuilegium hoc fuit viæ vocis oraculo concessum, vt habet Casarubius in *Comp. priuileg. Mendic. verb. ieiunium. num. 5.* idèd nihil valet. Iure tamen communi, & causa rationabili subsistente potest fieri id, quòd isto priuilegio concessum erat.

9 Religiosi prædicantes errores, aut scandala disseminantes in populum, etiam in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicent, ab Episcopis interduntur quoad officium Prædicandi. Quòd si hæreses prædicauerint, contra eos, secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem debent procedere. Concil. Trident. *sess. 25. c. 2.* Quaranta in *sum. Bull. verb. Exemptio.* Similiter Leon. X. in *Bulla Dudum*. quæ habetur in appendice Bullar. *fol. 21.* præcipit in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis late sententiæ, omnibus Religiosis cuiuscumque Religionis, ne deinceps Indulgentias, & gratias S. Mariæ da Populo de Vrbe, ad seculares extendi prædicent, aut publicè, vel priuatè nuncient, nisi solum ad Fratres, Moniales, Tertiaros, & familiares. Laert. in *append. Bull. or sup.*

10 Item Concilium Lateranense sub Leone X. *sess. 11.* prohibet Prædicatoribus, ne de cætero in sermonibus suis publicis, alia quæque futura ex litteris Sacris constanter prædicent, nec illa a Spiritu sancto, vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alienas inanes diuinationes asseuerando, aut aliquo modo quocumq; tractada assumant, sed ex diuino vocis præcepto Euangelium omni creaturæ, cum vitiorum detestatione, & virtutum commedatione, enucleent, atque declarent. Rursusque idem Concilium, Euangelicam veritatem, & Sacram Scripturam, iuxta declarationem, interpretationem, & ampliationem Doctorum, quos Ecclesia, vel diuturnus vsus approbavit, legendosque hæcenus recepit, aut in posterum recipiet, prædicent, & explant. Neque quicquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adijciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius S. Scripturæ verbis, & præfatorum DD. interpretationibus ritè, & sanè intellectis, non discordant. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem Iudicij prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cum veritas dicat non esse Vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Item ex eodem Concilio. Si quibusdam eorum Dominus futura quædam in Dei Ecclesia, inspiratione quapiam reuelauerit, &c. quoniam res magni momenti est, eò quòd non de facili credendum sit omni spiritui, sed teste Apostolo probandi sunt spiritus, an ex Deo proueniant, Volumus, vt lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini referuatæ intelligantur. Quod si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato, Ordinario loci notificentur, vt ille, adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis, & grauibus viris, huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbitur (super quo eorum conscientias oneramus) illud propalandi licentiam concedere

dere possint Gauantus in *Manua. Episcop. v. Concio Sacra* a num. 35. Tandem contra prædicatores in suo munere delinquentes sic procedit idem Concilium. Ultra pœnas contra tales à iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, à qua non nisi à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Et vt eorum exemplo alij attentare similia minimè audeant, prædicationis etiam officium eis esse interdictum perpetuò decernimus. Vide Bullam inter Bullas Leonis X. num. 21. Animaduertunt tamen aliqui huius Concilij censuras non fuisse receptas. Nauarr. in *Manual. cap. 27. num. 111. Suarez tom. 5. disput. 22. sect. 6. Quod aliorum iudicio remitto. Vide dicenda infra num. 17.*

11 Concilium quoque Tridentinum *sess. 5. cap. 2.* Sic monet prædicatores *Plebes pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum breuitate, & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet, vt pœnam æternam euadere, & celestem gloriam consequi valeant.* Vide compendium priuilegiorum *verb. prædicatores, & Simancas de Cathol. Infit. tit. 49.*

12 Concionatoribus de Immaculatæ Mariæ Virginis Conceptione præter id quod illis antea præceptum erat à Sixti IV. scilicet, quòd neutram opinionem, affirmatiuam scilicet, aut negatiuam condemnare præsumerent, sub excommunicationis sententia Papæ reseruata; vteritis illis præcipitur à Pio V. in Bulla, quæ incipit, *Super Speculam Domini* anno 1570. edita, quatenus nemo cuiuscumque Ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat, in populatibus concionibus, vel vbiicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersie alterutra parte disputare, rationibus, vel doctorum auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa questione, cuiusvis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat. Contra transgressores verò sic procedit. Qui contrafecerit suspensionis pœnam à Diuinis absque noua declaratione ipso facto incurrat, si modò fuerit in Sacris constitutus, & quocumque præterea gradu, siue dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso iure priuatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuè inhabilitatis censuræ, ipso etiam facto sit obnoxius, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existentè dispensari, siue absolui non possit. Et nihilominus alijs pœnis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subiiciatur, prout subiiciamus. Postea verò Paulus V. in alia Bulla anno 1616. edita, quæ habetur in appendice 3. Bull. fol. 68. approbavit, & confirmavit prædictas Bullas Sixti IV. & Pij V. ac præterea adiunxit, quòd si quis quouis modo contrauerit, præter supra dictarum Constitutionum pœnas respectiue ipso facto incurtendas, etiam concionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac vocatiua, & passiuæ in quibuscumque electionibus, eo ipso, absque alia declaratione priuatus existat, nec non ad concionandi, & publicè legendi, docendi, & interpretandi perpetuè inhabilitatis pœnas similiter ipso facto incurrat absque alia declaratione, à quibus non nisi à Nobis ipsis, vel Successoribus nostris Roman. Pontificibus pariter absolui, seu super ijs dispensari possit, & nihilominus alijs pœnis, nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis, subiiciatur, prout eum subiiciamus per præsentem, & contra huiusmodi transgressores etiam Regulares cuiuscumque Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscumque status, gradus, Ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, vt præfertur, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, alijque Ordinarij locorum quàm hæreticæ prauitatis vbi que locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirent, atque in eos seuerè animaduertant. Nos enim ijs, & eorum cuiilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem, iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimus, eosque, vt præfertur procedere, inquirere, & pu-

nire præcipimus, & mandamus. Post quæ sacra Congregatio Sanctæ Inquisitionis coram eodem Paulo V. die 31. Augusti Anni 1617. Præcipit omnibus, & singulis cuiuscumque Ordinis, & Instituti Regularibus, & alijs quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus personis cuiuscumque conditionis, status, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quàm secularis, etiã si specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio faciendâ, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à S. Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato Originali. Contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declarauit, subiaccere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitut. suorum Prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsentem reperitur, præterquam quoad supra disposita. Vterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato originali in prædictis publicis actibus asserentes aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæ remaneant, & exactè obseruentur perinde ac si præsens Decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbi que inuolubilitè obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, Volens, & decernens, pro obseruatione, & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares, cuius Ordinis, & Instituti etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscumque status conditionis, gradus, Ordinis aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, tam Episcopi, & Prælati, Superiores, alijque Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbi que locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuiilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Vide 4. tomo Bullar. in Paul. V. num. 7. Postea verò Gregorius XV. in Generali Congregatione S. Inquisitionis ann. 1622. & habetur inter Bullas Gregor. XV. in 4. tom. Bullar. n. 29. prædictum Decretum Paul. V. extendit, & ampliauit, etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, aut Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis audeant asserere, quòd eadem Beat. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, &c. Concessit tamen idem Pontifex in alia Bulla eodem anno (prout habetur in prædicto loco 4. tomo Bullar. inter Bullas huius Pontificis vt supra) Omnibus, & singulis Ordinis Prædicatorum Fratrum, vt de cætero in quibuscumque priuatis eorum colloquijs, seu conferentijs, inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum alijs de materia eiusdem Conceptionis B. Mariæ Virginis differere, & tractare absque vllò pœnarum in dictis Decretis contentarum incurso, liberè, & licitè possint, & valeant. Gauantus in *Man. Episcop. v. Conceptio B. Virginis.*

13 Postunt Concionatores Carmelitarum in suis concionibus prædicare de speciali protectione Beatiss. Virg. circa eos, eorumque Confratres, videlicet quòd populus Christianus possit piè credere, eandem Beatissimam Virginem, animas Fratrum, & Confratrum eiusdem Ordinis in charitate decedentium, quæ in vita habitum gestauerint, & Castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque partium recitauerint, vel si recitate nesciant, Ecclesiæ ieiunia obseruauerint, & feria quarta, & Sabbato à carnib. abstinuerint ( nisi vbi in ijs diebus Natiuitatis Domini festum incidit )

derit) suis intercessionibus continuis, pijsque suffragijs, & meritis, ac speciali protectione post earum transitum; præcipue in die Sabbathi, (qui dies ab Ecclesia eidem Beatissima Virgini Matæ dicatus est) adiuturam. Sic enim post varias controuersias discussum, matura deliberatione decretum fuit à S. & generali Inquisitione Eminentiss. DD. Cardinalium sub Paulo Quinto anno 1613. & ab Eminentiss. Card. Millino transmissum ad Generalem Inquisitorè Regni Lusitaniæ, ab eadem Inquisitione authenticatum, & publicatum, vide Ioannem Pintum in *Hierarchia Carmel. tract. 5. à c. 4. & dicta ex Clem. VII. c. 3. num. 17.*

14 Non possunt admitti ad munus concionandi, aut illud exercere infames infamia iuris, vel facti. Quia prædicare, & sacrificare parificantur *cap. Presbyteros, qui, d. 50.* Indecens etiam videtur, vt tantum munus infamibus demandetur. Laurentius de Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 10. Urban. VIII. num. 5.* Quod tamen limitare videtur, si talis post peractam penitentiam verè respiciant, absque scandalum, & periculum recidendi, & id publicè non fiat, sed nescio quomodo possit aliquis concionari, & non publicè.

15 Concionatores in statu peccati mortalis quantumuis occultè existentes, peccare mortaliter, si ante debitam contritionem, vel Confessionem præmissam, prædicent, doceant aliqui authores. Caietanus *3. p. q. 64. art. 6.* & indicant Narrar. in *Manual. c. 25. num. 141.* Oppositum tamen docent alij. Sotus in *4. dist. 1. q. 5. art. 6.* Medina *C. de penit. tract. 1. quest. 5.* Ad minus tamen semper credo tales peccare venialiter. Quia munus prædicandi est annexum Ordini, & præcipue consecrationi Episcopi, & actio illa est satis grauis, & in ea operatur homo vt Spiritus sancti organum. Per accidens etiam peccabunt mortaliter, vel ratione scandalis, si Concionatorum peccatum publicum sit, vel quia inde fit, vt verbum Dei fiat contemptibile, & nullius estimationis. Suarez *3. tom. in 3. p. disp. 16. sect. 3. in fine.*

16 Qui concionando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum miscet, regulariter peccat saltem venialiter. Quia abutitur munere sacro, miscendo sacra prophanis. Caietanus *2. 2. q. 164. art. 2.* Nauarrus in *Manual. cap. 25. num. 142.* Adde, nec semper hoc esse peccatum veniale, quando scilicet aliquod verbum breuiter ad aliquam honestam hilaritatem dicitur. Vide Bullam Leon. X. vt supra *num. 10. relata.*

17 Prohibitum est à S. Congreg. Episcoporum, & Regularium, ne Concionatores commendatores pauperes in proprijs Ecclesijs sine licentia Episcopi, bene tamen propria Monasteria. Ita refert Gauantus *verb. Concio sacra. num. 42.* Debent etiam Concionatores Regulares in concionibus ad populum vti Euagelij, & Epistolis, quæ leguntur à Clero seculari eius Ecclesiæ, vbi degunt. Sic enim decreuit Sacra Congregat. Concil. apud Quarantam in *Summ. Bullar. verb. Priuileg. Regular. & diximus supra cap. 9. num. 46.* Nec possunt publicare Indulgentias, intellige non publicatas per ordinarios locorum. Sic enim habetur ex Concil. Trident. *sess. 21. cap. 9.* Imò publicantes falsas Indulgentias, seu indilicetas, peccant omninò mortaliter, contra præceptum Obedientiæ illis impositum in Clement. de priuileg. *cap. Religiosi.* Nec possunt esse quæstores, seu elemosynarij, (dicuntur autem quæstores, qui quæstum sibi referunt. Baldus apud Barboiam *de potest. Episcop. Alleg. 109. num. 6.*) Nam expressè habetur in Concil. Tridentin. *sess. 5. c. 2.* quòd quæstores, nec per se, nec per alium prædicare præsumant, & *sess. 21. cap. 9.* talium nomen, vsus, & officium omnino extinguuntur. Licet eos soleat sedes Apostolica concedere cum certis conditionibus, de quibus Zerola in *praxi par. 1. verb. Quæstores.* & Gauantus in *Man. Episcop. verb. Quæstores.* Præterea prædicantes miracula falsa, non solum peccant mortaliter, quia committunt mendacium perniciosum, cum sic facientes tollant quantum in se est veritatem miraculorum Fidei, & sint in causa, quòd fides illis non adhibeatur, sed etiam videntur incurtere sententiam excommunicationis Papæ referuatam, latam à Leone X. & Concil. Lateranens. de qua supra *num. 10.* Bonacina *circ. 8. præceptum Decalog. disp. 10. quest. 1. punct. 2. num. 7.* Qui verò in prædicationibus falsam dicunt in citationibus; vt in numero capitum, nomine authorum, vel loco vnius Prophetæ alterum dicendo, non peccant

mortaliter; cum non committant mendacium in doctrina, sed in accidentibus, & sine præiudicio proximorum. Caietanus *2. 2. quest. 110. artic. 4.* Azor. *3. part. lib. 13. cap. 1. dub. 6.*

18 Pro excommunicatione, quam incurrunt Religiosi, qui aliqua in suis concionibus dicunt impediens solutionem decimarum, vide *cap. 9. num. 26.* A quibus debeant examinari Concionatores Regulares, vide Decretum Clement. VIII. & Urban. VIII. *cap. 18. num. 79.* Quando possunt dispensari in seruitio Chori, *cap. 10. num. 20.* Qualiter possint prædicare in eorum Ecclesijs quando prædicatur in Ecclesia Cathedrali, vide declarationem S. Congr. *cap. 12. n. 41.*

## SYMMARIVM CAP. XXI.

- Sacerdotes Regulares crebrius celebrare debent. n. 1.  
De tempore celebrandi. n. 2.  
An dici possit Missa ante dictum Matutinum. n. 3.  
Possunt Religiosi recipere stipendia pro missis celebrandis. num. 4.  
An plura stipendia pro vna missa. n. 5.  
Reductio missarum ad minorem numerum ad quem pertineat. num. 6.  
An possit Sacerdos partem stipendij sibi reseruando, alteram partem alijs dare pro missa celebranda. n. 7.  
Declarationes S. Congregationis circa hoc. ibid.  
Relicta pro onere missarum qualiter inuestienda. ibid.  
An Religiosi administrare possint Eucharistiam. n. 8.  
An possint assistere matrimonijs. n. 9.  
An ministrare extremam unctionem. n. 10.  
Audientes missam festis diebus in Ecclesijs fratrum satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. n. 11.  
Simplices sacerdotes quando possint ministrare sacramentum penitentiae. n. 12.  
An absoluant ab excommunicatione minori. n. 13.  
An possint celebrare missas in quocumque loco cum Altari portatili. n. 14.  
An in grangijs seu prædijs monasteriorum. n. 15.  
Subdico, & extra Ecclesiam in casu necessitatis. n. 16.  
Possunt Regulares dicere missas quacumque hora debita. num. 17.  
Triduo ante Pascha an dici possint missa priuata. n. 18.  
Quid possint Religiosi tempore interdicti. n. 19.  
Quid tempore cessationis à diuinis. n. 20.  
Decreta S. Congregationis Rituum. n. 21.  
Quid de missis S. Gregorij dicendum. n. 22.  
Priuilegium pro Ecclesijs Hispaniæ. n. 23.  
An qui missas nouas celebrant possint oblationes accipere. num. 24.  
Missa votiuæ quando non dicenda. n. 25. & 26.  
Gloria in excelsis quando non dicitur. n. 27.  
Credo quando omittitur. ibid.  
Missa de Requiem quando possunt dici. n. 28.  
Conuentualis missa numquam omittenda. n. 29.  
In canone missa nomine Antistitis non sunt nominandi superiores Regulares, sed Episcopi. n. 30.  
In Altari priuati oratory quando non celebrandum. n. 31.  
Missa certis Regularibus concessa qualis est missa Beate Virginis de monte Carmelo, Carmelitis à quibus dicenda. num. 32.  
In Confitentor Deo non sunt adiungendi sancti. n. 33.  
Pro reuerentia debita Ecclesijs que decreta sint à S. Congregatione. n. 34.  
Pro alijs spectantibus ad sacerdotes. n. 35.

## De Obligationibus Sacerdotum Regularium. Cap. XXI.

Religiosus Sacerdos non solum tenetur celebrare in præcipuis; anni festiuitatibus sicut alij Sacerdotes, etiam nullam curam animarum habentes, eo quòd hoc congruit iuri naturali, secundum quòd quilibet tenetur congrui sibi datam alijs communicare, & iuri diuino, in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem;* sed etiam tenetur regulariter id facere, tum propter scandalum, quòd solet sequi, si sacerdos regulariter non celebret;

tum



- rum etiam, quia regulariter Religiosi sunt obligati ad Missas dicendas, vel propter stipendia accepta, vel propter eleemosynas, quas à fidelibus acceperunt intuitu suffragiorum, & orationum eorumdem. Syluester *verb. Missa* Sotus in 4. *distinct.* 13. q. 1. art. 10.
2. Quamuis de iure communi nulli licitum sit noctu, & ante lucem celebrare, nisi solis Episcopis, iuxta gloss. in cap. *fin. de privileg. lib. 6.* Nauarrus in *Man. cap. 25. num. 85.* Similiter nec liceat regulariter Missam post meridiem celebrare, nisi in casu raro, & existente rationabili causa. Suarez *tom. 3. in 3. par. disp. 80. sect. 4.* Sunt tamen aliqua privilegia circa hoc aliquibus Regularibus concessa. Primum enim Pius Secundus concessit Minoribus, ut possint celebrare vna hora ante auroram. Insuper Leo Decimus concessit, ut de licentia suorum Superiorum, quorum conscientiam se remittit, quomodo Fratres debeant uti hac gratia, possint celebrare illico post Matutinum, & etiam post meridiem, præsertim diebus, quando est de audienda Missa præceptum, & quando Fratres debent ambulare, seu quando de via veniant, & non possunt ante meridiem applicare ad locum, ubi commodè possint Missam audire, vel honestè celebrare. Præterea Sixtus Quartus concessit etiam Minoribus, quod Sacerdotes necessitatis causa, possint ante, & post horam statutam ab Ecclesia, celebrare. Quæ privilegia non videntur abrogata neque per Concilium Tridentinum, cum in eo solum præcipiatur Ordinarijs, ut compellant Regulares ne utantur dictis privilegijs, neque per Constitutionem Pij V. quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater*, quia illa solum videtur esse contra illos, qui celebrabant noctu in vigilijs quarundam festiuitatum, vel contra eos, qui regulariter, & absque vlla causa post meridiem celebrant. Rodriq. *tom. 1. quest. 43. art. 2. & 5.* Miranda in *Man. tom. 1. quest. 41. art. 10. & 11.* Nihilominus quia Sacra Congregatio declarauit, *Ante diem, & horis indebitis celebrare non licet, etiam vigore privilegiorum ante Concilium Tridentinum concessorum*, nihil iam valent prædicta privilegia, eò præsertim, quia cum fuerint viæ vocis oraculo (ut patet ex Cafarubio in *comp. priuil. Mendic. verb. missa 2. quoad tempus.*) reuocata iam sunt, ut sæpe diximus. Concessio autem, quæ à Gregor. XIII. facta est pro Iesuitis, parum, aut nihil continet privilegij, ut bene Rodriguez *ut supra art. 2.* Missæ verò omnes Natiuitatis Domini (nisi aliter consuetudine introductum sit) possunt celebrari ante auroram, saltem iure communi. Vasquez *tom. 3. in 3. par. disp. 232. cap. 3. num. 32.* & sine privilegio etiam in aliquo solemnif festo, cum Concio non finitur nisi post Meridiem, vel si ratione itineris occurrat in die festo tardius venire; poterit etiam celebrari aliquo tempore post meridiem. Vasquez *num. 37.* Laurentius de Peirin. *de priuil. Mim. 10. 1. circa Constit. Pyrrhi 8. 7.*
3. Non est peccatum mortale dicere Missam ante Matutinum, seu Laudes, (quamuis multi oppositum sentiant. Gauantus *tom. 1. Thesaur. par. 2. tit. 1.*) Eò quod nullum est præceptum tam grauitè obligans. Sot. *10. de iustit. q. 5. art. 4.* Suarez *3. tom. in 3. par. disp. 82. sect. 1.* Erit tamen veniale; si sine aliqua rationabili causa id fiat; quia est aliquis inuersio ordinis Ecclesiæ consuetudine introducti. Sylu. *verb. Missa 1. quest. 1.* De prima autem non est talis obligatio. Tolet. in *Summ. lib. 2. cap. 1.*
4. Possunt Religiosi Sacerdotes recipere stipendia pro Missis celebrandis, illa scilicet, quæ communi lege, aut consuetudine fuerint taxata, seu, quæ à vitis timoratis peti, & dari solent. Cum hoc nullo iure naturali, Diuino, aut Ecclesiastico sit prohibitum Suarez *3. tom. in 3. part. disp. 86. sect. 2.* Ex capiuntur ab hac regula Patres Societatis (& idem dico de alijs Religiosis, quibus ex vi suarum Constitutionum est illis prohibitum accipere stipendia pro Missis, & alijs actionibus spiritualibus.) Ratio est, quia in *Exam. cap. 1. §. 3. & 6. par. Constit. Societ. cap. 2. §. 7.* prohibetur illis admittere stipendium pro Missarum Sacrificijs, vel Prædicationibus, vel Lectionibus, vel vllius Sacramenti administratione. Vnde tales recipientes stipendia peccant contra paupertatem. Quia recipiunt aliquid contra voluntatem Superiorum, quod est actus proprietatis. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 28. num. 7.* Poterit tamen in hoc dari paruitas materiæ, sicut in alijs votorum transgressoribus. Enriquez *lib. 9. de Euchar. cap. 22. num. 3.* Sanchez *ut sup. n.*
8. Vide dicta *cap. 6. num. 36.* (Missæ autem dictæ à prefatis Regularibus contra præceptum suorum Superiorum profunt illis pro quibus dictæ fuerunt, & non illis pro quibus Superiores præcipiunt applicari, iuxta dicta *supra cap. 4. n. 35.* De quo Portellus in *Respons. Moral. 10. 2. casu 22.*)
5. Quamuis multi Theologi velint Sacerdotes pauperes (quod maximè procedit in Religiosis) accipere posse plura stipendia pro vna Missa, tot scilicet, quot fuerint ad suam strictam, & congruam sustentationem necessaria. Ludou. Veia in *lib. resp. ad casus conscientie Congreg. 4. cas. 3.* Petrus Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 2. num. 433.* Hæc tamen sententia in praxi iam sustineri non potest propter Decretum de celebratione Missarum Sac. Congregat. S. D. N. Urban. VIII. auctoritate editum ann. 1625. quod habetur 4. tomo Bullar. inter Constit. Urb. n. 47. ubi id prohibetur, per hæc verba. *Vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, domibus, ac locis pijs quibuscumque, tam secularibus, quam Regularibus: Sacra Congregatio sub obtestatione Diuini Iudicij, mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosynæ prescriptæ fuerint; ita ut alioquin, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo grauitè peccent, & ad restitutionem teneantur.* Diana *tract. 14. de celebrat. Missarum resolut. 8.* Et quamuis circa hoc multa fuerint à Summis Pontificibus concessa privilegia. Regularibus, illa tamen omnia reuocata iam sunt ab eadem Sacra Congregatione, dicente, Eadem auctoritate reuocat privilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam secularibus, quam Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quantumcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Annouersationum celebratione, aut aliquib. Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis, satisfiat. Gauantus in *Thesaur. tom. 1. par. 3. tit. 12.* Diana *ut supra resolut. 6.* Num autem non obstante huiusmodi S. Congregationis Decreto, in casu grauis necessitatis citra extremam, possit Sacerdos pauper plura stipendia pro vna Missa recipere, iuxta sui strictam, & congruam sustentationem, (inbærendo maximè sententiæ affirmanti sacrificium Missæ esse infiniti valoris, ita ut pluribus applicatum, tantum quantum ad valorem, qui ex opere operato Missæ correspondet, valeat singulis, ac si pro ipsis solis applicaretur, ut tenet Vasquez *tom. 3. in 3. par. disp. 231.* & procurando alijs vijs, & modis, per opera scilicet satisfactoria, Orationes, & Indulgentias recompenlare id, quod de fructu Missæ ex opere operantis proueniret vnicuique, si pro ipso solo applicaretur) aliorum iudicio remitto, nostram verò sententiam in speciali Tractatu de hac re, Deo duce, proferemus.
6. Quamuis etiam Abbates, & Generales Religionum possent olim in Capitulis Generalibus Missas ad minorem numerum reducere, iuxta Decretum Concilii Trident. *sess. 25. de reformat. cap. 4.* Nullatenus iam id possunt facere, propter Decretum S. Congregationis Concilij, iam adductum, quo strictè prohibet, & interdicit S. Congregatio, ne Episcopi in Diocesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine foundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur: quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit. Gauantus *ut sup. tit. 12. num. 43.* Possunt tamen Generales in Capitulis generalibus re diligenter perspecta iuxta prædictum decretum Concilii Trident. facere reductiones Missarum quæ ante prædictum Concilium relictæ erant non in limine foundationis, sed pro alia causa. Ratio est, quia ita explicata erat iam pridem mens Concilij à S. Congregat. & in Decreto præfati solum prohibetur, & interdicitur reductio, onerum Missarum quæ aut post idem concilium imposita,

aut in limine foundationis, ergo illa quæ ante Concilium, & non in limine foundationis imposita erant non prohibentur reduci. Sorbus in comp. priuil. Mendicantium verb. *Missæ*, s. secundo notandum. Diana de celebr. *Missarum* resol. 1. & 2. tractat. 14. Quando autem id fiet seruandæ sunt conditiones à concilio requisitæ, & inter eas quod eorum semper Defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt. Ita enim præscribitur à Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. nec potest fieri reductio aliorum suffragiorum, sed tantum Missarum, quia sic declarauit Sacra Congregatio, vt refert Sorbus vt supra. Quamuis contrarium teneant Diana vt supra resol. 3. cum alijs, quos refero tom. 4. verbo *Missæ* num. 32. vbi propterea hanc partem probabilem esse censeo. Deinde non videtur per hoc decretum Sacra Congregationis derogatum Episcopis quin possint moderari Missas alicui Ecclesiæ relictas, nondum tamen ob tenuitatem elemosynæ ab eadem Ecclesia acceptatas: nam decretum hoc loquitur manifestè de oneribus Missarum impositis. Non est autem onus impositum, nisi post acceptationem: & intentio eiusdem sola est, vt numerus Missarum relictus & acceptatus adimpleatur. Quare ante acceptationem non abstulit Episcopis facultatem, quæ illis de iure communi competeat alterandi, & moderandi eas Missas. Ita habet Filibertus Marchinus de Sacramento Ordinis, tractatu 3. par. 2. c. 19. num. 32. re, vt inquit cum multis viris doctis communicata.

7 Quamuis etiam alij Theologi dixerint, posse Sacerdotem accipere Missam celebrandam cum certa elemosyna, & postea alteri Sacerdoti eam Missam committere, retenta sibi parte elemosynæ (Bonac. de Sacram. disp. 4. q. ult. punct. 8. num. 18.) Id tamen iam non licet propter Decretum Sacra Congregat. loco citato, quo prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa elemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem elemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Diana vt supra. resol. 10. Cum autem ab eadem Sacra Congregat. quaeretur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineant aliquam elemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium inferuentium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similibus? Similiter, an hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii? Præterea, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur elemosyna maior solita pro celebratione Missæ debeant dare eandem integram elemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt; an verò satis sit, vt dent celebrantibus elemosynam consuetam? Ad primum respondit eadem Congregatio, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratorum ex elemosynis Missarum celebrandarum, vllam vtrumque minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possent; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ superant expensis, vt sup. deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus elemosynas. Ad secundum respondit, non habere locum satis, sed esse, vt Rector beneficii, qui potest per alium Missam celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti elemosynam congruam secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in foundatione beneficii aliud cautum fuerit. Ad tertium debere absolutè integram elemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse. Vide Decreta hæc 4. tom. Bull. vt sup. & apud Peirin. 2. priuil. *Minim. inter Const. Vrb. num. 9. Gauant. in Thes. tom. 1. par. 3. tit. 12. à num. 34.* Præcipitur etiam in eodem Decreto de celebrat. *Missæ*, vt pecuniæ, ac bona mobilia Regularibus relictæ cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes eadem Sacram, vel personam fidei, & facultatibus

idoneam, ad effectum illa quam primùm inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Et, quòd si eadem bona immobilia deinceps alienari contingerit, eorundem pretium sub eadem pœna, deponi, & in alijs bonis stabilibus etiam fructiferis cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat. Insuper præcipitur Regularibus, ne in posterum prædicta onera perpetua suscipiant Missarum sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis Officiorum, quæ tunc obtinent, ac perpetuè inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque actiua, ac passiva absque alia declaratione. Vide Decreta citata vt sup. num. 5. & Gauantum tom. 1. *Thesaur. par. 3. tit. 12. num. 41. & 42.* Quamuis præterea multorum sententia fuerit posse Sacerdotes non habentes elemosynas de præfenti, pro quibus offerant Missas, illas nihilominus anticipatè dicere, ipsas applicando pro illis, qui sibi postea daturi sint elemosynas, maxime si hoc fiat non suspendendo effectum Sacrificij, sed illum ex tunc applicando pro illis, qui elemosynas daturi sint (Aragon. de instit. q. 85. art. 3. dub. 1.) Nihilominus, quidquid sit de veritate huius sententiæ speculatiuè loquendo, in praxi tamen non est approbanda, tum propter aliqua, de quibus Bonacina disput. 4. de Eucharistia q. ult. punct. 7. §. 5. num. 3. tum præcipuè, quia huiusmodi anticipata celebratio pro incerto elemosynam oblaturus est prohibita à Paulo V. & S. Congr. Concil. 15. Nouembr. 1605. Vide Gauantum in *Man. Episcop. verb. Missæ* num. 33. & Diana tract. 14. de celebr. *Missæ* resol. 15. Anticipata autem celebratio eius Missæ, quæ die sequenti dicenda erat, non est prohibita, cum potius Sacerdos sic faciens ad instar boni debitoris, anticipatè soluat. Barbosa de potest. *Episcop. Allegat. 24. num. 14.* Nisi fortè contrarium expressè declaratur à concedente elemosynam, vt probat Bonacina vt supra num. 4.

8 Quamuis iure communi prohibitum sit Religiosis administrare secularibus Sacramento Eucharistiæ absque licentia parochi sub pœna excommunicationis ipso facto in Clement. Religios. & de priuileg. & excess. *Pralat.* tamen ex priuilegijs Nicolai V. & Sixti IV. id possunt facere Religiosi Minores Confessores, & ex priuilegio Iulij I. Minimi, & ex Pio V. omnes Mendicantes, & eorum priuilegia communicantes, præterquam in die Paschatis, tempore scilicet, quo ex præcepto Ecclesiæ tenentur seculares communicare. Rodriguez tom. 1. q. 56. art. 3. Miranda in *Man. tom. 1. q. 42. art. 1. & 2.* Qui autem communicauit aliquo die ex prædicto tempore in sua Parochia potest (secundum aliquos) etiam alio die eiusdem Paschatis communicare apud Regulares. Cum iam adimpleuerit præceptum Ecclesiæ, nec aliud intendatur in prædicta exceptione. Vincentius Filliucius tom. 1. tract. 4. cap. 9. Barbosa de offic. parochi cap. 20. num. 10. Laurentius de Peirinis tom. 1. priuil. *Minim. in constitut. 1. Iulij II. §. 37. num. 86.* Qui etiam num. 90. tenet etiam in die Paschæ posse Religiosos ministrare Eucharistiæ peregrinis. Quod tamen negare videtur Barbosa vt supra num. 23. Imò dicitur declaratum à Sac. Congreg. Concil. non posse in die Pasch. sumere in Ecclesia Regular. Eucharistiæ, eum, qui satisfecit in Paschate in Parochia. Gauantus in *Manual. Episc. verb. Euchar. num. 23.* Vnde cautè procedendum. Presbyteri quoque seculares dicentes Missas in domibus Religiosorum Mendicantium possunt ex eorum licentia seculares communicare. Non solum, quia ita praxi obseruatur, sed etiam ob priuilegium Iulij I. Minimis concessum, quo participant etiam Mendicantes Religiosi. Licet illud non ita clarè contineat hanc concessionem. Casarub. in compend. verb. *communicare* num. 13. Medina in *Instruct. confes. lib. 1. cap. 11. §. 3.* Enriquez tom. 2. de *Euchar. lib. 7. num. 1.* Similiter in casibus necessitatis, scilicet articuli mortis, absente Parocho, possunt Religiosi Sacramento Eucharistiæ tamquam Viaticum fidelibus ministrare. Quia tunc præsupponitur Parochorum licentia. Suarez tom. 3. in 3. par. disp. 72. sect. 2. Rodriguez vt supra art. 5.

9 Possunt etiam prædicti Sacerdotes Regulares ex licentia Parochi Sacramento Matrimonij assistere. Quia hoc videtur supponi in *Clem. Religiosi de priuileg.* Id tamen facientes sine licentia prædicta sunt excommunicati ex-

- communicatione Papali in prædicta Clement. Miranda *10.1. Man. q. 48. per totum. Vide dicta c. 9. n. 3. 1.*
- 10 Quamvis etiam non possint Sacerdotes Regulares ministrare Sacramentum extremæ Vnctionis sine licentia Parochi sub pena excommunicationis latae sententiæ in prædicta Clement. 1. de privileg. In casu tamen necessitatis, & absentia Parochi, quando scilicet præsumitur licentia interpretatiua ipsius, possunt id facere, neque incurrunt in prædictam excommunicationem. Sylva. *verb. vnctio quest. 4. Sotus in 4. d. 23. q. 2. art. 1.* Similiter ex privilegij Sedis Apostolicæ in eadem Clem. possunt plures Regulares familiaribus suis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus hoc sacramentum ministrare. Miranda in *Manual. tom. 1. q. 49. art. 1.* referens varia privilegia. Specialiter Alexand. IV. concessit Carmelit. posse ministrare Sacramenta, & dare sepulturam suis familiaribus. *Speculum Ordinis fol. 62.* Et Sixti IV. in Bulla *Dum attenda*, quæ est Mare magnum Carmelitarum concessit eisdem, quod in casu, quo Rectores parochialium Ecclesiarum difficiles se reddant in exhibitione Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis erga illos, qui dictis Fratribus confessi sunt, illis sine causa rationabili denegando, vel differendo dictorum Sacramentorum administrationem, illa petentibus possint exhibere. *Speculum Ordinis fol. 87.* Vide etiam alia ad hoc intentum in Peirinis supra relato, *præsertim a num. 97.* Sed prædictos familiares Religiosorum ad parochiam in Paschate pro Communionem mittendos esse declaravit S. Congreg. apud Gauantum in *Man. Episcop. verb. Euchar. num. 24.*
- 11 Audientes Missas in Ecclesijs Fratrum Mendicantium in Dominicis, & Festis diebus satisfaciunt præcepto Ecclesiæ de Missa audienda. Ex privilegio Leon. X. Quod non est derogatum per Concil. Trident. *sess. 22.* quatenus habet quod Episcopi moneant populum, vt frequenter ad suas Parochias, saltem diebus festis, & Dominicis accedant. Quia Concilium id non præcipit, & quia ita declaravit S. Congregat. vsque obtinetur. Rodriguez *tom. 1. q. 43. art. 7.* Flau. Cherub. in *Compend. Bullar. fol. 100.* Animaduerte tamen prædictum Leon. X. voluisse id fieri non contempto proprio Parocho.
- 12 Sacerdotes regulares (sicut & non Regulares) etiam si ab Ordinarijs, aut suis prælatis licentiam non obtineant, possunt in casu necessitatis extremæ, seu articulo mortis omnium quorumcumque secularium Confessiones audire, & ab omnibus casibus, & censuris quantumuis reservatis absolueri. Quia in tali casu omnes sacerdotes habent auctoritatem ab Ecclesia, *cap. quod de his de sent. excommunic. & cap. pastor. Nauarrus in cap. 1. de penit. dub. 6. num. 73.* Possunt etiam semper absolueri à peccatis venialibus, seu etiam mortalibus alijs confessis, cum ad hoc sufficiat Iurisdicctio vniversalis, quæ est communis omnibus simplicibus Sacerdotibus. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. num. 1.* Peccabunt tamen, si sine licentia Superiorum id faciant, quia non sunt sui iuris, sed alterius, scilicet prælati, ratione voti obedientiæ. Nauar. in *summ. cap. 4. num. 6.* Grassi *1. par. decis. lib. 1. c. 13. num. 87.* Vide dicenda *c. 19. num. 12.*
- 13 Quamvis probabiliter aliqui asserant simplices Sacerdotes posse absolueri ab excommunicatione minori, sicut à peccatis venialibus, propter similem rationem. Nauarrus in *Man. cap. 27. num. 25.* Probabilius tamen est oppositum, eò quod talis absolutio sit actus alicuius Iurisdicctionis, quæ non habent simplices Sacerdotes extra casum extremæ necessitatis. Ca etanus in *Summ. verb. excommunicat. Vincent. Filiucius 10. 1. tract. 13. c. 7.*
- 14 Quamvis olim propter privilegia Religionum, specialiter pro Carmelitis Urbani v. & Sixti IV. vt habetur in *Speculo Ordinis fol. 69. & 89.* pro prædicatoribus, & Minoribus *cap. in his de privileg. & pro Minimis Iulij II.* possent Regulares celebrare Missas in quocumque loco honesto cum altari portatili, & viatico; hæc tamen antiquata iam sunt per Concilium Trident. *sess. 22. in Decret. de obseru. & vitand. in celebrat. Miss.* per illa verba, *Neue participant in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, Sanctum hoc sacrificium peragi, & c. & in fine adiicitur, Non obstantibus privilegij, exemptionibus, & c.* Nauar. in *Manual. cap. 25. num. 82.*

- Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 10. cap. 26. questio. 7.* Sed Gregorius XII. in Bulla *Vsum Altaris 3. tomo Bullar. inter Bullas Gregorij num. 57.* concessit presbyteris Societatis Iesu, vt in missionibus, quas faciunt, vt possent altari viatico, & super illud vbique gentium, modò loca tuta sint, & honesta, Iudicio Generalis, aut Prouincialis, Missæ sacrificium celebrare. An verò aliæ Religiones cum Societate communicantes fruuntur d. privilegio? Suarez id negat *10. 3. in 3. par. disp. 81. sect. 3.* Alij verò affirmant, quibus assentior, dummodo hoc sit cum conditionibus à Pontifice assignatis, & inter missionis. Peirinis *tom. 1. privileg. Mirum. in Constit. Pyrrhi num. 28.* In Oratorijs etiam, quæ solent esse Religiosorum Monasterijs, Claustris, Infirmarijs, & c. videtur posse Religiosos celebrare sacrificium Missæ. Propter privilegia adducta, quæ quoad hoc non videntur reuocata per Concilium Tridentinum loco adducto, cum ibi solum videatur prohiberi, ne in priuatis domibus omnino extra Ecclesiam erigantur Oratoria, in quibus Missæ celebrantur sine Ordinarij licentia, prædicta autem loca nec sunt priuata domus, nec omnino extra Ecclesiam, cum nomine Ecclesiæ veniant etiam Religiosorum Claustra, vt colligitur ex *c. Abbati §. hæc autem d. 54. & c. Alma mater de sent. excomm. in 6. vbi Glossa verb. Monaster. Rodriguez tom. 2. q. 75. art. 1. & 2.* Peirinis *tom. 1. privileg. Minim in Constit. Pyrrhi num. 31.* Refertur etiam ad hoc privilegium Gregorij XII. concessam Societati Iesu in Bulla, *Decet Romanum Pontificem* anno 1575. scilicet quod in Oratorijs, & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Missæ, & alia Diuina Officia celebrari possint. Quo etiam vt possunt aliæ Religiones, quæ communicant in privilegij cum Societate. Reginaldus in *praxi lib. 29. num. 178.* Peirinis *vt supra num. 29.* Afferens etiam privilegium, aliud concessum Benedictinis Vallisoletanis, de quo dubito an sit, vel non, viua vocis oraculum. Vide Gauantum in *Theaur. tom. 1. par. 1. tit. 20. §. Addam.*
- 15 In grangijs quoque Monasteriorum, seu in prædijs ipsorum, vtilitatis, & recreationis causa acquisitis, posse fieri Oratoria, in quibus Diuina Officia celebrentur sine licentia Ordinarij, non obstante Concil. Trident. *sess. illa 22. iam citata*, eò quod Concilium solum loquatur de priuatis domibus, hæc autem prædia, seu grangia non sint tales, docent aliqui Authores, propter aliqua privilegia Religionibus concessa. Rodriguez *tom. 2. q. Regul. quest. 75. art. 1. & 2.* & Laurentius de Peirinis *iam citatus.* Cauendum tamen similiter est, ne huiusmodi concessiones sint viua vocis oracula, quia si tales sunt, nullum robur, & firmitatem hoc tempore habent, vt diximus *cap. 3. num. 21.*
- 16 Propter necessitatem quoque iure communi permissum est celebrare absque Episcopi licentia subdij, & extra Ecclesiam, ac Oratorium designatum, vt si Rex, aut Dux sit in exercitu, vel classis Christianorum appellat ad terram, vel si in itinere Ecclesia desit, vel cum magna multitudo hominum in aliquo die festo ad paruam aliquam Ecclesiam concurrat, modò tamen semper adsit altare viaticum, seu portatile ab Episcopo consecratum. Probatur ex *canone primo, & can. concedimus de consecrat. distinction. 11.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 81. sect. 3.* Vasquez *ibidem disput. 233. cap. 1.* Numquam tamen licet propter quamcumque necessitatem celebrare supra mare, seu flumen in nauj; propter periculum effusionis sanguinis ex motu nauis. Vasquez *loco cit. illis 229. dist. 109. iud. dist. 109. c. 1.*
- 17 Possunt etiam Regulares dicere Missas in diebus festiuis, & Dominicis quacumque hora debita, etiam antequam Rector parochialis Ecclesiæ celebrauerit. Quia ita declaravit S. Congreg. Concilij, prout retuli supra *cap. 12. num. 41. & Pius V. in Constitut. Eisi Mendicantium.* Peirinis *tom. 1. privileg. Minim in Constit. Pyrrhi num. 26.*
- 18 Feria quinta maioris Hebdomadæ saltem iure communi licitum est omnibus Sacerdotibus celebrare secluso scandalo, & in secreto, cum id nullo iure prohibeatur. Sotus in *4. dist. 13. q. 2. art. 2. ad secundum.* Suarez *10. 3. in 3. par. disp. 80. sect. 2.* In die autem Parasceue peccatum mortale est, siue in publico, siue in secreto celebrare. Habetur in *cap. Sabbatho de consecr. dist. 3.* Etiam si in illo die occurrat festum

festum Annunciat. B.V. Gauantus in *Theſau. S. Rit. tit. I. p. 4. tit. 9. n. 24.* In die Sabbati Sancti aliqui putant poſſe celebrari priuatim, & occulte, ſaltem ab ea hora, in qua incipit ſolemne Paſchale Officium ob rationabilem cauſam. Vide Barboſam de *Offic. Parochi c. 11. a num. 49.* Gauantum in *Theſaur. vt ſupra, p. 4. tit. 10. a num. 43.* An vero tunc debeant plures Miſſæ celebrari ſi feſtum Annunciationis occurrat, Diana *Tract. 14. de celebr. Miſſar. Reſolut. 21.*

- 19 Non obſtante decreto Concilij Trident. *ſeſſ. 25. cap. 12.* videlicet *Cenſura, & Interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Epifcopo, à Regularibus, in eorum Eccleſijs publicentur, atque ſeruentur,* poſunt Regulares tempore Interdicti generalis ſingulis diebus in Eccleſijs, & Monafterijs Miſſas celebrare, & dicere Offic. Diuina ſicut prius, ſubmiſſa tamen voce, ianuis clauis, excommunicatis, & interdictis excluſis, & campanis non pulſatis. Ita enim habetur iure communi ex Bonifac. VIII. in c. *Alma mater de ſent. excomm.* Sorbus in *Addit. ad comp. verb. interdictum 3. §. 3. tempore.* Peirinis *tom 1. priuileg. Min. in Conſt. 2. Sixti IV. num. 55.* Gauantus in *Man. Epifc. verb. Interdictum a num. 10.* Poſſunt etiam eodem tempore Interdicti ſolemne celebrare Diuina ianuis apertis, & pulſatis campanis, excommunicatis expulſis, ſed interdictis admiſſis, ſic tamen quòd illi, qui fuerunt cauſa Interdicti altari nullatenus appropinquent, in feſtiuitatibus Natalis Domini, Paſche, ac Pentecoſtes, & Aſumptionis Virg. Mariæ. Ita enim habetur etiam iure communi in *eadem cap. Alma mater.* Sorbus *vt ſupra §. 12. ſecundum,* etiam hoc extēdēs ad feſtum SS. Sacramenti, & per totam octauam illius per vnam Extrauag. Martini V. Extenditur etiam probabiliter, quoad aliquos Regulares, & alios, qui cum iſtis habent communicationem priuilegiorum, ad feſta Conceptionis, Viſitationis, & Natiuitatis B. Mariæ, & Natiuitatis S. Ioannis Bapt. & ad feſta ſanctorum reſpectiue ſuarum Religionum, necnon aliorum ſanctorum, & ſanctarum ſub quorum inuocationibus Eccleſie regularium dedicatæ, & conſtructæ ſunt, ſeu quorum corpora in iſtis Eccleſijs recondita reſpectiue exiſtunt, necnon hebdomadarum ſanctæ, & Reſurrectionis Dominicæ feſtiuitatibus, & per octauas earundem omnium feſtiuitatum, necnō quoties Religioſi profeſſionem emiſerint, vel primā Miſſam celebrauerint, ſeu in ſuis Eccleſijs humana cadauera Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi cōgigerint, dummodò Interdicto cauſam non dederint, nec id eis cōgigerit ſpecialiter interdicti nominatim interdictis, & excommunicatis excluſis. Ita enim cōceſſit Leo X. Monachis S. Benedicte, & ſeruitoribus Monafteriorum, vt refert Caſarubius in *comp. priuileg. Mendicant. verb. Interdictum. 2. num. 10.* Eſi enim Concilium Trid. *eadem ſeſſ. c. 22.* reuocet omnia priuilegia conceſſa quibuſcunq; Regularibus, quæ Pius V. poſtea reualidauit in *Conſtit. Eſi Mendicantium.* & tandem Gregor. XIII. reuocauit, & annullauit quatenus contraria erant prædicto Concil. nihilominus priuilegium hoc Leonis X. probabile eſt non eſſe contrarium Conc. cum eius mens ſolum videatur eſſe, reuocare illa priuilegia, quæ à quibuſdam Religioſis dicebantur haberi de nullatenus ſeruando Interdicto quocumque, vt erant fratres milites S. Ioan. Hieroſ. virtute conceſſionis Anaſt. IV. Alex. III. & IV. & Urb. III. Clem. III. & IV. & fratres Min. ex priuilegio Leo. X. Rodr. in *expoſitione Bullæ cruciat. §. 5. num. 16.* Sorb. in *additionibus ad comp. priuileg. Mendic. verb. Interdict. 3. ſed alij DD. Diana Tract. 2. reſolut. 123.* Idem dico de alio priuilegio Iulij II. quo conceſſit Fratribus Minoribus, quòd tempore Interdicti, auctoritate ordinaria poſiti, poſſint ſepelire in Eccleſijs ſuis corpora Fratrum eiufdem Ordinis decedentium, etiam cum ceremonijs ſolitæ, ac pulſatis campanis, & cum Miſſis, & alijs diuinis Officijs in ſimilibus celebrari conſuetis. Sorbus *vt ſupr. §. ſexto decimo Interdictum.* Pro alijs priuilegijs circa tempus Interdicti, etiam pro ſecularibus familiaribus, vel ſeruitoribus regularium, vide Caſarubium *vt ſupr. v. Interdictum. 1. 2. & 3.* Animaduerte tamen aliqua illorum conceſſa iam eſſe iure communi in *cap. Alma mater.* Alia eſſe ſolum vixæ vocis oracula, vt illud Nicolai Franci Sedis Apoſtolice Legati de admittendis quindecim perſonis

tempore Interdicti, quæ proinde his temporibus nihil valent. Alia verò, eſi forſan in rigore valida ſint, quia tamen vel non ſunt in vſu apud Regulares, vel ſequitur ſcandalum apud ſeculares ex eorum vſu, ideo conſultius eſt illis non vti. Vide Nauarrum in *Man. cap. 27. num. 190.* Pro his quoque, & alijs, quæ facere poſſunt, & debent Regulares tempore Interdicti, ſiue in locis, vbi publicatur Bull. Cruciatæ, ſiue vbi publicatur, vide Sorbum *vt ſupra.* Et dicenda *to. 2. c. 1. num. 21. c. 14. num. 36. c. 15. num. 36. c. 16. num. 12. 23. & 27. & cap. 17. num. 6.*

- 20 Tempore etiam ceſſationis à Diuinis poſſunt, probabiliter etiam, vti Regulares, de quibus num. precedenti, priuilegio Leon. X. adducto, qui etiam loquitur de tempore talis ceſſationis, Peirinis *tomo 1. priuileg. Minim. in Conſtit. 2. Sixti IV. num. 52.* Et alio etiam priuilegio Nicol. V. de elegendis ſex perſonis, quæ tali tempore aſſiſtant Miſſis, & Diuinis Officijs, recipiantque Sacramenta, & ſi mori contingerit, Eccleſiaſtica ſepultura ſepellantur, poſitis tamen quibuſdam conditionibus. Caſarubius in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. Interdictum, 1. §. 23.* Sorbus in *addition. ad prædict. Compen. verb. Interdictum 3. §. 7. Nicolaus V.* Attendendum tamen maximè eſt, an quando ponitur Ceſſatio à diuinis, vel etiam Interdictum auctoritate Apoſtolica, reuocentur priuilegia Regularium, quia tunc non licebit frui illis, ſicut neque quando ſcandalum aliquod inde emerſerit, propter ſingularitatem, nec ſi talia priuilegia non ſint in vſu.
- 21 Ex Decreto Sac. Congregat. Rituum, & mandato S. D. N. Urbani VIII. die 8. Aprilis 1628. iuxta dicta *cap. 12. num. 33.* prohibetur celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſcunq; Ordinarij auctoritate, Miſſam, vel Feſtum cum Officio de ſancto, eò quòd in loco adit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in iſtis ſancti Eccleſia Titulari, ſeu vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, & non alibi. Inſignes autem Reliquias, declarauit eſſe Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua paſſus eſt Martyr parua modò ſit integra, & non parua, & legitime ab Ordinario approbata. Miſſas item quæ circumferuntur, à ſacra Congregat. non approbatas, S. Gregorij pro viujs, & defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre eterno, & quacumque alias, exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ Regularibus tantùm, velati Roſarij, Sanctæ Mariæ de Carmelo, (vide dicenda inſta num. 32. (& alias, ſicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, & damnauit reſpectiue, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis haberi voluit. Quæ omnia decreuit, ſtatuit, & mandauit ſub pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex decreto ſancti Concilij Trid. edito. Barboſa de *Offic. Parochi c. 11. num. 29.* Vide dicta *cap. 12. num. 33.*
- 22 Non tamen putes prohibitas eſſe Miſſas triginta S. Gregorij ab ipſo pro Defunctis inſtitutas 4. *Dial. cap. 55.* Dici autem debent (ex eodem S. Gregorio) per triginta dies continuos, ab vno, ſiue pluriſus ſucceſſiue ſacerdotibus: recitata Miſſa, quæ occurrit, vel de *Requiem;* iuxta Rubricas Miſſalis, cum applicatione ſacrificij pro anima illa, pro qua dicuntur. Si intra hos triginta dies occurrit Paraſceue, Sabbathum Sanctum, aut etiam feria V. in Cœna Domni diſcontinuantur prædictæ Miſſæ, cum Eccleſia prohibeat celebrare duobus primis, & in feria quinta Cœnæ iubeat Communionem Sacerdotum in Miſſa ſolemni, die quoque Paraſceue proprie non dicitur Miſſa. Bartholomæus Gauantus *to. 1. Theſaur. Sacror. Rit. p. 1. tit. 5. Bonnac. de ſacram. diſp. 4. q. ult. punct. 7. §. 3. num. 7.* Barboſa de *Offic. Paroch. cap. 11. num. 29.* Imò etiam ſi ob rationabilem, & honeſtam cauſam diſcontinuentur prædictæ Miſſæ non perdent ſuum valorem non ſolum vt quædam Miſſæ ſunt, prout eſt certum apud omnes, ſed etiam prout ſunt tales Miſſæ à D. Gregorio inſtitutæ, quæ ſic explicanda piè eſt mens ipſius Sancti. Bonacina, vt ſupra. Diana *tract. 14. de celebr. Miſſarum Reſolut. 32.*
- 23 Cum in Eccleſijs, & Religionibus Hiſpaniæ vigeat conſuetudo, quòd diebus Paſchalibus, & feſtiuitatibus maioribus celebretur Miſſam conuentualem Antiques, vel alia perſona principalis; & Regula Miſſalis ordinet, quòd omnibus diebus Dominicis infra annum Sacerdos qui celebrauerit Miſſam Conuentualem exeat ante celebrationem Miſſæ

- Missæ cum Pluuiiali, vel Cappa, & cum ministris ad incipiendū in Altari maiori Antiph. Asperges, & ad aspergendū Aquam benedictam populo, concedimus, quod Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam Conuentualem, præmissa facere non teneatur; sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos, eius loco, & quod talis Sacerdos non deferat Pluuiiale, sed Albam, & stolam, vel superpelliceum, & stolam, nec procedat associatus cum Ministris, sed solum cum Acolythis. Ita Gregor. XIII. in Bulla *Pastoralis Officij*. anno 1563. Quaranta in *Summ. Bull. verb. Diuini Officij*.
- 24 Qui Missas nouas celebrant, non possunt circuire Ecclesiam ad oblationem, ex Decreto S. Concil. Trident. *sess. 22. Gauant. in comment. in Rubr. tom. 1. par. 2. tit. 7.* Possunt tamen in medio Altaris ad populum conuersi oblationes ab ipso spontè factas acceptare. Ita enim declarasse dicitur S. Congregatio. Diana *vt supra Resol. 50.*
- 25 Missæ votiua non possunt dici die Dominica, aut in festo Duplici; ac per consequens, neque diebus, quibus prohibetur Festum duplex celebrari; scilicet infra Octau. Epiphan. Paschæ, & Pentecostes, & in Vigilijs Natiuit. & Pentecost. ac in Feria quarta Cinerum, & Maiori hebdomada. Gauant. in *Theaur. tom. 1. par. 1. tit. 4. §. non est duplex*, licet hæc obligatio, secluso scandalo, propter paruitatem materiæ videatur solum esse sub veniali. Miranda in *Man. tom. 1. quest. 41. artic. 21. conclus. 3.* Diana *vt supra Resolut. 30.* Obligatus his diebus ad Missas votiuas, si in proximos dies non impeditos transferri nequeant, satisfacere videtur obediendo Rubricis.
- 26 Quando Missa votiua exigitur; v. gr. de Assumptione B. Virg. Natiuitate, & huiusmodi; potest dici Missa votiua de B. Virgine, prout in Missis votiuis, cum intentione ad honorem Assumptionis, Natiuitatis B. Mariæ, &c. Gauant. in *Theaur. tom. 1. par. 4. tit. 17. num. 8.* Similiter si dicatur aliqua Missa votiua de aliquo Sancto, mutatur in Collecta verbum *Natalitia*, seu *Festum*, in verbum *Commemorationem*. Gauantus in *Rubr. tom. 1. part. 4. tit. 17.* Cum Missa Rosarij solum dici possit à patribus Dominicanis, & Missa B. V. de Monte Carmelo solum etiam à Carmelitis, iuxta dicta supra num. 21. si quis alius habeat onus celebrandi tales Missas satisfaciet dicendo Missam de B. Virgine votiua, vt in Missali. Probat Gau. *vt supra. n. 9.*
- 27 *Gloria in excelsis* numquam dicitur in Missis Votiuis, nisi in Missis Angelorum, & in Missis Beatæ Virginis, quocumque Sabbatho, etiam Aduentus. Extra Sabbathum autem non dicitur, etiam si sit tempus Paschale, vel infra Octauam, vel in Ecclesia, aut Altari Beatæ Virginis, nisi ad sit speciale privilegium, prout Adi Lauretanæ dicitur concessum. Gauantus *Comment. in Rubr. Miss. tom. 1. part. 1. tit. 8.* Quod etiam habetur ex vsu antiquo nostræ Religionis *part. 1. Const. cap. 3. §. 4.* esto, quod oppositum statutum sit in Cæremon. *Ord. libr. 2. Rubr. 58. §. 2.* Similiter etiam in Missis Votiuis solemnibus, quæ pro re grati, vel publica Ecclesiæ causa cantari possunt (etiam in Dominicis) dicitur, *Gloria*, & *Credo* Cæremon. *Ordin. vt supra. Rubr. 58. §. 2. & 5.* Res autem grati est, pro qua conuenit Episcopus cum Clero. Publica autem causa dicitur etiam ob quam Oratio sit solemnis. Quadraginta horarum per gyrum, & quando fiunt Comitia Generalia, seu prouincialia Regularium Ioannes Petrus Casanoua in *Collectan. ex Gauant.* Et consonat Cæremon. *Ord. libr. 2. Rubr. 57. §. 2. & 5.* Si verò adhibentur paramenta Violacea in Missa non dicitur *Gloria*, neque *Credo*. Gauantus in *Theaur. tom. 1. part. 1. tit. 8.* Omittere autem etiam voluntariè *Gloria*, aut *Credo*, quando debet dici, & si secundum aliquos non sit peccatum mortale (intellige cessante scandalo, aut contempu) Fillicius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.* Diana *vt supra Resolut. 59.* ad minus tamen est graue peccatum veniale, quia est omissio partis notabilis Missæ.
- 28 Missæ de *Requiem* priuata, quocumq; die dici possunt, præterquam in Dominicis, & Festis duplicibus. Vnde nec possunt dici in diebus, in quibus prohibetur fieri festum duplex, relatis supra num. 25. Si Festum duplex cadat in idem assignatum pro Altari priuilegiato, & illud Festum sit de præcepto, non potest in eo Altari dici Missa de *Requiem*. Gauantus in *Theaur. S. Rit. tom. 1. part. 1. tit. 15.* In

- Festo autem duplici non de præcepto, celebrari possunt Missæ de *Requiem*, non quidem semper, & in omni casu, aut ad arbitrium Sacerdotum vel petentium tales Missas, sed vt impleantur voluntates defunctorum. Idem Gauantus vt *supr.* Missa quoque solemnis de *Requiem* potest celebrari in Dominicis, & Festis etiam de præcepto, quando corpus defuncti præsens est, & in sepulchro Gauantus *ibidem*. In die autem Paschæ, & diebus primæ Classis, non conuenit hoc fieri. Ex Rituali Romano. Quando autem Missæ defunctorum certo die dicendæ, in eo dici non possunt, in sequentem transferuntur. Barbosa de *Offic. Parochi cap. 11. à num. 24.* Pro quo nota, quod quamuis Missa de Sancto, quoad valorem ex operato valeat defuncto quantum Missa de *Requiem*; sed non quoad valorem ex opere operantis, quia hic sumitur ex Orationibus Ecclesiæ, quæ in Missa de *Requiem* sunt specialiter pro defunctis assignata. Hic tamen excessus suppleri potest deuotione sacerdotis, & intercessione sancti, de quo dicitur Missa. Laurentius de Peirin. *tom. 1. priuil. Min. in Constit. 5. Leo. X. Gauantus in Thef. tom. 1. p. 3. tit. 12. à num. 19.* Barbosa *vt supra num. 23.*
- 29 Neque pro Missa votiua, seu pro defunctis potest omitti Missa Conuentualis de die, nec consuetudo in hoc admitti debet, vt probat Gauantus *vt supra. tom. 1. p. 1. tit. 4.* vbi etiam alia ad intentum.
- 30 In Canone Missæ nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium, sed tantum Episcopi loci in quo celebratur. Nec inferiores Episcopo. Gauantus *vt supra. p. 2. tom. 1. tit. 8.* Imò habetur ex declaratione Cardinalium, quam refert. Diana *tract. 1. 4. de celebr. Missa. resolut. 40.* peccate mortaliter Sacerdotem Regularem oppositum facientem. Quod quidem etiam durum videatur, credendum tamen est ita esse si constet de prædicta declaratione.
- 31 In Altari priuati Oratorij, cui conceditur ex privilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis solemnioribus festis) non potest celebrari in Natali Domini, Epiphan. Paschate, Pentecoste, Annunciatione, Assumptione B. V. Festo SS. Apostol. Petri, & Pauli, & Omnium Sanctorum. Gauantus in *Comment. in rubric. Missal. tom. 1. p. 1. tit. 20.*
- 32 Missæ certis Regularibus concessæ quales sunt B. V. de Monte Carmelo Carmelitis, & Rosarij Dominicanis, imò & sanctorum Ordinis, non possunt ab alijs dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs. Cum solum prædictis Regularibus, & non alijs concessæ sint. Gauantus in *Comment. in rubric. Miss. tom. 1. part. 3. tit. 10. §. intellige, que dicimus.* Vbi etiam quid dicendum de Cappellanis secularibus Monialium non videntium Breviario Romano, quantum ad Officium, & Missam. Vide dicenda *cap. 25. num. 43.* & Barbosam de *Offic. Parochi cap. 11. num. 34.* Vide dicta *numer. 26.*
- 33 Quando dicitur *Confiteor* in principio Missæ non debet addi nomen Patroni loci, vel alterius. Cum Pius V. hoc expressè concesserit Ecclesijs Hispaniæ. Ergo sine licentia Papæ non licet talis additio. Gauantus, vt *supra. p. 2. tit. 3. §. Confiteor Deo.*
- 34 Pro Ecclesiarum reuerentia maximè à sacerdotibus curanda præcipitur à S. Congregatione Episcop. & Regular. Primò ne in Ecclesijs appendantur arma & sagittæ. Secundò, ne intra Presbyterium detur locus Magistratibus, aut Officialibus Laicis. Tertio ne Turcæ, aut mancipia permittantur ibidem tempore Diuinorum Officiorum. Quarto, ne conuocetur in Ecclesia ad consultanda Laicorum negotia. Quintò, ne Disputationes litterariæ Regularium, extra Comitia generalia, fiant in Ecclesia. Hoc autem vltimum video Romæ non obseruari in aliquibus Ecclesijs Regularium, forsitan, quia commodiorem locum ad prædictas Disputationes litterarias faciendas, non habent. Pro dictis autem lege Gauantus in *Man. Episc. verb. Ecclesia num. 48. & verb. Ecclesiar. reuerentia num. 16. 23. & 29. & verb. Regular. Intra sub Episcop. num. 47.* Vide dicta à Nobis *cap. 12. num. 41.*
- 35 Vide pro illis, qui Missas celebrare audent non constituti in gradu Sacerdotali, dicta *capit. 10. num. 22.* Circa obligationem quam habent Sacerdotes recitandi Officium Diuinum *cap. 12. & pro his, quæ possunt facere in proprijs Ecclesijs ibid. num. 41.* Pro susceptione Sacrorum Ordinum *cap. 14.*

SVMMARIVM CAP. XXII.

- Transitus ex vna Religione ad aliam an licitus, vel consulendus. num. 1.  
 Legitima causas subsistentes licitus est. n. 2.  
 Prima conditio huius transitus qua sit. n. 3.  
 Secunda qua sit. n. 4.  
 Tertia qua sit. n. 5.  
 Qua Religio censenda sit perfectior. ibid.  
 Quarta conditio qua sit. n. 6.  
 Quae ex conditionibus assignatis reddant irritum transitum si deficiant. n. 7.  
 Transire ad Religionem aequè perfectam quam licentiam requirat. n. 8. & 9.  
 Ad magis strictam qua licentia sufficiat. n. 10.  
 Transire ad laxiorem ad quem spectet. n. 11.  
 Causae legitime transitus quales existimandae. n. 12.  
 An Pralatus negare possit licentiam transeundi ad arctiorem. num. 13.  
 Quid quando religio perfectior deformata & relaxata est. num. 14.  
 Quid decreuerit Sacra Congregatio. n. 15.  
 Requiritur nouus Nouitiatus in ijs transeuntibus. n. 16.  
 Quem locum debeant habere. n. 17.  
 Quid si ante professionem redire vellent ad priorem Religionem. n. 18.  
 Ad qua teneantur translati ad aliam Religionem. n. 19.  
 Quae sint prohibita illis. n. 20.  
 Maxime mendicantibus. n. 21.  
 An transeuntes illegitimè sint Apostatae vel fugitiui. numero 22.  
 Bona Religiosi translati ad quam Religionem spectant. numero 23.  
 Poena recipientes fratres alterius Ordinis prater ordinem iuris. n. 24.  
 Fratres Clerici possunt in eodem ordine transire ad statum conuersorum. n. 25.  
 Qualiter peccent qui ingrediatur in aliquam Religionem animo transeundi postea ad aliam. n. 26.  
 Totus etiam conuentus transire potest ad arctiorem Religionem. n. 27.  
 An Episcopus Regularis possit ad strictiorem ordinem transire. n. 28.  
 Nullus transiens ex vna Religione ad aliam potest viuere extra claustra. n. 29.

De Regularibus transeuntibus ex vna Religione ad aliam. Cap. XXII.

- 1 Certa res est, quòd magna causa non subsistente, nec licitus sit, nec consulendus transitus ex vna Religione ad aliam. Primò ex illo 1. Corinth. 7. *Quisquis in uocatione qua vocatus est permaneat.* Secundò ex mente quoque antiquorum Monachorum, Cassiani *Collat. 14. cap. 5.* D. Basil. *Constit. Monast. cap. 34.* & D. Bernard. *in Epist. 1. ad Robertum.* Tertio, quia ex hoc transitu plerumque inquietudo, scandalum, murmuratio, & infamia Religiosorum oriri solet. S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. Suarez 4. tom. de Relig. lib. 3. c. 9.  
 2 Legitima tamen causa subsistente licitum est transire ex vna Religione ad aliam cum conditionibus inferius assignandis. Tum ex iure naturali, quo licitum est, votum proprium commutare in melius. Tum ex iure positiuo Canonico, cap. *Statuimus*, & cap. *Mandamus* 19. quest. 3. cap. *Non est*, cap. *Sane* cap. *Significatum*, & cap. *licet*, ubi hoc supponitur. Suarez *ut supra* cap. 8. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 2. & 3. Neque contraria est Constitutio Pij Quinti anno 1569. quae incipit *Quaecumque Sacrarum*, ubi statuit, non posse recipi, nec retineri ab vlla Religionem Fratres alterius, sed remitti debere ad proprios Ordines. Intencum enim Pontificis solùm videtur esse, vt constat ex verbis ipsius, quòd ex vi facultatum, aut Priuilegiorum aliquibus Religionibus concessorum non liceat talis transitus Nauarrus lib. 3. *Consil. tit. de Regularibus consil. 88.*  
 Summa Lezana Tom. I.

Suarez tomo quarto de Religio. lib. 3. cap. 12.

3 Vt iste transitus ex vna Religione ad aliam licitus sit, requiritur primò, quòd non fiat temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel alia qualibet animi perturbatione, sed studio vitæ perfectioris, & sine iactura, & detrimento Religionis, a qua receditur. Ita enim deciditur ab Ecclesia in cap. *licet de Regularibus*, & est rationi naturali conformis, vt de se patet. vt verò animus transeuntis ex vna Religione ad aliam, vel damnum, quod Religioni derelictæ inde cedit cognoscatur, circumstantiæ omnes prudenter examinari debent. D. Antonin. 3. part. tom. 1. cap. 4. Sylu. verb. Religio 4. q. 1.

4 Secundò requiritur petitio licentiæ à Superiore. Quia ita deciditur in dicto cap. *licet* versu quocirca, ne bonum obedientiæ contemni videatur. Abulensis cap. 30. *Num. quest. 73.* Nauarrus lib. 3. *constit. de Regul. consil. 52. vel 59.* sufficit autem licentia petita, etsi non obtenta, quando iniuste illam negat superior; sic enim deciditur in dicto cap. *licet* Rodriguez 3. tomo *questionum Regul. quest. 52. art. 7.* In dubio autem, si iuste, vel iniuste negatur ista licentia, standum est iudicio Superioris. Caietanus 2. 2. quest. 189. art. 8. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 7. num. 16. Potest tamen tunc appellare ad alium Superiorem, à quo res decernatur. Syluester verbo Religio 4. quest. 1. Azor. tom. 1. *Instit. moral. lib. 12. cap. 14. quest. 5.* Hoc verò intellige de iure communi, nam nostri Patres Carmelitæ discedere habent priuilegium à Paulo V. concessum anno 1610. die 3. Aprilis, vt non possint transire ad Carthusiam, nisi petita licentia, & obtenta à Superioribus, sub excommunicatione ipso facto.

5 Tertio requiritur ad hoc vt transitus ab vna ad aliam Religionem sit validus, quòd Religio, ad quam fit transitus, sit perfectior. Ita enim habetur Capitibus supra adductis, praesertim cap. *licet de Regul.* Estque rationi naturali conformis, vt sicut semper datur locus, & via ad maiorem perfectionem, sic etiam ijs, qui ab ea recedunt, via praecludatur; transitus autem ad perfectiorem Religionem arguit desiderium maioris perfectionis, sicut recessus ab illa, indicat non velle maiorem perfectionem. Quid verò intelligatur nomine perfectioris Religionis, aut quae sit censenda perfectior, dissentiunt Authores. Primò enim quidam, & satis probabiliter dicunt, eam esse putandam perfectiorem Religionem, quae fuerit arctior, durior, & asperior, ita Sanchez cum multis alijs lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 21. Alij verò, etiam probabiliter dicunt, eam Religionem esse censendam perfectiorem quoad intencum non quae fuerit magis arcta, aspera, & seuera quoad obseruantias exteriores, sed quae habuerit perfectiorem finem, & media ad illum proportionata. Eò quòd tota ratio, quare transitus iste licitus est ex natura rei, & iure Ecclesiastico, est propter maiorem gloriam Dei, & maiorem perfectionem Religiosorum, quod maximè reperitur in Religionibus, quae habent perfectiorem finem, & media proportionata. Vnde transire à perfectiori Religione ad arctiorem non erit ascendere, sed descendere, sicut propter eandem causam non est licitum commutare votum de actu perfectioris virtutis in actum strictioris D. Thoma 2. 2. q. 189. art. 8. Nauarrus *Comm. 4. de Reg. num. 2. & 3.* Suarez 4. to. de Relig. lib. 3. c. 9. num. 10. Ad iudicandum verò quae Religio sit perfectior, non tam attendenda est prima institutio Religionis, & regula, quam praesens obseruantia, & modus, quo in illa Religione viuatur. Sic enim melius consequitur suum intencum qui ad perfectiorem vitam anhelat. Azor. lib. 12. *Instit. Moral. cap. 14. q. 3. & 8.* Lessius de Iust. lib. 2. c. 41. dub. 13.

6 Quarto requiritur, vt religiosus possit ex vna religione ad aliam transire, quod illi non sit à Sede Apostolica talis transitus interdictus. Etsi enim iure communi liceat omnibus Religiosis transitus ad aliam religionem, seruatis tribus conditionibus assignatis, sunt tamen specialia iura, aut priuilegia interdictoria aliquibus talem transitum. Primò enim, in Extrauaganti *viam de Regularibus* interdicuntur sub poena excommunicationis latae sententiae Papae reseruatae, ne ex religionibus Mendicantibus transitus fiat ad quamcumque aliam, nisi ad Carthusiam. Suarez tomo 2. de Religione *Tractatu de voto* lib. 3. cap. 6. num. 24. & quinto tomo in 3. part. disp. 22. sect. 5. num. 17. Deinde

- Benedictus duodecimus in Bulla edita anno 1335. quæ incipit *Regula em vitam*; prohibet Fratres Mendicantes transire ad Monachos nigros, & Cistercienses. Similiter Eugenius Quartus anno 1439. in Bulla, quæ incipit *Regulam vitam*, indixit Monachis Cisterciensibus, ne ad alium Ordinem, præter Carthusianum transirent. Compendium Bullar. 1. *tomo fol. 59.* Deinde Pius Quartus, & Pius Quintus suis litteris Apostolicis concessere Societati Iesu, ne ab ea transire possit aliquis, nisi solum ad Carthusiam. Ita habetur in priuilegijs Societatis *verb. Apostate §. 4. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 5. num. 19.* Patres quoque nostri Discalciati Carmelitæ habent priuilegium, de quo supra *num. 4.* in quo illis interdicitur transitus ad quamcumque aliam Religionem, quocumque titulo, nisi ad Carthusiam, & hoc petita, & obtenta licentia à Superioribus. Clerici autem Regulares Ministrantes infirmis etiam ad Carthusianos transire non possunt sine licentia Sedis Apostolicæ. Ita præcepit Paulus V. anno 1606. in Bulla *Romanum. decret. 3. tomo Bullar. inter Bullas Pauli V. num. 29.* Pro his omnibus vide Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 7. à num. 28.* Consuli etiam debent varia Religionum priuilegia. Miranda in *Manuali to. 1. q. 31. art. 7.* Bonacina de *Clausur. q. 2. punct. 9. §. 5. diffic. 2.*
- 7 Ex conditionibus assignatis, primæ, aut secundæ defectus non irritat transitum ex vna Religione ad aliam, nec reddit professionem factam irritam, aut nullam, sed solum illicitam, saltem stando in iure communi. Nullum enim est fundamentum in Decretis adductis irritationis, cum illis non opponantur dictæ conditiones tamquam forma seruanda in isto contractu, sed vt modus ex præcepto Ecclesiæ requisitus, cum ergo alias ex iure natura non sit irrita talis professio, quia est de meliori bono, scilicet de imperfectiori Religione ad perfectiorem (vt supponimus) non erit irrita professio. Si ar. 4. *tomo de Religione lib. 3. cap. 19. num. 22.* Defectus tamen tertie conditionis reddit nullum transitum, & irritat professionem factam in Religione, ad quam fit. Ratio est, quia transitus ad Religionem non perfectiorem nullo iure est permissus, & aliàs est ex natura sua contra primam professionem per quam Religiosus est obligatus Religioni, in qua est professus. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 93.* Defectus verò quartæ conditionis aliquando irritat transitum, & professionem factam de nouo in alterâ Religionem, aliquando verò solum reddit illam illicitam. Ratio est, quia in illis priuilegijs aliquando apponuntur verba irritantia transitum, vt in Extrauaganti *viam de Regularibus*, aliquando verò solum prohibentia. Consulantur verba priuilegiorum. Sanchez *vt supra num. 88.*
- 8 Transire Religiosum ad Religionem æquè strictam, & perfectam, quando non est aliqua causa talis transitus, solum spectat ad Pontificem. Est enim Summus Pontifex Prælati Supremus omnium Religionum, & ita mutare Religiosum ex vna Religione ad aliam solum spectat ad ipsum, sicut ad Generalem mutare de Prouincia in Prouinciam, & ad Prouincialem de Conuentu in Conuentum, Azor. *lib. 12. instit. Moral. cap. 14. quest. 9.* Syluester *verb. Religio 4. quest. 2.* Si verò Pontifex sine causa aliqua hanc facultatem concederet, illicitè faceret. Tum quia hoc esset contra ius Religionis, à qua fit transitus. Tum quia huiusmodi mutationes sunt ex suo genere odiosæ, & parum vtilis. Suarez *4. to. de Relig. lib. 3. c. 11. num. 8.*
- 9 Quando verò subest causa legitima, potest prælati Pontifex inferior dispensare in transitu Religiosi ad Religionem æqualem. Ratio est, quia Prælati Religionis habet potestatem disponendi de rebus sue Religionis, causa rationabili subsistente, sine lesione voti emissi, & nisi illi sit ab Ecclesia prohibitum. Sed in casu transitus Religiosi ad Religionem æqualem est causa rationabilis, vt supponimus, tursus per talem transitum nihil derogatur priori professioni, quia commutatur in æquale, neque ab Ecclesia prohibetur, quia iura aduicta solum loquuntur quando non est causa rationabilis dispensandi, ergo. Rodriguez *tom. 3. quest. Regul. quest. 52. art. 9.* Suarez *4. tomo de Relig. lib. 3. cap. 11. num. 2.* Prælati, qui potest in hoc dispensare est Episcopus quando Religiosus transire volens est subiectus Episcopo. Quia tunc Episcopus est verus Superior illius. Angelus *verb. Religiosus num. 34.* Syluester *verb. Religio 4. quest. 9.* Quando verò Religiosus non est subditus Episcopo, sed prælati Religionum, poterunt concedere istam licentiam Prælati Superiores Religionum, scilicet Generales, non tamen alij. Ratio est, quia dare istam licentiam est alienare illum Religiosum à tota religione, quod solum ad Superiorem Prælatum spectare potest, cum alij solum habeant Iurisdictionem in vna Prouincia, vel in vno Monasterio. Rodriguez *2. to. Summa c. 6. num. 8.* Sanchez *lib. 6. in Decalogum c. 7. n. 63.*
- 10 Hoc tamen non obstante probabile mihi est, quod ad transitum religiosi ad religionem magis strictam sufficiat licentia prælati immediati. Eò quod in *cap. licet* solum exigatur petitio licentiæ à Prælato, Prælati autem immediati verè Prælati est, & aliunde hoc est permissum iure naturali, & diuino, vnde non est, cur alterius Prælati licentia requiratur. Nauarrus *Comm. 4. de Regular. num. 10.* Rodriguez *10. 3. q. 52. art. 3.*
- 11 Transire autem ad laxiorem, aut minus strictam religionem non solum est prohibendum Religiosis, vt constat ex Iuribus adductis, sed sine causa urgente, nec à Summo Pontifice id concedi potest, saltem quoad forum interius conscientiæ. Ratio est, quia ille transitus est commutatio Voti de meliori bono in minus bonum, quod cum sit contra ius Diuinum, & Naturale inualidè fit etiam à Summo Pontifice, si causa vrgens, ratione cuius in tali casu dispensare possit, non subsistat. Nauarrus *lib. 3. Consil. tit. de Regular. consil. 56. vel 88. & Comment. 4. de regular. num. 10.* Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 41. dub. 13.* Causa tamen legitima subsistente, non solum Papa, sed, vt probabile est apud multos, etiam Prælati ipso inferiore talem dispensationem dare possunt. Ratio est quoad Papam, quia ipse potest ius naturale, aut Diuinum interpretare, & cum causa rationabili in Votis quibuscumque dispensare. Quoad alios verò Prælatos, quia ex nullo iure constat hanc dispensationem esse Papæ reseruatam. Concilium enim Tridentinum cum *sess. 25. de regular. cap. 19.* decernit, quod necio Regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, loquitur de facultate obtenta sine causa legitima, vt docet Nauarrus *lib. 5. consil. de Regul. consil. 56. num. 3.* Lessius *2. de Iust. cap. 41. dub. 13.* Similiter Extrauagans. *viam ambitiose de Regular. prohibens ne Mendicantes transeant ad aliam Religionem præter Carthusiam*, intelligitur etiam de transeuntibus absque dispensatione, & causa legitima, vt docent Lessius *citatus*, & Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 68.* Cum ergo ex alio capite authoritas concedendi talem facultatem sit fere necessaria ad bonum regimen Religionis, & perfectam subiectionem inferiorum ad Superiores, credendum est posse Prælatos inferiores Papa illam concedere. Rodriguez *tom. 3. questio. num. Regul. quest. 52. art. 9.* Lessius *vt supra.* Probabile hoc putat Suarez *4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 11. num. 20.* Prælati verò, ad quos spectat concedere hanc licentiam sunt respectu non exemptorum Episcopi, respectu verò exemptorum Prælati Superiores Religionem, videlicet Generales, non autem immediati, propter rationem adductam *sup. num. 9.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 7. num. 70.* Suarez *vt sup. num. 16.* approbans quoad hoc sententiam Syluestri. *Relig. 4. q. 2.*
- 12 Causæ autem legitime transitus ex vna Religione ad aliam, arbitrio prudentis dispensantis relinquuntur; cum nihil circa hoc aliquo iure præscriptum sit. Magis autem generales causæ solent esse, infirma, aut incommoda valetudo, aut fragilis corporis natura, que Religionis strictioris austeritatis terre nequeat. Azor. *tomo 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 14.* Esse vtilem in vna Religione, & in alia onerosum. Suarez *4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 11. num. 21.* Magna necessitas parentum, quibus in vna Religione subueniri potest, & non in alia. Rodriguez *tomo 3. questio. num. Regul. quest. 52. art. 9.* Si Religiosus indignè, & iniuste, odio haberetur, & malè tractaretur à Religiosis vnius Religionis. Azor & Rodriguez *citatus*, esse intantum in Religione ob aliquod crimen commissum, vt propterea necessum sit esse temper pudore suffusum, & tristitia magna affectum. Diana *tract. 2. de Dub. Regular. resol. 43.* De his verò, & alijs causis Suarez, & Sanchez *vbi supra.*
- 13 Prælati, qui absque iusta, & legitima causa negaret subdito

- subdito facultatem transeundi ad arctiorem Religionem peccaret mortaliter. Ita deducitur ex c. licet quibusdam de Regular. vbi dicitur, Prælati subdito sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire diuinitus inspiratum. Sylu. v. Religio. 4. quest. 1. not. 5. Miranda in Manual. 1. tomo quest. 31. art. 6.
- 14 Quando aliqua Religio, etiam si in se perfectior sit, aut strictior, deformata est, & relaxata, licitum est ex illa transire ad aliam magis reformatam etiam minus perfectam, aut strictam, seruatis tamen seruandis, vt supra. Ratio est, quia finis propter quem omni iure licitus est transitus ex vna Religione ad aliam est, vt quis ducat perfectiorem vitam, quod contingit in proposito casu. Sanctus Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. Miranda in Man. 10. 1. q. 31. art. 4.
- 15 Nouo etiam iure, seu Decreto Sac. Congregationis Concilij de Regularibus Apostatis, & Electis iussu Sanctissimi Domini Nostri Urbani Octauo ann. 1624. edito sic habetur. Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præcipitur statuit, vt de cetero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis recta via se transferat ad arctiorem. Quod, vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet. Hæc Sacra Congregatio. Quæ abduci etiam obligant in casu, quo Religiosus transiret ad aliam Religionem æquè strictam, vel laxiorem propter eandem, vel maiorem rationem.
- 16 Translatus de vna Religione ad aliam debet de nouo in ea esse Nouitius, & in probatione per vnus anni spatium, & de nouo profiteri. Ratio est, quia Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. cap. 15. dum hoc generaliter præcipit fieri in quacumque Religione, etiam pro illis, qui in alia fuerunt religiosi intelligi debet. Nauarrus lib. 3. Consil. de Regul. consil. 7. num. 1. & consil. 49. num. 2. Miranda in Manual. tomo 1. quest. 31. art. 21. & 22. qui etiam hoc extendunt ad casum, quo aliquis transferretur ad alium Ordinem, vt esset ibi Prælati. Alij verò hoc negant. Vide Erasmus Chokier in tract. de Iurisd. Ordin. in exempt. part. 5. quest. 14. Est autem necessaria ista noua professio cum nouo Nouitiatu, etiam quando est transitus ab vna familia in aliam eiusdem Ordinis, vt si à Discalceatis Carmelitarum ad Obseruantes, vel Cappucinos in Ordine Minorum, vel e contra fiat transitus. Ratio, quia licet istæ Religiones censeantur vnæ ratione Regulæ, & Fundatoris, tamen simpliciter sunt diuersæ, & habent diuersas austeritates, vel ad minus diuersum modum viuendi, atque ita necessarius est nouus Nouitiatus, tum ad illa experientia, tum ad hoc quod Religio ipsa experiatur etiam mores, & conditiones admittendorum ad illam.
- 17 Similiter translatus de vno Ordine in alium debet habere locum professionis factæ in Ordine, ad quem transferretur, non quem in priori habebat. Ratio est, quia solum à tempore professionis factæ in Religione, ad quam transferretur, est Religiosus illius, & numeratur inter membra ipsius. Rodriguez tomo 3. quest. Regular. quest. 52. art. 29. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 86. Secus est, si transeat aliquis ad aliquam Religionem, vt sit Prælati ipsius: hic enim sine dubio debet habere primum locum in Conuentu; cum incongruum sit Prælatum esse loco inferiorem suis subditis. Imò etiam volunt aliqui, quod finito Officio debeat habere locum immediatè post Prælatum, & non locum prioris professionis factæ in priori Religione, aut posterioris in posteriori Religione emissæ. Hoc verò intelligo solum secundum quamdam decentiam. In rigore enim consuetudo, & Leges Religionis obseruandæ sunt. Nauarrus lib. 3. Consil. tit. de Regular. in 1. edit. consil. 61. Rodriguez tomo 3. quest. Regul. quest. 52. art. 26. Quid verò dicendum in casu, quo Monachus exemptus transferatur ad prælatiam Monasterij non exempti, an inaneat exemptus, vel non? Vide Erasmus Chokier in tract. de iurisdic. Ordin. in Exempt. part. 5. q. 14.
- 18 Religiosus, qui legitime ad aliam Religionem transtulit, si ante professionem velit redire ad priorem Religionem est in illa admittendus. Cum adhuc maneat cum vinculo professionis factæ in Religione à qua discessit, sitque membrum illius. Syluest. ver. religio. 4. q. 5. Azor. tomo 1. instit. Summa Lezana Tom. I.
- Moral. lib. 12. c. 14. q. 11. Idem dico, etiam si iniuste, aut illegitimè ad aliam Religionem transtulit. Propter eandem imò maiorem rationem. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 105.
- 19 Religiosus ad aliam Religionem modo legitimo translatus non solum non tenetur ad Obseruantias prioris Religionis, vt de se patet, cum iam sit ab illius iugo exemptus, sed neque tenetur ad alia Vota specialia in professione prioris Religionis emissæ, v. g. si erat ex Ord. Minimorum ad vitam Quadragesimalem. Ratio est, quia illa Vota annexa sunt professioni prioris Relig. cessante autem principali, cessant etiam accessoria. Suarez tomo 2. de relig. tract. de Voto. lib. 6. cap. 3. num. 7. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 87. Vnde similiter si religiosus Choro destinatus, nec in Sacris constitutus transeat ex Religione, in qua est consuetudo quod tales dicant Officium Diuinum ad Religionem, vbi non est talis consuetudo, non tenetur illud recitare. Quia cessat ratio obligationis, nempe consuetudo. Bonac. de Hor. Canon. disp. 1. q. 2. punct. 2. num. 2.
- 20 Transeuntes ex vna Religione in aliam, etsi Canonici regulares sint, sunt omnino incapaces quorumcumque Beneficiorum secularium etiam Curatorum. Ita habetur in Concil. Trident. sess. 14. cap. 11. Ratio huius decisionis videtur esse, ne aliquis transeat ex vna Religione in aliam sub spe obtinendi aliquod beneficium seculare. Lessius 2. de Iust. cap. 41. dub. 13. num. 105. Suarez 4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 15. Et intelligitur quamuis ad strictiorem sit transitus. Quia generaliter loquitur Concilium. Sanchez vt supra num. 108.
- 21 Deinde Mendicantes, qui auctoritate etiam Apostolica, ad non Mendicantes transeunt, ex Clement. 11. de Regular. primò priuantur voce in Capitulo, etiam si hoc illis ab alijs concedatur. Voce inquam actiua, & passiva, quia textus generaliter loquitur. Bonacina de Clausur. q. 2. punct. 9. §. 5. num. 2. Deinde priuantur etiam loco in eodem Capitulo. Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 123. Præterea non possunt assumi ad Prioratus, Administrationes, aut quæcumque alia Officia, etiam tamquam Vicarij, seu Ministri; vel locum aliorum tenentes, nec animarum curam, aut regimen possint pro se, vel pro alijs exercere: & quidquid in contrariu gestu fuerit irritum est, & nullum. Ita decernitur in præd. Clem. 11. de Reg. Et ratio decisionis esse potest, vt Mendicantes quietius in sua vocatione persistant. Azor. lib. 12. instit. Moral. cap. 14. quest. 12. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 7. a num. 109. Extat autem quadam declaratio Cardinalium limitans hanc decisionem pro transeuntibus ad Carthusianos per hæc verba: Omnes cuiuscumque Religionis legitime translati ad Carthusianos, possunt in eadem Carthusiensis Religione in Claustro Priores, & extra claustrum Procuratores esse. Suarez tomo 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 15. num. 6. Vide alia in Bonacina vt supra num. 4. Suarez, & Sanchez citati.
- 22 Transeuntes ex vna Religione ad aliam illegitimè, scilicet sine causa, aut licentia, aut contra prohibitionem Iuris, non sunt veri Apostatæ, sed fugitiui. Ratio primæ partis est, quia licet illicitè, & inualidè ab vna Religione recedant, transeunt tamen ad aliam, & idè non dicuntur simpliciter recedere ab statu Religioso, quod requiritur ad veram Apostasiam. Ratio verò secundæ partis est, quia indebitè, & inualidè fugiunt ab obedientia suorum Superiorum. Lessius 2. de Iust. c. 41. dub. 13. Azor. lib. 12. instit. Moral. cap. 17. quest. 7.
- 23 Omnia bona Religiosi transeuntis, etiam cum licentia suorum Superiorum, ex vna religione ad aliam, ante professionem in secunda religione factam acquisita, vel quomodolibet ad illum pertinentia, pertinent ad primam religionem. Ratio est, quia ante professionem in secunda factam, semper remanet membrum primæ religionis, & illi acquirit quidquid acquirit. Nauarrus Comment. 4. num. 24. vers. 11. & lib. 3. Consil. consil. 55. num. 9. Azor. tom. 1. Instit. Moral. lib. 12. cap. 15. quest. 3. & cap. 16. quest. 8. Multò magis hoc verum est de bonis religiosi transeuntis illegitimè ex vna religione ad aliam, non solum enim bona, quæ acquirit ante professionem, sed etiam quæ post professionem acquirit, pertinent ad primam Religionem, à qua discessit. Quia cum transitus ille sit illegitimus, & inualidus nullum ius ex eo provenire debet posteriori religioni. Azor. 11. instit. moral. li. H 2 12. cap.



12. c. 1. §. 3. Mol. 10. 1. de Inst. disp. 144. Vnde religiosus, qui transfertur ad aliam religionem, non potest secum deferre ex bonis, qui ad usum habebat, nisi ea solum, quæ sibi gratiosè Superioribus fuerint concessa. Nauarrus in c. Non dicatis. n. 30. & 31. & in c. statumimus n. 24. & alibi.
- 24 Religiosi cuiuscumque Ordinis, & Religionis extiterint, exceptis Carthusianis, admittentes, siue recipientes Fratres alterius Ordinis, præter ordinem Iuris, mortaliter peccant. Quia in re grauissima delinquant. Est etiam excommunicatio lata contra recipientes Fratres aliquarum Religionum, propter privilegia ipsas ab Ecclesia concessa, specialiter Martini V. pro Mendicantibus transeuntibus ad Monachales excepto Carthusiense Ordine. Vide Casarubium in Comp. priuileg. v. Apostata ab Ordine. Miranda in Manual. tom. 1. quest. 51. art. 2. Religiosi quoque Ordinis B. Mariæ de Mercede, etiam quarti Voti prætextu, non possunt recipere Min. de Obseru., aut alterius Ordinis strictioris professores. Ita Clemens VIII. in Bulla Nuper ad nos. anno 1596. edita, ubi declarat Regulam strictiorem iudicandam esse alia ratione, quam respectu quarti Voti. Deinde recipientes fratres Minimorum sunt excommunicati à Iulio II. in Bulla Sacer. Ordo anno 1508. Peirinis tom. 1. de Subd. quest. 1. de Obed. cap. 24. Item ex priuilegio Alex. IV. nulli Religiosi professores Ordinis patris arctitudinis, vel minoris aliquem de Fratribus Ordinis Carmelitarum, ad eorum Ordinem admittere possunt, sine consensu Generalis eiusdem Ordinis, & si forsitan aliquem aliter receperint, illum tenetur restituere. Insuper ex priuilegio Ioan. XXII. Fratres Prædicatores, vel Minores, vel Augustiniani, non possunt ad eorum Ordines Fratres Carmelitanos recipere, vel retinere, sine eiusdem Generalis licentia, sub pœna priuationis Officij, vel Administrationis, & in habilitatis ad alia ipso facto Speculum Ord. fol. 71. Vide alia in Bonacina de Clausur. qu. 2. punct. 9. §. 5.
- 25 Religiosus Clericus ad Chorum deputatus iussu, & auctoritate Superiorum potest transire ad Ordinem Laicorum, siue Conuersorum in eadem Religione. Sicut enim Superiores possunt suis subditis maiores pœnas infligere, videlicet carceris, eiectionis, tritremium, &c. ita etiam poterunt istam pœnam imponere. Azor. tom. 1. Insti. Moral. lib. 10. cap. 6. quest. 7. Ledesma 2. part. Summ. tract. 9. cap. 4. Hoc verò intelligo de Clerico ad chorum destinato, qui nondum est in Sacris constitutus. Nam si est in Sacris, non potest ad inferiorem Ordinem deijci, etiam si à suis Ordinibus suspendatur. Sotus 10. de Inst. quest. 9. art. 3. Laurentius de Peirinis tom. 1. de Subd. quest. 10. 1. de Obed. cap. 24. Causæ autem propter quas Clericus non ordinatus, choro tamen destinatus, possit ad Conuersos deijci, regulariter sunt tres; nimirum punitio delicti, ineptitudo ad litteras addiscendas, & maximus ardor vitæ humilioris. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 81. Prædictus autem Religiosus Clericus non ordinatus ad Conuersus translatus, non tenetur dicere Officium Canonicum Clericorum. Cum totum fundamentum talis obligationis in alijs Religiosis Clericis Choro destinatis, nec in Sacris constitutis, sit dicta destinatio ad Chorum, & consuetudo, iuxta dicta supra c. 12. num. 3.
- 26 Qui ingreditur in aliquam Religionem animo tamen transeundi ad aliam post professionem, vel postquam studiorum cursum perfecerit, aut ad Presbyteratum promotus fuerit, peccat grauiter, sic faciendo: transitus tamen ad aliam Religionem, si fiat legitimo modo, validus est. Ratio primæ partis, quia decipit Religionem in re graui. Ratio verò secundæ, quia vitur iure suo. Bonac. in Tract. de Clausur. quest. 2. punct. 9. §. 1. num. 2. Imò videtur teneri ad restitutionem expensarum, quas Monasteriorum fecit in ipso alendo, detractis ijs, quæ ipse proprio labore, & ministerio in utilitatem Monasterij fecit. Quia fecit damnum Religionem prædictam animo in ipsam ingrediendo, & ita debet illud restituere. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 10. num. 2. Bonacina ut supra.
- 27 Torus etiam Conuentus potest ad arctiorem Religionem transire, seruatis seruandis. Tum quia eadem est ratio de transitu Conuentus, ac de transitu Religiosi. Tum quia id supponitur in cap. recolentes. verb. ceterum. de stat. Monach. Rodriguez tom. 3. quest. 52. artic. 6. Bonacina

- in tractat. de Clausur. quest. 2. punct. 9. §. 2. num. 5.
- 28 Episcopus etiam Regularis potest ad strictiorem Religionem transire, cum licentia tamen Papæ. Ratio primæ partis, quia licitum est cuique maiorem perfectionem querere; Religio autem strictior semper præsupponitur maioris perfectionis, quam laxior. Ratio secundæ sumitur ex cap. licet de Regul. Vbi generaliter vetitum est Episcopis ad Religionem transire absque facultate Papæ. Bonacina ut supra num. 7. Quod idem dicendum est de Episcopis Regularibus, qui iam Episcopatum ex licentia Papæ renunciarunt. Propter eandem rationem. Si autem isti redeant ad suam Religionem sub obedientia Prælatorum ipsius, satis erit ad transitum faciendum licentiam petere à Superioribus Religionis, sicut & alij. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 7. num. 8.
- 29 Ex Concil. Trident. sess. 14. de reform. cap. 11. sic habetur: Quia verò Regulares de vno ad alium Ordinem translati, faciliè à suo Superiori licentiam standi extra Monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur: nemo cuiuscumque Ordinis Prælati, vel Superior, vigore cuiusvis facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi, ut in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia, in Claustris perpetuo maneat. Ex quo Decreto in primis habetur tam transeuntem ex vna Religione ad aliam, quam recipientem, animo non manendi intra Claustra perpetuo, grauiter peccare contra illud. Suarez 4. tomo de Relig. tractat. 8. lib. 3. cap. 15. num. 8. Addens etiam num. 9. talem receptionem irritam non esse ex vi illius prohibitionis, cum Concilium non apponat clausulam irritantem. Poterit nihilominus, non obstante prædicto Decreto, Superior Religionis dare prædicto sic translato eas licentias exeundi extra Monasterium, & standi extra claustra, quæ alijs licite, & de iure concedi possent religiosis illius Ordinis. Quia Concilium solum videtur intendere, quod prædictis sic translatis non concedantur illæ licentiæ existendi extra Claustra, quibus vagandi, & apostatandi occasio tribuitur. Sanchez lib. 6. in Decal. c. 7. num. 83.

## SVMMARIVM CAP. XXIII.

- Incorrigibiles eijsi possunt à Religionibus. n. 1.  
 Quis censendus incorrigibilis. n. 2.  
 Quid ex nouo iure Decreti S. Congregationis requiratur ad incorrigibilitatem. n. 3.  
 Titulo incorrigibilitatis solo eijsi aliquis potest. n. 4.  
 Sex Parrum consilio eijsiendi. n. 5.  
 Iniuste & inualide eiectus cogere potest ordinem ut recipiatur. n. 6.  
 Eiectos tenentur Prælati querere. n. 7.  
 Qualis horum eiectorum Status conditio sit. n. 8.  
 Eiecti plene correcti cogere possunt ordinem ad eos recipiendos. n. 9.  
 An possint transire ad aliam Religionem. n. 10.  
 Manent cum obligatione trium votorum. n. 11.  
 Cum voto castitatis. num. 12. Cum voto obedientia. ibidem & num. 13.  
 Manent etiam cum voto paupertatis & quomodo. n. 14.  
 Cui acquirant. num. 15. Eorum bona post mortem cui applicanda. n. 16.  
 An teneantur ad alia vota præterita, obseruantias Ordinis Officium diuinum &c. n. 17.  
 Quibus pœnis afficiantur. n. 18.  
 Non debent prouideri de alimentis à Religione. n. 19.  
 Litteræ dimissoria ipsorum quales. n. 20.

## De obligationibus Religiosorum ab Ordine eiectorum. Cap. XXIII.

- I Certum est posse Prælatos Religionum Religiosos incorrigibiles ab Ordine eijsere. Quia id supponitur in cap. fin. de Reg. & c. cum ad Monast. de statu. Monac. Constatque ex multis priuilegijs religionum, de quibus Cord. in Reg. D. Francisci c. 2. q. 21. par. 1. & habentur in priuileg. Mend. verb. Eijsere. Ratioque id suadet, quia resecundæ

- secundæ sunt carnes putridæ, ne sanas corrumpant, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne cæteras inficiat, vt docet S. Hieronymus in *epistol. ad Galatas cap. 5.* Antequam debet bonum commune Monasterij bono priuato religiosi. Azor. *tom. 1. Inst. Moral. lib. 12. c. 16. q. 2.* Lessius *2. de iust. c. 41. dub. 14.*
- 2 Ad hoc, vt religiosus sit, & dicatur incorrigibilis, tria hæc requiruntur iure communi, scilicet, quod crimina grauius sæpius commiserit, quod monitus sæpè non destiterit, & quod pœnitentiam pro illis non acceptauerit. Ratio est, quia ille solum dicitur incorrigibilis, cuius emendatio non speratur, ac verò vt alicuius emendatio non speretur, tria illa requiruntur. Sayrus *de censur. lib. 5. c. 21. num. 37.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 9. num. 4.*
- 3 Quamuis autem de iure communi loquendo solum tria prædicta sufficerent ad hoc, quod religiosus incorrigibilis diceretur, iure tamen nouo, & decreto S. Cõgregationis Concil. S. D. N. Papæ Urb. VIII. iussu edito die 21. Septembr. anno 1624. aliæ conditiones requiruntur, vt religiosus eijsi possit, & censeatur incorrigibilis, videlicet, vt in posterum è religionibus nullus legitimè professus eijsi possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublati hæc in parte Statutis, & Constitutionibus cuiusque religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis, verum etiam vnus anni spatium in ieiunio, & pœnitentia proberet in carceribus, proindeque vnaquæque Religio priuatus habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruiuacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre, eijsi tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus religionis eligendis in singulis capitulis, vel Congregationibus Generalibus, tamque non nisi instructo secundum eorum stylum, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque ad primum Generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessarijs causis expellere oportebit, & eiectioni fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis, eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione, seruata tamen in reliquis forma superioris præscripta. Vide *4. tomo Bullar. inter Constitutiones Sanctissimæ Domini Nostri Urbani num. 26.* Et Bonacina *de Clausur. quest. secunda, punct. 12. §. 1.* [Nota tamen quod inter crimina grauiora propter quæ aliquis potest eijsi non solum numerantur fornicatio, furtum, adulterium, &c. sed etiam ebrietas scandalosa, vt habet Porcellus *12. Respons. mor. to. 2. cas. 35.*]
- 4 Ex quibus non solum habetur nullum Religiosum in posterum expelli posse nisi seruatis prædictis conditionibus, sed etiam nullum expelli posse nisi titulo incorrigibilitatis, vt constat ex illis verbis, *In posterum è Religionibus nullus legitimè professus eijsi possit nisi sit verè incorrigibilis.* Neque obstant multa priuilegia Religionibus concessa, ob quæ propter alia delicta, præsertim illa, quibus in sæculo responderet pœna mortis, eijsi poterant, vt bene Azor. *tom. 1. Inst. moral. lib. 12. cap. 16. quest. 3.* Ius enim nouum Sacre Congregationis adductum, omnia priuilegia in contrarium tollit, vultque solum propter incorrigibilitatem Religiosum eijsi posse. Estque hoc conforme Iuranti quo communi, in quo solum propter incorrigibilitatem permittitur talis eiection. D. Thom. *quodlibet 12. artic. vltim.* D. Bonavent. *in Regul. D. Francisci quest. 14.* [Vnde à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium declaratum video pro 1. die Iunii 1635. in causa Patrum Cisterciensium non posse eijsi scandalosos, aut delinquentes si non sunt verè incorrigibiles.]
- 5 Circa sex illos Patres eligendos, de quorum solum consilio, & assensu eijsi possunt incorrigibiles, ex vi huius Decreti, cum difficile sit Generalem quocumque ierit, illos secum deferre, dicitur supplicatum fuisse S. Congregationi, ipsamque respondisse, posse Generalem in qualibet Prouincia, in qua id opus fuerit, assumere sex ex diffinitibus
- illius pro hac causa. Laurentius Peirinis *tom. 2. de priuilegijs. Minim. in Constitut. 10. Urban. VIII.* Consonat etiam Decretum Capituli Generalis nostri Ordinis anno 1625. Romæ celebratum, vbi facultas Generali committitur eligendi sex Patres sibi bene viuos ad hunc effectum, vt habetur *par. 4. Constit. c. 21. §. 14.* Vide tamen dicenda *tom. 2. c. 12. n. 8. & 19.*
- 6 Hinc, si Religiosus iniuste, aut illegitimè, modo prædicto non seruato, eijceretur ab Ordine, non solum eijciens peccaret contra iustitiam, sed & expulsus posset compellere Monasterium vt ipsum admitteret, & alimenta præberet. Eò quod iniuste priuatus esset iure sibi debito: sicut enim Religiosus per professionem se obligauit in Religione mansurum; sic etiam & Religio ad illum retinendum, & alendum. Molina *tom. 1. de Inst. disput. 140. §. quando Religiosus.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. capit. 8. num. 7. & 8.*
- 7 Religiosos à Religione eiectione tenentur Prælati illius, scilicet Præsidentes in Capitulis celebrandis, Patres Abbates, seu Priores, quætere illos annuatim, & reducere ad Religionem, quando salua Ordinis disciplina admitti possunt. Ita enim præcipitur *in capit. fin. de Regularibus* quod quidem, licet in vsu non fuerit (vt aliqui volunt. Sanchez *lib. 6. in Decalog. capit. 9. num. 18.*) & alij dicant solum extendi ad eos, qui iniuste sunt eiectione. (Azor. *lib. 17. Institut. Moral. cap. 16. quest. 2. & capit. 17. quest. 2.*) illud tamen nouissimè innouauit Sacr. Congregat. Cardinalium supra adducta *num. 3.* & extendit ad illos etiam, qui iuste, & legitimè sunt expulsi, dummodo in illis subsit spes euadens emendationis, per hæc verba. *Ac postremo censuit esse innouandam, & sua Beatitudinis auctoritate innouat Constitutionem falsis recordationis Gregor. IX. relata in capit. fin. extr. de Regularibus.* Ac præterea declarat eam Constitutionem in us quoque vindicare sibi locum, seruandamque esse, qui iuste, & diffinitiuè, ac iuris Ordine seruato, expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euadens emendationis ex litteris testimonialibus Ordinarij, &c. Additur præterea in eodem *cap. fin.* quod si tales eiectione non possint admitti salua Ordinis disciplina, vt apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in alijs Religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam talibus vita necessaria ministrantur. Et quod si illos inuenerint inobedientes, eos excommunicent, & tandem faciant ab Ecclesiarum Prælati excommunicatos pronunciarum publicè, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur: Quæ omnia licet forsitan per non vsu abrogata iam essent, quia tamen de nouo innouata sunt à S. Congregatione, vt supra executioni mandati debent à Superioribus Religionum.
- 8 Ex decreto etiam eiusdem Sacr. Congregationis, sic Eiecti quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci Iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinatio notificare teneatur. Insuper statuit, vt ijdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis, litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem. Item declaratur, & præcipitur in eodem Decreto Sacr. Congregationis. Vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum, facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi. Ex illis autem verbis, *extra Religionem degentes*, inferri videtur solum habere locum hoc Decretum quantum ad hanc partem in illis Eiectis, qui non intrant in aliquam Religionem. Bonacina *de Clausur. q. 2. punct. 12. §. 6.*
- 9 Quando constiterit huiusmodi Eiectos plenè correctos esse, possunt ipsi cogere Religionem, ex qua eiecti sunt, vt eos admittat. Probatum ex decisione *cap. fin. de Regular.* adiuncta declaratione Sacr. Congregationis adducta supra *num. 7.* ibi enim præcipitur Prælati, vt eos querant, multò ergo magis obligantur eos recipere, si iam correcti redeant. Nauarrus *libro 3. consil. titul. de Regular. consil. 18. vel 51.* Molina *tom. 1. de Inst. disput. 140. §. quoad votum.* Neque in hoc admitti debet excusatio aliqua post dictam declarationem Sacr. Congregat. nam per eam inno-

- innouatur dictum *cap. fin. de Regular.* quidquid dicant aliqui auctores, qui ipsam videre non potuerunt. Cordub. in *Regul. D. Francisci cap. 2. quest. 71. punct. 2.* Lessius. 2. de *Iust. cap. 41. dub. 15. num. 112.* & Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 32.* Redeuntes tamen ad Religionem non tenentur nouam professionem facere. Quia prior professio non est extincta, sed solum suspensa pro aliquo tempore, Rodriguez *tom. 1. quest. Regular. quest. 30. art. 28.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 9. num. 33.* contra Nauarrum. An vero sic redeuntes admitti debeant in eodem gradu antiquitatis, quem habebant ante eiectionem, & cum eiusdem prerogatiuis, pendet ex varijs legibus Religionum; regulariter tamen, & seclusis particularibus circumstantijs, dicendum est, quod cum meruerint eijci, digni quoque sunt, vt eiusmodi prerogatiuis priuentur. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 5. num. 17.*
- 10 Tempore quo manent isti Eiecti extra Religionem non possunt ad aliam, siue æqualem, siue laxiorem transire sine licentia Superiorum suæ Religionis, & alijs conditionibus assignatis c. precedenti. Ratio est, quia vt dicemus, isti Eiecti, etiam tempore eiectionis perseuerant Religiosi illius Ordinis à quo sunt eiecti, & illi subiecti; non ergo possunt sine licentia Superiorum eiusdem Ordinis hunc transitum facere. Cordub. in *Reg. D. Francisci. cap. 2. quest. 21. punct. 3.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 5. num. 20.* Hoc vero intellige de iure communi, si enim permanet in sua vi priuilegium quoddam Innocent. I V. concessum Minoribus, possunt isti Eiecti de Ordine Minorum, & aliorum ipsius priuilegia participantium, transire ad Ordines approbatos, præterquam ad certas quasdam Religiones, & cum certis quibusdam conditionibus in eo expressis. Rodriguez *tom. 1. q. Reg. q. 30. art. 22.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 9. §. 39.* Crediderim tamen non esse in vsu huiusmodi priuilegium. Nec scio an illud fuerit viæ vocis oraculum, quia si tale est his temporibus nihil valer.
- 11 Eiecti manent verè Religiosi, & cum onere trium Votorum essentialium sicut antea. Colligitur hoc ex *cap. fin. de Regul.* & ratio suadet: cum per eiectionem non sint dispensati, aut absoluti à professione, quam fecerant, aliàs ex suo delicto commodum reportarent contra ea, quæ traduntur *cap. 1. de postu. Pralat. & cap. Sedes Apost.* & *rescript.* essentque melioris conditionis, quam Religiosi facti Episcopi, aut Cardinales, quos manere veros Religiosos diximus *cap. 17. num. 1.* Nauarrus *Comm. 2. de Reg. à num. 34. & Comm. 3. num. 46.* Azor. *tom. 1. inst. mor. lib. 12. cap. 16. quest. 4. 7. & 11.* [Idem habens ex declaratione Sacre Congregationis Episcoporum & Regularium, quam retuli *supra num. 4.* de quo etiam Tamburinus de iure Abbatum *tom. 3. disp. 8. quest. 8. num. 5.* vbi pro signo quod eiecti non dispensentur in votis professionis bene affert, quod postea quando ad Religionem reuertuntur non emittunt nouam professionem.]
- 12 Vnde manent cum eodem voto Castitatis sicut antea; cum in eo nullo modo sint dispensati, manent etiam cum eodem Voto obedientiæ, quantum ad hoc quod teneantur obedire Superioribus, si eos velint ad Religionem reuocare. Siquidem habet ius illos reuocandi, cuius signum est quod in prædicto *cap. fin. de Reg.* innouato à Sacra Congregatione, vt *supra num. 7.* præcipitur *vt censuris cogantur ad Relig. reuert.* Quod non esset, nisi ipsi essent ad hoc obligati ex vi Voti Obedientiæ. Syluester *verb. Apostasia, quest. 6. num. 10.* & *verbo Religio 6. quest. 12. num. 12.* Nauarrus *lib. 3. cons. in 2. editione tit. de Reg. cons. 77.* Manent etiam cum eodem Voto obedientiæ, quantum ad hoc quod est teneri mortigeratè viuere, & reddere se aptos ad viuendum in religione, & vt ad illam admittantur. Quidquid dicat Diana *tract. 2. dubijs Regularium Resolut. 60.* Cum ad hoc etiam sint obligati ex vi suæ professionis, in qua non est dispensatum. Sotus *7. de iust. & iure quest. 2. art. 5. ad 3.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 9. à n. 25.* Tenentur etiam ex vi voti obedientiæ esse parati ad obediendum prælatis religionis, quando ad ipsam fuerint reuocati. Propter eandem rationem. Molina *10. 1. de iustit. disp. 140. §. quo ad votum.* Rodriguez *10. 1. q. Regul. q. 30. art. 19.*
- 13 Non tamen tenentur ex vi Voti Obedientiæ, quod emiserunt, subijci Episcopis speciali modo, quam alij Clerici. Quamuis oppositum doceat cum Nauarro Suarez *4. tom. de Religio. tractat. 8. lib. 3. cap. 6.* & aliqui etiam velint amisisse per expulsionem priuilegium exemptionis. Erasmus Chokier *de Iurisdic. Ordinar. in exempt. part. 1. quest. 2.* Ratio est, quia Votum obedientiæ, quod emiserunt, solum erat obediendi prælatis religionum, non alijs. Molina *10. 1. de iustit. disput. 149.* Lessius *2. de iustit. cap. 41. dub. 25. num. 114.* Nec etiam tenentur ex vi eiusdem Voti transire ad aliam religionem. Siquidem nullo modo illam vouerunt, sicut neque Religionem in genere, sed solum illam determinatè, à qua expulsi sunt. Sotus *7. de iustit. quest. 2. artic. 1.* Nauarrus *Commen. 2. de Reg. num. 36.* Hoc etiam videtur supponi à Sacra Congregatione in Decretis adductis *supra num. 8.* dum præcipit superioribus religionum, ne huiusmodi expulsi litteras testimoniales concedant, iubentes ingredi aliam Religionem. Vnde non tenentur obedire Superioribus iubentibus, vt transeant ad aliam religionem. Propter rationem adductam. Lessius *de iust. c. 41. dub. 15.* Rodriguez *10. 1. q. Regul. quest. 30. art. 22.*
- 14 Quoad votum paupertatis, tenentur ad illud huiusmodi Eiecti, eo modo, quo status illorum patitur. Quia hoc est de essentia religionis, quam sunt professi, & à qua non sunt dispensati. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 27. & 45.* Nauarrus *Commen. 2. de Regular. num. 35.* Vnde Eiecti nec habent, neque habere possunt dominium cuiusvis rei. Quia hoc est directè contra Votum. [Vt etiam colligitur ex declaratione Sacre Congregationis Episcoporum & Regularium adducta. De quo etiam Tamburinus *dicto quest. 8.*] Nec vsum irreuocabilem, aut vsum Iuris; propter eandem rationem. Sed solum vsum facti, & incertum rerum sibi ad victum, vestitum, habitum, & vitam necessariarum. Quia hoc non est contra votum paupertatis, nec professi sunt carere his rebus. Quare si illa à religione non concedantur, eo ipso datur licentia querendi, & habendi illas. Lessius *2. de iustit. cap. 41. dub. 15. num. 112.* Nec possunt testari, si in illo statu moriantur. Quia potestas testandi pugnat cum Voto paupertatis, & supponit dominium rei, non merum vsum, quem solum habent Eiecti. Lessius *vt supra num. 113.* Sayus in *Clau. Reg. lib. 6. cap. 9. num. 28.* Hinc etiam non possunt facere expensas magnas, superfluas, nec donationes illicitas, aut rerum magni ponderis; & accipientes ab illis, tenentur ad restitutionem. Cum prædicti Eiecti non sint domini eorum, quæ possident, sed solum administratores nomine Religionis in ordine ad vsus necessarios. Poterunt tamen res minoris momenti expendere, & donare, absque eo quod accipientes teneantur ad restitutionem. Quia quoad ista censentur habere licentiam à prælatis Religionis, à qua sunt expulsi. Lessius *de iustit. capit. 41. dub. 15. num. 113.* Molina *10. secundo de iustit. disput. 276. & 520.*
- 15 Acquirunt isti Religiosi Eiecti Monasterio, vel Religioni, vnde sunt expulsi. Cum Monasterium, siue Religio, ex vi professionis ab ipsis factæ, habeant ius ad omnia bona ab ipsis in posterum acquirenda. Præsertim cum huiusmodi Eiecti non sint omnino à Religione derelicti, sed solum separati à communione, & commercio ipsius; cuius signum est, quod tenentur querere illos, & si correcti respiciant, admittere, vt diximus supra. Lessius *2. de iust. cap. 41. num. 112.* Molina *10. 1. de iustit. disput. 140.* Vnde etiam si iniuste sint eiecti, aut detenti extra Religionem, acquirunt ipsi. Quia mala voluntas prælatorum iniquè eijcientium Religiosos, aut extra Ordinem detinentium, non debet in damnum Religionis vergere. S. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 5. §. 4.* Angelus in *Summ. v. Monasterium num. 6.*
- 16 Huiusmodi autem Eiectorum bona, post illorum mortem, si extra Religionem mori contigerit, applicari debent ad Cameram Apostolicam. Propter Constitutionem Gregorij XIII. tom. secundo Bullar. inter Bullas huius Pontificis. ubi statuit, quod spolia Regularium extra Claustra degentium, pertineant ad prædictam Cameram. Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 33. n. 21. & 31.* Bonacina *de Claustr. q. 2. punct. 12. §. 7.*
- 17 Quamuis aliqui probabiliter dicant huiusmodi Eiectos teneri ad Obseruantias omnes Regularis sui Ordinis, quoad eas scilicet, quas possunt in sæculo obseruare, & ad alia

ad alia vota supra tria essentialia, quæ in professione suæ religionis emiserunt, quale est illud Minimorum de vita Quadragesimali, & Mercenariorum de redimendis captiuis; quia aliàs non paruum commodum ex sua iniquitate reportarent. Probabile tamen etiam est ista non teneri. Ratio est, tum quia ista solum videtur Religiosos vouisse pro tempore, quo in religione manent, & vt accessoria, & annexa perseverantia in tali religione. Tum quia, generaliter loquendo, votum desinet obligare, quando est ita notabilis mutatio materiæ facta, vt reddatur notabiliter difficilior, & qua à principio præuisa non fieret votum, quod contingit in proposito. Sotus 7. de Iustit. & iur. quest. 2. art. 1. Nauattus Comment. 3. de Regul. num. 46. & lib. 3. Conf. tit. de Regul. consil. 51. vel 78. num. 2. Habitum verò religionis non tenentur portare prædicti Eiecti, cum illo iuridicè sint priuati in penam suorum defectuum. Azor. 1. tomo Iustit. moral. lib. 17. cap. 18. quest. 13. Lessius 2. de Iustit. cap. 41. dub. 15. num. 112. Imò illum portare non sunt permittendi, quia hoc cederet in dedecus Religionis. Suarez 4. tom. de Relig. tractat. 8. lib. 3. cap. 6. num. 14. Quoad officium Diuinum recitandum, vt diximus cap. 12. num. 7. tenentur isti expulsi, si sint in Sacris constituti, secus verò si solum sint professi, etiam Choro destinati. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 6. num. 12.

18 Sic eiecti, quamdiu in sæculo steterint, non possunt confessiones audire, nec prædicare, nec docere. Propter priuilegium Innoc. IV. quod refert Casarub. verb. Eycere num. 1. quo vt possunt tam Fratres Minores, quam qui eorum priuilegia participant. Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 30. art. 21. Miranda tom. 1. Manual. quest. 52. art. 5. Vnde inferunt aliqui sic Eiectos quamdiu in sæculo vixerint, esse infames, intelligo infamia facti. Rodriguez vt supra. Laurentius de Peirinis tom. 1. de Subdito quest. 1. de obedient. cap. 25. §. 1. Ex hoc etiam inferri potest esse irregulares, cum infames omnes irregulares etiam sint. Ad minus tamen manent suspensi perpetuo ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi, vt vidimus sup. num. 8. ex Decr. S. Congreg.

19 Nec illis tenetur religio de alimentis prouidere. Quia illa solum debent præstari his, qui sub regulati disciplina sunt constituti. Azor. lib. 12. Iustit. moral. c. 16. Alderete lib. 2. de Religio. discipl. c. 26. num. 27.

20 Dandæ autem sunt illis litteræ dimissoriæ, quæ eiectionis sententiam contineant, qua etiam id locorum Ordinarijs denunciatur. Alderete lib. 2. de discipl. Relig. cap. 26. num. 23. Addens monendos esse, nullo modo à Votis esse solutos, neque in illis dispensatos. Quod quidem conueniens reputo, sed non necessarium. Quia illud ipsi scire tenentur, nisi forsitan idiotæ sint, aut ignorantes, vt puta Conuersi. Non tamen sunt illis concedendæ litteræ testimoniales, quibus ad Sedem Apostolicam reijciantur, aut ad aliam Religionem mittantur. Ex Decreto Sacr. Congreg. adducto sup. num. 8.

## SVMMARIUM CAP. XXIV.

- Nouitij qui appellantur. num. 1.  
 Ad que teneantur tempore nouitiatus. n. 2.  
 Possunt recedere à Religione. n. 3.  
 An tunc teneantur soluere expensas. ibid.  
 Gaudent priuilegio fori Canonis, & exemptionis à gabel-  
 lis. num. 4.  
 In quibus possunt dispensari à prælatis Religionis. n. 5.  
 An possint ad ordines sacros promoueri. n. 6.  
 Quibus priuilegijs gaudeant quoad confessionem. n. 7.  
 An possint absolui à casibus, & censuris reseruatis. nu-  
 mero 8.  
 Attendenda sunt verba priuilegiorum. n. 9.  
 Ab irregularitatibus an possint dispensari. n. 10.  
 Episcopi non possunt admitti ad Religionem absque Pape  
 licentia. n. 11.  
 Que informationes, & de quibus faciendæ sint pro nouitijs.  
 num. 12.  
 Qualiter moderata ea sint à Pontificibus. ibidem. & nu-  
 mero 13.  
 Que alia priuilegia concessa sint Religionibus. n. 14.

Summa Lezana Tom. I.

- Que obseruanda post constitutionem Clementis. n. 15.  
 Criminosi non debent admitti ad Religionem. n. 16.  
 An post professionem ad missam si talia criminem interro-  
 gari cessasset possint expelli. ibid.  
 Obligati seu grauati debitis, & ratiocinijs non possunt licite  
 intrare Religionem. n. 17.  
 Furiosi aut mente capti non possunt admitti. n. 18.  
 Nec coniugati post Matrimonium consummatum nisi, & c.  
 num. 19.  
 Nec serui, vel qui non sunt sui iuris. n. 20.  
 An etiam illegitimi. n. 21.  
 An nouitiatus possit extra Monasterium haberi. nume-  
 ro 22.  
 Quid decreuerint Summi Pontifices Clemens VIII. &  
 Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. num.  
 23. & 24.  
 An descendentes ex genere infecto Hebræorum, vel Sara-  
 cenorum. n. 25.  
 An valida sit professio illorum qui aliquem defectum cela-  
 uerunt. n. 26.  
 Licitum est, & meritorium se ad Religionis ingressum obli-  
 gare, voto, vel iuramento. n. 27.  
 Qui impedit vi, vel fraude quod aliquis fiat Religiosus ad  
 quid teneatur. n. 28.  
 Inducere aliquem ad Religionem modo debito, Sanctum  
 & laudabile. num. 29.  
 Quando receptio alicuius in Religiosum est simoniaca. nu-  
 mero 30.  
 Quam poenam incurrant recipientes nouitios simoniace.  
 num. 31.  
 Prohibitio concilij circa donationes nouitiorum. n. 32.  
 Qualiter de bonis suis disponere possint. n. 33.  
 Decisio concilij quomodo intelligenda. n. 34.  
 Possunt nihilominus facere testamentum seu contractus re-  
 uocabiles. n. 35.  
 Donationes quando sortiuntur suum effectum. n. 36.  
 Quarum dignitatum capaces sint nouitij. n. 37.  
 Ad que debita contracta à nouitijs teneantur Monasterium  
 num. 38.  
 De bonis nouitiorum personis incertis debitis priuilegium  
 Carmelitarum. n. 39.  
 An propter parentes vel consanguineos succurrendos relin-  
 quenda sit Religio. n. 40.  
 Nouitij professio an debeat differri. n. 41.  
 Nouitij in articulo mortis an possint profiteri. n. 42.  
 Decreta pro eorum institutione. n. 43.  
 Nouitij ex varijs nationibus recipiendi vt ad propagandā  
 fidem mitti possint. n. 44.

De Nouitijs, eorumque obligatio-  
nibus, & priuilegijs.  
Cap. XXIV.

- 1 Nouitij in Religionibus appellantur illi, qui nondum professionem tacitam, vel expressam emiserunt, sed sunt in Religione per aliquod tempus, quod vocatur approbationis, vt experimento cognoscant austeritatem regulæ, & Religionis, quam volunt profiteri, & videant si velint an non, professionem emittere. Ad quos tamen pertineat illos ad Religionem admittere, diximus supra cap. 18. num. 66. Non est tamen aliqua ætas iure naturali, diuino, aut Ecclesiastico pro admittendis ad religionem determinata, ac proinde in quacumq; ætate videtur posse recipi Nouitium Suarez 3. to. de Relig. lib. 5. c. 1. nisi obster peculiare statutum religionis.
- 2 Non tenentur nouitij tempore Nouitiatus præceptis communibus Regulæ Constitutionum, & Superiorum religionis. Quia pro illo tempore non sunt partes Communitatis religiois, neque in Religiosorum Sodalitium admiffi, sed tantum versantur in probatione ad experiendum, an velint, vel non, professionem emittere. Cordub. lib. 1. quest. 3. in 5. prob. primæ opinionis. Henricus lib. 7. de Ind. cap. 22. num. 7. & lib. 6. de penitent. cap. 16. num. 3. Ex graui tamen decentia ad prædicta omnia obligantur, et quod etiam pro tempore Nouitiatus sunt aliquo modo subiecti

- religioni. & participant de bonis spiritualibus ipsius. Quidā apud Azor. lib. 12. *Instit. moral. c. 2. questione decima*. Insuper quantum ad ea, quae specialiter spectant ad bonum regimen, & finem probationis ipsorum Nouitiorum, tenentur in conscientia obedire Superioribus Religionum. Ratio est, quia quoad ista habent praedicti Superiores potestatem, & Iurisdictionem supra Nouitios, licet non sit tanta quanta supra professos. Sanch. lib. 6. in *Decalog. cap. 10. num. 22*. Addens etiam num. 17. Possent praedictos superiores precipere aliquid nouitijs etiam sub poena excommunicationis. Quod tamen non nisi raro admitterem, aut consulerem.
- 3 Possunt Nouitij, si volunt, ab instituto Regulari incepto retrocedere, & ad saeculum redire. Quia ad hunc finem institutum est tempus Nouitiatus. Quo casu non tenentur soluere expensas, quas in suis alimentis Monasteria fecerunt, etiam si ministeria ipsorum Nouitiorum in Religione aequivalentia non sint praedictis expensis. Tum quia alias non esset libera professio, saltem in multis, qui saepius detinerentur ab egressu, ne soluerent tales expensas. Tum etiam, quia religio liberè etiam & spontaneè facit illas, ut supponimus. Rodriguez tom. 3. q. regular. q. 15. art. vltim. Azor. lib. 12. *Instit. Moral. cap. 3. q. 6*. Si tamen quis praua intentione, & animo decipiendi Religionem in illam intraret, & postea recederet, crederem teneri ad expensas dictas. Eò quòd æquum non est, ut aliquis reportet commodum ex fraude, & malitia sua. Indicat hoc Sanchez lib. 6. in *Decalog. cap. 10. num. 3*. Addens etiam num. 5. Quòd quando pactum est factum inter Conuentum, & Nouitios, quòd Nouitij soluunt praedictas expensas, tunc siue perseuerent, siue non, debent illas soluere. Vide Suarez 3. tom. de relig. lib. 5. c. 11. [Et declarationem Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium 2. Martij 1635. in qua decreuit consanguineos cuiusdam iuuenis, qui è Religione ante professionem exierat, soluere debere Monasterio expensas ab ipso factas.]
- 4 Gaudent Nouitij priuilegio fori, ita ut conueniri non possint pro vilo delicto coram Iudice seculari. Quia sunt aliquo modo sub potestate, & Iurisdictione Ecclesiastica religionis; gaudentque Canonis priuilegio, ita ut illos percutiens innodetur excommunicatione, ac si percussisset Clericum, iuxta cap. religiosus, de sentent. excommunic. in 6. Ludouicus Lopez 1. par. *Instruct. conscient. c. 47*. Azor. lib. 12. *Instit. Moral. cap. 2. q. 11*. Vnde Nouitij in religione delinquentes, à Superiori puniri debent, quia sunt sub illius potestate. Nauarrus cons. 5. de for. compet. Alderete lib. 1. de relig. discipl. cap. 7. num. 33. Nec possunt conueniri coram Iudice Ecclesiastico, aut ab eo puniri, sed solum à praelatis suae religionis. Propter eandem rationem. Molina tom. 1. de instit. disp. 139. & 10. 2. disp. 671. num. 2. Sanchez lib. 6. in *Decal. cap. 10. num. 11*. An verò possint puniri à Iudice seculari quando ingressi sunt Religionem in fraudem, vel postquam sint egressi propter delictum commissum tempore Nouitiatus. Tract. Diana tract. 1. de Immunitate Ecclesiast. resolut. 33. & 34. Insuper, propter eandem rationem, eximuntur ex vi Nouitiatus à solutione Gabellarum. Molina ut sup. Sanch. ut sup. num. 16. Diana tract. de immunitate Ecclesiast. resolut. 37.
- 5 Cum Nouitijs possunt dispensare praelati Religionum exemptarum pro tempore Nouitiatus, non solum circa obseruantias regulares earundem religionum, sed etiam circa obseruantiam praceptorum Ecclesiae, v. gr. ieiunij, auditionis Missae, &c. Ratio est, quia etiam pro illo tempore Nouitiatus gaudent priuilegio exemptionis, & quoad spiritualia sunt sub cura praelatorum religionis, sicut essent sub Episcopis, si manerent in saeculo. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 14. num. 8.
- 6 Possunt etiam nouitij, quantum est ex vi iuris communis ad Ordines Sacros promoueri, etiam durante nouitiatu. Quia nullus est Textus hoc prohibens, neque cap. Monasterijs 19. q. 3. quod aliqui afferunt, probat aliquid in contrarium: solum enim ibi prohibetur nouitijs portare habitum, & tonsuram professorum. Suarez 10. 5. in 3. part. disp. 50. sect. 5. num. 13. Sanch. lib. 6. in *Decal. cap. 10. num. 19*. Imò probabile est posse regulares praelatos dare dimissorias nouitijs ut ad Sacros Ordines promoueri possint ab Episcopis. Quia nouitij tempore nouitiatus manent sub pote-

state, & iurisdictione religionis. Diana tract. 2. de dubijs regular. resolut. 7. post alios, quos refert. Ordinandi autem sunt nouitij ab Episcopi Diocesis ipsorum nouitiorum. Henriquez lib. 10. de Sacram. Ordinis, & 14. de irregul. Suar. 10. 2. de relig. tract. de Voto c. 11. num. 9. Probabile etiam est posse etiam ordinarì ab Episcopo in cuius Diocesi est nouitiatus, quando nouitij habent firmum propositum permanendi in religione. Quia isti tales iam quasi mutarunt domicilium, & volunt esse in domicilio religionis, vel nouitiatus. Sanchez lib. 6. in *Decalog. cap. 10. num. 21. & 22*. Naldus verb. Ordo. num. 10. Vide dicta cap. 14. praesertim num. 10. 12. & 13. & maxime num. 20. circa decretum Conc. Trid. de non ordinandis, qui non habuerint beneficium Ecclesiasticum, &c.

- 7 Nouitij possunt uti priuilegio Bullae Cruciatæ, eligendo scilicet sibi Confessorem, qui eos absoluat à casibus referuatis, non obstante quòd professi non possint uti hoc, vel similibus priuilegijs, & indultis, iuxta dicta supra c. 19. n. 29. Ratio est, quia verba Bullae cum sint generalia etiam comprehendunt nouitios, nec specialis ratio, propter quam professi excluduntur, procedit in illis, cum non sint simpliciter veri religiosi, nec simpliciter subiecti religioni. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. num. 10. Nihilominus probabilius est non posse confiteri inuito praelato religionis alicui Confessori habenti tantum approbationem ab Episcopo. Maxime quoad casus referuatos à superioribus religionis ubi sunt nouitij. Quia per nouitiatum censetur mutasse territorium, & domicilium, & esse sub iurisdictione religionis. Cordub. lib. 1. q. 30. Suar. 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 17. à num. 14. Licet alij probabiliter oppositum teneant. Miranda in *Manual. to. 2. q. 34. art. 16*. Diana tract. de dub. regul. resolut. 4.

- 8 Possunt etiam nouitij quatuordecim religionum absolui à praelatis suae religionis à censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, à iure, vel ab homine, saltem generaliter promulgatis. Propter multa priuilegia aliquibus religionibus concessa, quibus frui possunt tam ipsae, quam aliae, quae cum ipsis communicant in priuilegijs, specialiter Clem. IV. pro Minoribus, ut refert Casarub. in *Compend. verb. Absolut. Ora. quoad Fratres. num. 4*. Referens etiam ibidem idem ad litteram haberi in Mari magno praedicatorum. Sed pro hoc intento vide Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 24. à num. 5. Vbi priuilegia circa hoc adducit, & Laurentium de Peirin. to. 1. priuileg. Min. in *Const. 2. Iulij 11. §. 9*. explicantem priuilegium eiusdem Iulij 2. quoad hoc. Alia etiam afferri solent, sed ea omitto, quia sunt vix à vocis oracula, quae nihil iam valent. Extat tamen priuilegium Sixti I V. in Bulla *Dum attenda*. Carmelitis concessum, in quo conceditur Generali, & Prouincialibus pro nouitijs volentibus aggregari religioni, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententijs à iure, vel à Iudice promulgatis generaliter sunt ligati, ut absolutionis beneficium, obseruata forma Canonica, possint impartiri. Adiungit etiam. Ipsosque in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum Habitum, & professionem emissam recoluerint se talibus in saeculo fuisse sententijs innodatos, secundum formam ipsam, vos Generalis Magister, & Prouinciales, Priores, ac vices vestras gerentes valeatis absolueres, & cum irregularibus dispensare: si forsan talibus innodati sententijs, vel in locis interdicto suppositis Diuina presumpserint Officia celebrare, vel Ordines receperint. Ita tamen, quod si aliqui, ex eisdem sententijs, propter debitum sunt adstricti, satisfaciant, ut tenentur. Volumus autem nihilominus quod postquam fuerint absolui huiusmodi volentes aggregari praedictae Religioni, nisi mox Ordinem vestrum intrauerint, quacumque etiam eiusdem Ordinis praelatorum licentia non obstante, eo ipso in pristinas sententias, à quibus eos totaliter absolui contigerit, relabantur Specul. Ordin. fol. 86. Ibidem etiam in verbis antecedentibus conceditur ab eodem Pontifice Generali, & Prouincialibus, ut suis Fratribus. Vnde cumque absolutione, & dispensatione indigentibus: siue priusquam intrauerint in Ordinem, siue post, in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrant sententias à iure, vel iudice generaliter promulgatas, & huiusmodi sententijs innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto Diuina Officia celebrantes, vel suscipien-

res Ordines sic ligati, notam irregularitatis incurrant, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri: nisi in casibus in præsentibus litteris exceptis. Casus autem isti excepti sunt, quos refert idem Pontifex inferius verbis adductis à nobis in c. 18. de prælatis num. 33.

9 Attendenda verò sunt verba priuilegiarum, propter quæ nouitij absoluantur, vel dispensantur. Alia enim volunt, quod si nouitij post absolutionem datam non ingrediantur Religionem, vel in ea non profiteantur, reincidant in priores censuras, alia verò absolute loquuntur. Aliqua loquuntur de nouitijs, qui iam habitum susceperunt; alia verò de illis, qui illum volunt recipere. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 24. à num. 5. Peirinis to. 1. priuileg. Minus in Constit. 2. Jul. II. [Pro quibus generaliter loquendo iuxta ea quæ dico tom. 4. verbo Nouitij, & Nouitiæ Religionum num. 76. notandum quod priuilegia, quæ absolute, & sine aliqua limitatione aut conditione concedunt, aliquam gratiam Nouitijs quoad absolutionem, dispensationem, vel aliquid huiusmodi, etiam si postea à Religione recedant, censeri debere habuisse suum effectum: absolutiones enim, dispensationes &c. purè & simpliciter datæ non debent centeri concessæ solùm sub conditione aliqua de futuro nisi in casibus à iure expressis, vel quando in ipsis facultatibus id exprimitur. De quo latè Bartholomæus de Vecchijs in præsentibus Nouitijs disp. 9. dub. 25. & Tamburinus de iure Abbat. tom. 3. disp. 6. quæsit. 27. à num. 18. Ex Bonacina, Suarez, & alijs.]

10 Ab irregularitatibus etiam à Nouitijs contractis in seculo possunt dispensari à prælatis dictarum Religionum, propter aliqua ex prædictis priuilegijs. præsertim propter illud Clement. I V. pro Fratribus Minoribus Iulij II. pro Minoribus, & Sixti IV. pro Carmelitis, illis verbis iam adductis: & cum irregularibus dispensare; si forsitan talibus innotuit sententijs, vel in locis interdicto suppositis, Diuina præsumperint Officia celebrare, vel Ordines receperint. Speculum Ordinis fol. 86. Item ibidem in verbis etiam adductis. Et huiusmodi sententijs innotuit, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto Diuina Officia celebrantes, &c. notam irregularitatis incurrant. Vide etiam Bullam Iulij Secundi adductam in Peirinis.

11 Non possunt admitti ad Religionem Episcopi, aut in Episcopali dignitate constituti absque expressa licentia Papæ. Tunc quia ita expressè definiuit Innocen. Tertius in cap. Nisi cum priore, de renunciatione. Tunc quia status Episcoporum altior est statu religiosorum, & ita ab illo ad istum non est transitus sine dispensatione Summi Pontificis. Nau. li. 1. Conf. conf. 1. & 4. de renunciatione. Miran. in Man. tom. 1. q. 17. art. 3. Barbosa de potest. Episcop. alleg. 53. num. 23. vel saltem renunciatione Episcopatus. Suarez 3. tomo de Relig. lib. 1. cap. 19. à num. 13. Prælati autem Episcopo inferiores ad Religionem possunt admitti propter oppositam rationem. S. Thomas 2. 2. q. vlt. art. 7. Syluest. verb. Relig. 2. quæst. 8. Suarez 3. tomo de Relig. lib. 5. cap. 4. num. 14.

12 Maximè autem sciendum est, iuuenes, aut viros adultos maiores sexdecim annis, non aliter aliquam Religionem recipi posse, nec debere, nisi priùs de eorum parentibus, Patria, deque antea vita, & moribus, diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione, compertum, & exploratum sit eos, nec aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora, reos, vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne dampnentur formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxios, vt ex huiusmodi casualis, vel molestia, eis iam illata, vel timendum sit, quod inferatur, nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis, & pietatis seruire vitam religiosam spontè, & ex animo elegisse. Ita Sixtus V. in Constit. incipiente Cum de omnibus Ecclesiasticis Ordinibus, sub datis ann. 1587. sexto Calend. Decembr. Pontificatus sui anno 7. Voluit autem idem Pontifex, vt istorum receptio, & admissio solùm fieret in Generali, vel Prouinciali Capitulo, indubitata fide facta, tam superioris Generalis, seu Prouincialis, quam Definitorum consensu, de prædictis omnibus. Postea verò idem Sixtus Quintus in alia Constitutione, Ad Romanum Pontificem, Romæ duodecimo Ca-

lendas Nouembris 1588. moderans prædicta, subiungit. Cum verò in quibusdam Religionibus Capitula Prouincialia, aut nunquam, aut non quotannis, sed rariùs celebrentur, quædam etiam Monasteria, aut domus huiusmodi remotissimis regionibus hæreticorum, aut infidelium tyrannidi finitimis sita sint, ne ij, quos extra Capitula ad habitum, vel professionem Regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diù expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur, concedimus, & indulgemus; vt in qualibet Prouincia, saltem duo, vel si commodè fieri poterit tria, aut plura Monasteria, seu domus Regulares deputentur, quarum, seu quorum Superiores infra annum saltem ad inquisitionem super Nouitijs faciendam, & ad ipsos Religiosos iuxta formam præfate Constitutionis recipiendos, & ad alia, quæ in ipsa Constitutione continentur peragenda in simul congregentur. Quod si paucitas, aut nimia distantia Monasteriorum, ne id quidem patiarur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij, aut domus eius prouinciæ, huiusmodi facultas, & auctoritas per Capitulum Generale, scilicet, Monachorum, vel Prouinciale Mendicantium, & reliquorum Regularium eiusdem Ordinis demandetur. Pro exteris autem, qui in locis à sua patria longissimè remotis degunt, vel quorum patria ab hæreticis, vel infidelibus detinetur, si velint religionem intrare, concessit idem Pontifex exteros huiusmodi aduenas, quamuis non liquido constet de ijs omnibus, quæ in Constitutione nostra requiruntur, tamen si diligentia adhibita, nihil appareat, quod impediatur habiles reputandos esse. Vide Bullam apud Quarantam in Summ. Bull. verb. Monasteria, & Conuentus, &c. Suarez 3. tomo de Relig. lib. 5. c. 10.

13 Postea verò Gregorius XIV. in Bulla Circumspecta Romani. ann. 1590. apud eundem Quarantam ubi supra, aliam moderationem adhibuit prædictis Constitutionibus Sixti V. pro illis Monasterijs, in quibus perpetua filiatio Religiosorum reperitur, videlicet, quod Superiores illorum Monasteriorum de consensu sui Capituli, præhabita simul cum his, de quibus in vnaquaque Religione, aut Monasterio iuxta eius Constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione, super his, quæ in dictis Constitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad professionem admittantur, plenaria, & eo modo, prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quæ postea ab his, à quibus in prædictis Monasterijs examinari solent, diligenter examinetur, & approbetur, & demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes quòd superiores prædicti cum eorum capitulo, aut vbi consuetudo non fuerit celebrandi capitula, cum tribus, aut quatuor ad id in Generali Congregatione per vota secreta deputatis, seruatim eorum Regularibus Institutis, ac supradictis omnibus, eandem in recipiendis Nouitijs habeant auctoritatem, quæ per dictas Constitutiones Prouincialibus capitulis est attributa.

14 Post quæ aliqua priuilegia concessa sunt aliquibus Religionibus, (quibus tam ipsæ, quam quæ ipsorum priuilegia fruuntur, vt possunt) circa formam signatam à Sixto V. in prædictis Constitutionibus ad recipiendum Nouitios ad habitum, & professionem. Primò enim Clemens Octauus per suam Constitutionem, quæ incipit In his quæ, anno 1597. concessit Dominicanis Conuentus S. Stephani Salmaticensis, vt quoscumque iuuenes, etiam decimum sextum ætatis suæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento, quod criminosis, rationibus, vt præfertur obligati, furti, latrocinio, aut homicidio notati, aut alijs impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis, detenti non sint, recipere, ac postea per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum ad inuestigationem antea actæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmissorum, absque strepitu iudiciali, sed per scrutinium secretum procedi facere, qui ad hoc deputatus processum, & informationem captam, dictis Priori, seu præfati, ac sub priori, ac Magistro Nouitiorum, & Studentium, à quibus approbari, & reprobari possit, referre fideliter debeat, liberè, & licitè possunt, valeant. Secundo idem Clemens Octauus per suam Constitutionem Assidua, ferè simile priuilegium concessit Clericis Ministrantibus Infirmitatis anno 1594. Tertio etiam Paul. V. anno 1612.

no 1612. concessit Fratribus Seruitis domus Montis Senarij, quod tres ex antiquioribus à Capitulo Conuentuali eiusdem domus deputati possint, qui eam tem habeant facultatem in admittendis Nouitijs, quam habent Capitula Generalia, & Prouincialia. 3. tom. Bullar. inter Bullas Pauli V. num. 76. Miranda tom. primo quest. 21. art. 1. Laurentius de Peirinis tom. 2. priuilegiarum Minorum in Constit. 2. Sixti Quinti. Cautè tamen procede, & attende vim, & uerba priuilegiarum.

15 Est etiam aduertendum, quod licet Sixtus Quintus in prædicta sua Constitutione, illos, qui non seruatis dictis conditionibus, ad habitum recepti fuerint, inhabiles ad professionem faciendam, ipsamque professionem irritam, & nullam declarauerit, postea uero Clemens Octauus anno 1602. Constitutionem illam ad terminos iuris communis reduxit, quoad prædictam nullitatem professionis, saluis semper pœnis contra transgressores inflictis. Quas sic intimauit Sixtus Quintus. *Insuper quoscumque Religiosos, eorumque Superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles, post hanc Constitutionem publicatam receperint, uoce actiua, & passiua, necnon Officijs, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscumque per eos obtentis, eo ipso in perpetuum priuamus, & tam illis priuatos, quam ad illa, & alia quaecumque in posterum obtinenda perpetuò inhabiles, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.* Quaranta uerb. *Monasteria, & Conuentus.* Miranda in *Man. Pralat. tom. 1. qu. 17. art. 3. & 8.* Suarez 3. tom. de *Relig. lib. 5. cap. 7.* Imò aliqui uolunt Prælati recipientes sine dicta informatione Nouitios non incurrere dictas pœnas, si sic recepti careant dictis defectibus, quia uolunt, quod Bulla solum liget Prælatos recipientes nouitios ligatos à parte rei talibus impedimentis. Portellus in *dub. Regular. uerbo Nouitij informationis num. 6.* Diana *Tract. 2. de dub. regular. res. 83.*

16 Criminosi non debent, aut possunt admitti ad Religiones iuxta dicta ex Sixto V. supra num. 12. Quod intellige iuxta moderationem ipsius Sixti in secunda Constitutione ibidem relata, cum constituerit actis publicis Iudices, & euriam seculari ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersus eos accusationem suscepisse, uel inquisitionem instituisse. Et quamuis illos inhabiles ad professionem esse uoluerit idem Pontifex; postea uero Clem. VIII. ut etiam uidimus num. 15. habiles ipsos fecit, saluis tamen pœnis contra recipientes ipsos à Sixto designatis, & ab eodem Clemente confirmatis. Si autem contiterit post professionem emissam illos in sæculo grauissimis, & scandalosis criminibus notatos, & diffamatos fuisse, illaque interrogatos tacuisse, possunt expelli à Religione, iuxta priuilegium Leonis X. per suam Constitut. quæ incipit, *Cum sicut nobis, in qua concessit Generalibus, & Prouincialibus Ordinis Fratrum Minorum, & per consequens alijs, qui communicant in priuilegijs cum ipsis, ut fratres eiusdem Ordinis, etiam professos, qui grauissimis, & scandalosis delictis notati, & diffamati fuerint, quæ fraudulenter, ac dolose in eorum receptione ac professionis emissionem (monitione super his per prædictos Prælatos præmissa) tacerunt, non obstante quod iam recepti sint, & professionem emisserint, ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrumpat, & ut alijs cedat in exemplum, à domibus, & Conuentibus dicti Ordinis, expellere, & remouere, liberè, & licitè possint, & ualeant, &c.* Laurentius de Peirinis tom. 1. de *subdito qu. 1. de Obdientia cap. 25. §. 3.* Imò ad hoc ut prælati criminosi possint à Religione expelli non est necesse, quod eorum delicta sint deducta per accusationem in iudicium, ut uolebat Sixtus; sed sufficit quod de illis fuerint diffamati, & notati Rodriguez tom. 3. quest. *Regul. quest. 17. art. 9.* Peirinis ut supra, aliqua etiam notatu digna circa hoc animaduertens. Vide dicenda num. 25. & Suarez 3. tom. de *Relig. lib. 5. cap. 7.* [Ex dictis autem resoluì potest casus, quem tractat Portellus in *responson. moral. tom. 2. casu 89.* de quodam homicida, qui in quadam Religione professus est, an scilicet professio ipsius ualida fuerit, & idem dicendum de similibus criminosis. Dico enim talis professionem ualidam fuisse, siquidem fuit facta post Constitutionem Clementis VIII. de qua supra numer. 15. & in qua modelando Constitutionem Sixti V. eam reduxit ad terminos iuris communis; conitat autem quod iure communi talis professio ualida fuerit. Portellus *supr.* Potuit

tamen Religio si gaudet priuilegio Leonis X. de quo supra num. 16. iuxta ipsius formam cum ipso procedere. An uero iuxta priuilegia Religionum dispensari poterit talis homicida, consule dicta *supr. c. 18. n. 4. & seqq. & dicenda 3. to. v. Irregularitas n. 69. & 72. & uerb. Abortus n. 14. & 4. to. uer. Prælati Regularis n. 14.* cum alijs locis ibi citatis.]

17 Obligatos, seu grauatos debitis, & ratiocinijs, non possunt licitè saltem, Religionem intrare, aut in ipsa profiteri, non solum propter Constitutionem Sixti V. adductam, & moderationem Clement. VIII. allatam, sed etiam ratione naturali constat, in casu, quo in sæculo manentes facillè possent suis creditoribus satisfacere. Nam per talem ingressum, aut professionem iniuria fit illis, quibus sunt obligati. Syluester *uerb. Ratiocinium.* Nau. *conf. 2. de regular. num. 7.* Quando autem debita sunt incerti domini, aut debitor neque in toto, neque in parte potest satisfacere, nec speratur posse, manendo in sæculo, tunc credo posse etiam licitè intrare Religionem, & in ea profiteri. Quia tunc nulla fit iniuria alicui per talem ingressum, aut professionem. Miranda in *Man. tom. 1. q. 17. art. 7.* Vide plura à hoc in Sanchez *lib. 4. in Decal. c. 19.* Vbi latè an istorum professio iure communi, aut naturali sit ualida. Vide etiam Suarez *to. 3. de Relig. lib. 5. c. 7. Dia. u. 2. de dub. regular. r. fol. 41.* Qui etiam benè addit quod si post ingressum Religionis hæreditate legato aut donatione religioso aliquid adquiretur, tenetur Monasterium illius debita soluere, [Pro quorum maiori luce nota primò eum qui non potest soluere debita, sed sperat quod manens in sæculo, easit soluturus breui tempore, non posse licitè intrare Religionem, debitis non solutis. Secus est si solum speret ost longum tempus soluturum debita. Ratio primè partitèst; quia cum solutio debitorum sit de iure nature præcota, præferri debet operibus consilij, quale est ingredi Religionem, præsertim cum nefas sit lucrum spirituale proprium cum detrimento tertij querere. Quod autem hoc non sit intelligendum quando debitum post longum tempus speratur soluendum, sed quando breui tempore, quæ est secunda pars adducta, ex eo probatur non solum quia persona debitoris non est ita pro debitis adstricta, ut ipsamet debita sit, & quasi captiua instar seruorum creditorum; sed etiam quia quando se obligauit ad debita illa soluenda, neque explicitè neque implicitè se obligauit ad subeundum tale, & tantum detrimentum quale est reddere se impossibilem, pro multum tempus ad procurandum statum tam uilem pro securitate suæ salutis, quale est status Religiosus. De quo Ludouicus Lopez in *Instruct. par. 1. cap. 29.* Azor. *to. 1. instr. Moral. lib. 12. cap. 1. quest. 5.* Diana *to. 2. tract. 2. de dub. regularib. resolut. 41.* Lugo *tom. 1. de Instu. & iur. disputat. 21. sect. 6.* post alios. Hoc autem breue tempus putat esse biennium Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 19. num. 8.* quem sequitur Lugo *supr.* Secundo nota, quod si talis grauatus debitis Religionem profiteatur licet Religio non teneatur soluere illa ex bonis proprijs; quia iuxta dicta *supr. cap. 2. n. 18.* Monasterium non tenetur ad debita Religiosi, nisi ex licentia ipsius contracta fuerint, aut ipsi uilia, cæterum tenetur illa soluere non solum ex ijs quæ Religiosus secum detulit ad Religionem, sed ex ijs quoque, quæ quouis modo Religioni obuenerint ratione talis Religiosi, scilicet, hæreditate, legato, aut donatione, ut dictum est ex Diana, quem sequitur Lugo *supr. n. 79.* post Sanchez, & alios. Adeo præfatum Religiosum in Religione existentem labore aut alio modo honesto & conformi statui suæ Religionis teneri procurare solutionem illorum debitorum, cum status Religiosus non aliter excuset à soluendis debitis, nisi quatenus impedit modum soluendi illa indecentem tali statui. Lugo *supr. n. 81.* Addens etiam cum Sanchez *n. 14.* Prælatum non teneri ad dandam licentiam ad sic laborandum, cum Prælati nihil debeat creditoribus, & aliundè ratione professionis Religiosæ ius habeat ad gubernandum subditum, & imponendum illi opera, & occupationes, quas uoluerit.]

18 Furiosi, aut mentecapi non possunt admitti ad Religionem, aut in illa ualidè profiteri. Cum non habeant sufficientem libertatem, aut dilectum ad uouendum. Syluester *uerb. Religio 5. quest. 2.* Unde si aliquis sui compos Religionem ingressus est, & postea incidit in dementiam, aut furorem, nec profiteri potest, propter adductam ratio-

rationem; nec tale tempus connumerari potest pro Nouitiu; cum in illo non potuerit experiri rigorem religionis, quod est finis Nouitiatus. Sylu. vt supra. Phrænesi autem tempore morbi superueniens, etiam si per aliquos dies dureret, non impedit cursum Nouitiatus. Hæc enim est praxis religionum. Sanchez lib. 5. in Decal. cap. 4. num. 55. Vide dicta cap. 2. num. 24.

- 19 Coniugati post matrimonium consummatum, non possunt admitti ad religionem, nisi alter coniux etiam Religionem ingressus fuerit, vel licentiam dederit ingrediendi. Propter indissolubilitatem matrimonij consummati. Miranda in *Manual. quest. 17. art. 1.* Sed quando vnus coniux potest facere perpetuum diuortium, potest propria auctoritate religionem ingredi, & in ea profiteri, iuxta dicta cap. 2. n. 31. Quid autem dicendum si ille qui potest facere diuortium perpetuum veller in sæculo manere, & sacris Ordinibus insigniri. Vide Gutierrez in *questionibus Canonis.*
- 20 Serui etiam, & qui non sunt iuris, nisi de licentia dominorum ad Religionem non possunt admitti. Quia seruus non est sui, sed sui domini, atque ita non potest dare se religioni, prout fit in professione. Syluester *verb. Religio. 2. q. 3.* Vnde si seruus Religionem aliquam ingressus reperatur à domino suo, etic illi restituendus cum omnibus, quæ attulit secum; propter eandem rationem. Syluester *ibidem.* Si verò contingat seruum professum esse in religione fraudulenter, vt puta, probando per falsos testes se esse liberum, licet domino suo sit reddendus, propter traditam rationem; verè tamen manebit religiosus, & Religioni obnoxius, quærum est ex parte sua: quia ipse se ad hoc astrinxit prout potuit. Sylu. *ibidem.* Miranda in *Manual. q. 17. art. 2.* Quando autem ex malicia, vel negligentia Religionis professus est, Monasterium satisfacere debet domino secundum boni viri estimationem. Miranda vt supra. Vide dicta cap. 2. num. 21.
- 21 Illegitimi non sunt incapaces Habitibus, & professionis regularis his temporibus, & quantum est ex vi iuris communis, & Decretorum Pontificum, si non obstant peculiæres Constitutiones religionum. Ratio est, quia licet Sixtus V. in prædicta Constitutione, Cum de omnibus, & c. prohibuerit prædictos illegitimos ad habitum, & professionem admitti, nisi certis quibusdam conditionibus possitis, eorumque professionem inualidam, irritam, & cassam declarauerit; postea tamen Gregor. X. ann. 1591. Pontificatus sui ann. 1. supradictam Constitutionem Sixti V. & aliã eiusdem etiam Sixti ad hoc intentum, moderati volens, statuit, eos, qui quouis modo illegitimè procreati fuerint, ad habitum, & professionem regularem admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ Constitutiones editæ non fuissent; ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocumque illegitimè natis ad habitum, & professionem Ordinum quorumcumque ageretur, ij ad quos spectat huiusmodi receptio, præter alia, de quibus ex dictarum Constitutionum præcepto circa quoscumque etiam legitimos perquirere debent, diligenter vitam eorum, & mores inquirant, & ita demum eos recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præferant, & tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorumque receptio religionis commodo, & vtilitati profutura videatur, & super hoc ipso ij, ad quos, vt dictum est, pertinet huiusmodi receptio matura deliberatione ita censuerint, & iudicauerint, dummodo tamen filius illegitimus in religione, in qua Pater siue ante, siue post Natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso Patre viuente, non admittatur. Ex quibus verbis inferitur, quoscumque illegitimos ad habitum, & professionem admitti validè posse, seruatis tamen istis conditionibus à Gregorio XIV. designatis. Rodrig. *to. 3. q. 8. art. 4. & 5.* An autem etiã licitè possint admitti tales illegitimi stando in vi istorum Decretorum Pontificum? videtur, quod non, quia Clemens Octauus in Bulla in *suprema Ecclesia*, anno 1602. edita, non est moderatus pœnas taxatas à Sixto V. contra prælatos admitrentes tales illegitimos ad habitum, & professionem, per quod declarasse videtur, illicitam esse talem admissionem. Licet possit dici hoc fecisse Clementem Octauum moderando Constitutiones Sixti V. non vero istam Gregor. XIV. Præterquam dici potest, hoc intelligi, si non seruentur conditiones

à Gregorio determinatæ. Hoc tamen aliorum iudicio remitto. [Bufones, histriones, carnifices, satellites, lenones, alijque similes non debent ad Religionem recipi. Quia sunt infames, vel quasi infames, & non decet Religionem similibus personis dedecorari. Panormitanus in c. Cum decorem de vit. & honestat. Cleric. num. 2. Tamburinus de iure Abbatum tom. 3. disp. 6. q. 3. num. 31. idem dicit num. 35. de illiteratis non recipiendis ad statum Clericorum, cum debeant saltem ea scientia pollere, quæ ad diuinum Officium rectè persoluendum requiritur. Ita ex Azorio, Gonzalez, & Garzia.]

- 22 Quamuis nullus Nouitijs admitti possit ad professionem, qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, iuxta doctrinam Concilij Trident. *sess. 25. cap. 15.* nihilominus aliqui volunt, iuxta dicta à nobis c. 2. num. 11. posse Nouitium extra Monasterium agere partem sui Nouitiatus. Pro quo vide Suarez *3. to. de Relig. 5. cap. 14. à num. 17.* Hoc verò solum intelligi posse videtur ex vi iuris communis, & extra Italiam, & Insulas adiacentes, propter Decretum Clementis Octauum modò adiungendum, vbi præcipit, quòd Nouitij ad habitum Regularem, & professionem non admittantur in Italia, & Insularum adiacentium finibus, nisi in Conuentibus designandis, quo videtur excludi sententia prædicta affirmantium aliquam partem Nouitiatus posse haberi extra Monasterium. Illa enim pars Nouitiatus non haberetur in Conuentu designato. Res tamen aliquantulum dubia est, præsertim si expendantur verba Decreti afferendi, quibus solum videtur prohiberi ne ad Habitum Regularem admittantur (intellige Superiores) nisi in Conuentibus assignandis, non verò prohiberi, quod post admissionem, aliqua causa rationabili vrgente, possit pars Nouitiatus extra prædictos Conuentus haberi. Vide Dianam *Tract. de dubijs. Regular. resolut. 84. & 89.*

- 23 Ex Decreto Clementis Octauum dat. Rom. die 12. Mart. 1596. quod postea etiam confirmauit Sacra Congregatio Concilij in Decreto de Regularibus Apostatis, & eiectionis, iussu Sanctissimi Domini Nostri Urbani, quod habetur 4. *toma Bull. inter Constitutiones Urbani num. 26.* sic præcipitur omnibus Generalibus Provincialibus, Commissarijs, Ministris, cæterisque superioribus Conuentuum intra Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium quibuscumque, & quorumcumque Ordinum Mendicantium, vt re cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum Regularem admittant, nisi in Conuentibus auctoritate Apostolica prope diem in vnaquaque provincia designandis. Insuper præcipitur, vt quoad eiusmodi Conuentus, vt præfertur, deputati non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Nouitiorum, siue ad habitum, siue ad professionem omninò abstineant. Pœnas verò contra transgressores sic decreuit idem Pontifex. Superior, qui huius Decreti transgressor extiterit ipso facto pœnam priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiue, & perpetuè inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, se nouerit incurrisse, ac alijs etiam pœnis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ex nunc decernimus, & declaramus. Priuilegijs, statutis, & consuetudinibus quibuscumque in contrarium minimè obstantibus. Deinde die 20. Mensis Iunij 1599. renouauit, & ampliauit idem Decretum idemmet Pontifex Clemens Octauus, præcipiendo eiusdem Superioribus ista: Ne sub cuiusuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per litteras in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad Habitum Regularem suscipiendum, nec etiam Conuersis, nisi in Conuentibus, Monasterijs, & Domibus auctoritate eiusdem Sanctissimi propediem in vnaquaque provincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere, vilo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctissimæ suæ receptos, etiam si imperfectum habitum, aut sine capputio gerant, post præsentis Decr. in Romana Curia publicationem, omninò eijscere debeant. Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiue, & perpetuè inhabilitatis ad in posterum obtinenda, eo



da, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & alijs etiam pœnis, arbitrio Sanctitatis suæ imponendis, subiaccere. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum ex nunc decernit, & declarat. Declarauit autem hoc Decreto non comprehendi certas quasdam religiones quas ibi expressit. Et insuper quod prædicta facultas per Congregationem reformationis Apostolicæ concedenda esset. Post quæ idem Pontifex die 19. Maij 1602. Volens, vt ea, quæ pro Nouitiorum receptione, & institutione, de mandato sanctitatis suæ præscripta fuerunt, in posterum accuratius, & exactius obseruentur, vltra formam tractatam in Constitutionibus sel. record. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis suæ super receptione Nouitiorum, decreuit, ac mandauit, ne in Conuentibus, seu Monasterijs ad Nouitios recipiendos, sanctitatis suæ, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia, hæctenus designatis; & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis Nouitijs ad Habitum recipi vllatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel à proprijs locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorum Diocesi Nouitiatus existunt, in quibus Nouitijs recipiendi fuerint, expressè, & nominatim Nouitijs ipsi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Postea verò Sacra Congregatio Concilij ex Decreto Sanctiss. Domini N. Urbani VIII. prout habetur in Decretis de regularibus Apostatus, & Electis. anno 1624. abtulit prædictam obligationem impositam à Clemente Octauo in Decreto adducto, quod scilicet Nouitijs recipiendi Habitum approbati prius essent expressè, & nominatim à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs, innouando tamen quoad reliqua prædicta Decreta Clementis Octauo, districtèque præcipiendo Prælati Religionum vt illa exactò obseruent, atque vt obseruentur efficiant, sub pœnis statutis in ipsidem Constitutionibus.

23. Quia verò, illis obitantijs, compertum postea est, multos in multis religionibus admissos esse ad professionem, non habito Nouitiatu in locis, & Conuentibus approbatis, contra prædicta Clementis Octauo Decreta, ac perindè talius professionem nullam, & irritam fuisse; ideo Sanctissimus Dominus Noster Urbanus Octauus huic malo prouidere cupiens, Motu proprio, & certa scientia, die XI. April. 1632. commisit, & mandauit Majori penitentiario, vel Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ceterisque Ordinarijs locorum, in quibus prædictorum Religiosorum Monasteria consistant, siue ipsorum Religiosorum perfectis, vel superioribus prædictis, quatenus omnes, & singulos religiosos prædictos, qui ad habitum Regularem alias canonicè recepti, annum probationis in Monasterijs, seu domibus regularibus ad id designatis minimè fecerunt, subindeque professionem nihil minus emisissent, ad professionem denuò, seruatis alijs seruandis emittendam, quæ sic emissæ, illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quàm exteriori suffragari debeat, absque nouo probationis anno, ex speciali Sanctæ Sedis benignitate, auctoritate Apostolico recipiant, & admittant, eisdemque, postquam professionem denuò, vt præfertur, emisissent, ad omnes gradus, honores, dignitates, præminentias, & habilitates, quas si ab initio validè professi essent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate restituant, ac restitutos eo ipso esse, & censeri declarent. Ita vt habeant eundem locum, sessionem, & votum, prout haberent, si professiones priores validæ fuissent, & nondum promoti ad omnes etiam Sacros, & presbyteratus Ordines, seruatis alijs seruandis, promoueri, & tam ipsi, quam alij ad eosdem Ordines, iam ritè promoti, in susceptis Ordinibus huiusmodi, etiam in Altatis Ministerio, ministrare liberè, & licitè valeant; necnon omnes actus, siue contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxissent, vel cum laicis, vel cum alijs Monasterijs, seu alterius religionis vitis, si nullam aliud paterentur vitium, vel defectum, nisi ex eo solum, quia initi, & contracti sunt inualidè, ab ijs, qui contra dictam Constitutionem in domibus non designatis, siue ab eadem Sede non approbatis, professi sunt, auctoritate prædicta confirmant, & approbant, ac validos omninò declarent, super quibus omnibus,

& singulis plenam, & amplam facultatem, dicta auctoritate concessit. Deinde Summus Pontifex præcipit Ordinum, Congregationum, & Institutum huiusmodi superioribus Generalibus, quocumque nomine censeantur, ac procuratoribus etiam Generalibus, quatenus visis præsentibus, loca, Monasteria, vel Conuentus, in quibus Nouitij probationis annum agant, & alia, quæ dictus Clemens prædecessor, super hac re obseruari iussit, obseruentur, designari, siue confirmari, omninò curent, & faciant. Ex vi cuius Decreti multi religiosi nouam fecerunt professionem, alij verò habitum dimiserunt. Quia verò ob prædicti decreti prætextum multi regulares ab Ordinarijs locorum habitus, & professionis relaxationem postulabant cautum est à Sacra Congregatione Regularium, & nomine ipsius per Eminentiss. Cardinalem Ginettum protectorem nostrum ad Archiepiscopum Sacerensem in Sardinia scriptum, quatenus in posterum à talium fratrum relaxatione ad seculum, vel habitum Clericalem desisteret, nec illam admitteret, nisi iuxta dispositionem Sacrorum Canonum Concilij Trident. & aliorum Decretorum Sedis Apostolicæ, imò quod eos quibus licentiam concessisset exeundi à religione ad eam reuocare quam primum curaret, ex quo videtur haberi non posse concedi licentiam religiosis exeundi à Religione, eo quòd professionem in locis non approbatis emisissent, sed intentionem sanctissimi eam esse vt iterum professionem emittant. Habeo apud me huiusmodi Eminentissimi Cardinalis Ginetti epistolam authenticè comprobatam. Vide & dicenda tom. 2. c. 8. num. 25. [Et nota declaratum esse à Sacra Congregatione ad instantiam nostri Reuerendiss. P. Generalis Theodori Stratij 15. Maij 1638. prædictum Breue SS. D. N. Urbani suffragari etiam illis qui post illud exierunt à Religione, & deinde ad illam reuerit denuò professionem expressam emisissent. Nota insuper Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium declarasse 7. Iulij 1634. ad instantiam Procuratoris Generalis Patrum Dominicanorum declarasse prædictos nulliter professos, de nouo profiteri volentes non egere ad id suffragium Gremialium Conuentum. Quod etiam declaratum fuit iterum ab eadem Sacra Congregatione de anno 1635.

25. Descendentes ex genere infecto Hebræorum, vel Sarracenorum, &cet. possunt de iure communi admitti in religionibus (quidquid sit de statutis particularibus Religionum.) Ex cap. eam te de rescriptio. & ex Constit. Gregor. XIII. quæ incipit Muneris nostri ann. 1583. Nauarrus lib. 3. consil. de Regul. cons. 26. num. 4. Rodriguez tom. 3. quest. Regular. quest. 11. art. 2. Vnde nullus professus potest (stando in iure communi) à Religione eijci præcisè, eò quòd descendat ex maculato genere Iudæorum, aut Mahumetanorum, quamuis de hoc interrogatus in professione celauerit, nisi forsitan præcesserit protestatio, de qua num. sequenti, propter ibi dicenda. Statuta verò particularium religionum attendi debent quoad hoc. Sanch. 7. de Matrim. disp. 37. q. 4. num. 30. & lib. 5. Decalog. c. 4. num. 73. Laurentius de Peirinis tom. 1. de Subdito quest. 1. de Obedientia cap. 25.

26. Cum Nouitij ante Professionem interrogantur an habeant aliquem defectum, v. gr. infirmitatem incurabilem, cum potestate, quod si postea inuenti fuerint illum habere, professio erit nulla, talis professio inualida est, si prædictum defectum celauerint. Ratio est, quia deficit illi professiones consensus ex parte Religionis requisitus. Rodriguez tom. 3. q. 17. art. 9. Sanchez lib. 5. in Decal. c. 4. num. 57. Vide dicta c. 2. num. 23.

27. Licitum est, & meritum Voto, aut etiam Iuramento, ad Religionis ingressum, seu professionem quempiam se obligare. Iuxta illud Psalm. 75. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Syll. verb. Relig. 2. q. 14. Hinc, qui tale Votum, vel iuramentum fecit tenetur illud adimplere iuxta illud Eccl. 5. Si quid vouisti Deo ne moreris reddere. S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. Caiet. & Expositores ibidem. Hinc etiam qui promisit absolutè in Religionem intrare si in vna, aut altera nolunt ipsum admittere, tenetur alias requirere, vt recipiatur. Tenetur enim facere totum id quod potest, vt votum impleat. S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. & 4. Syluest. ver. Relig. 2. q. 16. & 17. Qui verò promisit ingressum in determinatam Religionem, si in aliquibus Conuentibus ipsius non

non admittitur, non tenetur aliam intrare. Cum intentio ipsius solum fuerit pro illa Religione determinatè. Syluest. *vt supra Nauarr. lib. 3. conf. de Voto à conf. 21.* Videtur tamen necessarium quod in multis Conuentibus prædictæ Religionis procurer acceptari. Suarez 3. tom. de Relig. lib. 4. cap. 2. num. 8. Qui etiam Voto, vel iuramento se obstrinxit intrare aliquam Religionem, si in laxiori profiteatur, professio tenet, iuxta caput. *Qui post Votum de Regulis lib. 6.* Peccauit tamen, quia fuit transgressor voti simplicis. S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 9. Syluest. *vt sup. q. 1. 18.* Qui verò post Votum Religionis in Episcopum fuit electus, tenetur, vel dispensationem Voti à Papa impetrare, vel Religionem prius ingredi, cum status Religiosus non sit incompossibilis cum Episcopatu, Religiosus enim factus Episcopus, verè manet Religiosus. Caiet. 2. 2. q. 189. art. 3. Syluest. *verb. Relig. 2. q. 20.* Suarez 3. tom. de Relig. lib. 1. cap. 19. Vide dicta num. 11. & dicenda num. 37.

28 Qui impedit vi, vel fraude; quod aliquis Nouitius non profiteatur, vel quod secularis non assumat habitum Religionis, tenetur ad minus ad tollendam vim, vel fraudem. Aliàs contra iustitiam faciet. Num autem ad restitutionem damni illati Religioni teneatur? Multi respondent affirmatiuè cum Scoto in 4. dist. 15. Sylu. v. Rest. 3. q. 1. Alij verò negatiuè cū Soto Ledesma, & alijs, quos sequitur Suar. 10. 4. de Relig. tr. 8. lt. 4. c. 3. Vtrumq; est probabile, sed prius securius. Semper tamen erit graue peccatum retrahere aliquem ab ingressu, vel professionem in aliquam Religionem, nisi id fiat bono animo, & intentione, vt puta si propter aliquas causas talis status illi conueniens non censetur. Gerl. in Reg. mor. Alphab. 24. & 67. conf. 2. Vel quia Religio illa sit notabiliter deformata, & relaxata. Cord. super Reg. D. Francisci c. 2. q. 2. Hinc grauius peccat Religiosus, qui Nouitio aliàs idoneo denegat votum, vel suffragium ad professionem. Impedit enim illum à consequitione boni spiritualis, quod est contra charitatem. Cord. in Regula D. Francisci c. 2. q. 1. & 11. Imò Nouitius expulsus sine iusta causa ius habet agendi contra Religionem. Tum quia sic expellens impediuit opus bonum ipsius. Tum quia inde resultat vt in plurimum aliqua nota nouitio, quod est contra iustitiam. Caiet. 2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3. Passarel. in Priuil. Min. c. 43. [ Pro quorum maiori luce nota 1. Quod qui sine vi, & fraude, sed precibus, aut suasionibus impediuit ne aliquis ingrederetur Religionem, aut quod postquam in eam ingressus est vt Nouitius non profiteretur, non tenetur ad aliquam restitutionem faciendam Religionis quia talis non peccauit contra iustitiam. Lugo tom. 1. de Iustit. & iure disp. 9. sect. 3. num. 1. Quando verò huiusmodi suasiones sint peccatum præsertim mortale, vide Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9. & Molin. tom. 5. de Iustit. tr. 4. disp. 51. num. 2. Secundo nota, satis probabile esse eum qui iniuste fuit in causa quod aliquis à Religione exiret, vel in ea non profiteretur, ex quo sequuta est aliqua iactura Religionis, teneri ex iustitia suadere regressum ad Religionem illi, vel si nolit procurare alium æquè bonum qui eius loco intret. Ita Adrianus de restitut. sub finem. Antoninus, Palud. Scotus, Gabriel, Maioris, Rossella, Syluester, & Passarellus quos refert Sanch. lib. 1. consil. moral. c. 3. n. 1. Quod probatur, quia qui potest restituere rem ablatam, vel æquivalentem, tenetur ad id faciendum, Non tamen tenetur ipse ingredi loco illius. Tum quia status religionis debet esse voluntarius non coactus. Tum quia damnum diuersi generis non tenetur quis refarcire cum damno suo superioris generis, sicut qui occidit seruum, non tenetur dare se in seruum clero, seu Patrono. Sanch. n. 10. Lugo sup. n. 31. Apud quos alia ad intentum.]

29 Inducere aliquem ad Religionem modo debito, sanctum & laudabile est. Quia hoc est illum promouere ad bonum spirituale animæ suæ. S. Thom. 2. 2. quest. 189. art. 9. Et expositores *ibidem*. Qui verò vi, vel metu cogunt aliquem ad Religionem non solum grauisimè peccant, quia ingressus Religionis debet esse liber, sed etiam sic coactus, vel compulsus, admitti non debet in Religionem. Propter eandem rationem, Syluester 2. Votum quest. 12. Nauarrus in cap. statumimus à num. 71. vsque ad 74. & lib. 3. conf. de Regular. conf. 5. Imò professio illius non est valida. Potest etiam in huiusmodi inductionem committi simonia, scilicet si donis, & muneribus ex pacto datis, seu acceptis,

inducatur aliquis ad Religionem. Reginald. in praxi lib. 18. num. 374. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 1. q. 2. Secus autem quando non intercedit pactum, sed ex charitate dantur prædicta dena. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 35. dub. 12. num. 66. Cogentes etiam fœminam aliquam, siue virginem, siue viduam, ad Religionem aliquam suscipiendam sunt excommunicati à Concilio Trident. sess. 25. cap. 18. Suarez 3. tom. de Religion lib. 5. capit. 9. vbi multa ad hoc intentum. Hanc tamen excommunicationem non incurrunt cogentes viros, seu pueros ad Religionem suscipiendam. Cum Concilium solum loquatur de fœminis. Miranda in Man. q. 17. art. 4. Addunt aliqui, probabiliter sanè, esse peccatum suadere alicui ingredi Religionem totaliter deformatam. Quia in ea est magnum periculum salutis. Lancill. in Gnom. vit. Relig. lib. 1. art. 2.

30 Recipere aliquem in Religiosum vendendo illi Religiosum statum, simoniacum est. Quia est vendere rem spiritualem pro temporali. Recipere tamen aliquid ad sustentanda onera temporalia, quæ Religio suscipit cum aliqua persona, non est ex natura rei simoniacum. Quia tunc non accipitur temporale pro spirituali, sed pro temporali, vt patet in dote, quæ datur in Matrimonio. Suarez 1. tomo de Relig. lib. 4. de Simon. c. 17. Vide etiam dicenda c. sequenti num. 5.

31 Recipientes aliquem Nouitium simoniacè, iuxta dicta supra num. 29. & 30. & ipse Nouitius sic receptus, debet à Monasterio expelli sine restitutionis spe, & in locum arctioris Regulæ ad agendum pœnitentiam retrudi. Ex capit. quoniam cap. de Regularibus de simonia. S. Th. 2. 2. quest. 100. artic. 6. ad 5. Et ipso iure sunt excommunicati. Ex Extrauagant. 1. de Sim. inter commun. Nauarrus in Man. cap. 27. num. 106. Toletus in Instruct. Sacerd. lib. 1. capit. 36. vers. 8. Et licet non essent excommunicati, interim dum pœnitentiam agunt sunt ab Ordinis executione suspendendi. cap. dilectus filius, de Simon. Alderete lib. 2. de Relig. discipl. c. 16. num. 46.

32 Ex Conc. Trid. sess. 25. de Regul. c. 16. circa donationes Nouitiorum prohibetur, ne ante professionem, excepto victu, & vestitu Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monasterio, aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit, quin potius præcipit Sancta Synodus anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vilo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant. Suarez 3. tom. de Relig. lib. 5. cap. 9. à num. 16. Circa quod Decrerum notandum primò, hanc excommunicationem non incurri ipso facto, sed esse incurrendam, vt colligitur ex illis verbis, sub anathematis pœna. Secundo, non prohiberi in hoc Decreto aliquid dare, vel accipere ex bonis proprijs parentum, vel tutorum Nouitij, sed solum ex bonis eiusdem Nouitij. Laurentius de Peirinis tomo 1. de subdit. q. 1. de Obedient. cap. 29. Vide dicta cap. 11. n. 12.

33 Vnde similiter Nouitij non possunt validè disponere de bonis ad illos pertinentibus, nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij, & intra duos menses proximos ante professionem. Nec talis dispositio valida erit, aut alicuius valoris, etiam si cum iuramento facta sit, nisi sequuta professione. Ita decernitur in Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 16. Ratio huius decisionis, seu intentum Concilij est consulere libertati Nouitij, ne scilicet impediatur ab egressu à Religione, quam inchoauerat, sed cogatur in ipsa profiteri, eò quod suis bonis se expoliauerit. Nauarrus lib. 3. Consil. in 1. edit. tit. de don. conf. 7. & 8. & in 2. edit. tit. de Regular. consil. 81. & 82. Rodriguez tomo 2. Quest. Regul. q. 47. ab art. 8.

34 In hac verò decisione comprehenduntur soli actu Nouitij, non verò illi, qui Nouitij esse volunt, & intuitu Religionis bonis suis renunciant. Ratio est, quia illa decisio solum est de Regularibus, vt constat ex titulo totius illius sessionis 25. Secundo, quia ita declarauit Sacra Congregatio Cardinal. Passarellus in priuil. Minimorum cap. 37. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 5. num. 4. Vide Portellum in Dub. Regul. verb. Nouitiatum. num. 41. & Diana Tract. 2. de Dubijs Regular. Resol. 55. Licet oppositum sit etiam valdè proba-

probabile, si non obstat declaratio S. Congregationis. Eò quòd isti, qui fieri volunt Religiosi, aliquo modo iam numerari possunt inter personas Regulares. Nauarr. *vt supra Molina tomo primo de Iust. disputatione 149. & 139. & tomo 3. disputatione 604. numer. 2.* Intelligentur tamen prædicta decisio Concilij de omnibus Nouitijs, siue maioribus, siue etiam minoribus sexdecim annis. Cum generaliter sit sermo de omnibus, & pro omnibus procedat ratio adducta. Suarez *vt supra num. 7. & 8.* Licentia quoque, quæ desideratur ad validitatem dispositionis bonorum Nouitij, debet esse data ab Episcopo, vel eius Vicario, quia ita dicitur clarè in ipso Concilio, nisi fortè in aliquibus Religionibus per consuetudinem legitimè præscriptam oppositum fuerit introductum. Cum hæc decisio solum sit lex positua, quæ per consuetudinem abrogari potest, maximè quoad aliquas circumstantias ipsius. Rodriguez 2. *tom. Summ. num. 7. n. 1. Vega 2. tom. Summ. cap. 50. cas. 3.*

35 Possunt tamen Nouitij, non obstante hoc decreto Concilij Tridentini. & sine conditionibus ab ipso præscriptis, facere testamentum, codicillum, & quancumque aliam voluntatem vltimam ex causa mortis, seu quemcumque alium contractum reuocabilem. Ratio est, quia cum intentum Concilij solum sit, ne ratione dispositionis bonorum factæ à Nouitio cogatur profiteri, aut non recedere à Religione, censendum est solum velle comprehendere suo Decreto dispositiones, seu contractus irrevocabiles, non verò reuocabiles quales sunt isti, de quibus loquimur, cum possit illos reuocare Nouitius, quando voluerit, & ita liberè profiteri, seu recedere à Religione. Nauarr. *Comm. 2. n. 51. de Regul. & lib. 3. conf. in 2. edit. tit. de Regul. conf. 87. Azor. tom. 1. Institut. moral. lib. 13. cap. 9. quest. 2.* Possunt etiam eodem modo facere aliquas donationes, & elemosynas parui momenti, attentis facultatibus ipsorum. Ratio est, quia momentum Concilij solum est, vt patet ex ipsius verbis, ne discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem suæ substantiæ Monasterium possideat. Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 13. cap. 9. quest. 2. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 5. num. 22.* Idem dico de illis, quæ Nouitij dare solent pro sua sustentatione tempore Nouitiatu, vel Moniales in introitu Monasterij. Quia hæc sunt quasi iura & stipendia debita. Suarez 5. *tom. in 3. par. disput. 22. sect. 5. num. 15.* Sanchez *vt supra.* Idem etiam dico de illis contractibus, in quibus Nouitij nihil perdunt de suo, vt sunt emptio, venditio, permutatio, locatio, & similes. Nam per illos non destituuntur patrimonio, nec coguntur profiteri: Peirinis *tom. 1. priuileg. minimor. in constitut. 2. Sixti IV. §. 11. num. 75.* Quid verò dicendum de renunciatione beneficii Ecclesiastici, & officiorum publicorum, vide Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 5. num. 36.* An autem possint ipsi Nouitij, aut illorum parentes vel tutores dare mutuo aliquid Monasterio? Quidam negant. Credo tamen id fieri posse, quando datum fuit firma cautione, aut fideiussione quod possit recuperari. Hoc enim non videtur esse contra intentum Concilij. Ita aliqui Doctores Salmaticenses, quos refert Rodrig. 2. *tom. Summ. c. 7. n. vlt.* Contrarius tamen videtur Suarez 3. *to. de Relig. lib. 5. c. 9.*

36 Donationes autem, seu renunciationes factæ à Nouitijs cum solemnitate petita à Concilio nõ sortiuntur suum effectum, nisi reakter secuta professione. Vnde si post donationem, vel renunciationem moriatur Nouitius ante professionem, talis donatio, vel renunciatio est nulla. Quia ita clarè deciditur in ipso Concilio, dum dicitur tales donationes, vel renunciationes non habere effectum, nisi secuta professione. Nauarr. *lib. 3. confil. in 1. edit. tit. de regular. conf. 1. in 2. verò tit. de success. ab intest. conf. vlt.* Molina *tom. 1. de Iustit. disput. 140. col. 1.* Imò requiritur quòd talis professio sit valida. Quia Concilium petit sequi professionem, & verba sunt intelligenda cum effectu, ac proinde cum vera professione. Rodriguez 2. *to. Summ. cap. 7. num. 6.* Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 5. num. 55.*

37 Nouitius non potest eligi in Prælatum, nec ad id munus sufficit professio tacita, sed requiritur expressa. Iuxta dicta *cap. 18. num. 5.* Potest autem eligi ad dignitatem Episcopalem. Ex *cap. nullus de elect. in 6. & c. de indemnitatibus in princ. de elect. in 6. Selua de Benefic. 3. par. quest. 51.* Probabilius etiam est, posse illi conferri Beneficium seculare. Cum sit capax habendi illud, & nullibi repertur

prohibita talis collatio. Azor. *tom. 1. Institut. moral. lib. 12. cap. 3. quest. 1.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 4. num. 22.* Hinc Beneficium, quod habet Nouitius, non debet prouideri ante transactum tempus nouitiatu, sed debet curari vt per alium seruiatur. Cum adhuc sit capax retinendi illud. Graffis 1. *par. decision. lib. 3. cap. 5.* Beneficium quoque Regulare suscipere potest, dummodo professionem emitrat. Concilium Tridentinum *sess. 14. de reformat. cap. 10.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 4. num. 24.* Vide dicta *cap. 2. num. 17.*

38 Tenentur monasteria ad debita contracta à nouitijs ante professionem, quando in ipsorum bona succedunt. Quia commune est omnibus, qui in bona alterius succedunt, quòd adstringantur debitis ipsius. Couarruias in 4. *Decret. 2. par. cap. 28. §. 6. num. 14.* Hoc tamen intelligi iuxta quantitatem bonorum, quæ ex Nouitijs monasterium acquisiuit, ita vt non se extendat ad plura. Quia cum hanc obligationem subeat monasterium præcisè propter bona, quæ ex nouitio habuit, ratio dicitur, quòd non se extendat vltra bona acquisita. Rosella in *Summ. verb. Abbas, Molina tom. 1. de Iust. disp. 140.* Pro maiori tamen cautela monasterium adeat hereditatem (vt dicitur) cum beneficio inuentarij, & sic numquam tenebitur nisi intra vires hereditarias *l. fin. cap. de iure deliberandi.* [Hinc colligitur teneri monasterium ex bonis acquisitis propter professionem alicuius dare alimenta parentibus vel filijs professi, & alijs quibus ipse professus ex iustitia tenebatur id facere.] Quia translatio bonorum professi ad monasterium non liberat à solutione onerum quibus professus erat obstrictus, sed transeunt bona cum tota illa obligatione. Molina *lib. 2. de primog. cap. 15. n. 43.* Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 31. num. 2.* Lugo *tom. 1. de Iust. & iur. disput. 3. sect. 10. n. 215.* Extendit id Lugo n. 216. ad coniugem professi itaut monasterium teneatur alere inopem coniugem professi. Quod negat Sanchez *supra num. 7.* Verumtamen quoad hoc animaduertendum an consensus quo coniux consensit vt alter coniux profiteatur extendatur etiam ad renunciationem iuris quod habebat vt sustentaretur ab illo; quod ex verbis & circumstantijs ipsius est desumendum. Si enim extendatur ad talem renunciationem proculdubio vera erit sententia Sanchez, scilicet, non teneri monasterium ad coniugem illum derelictum alendum, si autem non extendatur, vera erit sententia quam tuetur Lugo, propter oppositum fundamentum. Difficultas solum superest pro casu diuorij, in quo iuxta dicta *cap. 2. num. 31. & supra num. 19.* potest vnus coniux contra voluntatem alterius profiteri Religionem. Sed de hoc alias. Solum quoad præsens attinet dicendum quod in casibus in quibus tenetur Monasterium ad debita soluenda professi, tenetur ad id non solum ex bonis quæ cum ipso professo acquisiuit, sed ex alijs etiam quæ professus post professionem Religionis acquisiuit, siue opera sua siue testamento, siue donatione. Molina *tom. 1. de iustit. disp. 140.* Sanchez *supra num. 4.* Lugo *supra num. 215.* Deductis tamen expensis, & alimentis professi, nisi ea aliunde suis ordinarijs exercitijs promeritus fuerit, vt ijdem Authores habent. ]

39 Pro bonis Nouitiorum, personis incertis debitis, extat priuilegium Sixti IV. Carmelitis concessum in Bulla *dum attentata,* vbi dicitur. *Quia verò nonnulli vestra Religionis habitum sumentes diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, interdum aliqua bona restituere tenentur; vobis, Magister Generalis, & Priores Provinciales, ac Prioribus localibus concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus conuertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire.* Specul. Ordin. fol. 90. Vide Rodrig. *tom. 3. quest. 57. art. 4.* & Peirin. *tom. 1. priuileg. Minim. in Constitut. 2. Jul. II. vbi refert simile priuilegium eiusdem Julij II. pro Minimis, & Clement. IV. pro Minoribus.*

40 Non licet filijs absque reatu peccati mortalis relinquere parentes in extrema, aut graui necessitate, & ingredi Religionem. Quia ingredi Religionem consilium est, succurrere autem parentibus sic indigentibus, præceptum naturale. Diu. Thomas *quod lib. 3. artic. 16. & quod lib. 10. art. 9.* Syluester *verb. Relig. 2. quest. 7.* Suarez 3. *to. de Relig. lib. 5. cap. 5.* Limitant hoc aliqui, si absque periculo peccati mortalis non possit filius in sæculo permanere. Quia salus

salus propria spiritualis anteponi debet vitæ temporali etiam parentum, Sanchez lib. 4. in Decal. cap. 20. num. 11. Laurentius de Peirinis 10. 1. quest. 1. de Obedient. cap. 9. Extenditur tamen doctrina tradita ad Religiosos iam professos, tenentur enim succurrere parentibus extremè indigentibus, dummodo certa sit talis extrema necessitas, etiam egrediendo Religionem contra voluntatem suorum Superiorum, si non super sit alius modus illis subueniendi. Ratio est, quia nulla obligatio Voti potest præminere obligationi ex iustitia, quæ currit in prædicto casu. Caietanus 2. 2. quest. 101. art. 4. Nauarrus comm. 3. de Regular. n. 48. & in Summ. cap. 14. num. 14. De casu autem grauis necessitatis parentum, si Religiosus in Religione manens non possit illis succurrere, nec Prælati velint prouidere, aliqui dicunt posse etiam è Religione exire, etiam sine licentia. Valencia tom. 3. disp. 7. quest. 1. par. 2. Corduba in Regul. D. Francis. cap. 2. quest. 6. art. 2. Hoc verò non consulendum, quia cum Religiosus sit mortuus mundo, & regulariter viuendo in seculo periculum subeat propriæ vitæ spiritualis, non debet propter grauem parentum necessitatem, Votum professionis infringere. Ad minus tamen certum est, quòd ad succurrendam necessitatem grauem fratrum, vel sororum, etiam pudicitia periclitantium, non potest Religiosus Religionem relinquere, licet propter hoc habeat sufficientem causam, vt cum illo dispensetur. Sanchez lib. 4. in Decalog. c. 20. num. 33. Corduba in Summ. q. 141. art. 2. Suarez to. 3. de Relig. lib. 5. cap. 6. à n. 3. Vide dicta cap. 2. num. 13.

41. Non obstante quòd in Concilio Tridentino sess. 25. c. 16. sic habeatur: *Finis tempore Nouitiatus Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è Monasterio eiciant: Nihilominus Superior Prælati potest ex causa Professionem differre in illis, qui habiles non sunt inuenti, vt sunt illi, qui non bene adhuc didicerunt.* Ita enim refertur respondisse Sacram Congregationem Concilij sub Pio Quinto ita declarante. Nauarrus tom. 1. Conf. lib. 7. de regul. conf. 30. num. 1. Sorbus in Compend. priuileg. verb. Nouitius, §. sexto notandum. Si inhabilitas ex infirmitate proueniat, poterit prorogari tempus, donec duret spes recuperandæ sanitatis, & vniuersaliter tempus ad emittendam Professionem, posse a iudicio Superioris prorogari, dicitur censuisse Sacram Congregationem Concilij 31. Maij 1597. Laurent. de Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in Constitut. 2. Sixti Quarti §. 11. n. 81. & 82. Vide Suar. 3. tom. de relig. lib. 5. cap. 13. Imò etiam si sine sufficienti causa Nouitij Professio differatur, quamuis in eo peccatum committatur contra decretum Concilij adductum, non video tamen cur professio postea secuta valida non sit, cum Concilium illam non irritet, & ex alia parte quando statutum mandat fieri aliquid certo tempore, actus contra factus non sit irritus. Suarez de legib. lib. 5. cap. 15. num. 10. Diana Tracl. 2. de dub. regular. resolut. 128.

42. Nouitij in articulo mortis existentes possunt profiteri ante annum probationis expletum, dummodo tamen in ætate legitima constituti sint; sicque lucrari Indulgentias, & gratias alijs Professis concessas. Quia ita conceffit Pius V. Monialibus S. Domin. ann. 1570. Vnde isto priuilegio potiri possunt omnes Religiosi habentes communicationem cum Dominicani, quales sumus nos Carmelitæ, ex Bulla Leonis X. adducta supra c. 3. n. 17. Passarel. in Comp. verb. Nouitius. Mir. in Man. to. 1. q. 22. art. 10. Vide dicenda c. seq. n. 39. Nouitij autem morientes sepeliendi sunt in monasterijs, vbi sunt Nouitij. Quia ita habetur consuetudine. Syluester verb. Sepultura q. 8. dist. 7.

43. Pro Institutione Nouitiorum extant Decreta Clement. VII. quæ habentur tom. 3. Bullar. post Bullam 83. huius Pontificis; & postea approbata, & innouata sunt à Sacra Congregatione Concilij in Decretis de Regularibus Apostatis, & Eiectis, iussu Sanctiss. D. N. Urban. VIII. die 21. Septembr. 1624. Adiuncta quoque sunt in fine Constitutionum Carmelitarum Romæ impressarum anno Domin. 1626. Pœnæ autem transgressoribus illorum designantur sic à Clemente VIII. Si illi, qui inter Religiosos, gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo, deliquerint, seu quomodo contraxerint, officiorum omnium, quæ tunc ob-

tinebant, priuationem, grauiorēque pro modo culpe admittentibus, se subituros certò sciant. Vnde circa obligationem horum Decretorum philosophandum est eo modo, quo diximus de obligatione Regulæ, & Constitutionum, cap. 7. & 8. Cum tamen hæc Decreta pro institutione Nouitiorum multa sint, multitudoque præceptorum ad culpam, mortalem præcipuè, obligantium, conueniens non putetur Religiosorum conscientijs, aut benignitati Summorum Pontificum, idè non crederem prædicta Decreta obligare ad mortale, nisi quando aliquid, vel aliqua illorum fuerint de materia graui, grauiusque atinenti ad finem reformationis, quem Summi Pontifices intendunt. In quo aliorum iudicium expecto, doctiorumque sententia me remitto.

44. Extat etiam Decretum Sacræ Congregat. de propaganda Fide, die 15. Decemb. ann. 1624. in quo admonentur Generales omnes, annuente Sanctiss. D. Nostro Urbano, vt præter studia Linguarum alias à Sacra Congregat. Regularibus indicta, speciali sub Decreto præcipere velint, vt in Nouitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex varijs nationibus, & linguis, pro modulo tamen suarum Religionum, vnà cum alijs, qui hæctenus recipi consueuerunt, ad habitum assumantur, qui peracto studiorum cursu, & in simplici Sacerdotio constituti, & Episcopali dignitate ornat, ad eorum Prouincias propagandæ Fidei gratia mitti possint. Nam sic facientes certò sciant, se Christo Domino obsequium gratissimum, & acceptissimum præstituros, & Fidei Catholicæ, & suarum Religionum generi, & amplificationi summopere esse consulturos. Laurentius de Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 2. Sixti V. num. vlt.

## SVMMARIUM CAP. XXV.

- Moniales tenentur ad obseruantiam votorum. n. 1.
- An etiam Vicarijs obedire teneantur. n. 2.
- Obediunt Priorissis, & Abbatissis. n. 3. Etiam sub mortali. num. 4.
- An liceat aliquid accipere pro eorum ingressu. n. 5.
- De numero Monialium recipiendarum. n. 6.
- Modus paupertatis ipsis conuenientior. n. 7.
- Illarum professio omnino spontanea debet esse. n. 8.
- Dos quando danda Monasterio. ibid.
- An non solum Virgines, sed etiam Viduæ, & corruptæ admitti possint. n. 9.
- Velum professionis, & consecrationis quibus dandum. num. 10.
- Puella minores duodecim annorum an admittenda. n. 11.
- De examine Monialium quando, & à quibus faciendum. num. 12.
- Tenentur ad Officium diuinum. n. 13.
- An obligentur ad confessionem, & communionem singulis mensibus. num. 14.
- Pœnæ contrahentium cum illis. n. 15.
- Tenentur ad obseruandam rigorosam clausuram. n. 16.
- Etiam Moniales ordinum militarium. n. 17.
- Quid de conuersis & nouitijs ipsarum. ibid.
- An possint expelli à Religione. ibid.
- Locus clausuræ qualis iudicandus. n. 18.
- Pœnæ egredientium è clausura. n. 19.
- Licentia egrediendi qualiter concedenda. n. 20.
- Causæ concedendæ licentiæ. ibid.
- À quibus concedatur. n. 21.
- Cessante aut finita causa cessat & licentia. n. 22.
- De nouitiarum egressu. n. 23.
- Moniales non possunt intra clausuram admittere aliquam personam. n. 24.
- Quis possit concedere licentiam ad hoc. n. 25.
- Causæ legitime huius ingressus. ibid. & n. 26.
- Pœnæ transgressorum. n. 27.
- An in aliquo casu liceat his ingressus. n. 28.
- An pro puellis educandi. n. 29.
- An pro femina nobili, aut generosa. n. 30.
- An pro visitanda moniali morti proxima. n. 31.
- An pro famulabus seu seruitricibus. n. 32.
- Licentia concessæ mulieribus quibuscumque limitata, & reuocata sunt. n. 33.

- Loqui cum monialibus furtiue quale peccatum. n.34.  
 Loquentes cum illis legitima licentia quam poenam incur-  
 rant. n.35.  
 Visitare seu inuisere illas an & quomodo licitum. n.36.  
 Qualiter Regularib. id sit prohibitum. ibid.  
 An titulo docendi musicam. ibid.  
 An scribere ad illas sit prohibitum. n.37.  
 Moniales conuersae an sint admittendae. n.38.  
 Nouitia in articulo mortis ante legitimam aetatem an pos-  
 sint profiteri. n.39.  
 De alijs spectantibus ad Moniales nouitias. ibid.  
 De Praedicatoribus, Capellanis, & Confessarijs Monia-  
 lium. num.40.  
 De Confessarijs ordinarijs, & extraordinarijs. ibid.  
 An liceat transitus Monialis de vna Religione ad aliam.  
 num.41.  
 De absolutione Monialium. n.42.  
 De Missis dicendis a Capellanis ipsarum. n.43.  
 De modo construendi noua Monasteria Monialium. ibid.  
 De earum regimine ex Concil. Trident. n.44.  
 De administratione honorum ipsarum Confessarijs delin-  
 quentibus, & electionibus quid statuerit Gregorius XV.  
 num.45.  
 Quae decreuerit S. Congregatio Concilij pro praedictorum  
 declaratione. num.46.  
 Impedientes visitatores Monialium quam poenam incur-  
 rant. num.47.  
 De bonis derelictis & Monasterijs ipsarum. n.48.  
 Clausuram monialium procurare debent Episcopi. n.49.  
 Comans nutrire, aut similia an liceat monialibus. n.50.  
 Ordinationes quarundam monialium. n.51.  
 Conditiones pro receptione, & decreta pro reformatione  
 Religiosorum an obligent illas. n.52.  
 An possint admitti ut testes. n.53.

## De Monialibus, earumque obliga- tionibus, & Priuilegijs. Cap. XXV.

- M**oniales omnes cuiuscumque Ordinis sint, siue  
 subiectae Praelato Regulari, siue Dominis Episco-  
 pis tenentur ad obseruantiam Votorum, quae promiserunt,  
 Regulae, & Constitutionum suae Religionis eodem modo,  
 quo alij Religiosi, exceptis ijs, quae ipsorum sexui, & fra-  
 gilitati repugnant. Ratio est, quia sunt verae personae reli-  
 giosae, eisdemque priuilegijs, ac religiosi viri gaudentes.  
 Vnde tenentur suis Praelatis obedire, siue sint Episcopi,  
 quando illis sint subiectae, siue Prouinciales, aut Genera-  
 les Religionis, si illis subijciantur, eo modo, quo caeteri  
 alij Religiosi. Ratio est, quia verè emittunt Votum  
 Obedientiae praedictis Praelatis, ac proinde tenentur ad ea-  
 dem, quae religiosi tenentur, respectiue ad sexum. Sua-  
 rez 4. to. de Relig. lib. 1. de Variet. Relig. c. 12.
- 2 Non tamen tenentur obedire Vicarijs, quos solent ha-  
 bere, sicut Praelatis. Non enim sunt ipsarum Praelati,  
 cum nullam super illas iurisdictionem habeant, sed vel su-  
 perintendentiam, vel quid huiusmodi. Miranda in Man.  
 10. 2. q. 21. art. 2.
- 3 Tenentur verò Moniales obedire suis Priorissis, vel Ab-  
 batissis in ijs, quae pertinent ad gubernationem domesti-  
 cam, & civilem. Ratio est, tum quia haec obligatio neces-  
 saria est ad bonum regimen, & ordinem Monasterij. Tum  
 quia quamuis Priorissae, vel Abbatissae non habeant, nec  
 possint habere iurisdictionem spiritualem supra Moniales,  
 iuxta dicenda cap. seq. habent tamen supra illas potestatem  
 dominatiuam, domesticam, & civilem, similem illi quam  
 habent pater in filios, & mater familias in domesticos.  
 Sanctus Thom. in 4. dist. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4. Sotus in 4.  
 dist. 20. q. 1. art. 4.
- 4 Hic huiusmodi obligatio obediendi Moniales suis prio-  
 rissis, vel Abbatissis, est sub mortali (intellige si materia,  
 quae praecipitur sit grauis.) Ratio est, quia tenentur obe-  
 dire illis, sicut filij parentibus, & ciues suis Magistratibus,  
 eo quod habeant similem potestatem, hi autem peccant  
 mortaliter, quando transgrediuntur praecipia in materia
- gravi sibi imposita. Victor. relect. de potest. Eccles. q. 2.  
 n. 4. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 1. n. 18.
- 5 Pro ingressu Monialium in Monasterium non licet ali-  
 quid accipere, tamquam pretium, bene tamen pro victu,  
 ac vestitu, seu congrua sustentatione tam in anno appro-  
 bationis, quam post professionem. Ratio primae partis est,  
 quia oppositum esset simoniacum. Ratio verò secundae,  
 quia hoc admittit consuetudo, & aequitas rationis natura-  
 lis, cum alias Moniales non possent à Monasterio sustenta-  
 ri S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. Nauarrus in Man. cap.  
 27. n. 106. An vero hoc etiam intelligatur, quando Mona-  
 sterium est locuples? Sot. negat lib. 9. de Iust. & iur. q. 6.  
 art. 2. Affirmat verò Suarez to. 1. de Relig. lib. 4. de Simon.  
 c. 17. Adminus tamen sapius erit peccatum auaritia. Quo-  
 tiescumque autem licitum est accipere aliquid pro ingressu  
 Religionis, licitum etiam est facere pactum de illo. Quia  
 hoc nullo iure prohibetur, & multorum consuetudine ap-  
 probatur Suarez vt supra. Bonacina de Simon. q. 7. §. 4.  
 Vide dicenda infra num. 39.
- 6 Non possunt recipi plures Moniales in Monasterio,  
 quam quae ex redditibus, vel ex consuetis elemosynis com-  
 modè possint sustentari. Ita habetur in cap. unico §. sane  
 de stat. Regul. in 6. & in Concil. Trident. sess. 25. de Regul.  
 cap. 3. ac in Constitut. Pij V. anno 1566. quae incipit Circa  
 Pastoralis Officij, & c. Quod intelligitur aliqui nisi monia-  
 lis secum afferat dotem, ex qua possit commodè sustenta-  
 ri. Quia per hoc sufficienter prouidetur intentioni Eccle-  
 siae. Nauarrus lib. de reddit. Eccles. quaest. 1. n. 62. Suarez  
 4. to. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 11. Dicitur tamen Sacram  
 Congregationem declarasse 6. die Septembris ann. 1604.  
 quòd si quae supra statutum numerum reciperentur, dupli-  
 cem elemosynam afferre, & supra numerarium locum te-  
 nere deberent. Deinde, Moniales, quae supra numerum  
 in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur, in locum  
 monialium decedentium nequaquam subrogari, neque  
 impedimento esse, quin aliae in locum earumdem ex nume-  
 ro de mortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis  
 monasterijs moniales intra numerum possunt admitti qui-  
 nimmo easdem sic supra numerum receptas, supranume-  
 rarias semper quoad hoc remanere, etiam si in caeteris ab  
 alijs nihil differant, sed illis in omnibus pares, & c. Insuper  
 quod duplicis elemosynae nomine intelligi semper debeat  
 duplicata summa eius, quae in receptione cuiusque monia-  
 lis intra numerum in quolibet monasterio constitutum,  
 erogari pro tempore consueuerit. Ita tamen, vt vbi sum-  
 ma, quae confertur minor est sentis ducentis, ibi saltem  
 rationem duplicatam elemosynae soluenda sint scuta qua-  
 dringenta. Quaranta in Summa Bullar. ver. monasteria  
 monialium. Vbi etiam affert aliam declarationem circa  
 puellas admittendas in locum monialium pro tempore  
 vacaturum, neque promittendum talem locum, nisi se-  
 quuta reali vacatione, & cum quibusdam alijs conditio-  
 nibus, sub grauib. poenis ibi impositis. Vide etiam Pei-  
 rinis to. 2. priuileg. minor. in Constitut. 6. Pij V. num. 9.  
 Sed nota ex declaratione Sac. Congregat. Episcop. & Re-  
 gul. anno 1615. quòd supernumeraria non potest admitti  
 sine licentia Sac. Congregat. Gauant. in Manua. Episcop.  
 verb. monialium receptio n. 11.
- 7 Modus paupertatis magis accommodatus monialibus est,  
 monasteria habere communes redditus, quibus possit om-  
 nibus illis subuenire. Ratio est, quia per mendicitatem,  
 aut alio modo simili non possunt ita commodè, & honestè  
 sustentari. Quod idem de monialibus Capuccinis intelligi  
 debet, propter eandem rationem. Praesertim cum in  
 Decreto Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. comprehendantur.  
 Suarez 4. to. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. Habere tamen  
 singulas, aut aliquas moniales redditus aliquos, vel an-  
 nuos census tolerari non debet, nisi in casu, quo vita com-  
 munitatis obseruari minime possit, & cum conditionibus assi-  
 gnatis cap. 6. de Voto Paupertatis à n. 21. Suar. 4. to. de Re-  
 lig. tract. 9. lib. 1. c. 12. n. 2.
- 8 Moniales omnino plena, & spontanea voluntate debent  
 profiteri, ac proinde ante professionem ex bonis Nouitia  
 nihil tribui debet monasterio, praeter victum, & vestitum  
 pro anno Nouitiatus. Vnde à S. Congregatione Card. de-  
 claratum est, etiam dotem non esse Monasterio tribuendam  
 ante professionem. Causa tamen legitima subsistente, &  
 cum

- cum licentia Episcopi, & data cautione, & securitate de ipsa restituenda, poterit etiam dari ante professionem. Suarez *infractandus* n. 4. Deinde Episcopus ante professionem, virginis voluntatem exploret, ut pia, & spontanea sit. Censura insuper innodatur illi, qui sceminas ad statum Religiosum assumendum cogunt. cap. Puella 29. *quest. 1.* & Concil. Trident. *sess. 25. cap. 16. 17. & 18.* Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 9. lib. 1. capit. 11.* Vide dicta *capit. 21. num. 29.* & Gauantum *in Manual. Episcop. verb. Monialium receptio a num. 1. usque ad 6.*
- 9 Non solum virgines, sed etiam viduæ admitti possunt, saltem iure communi, in Moniales. Ratio est, tum ex usu antiquissimo Ecclesiæ, tum ex c. Vidua 20. q. 1. & c. Viduas 1. & 3. & cap. Vidua cum seqq. 27. q. 1. Sed viduam non cõuenire admitti ad habitum Monachalem virginum, declarauit S. Congreg. Episcop. apud Gauantum *in Manual. Episcop. verb. monialium receptio n. 7.* Fœminas autem illicitè corruptas, maxime si lapsus est publicus, decens non est admitti, propter scandalum ceterarum nisi in speciali- bus monasterijs mulierum pœnitentiæ ad illas designatis, & nisi forte sint aliquæ circumstantiæ, quæ tale scandalum minuunt, aut tollant. Suar. 4. *to. de Rel. tr. 9. lib. 1. c. 11. n. 2.*
- 10 Quamuis velum Professionis concedi posset non solum Virginitas, sed etiam viduis: quia, ut dictum est supra, etiam viduæ admitti possunt in moniales: nihilominus Velum Consecrationis solum potest dari iure communi virginibus *cap. de Voto 20. q. 1. & Conc. Tiburiense cap. 25. & Rothomagensis cap. 9.* apud Yuonem p. 7. *Decreti cap. 52. Sotus in 4. d. 38. quest. 1. artic. 1.* Syluester *verb. Consecratio virginum.* Video tamen S. Congregationem Episcop. & Regular. decreuisse tollendam esse consecrationem. Insuper concedendam non esse monialibus mendicantium. Gauantus *in Manual. Episc. v. Monialium consec.* Casu autem quod detur, fœminæ extra matrimonium corruptæ, etiam si per violentiam, & sine culpa ipsarum id factum sit, capaces non sunt talis veli Leo Papa *in Epist. ad Episcopos Mauritania cap. 2. & 5. & refertur 3. quest. 5.* Num autem fœmina occultè corrupta, & cum publica fama virginitatis possit illud recipere? Multi negant, alij verò probabiliter affirmant. Quia non tenetur se prodere, sed potest in exteriori foro ita se gerere, sicut in communi opinione habetur. Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 11.* Congruum tamen videtur talem Monialem, etsi non se debeat prodere, debere tamen excusare se. Miranda *in tractat. de Sac. Monial. quest. 7. art. 6. & 8.* Vbi addit in tali casu posse Episcopum vti aliqua cautela, mutando scilicet nomen Virginitatis, in nomen Castitatis Nauarr. *in Manual. cap. 16. n. 3. & lib. 3. conf. conf. 4. num. 4.* Pollutæ autem etiam voluntaria pollutione possunt consecrari. Quia re vera adhuc virgines sunt, cum retineant integrum claustrum. Caietan. *in Sum. verb. Virginitatis consecratio. Sã in Sum. verb. Consecratio. n. 6.* Velum autem hoc solum datur ab Episcopis, & temporibus à iure statutis, d. c. de Vot. & cap. Virgines 20. Circa ætatem autem, cum iura antiqua sint contraria, consuetudo attendenda est. Suarez 4. *tom. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 11.* Sã in Sum. *ver. consecratio n. 5.* Quia tamen Sacra Congregatio Episc. & Regular. decreuit consecrandas agere debere ætati 25. annum completum, ideo sic faciendum, Gauantus ut supra.
- 11 Puellæ minores duodecim annorum recipi possunt (secundum aliquos) ad habitum monialem, ut Nouitiæ. Tum ex consuetudine Religionum; tum quia hoc non derogatur (ut aliqui volunt) à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 17.* Ita etiam declaratum dicitur à Sacra Congregatione Cardinalium. Medina *Sacrorum hominum continentia libro 4. controuerf. 9. cap. 4.* Miranda *in tract. de Sac. Monial. quest. octaua, artic. 2.* Quia tamen oppositum declaratum etiam dicitur à Sacra Congregat. Episcoporum, & Regular. ideo cautè procedendum. Gauantus *in Manual. Episcop. verb. Monialium receptio. 19. & 20.* Vide Dianam *Tract. 2. de Dubijs Regularium resolution. 42. & Portellum in additionibus ad Dubia Regularia verb. Clausura monialium s. cuius ætatis num. 1.* Nullatenus autem debent admitti ad professionem ante decimum sextum suæ ætatis annum expletum. Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 25.* Vide dicenda infra num. 39.
- 12 Debent Moniales examinari ab Episcopo, vel eius Vicario, Episcopo absente, vel impedito, antequam profiteantur, an coactæ, & seductæ sint, sciant quid agant, &c. Concil. Trident. *sess. 25. cap. 17.* Vide Barbosam *de potest. Episcop. Allegat. 100. num. 4.* & Gauantum *in Manual. Episc. verb. Monialium receptio a num. 21.* Imò aliqui dicunt bis examinandas esse, scilicet ante susceptionem Habitibus, & ante professionem, propter declarationem Sacræ Congregat. Cardinalium. Thom. Zerol. *in prax. Episcop. verb. Monialis.* Consuetudine tamen videtur receptum, quòd solum semel ante professionem examinentur. Miranda *in tract. de Sacris Monialibus quest. 8. art. 4.* Diana *tract. 2. de Dub. Regular. Resol. 47.* Quicquid tamen de hoc sit, defectus huius examinis non irritat professionem Monialis cum Cõcilium nihil dicat de inualiditate talis professionis, ut solet, quod vult esse inualidam, atque ita solum erit illicita, & peccaminosa, & ita supponitur a Sacra Congregat. in quadam declaratione, quam refert Zerola *ut supra Sanchez lib. 6. in Decalogum c. 4. num. 84.* Barbo- sa *de potest. Episcop. Alleg. 100. n. 9.* Vide dicenda *c. seq. n. 17.* Examen porrò hoc faciendum ab Ordinario, intra monasterium ad cancellos, seu crates monialium Campanillus *in diuersis iuris canon. rubric. cap. 16.* Gauantus *verb. monialium professio num. 14. & 15.*
- 13 Tenentur etiam Moniales omnes dicere Officium diuinum in Choro, sicut alij Regulares, ex Clem. 1. *de celebr. Missarum.* vbi præcipitur, quòd in omnibus Ecclesijs Cathedralibus, & Regularibus, atque etiam Collegiatis, Hora Canonica deuotè psallantur, conuenienterque celebretur Diuinum Officium, diurnum pariter, atque nocturnum. Angelus *verb. Hora Canonica. §. 25. & 26. Syl. ibid. n. 10.* Tenentur etiam Moniales Choro destinatæ ad Officium Diuinum priuatè, & extra Chorum recitandum, iuxta dicta *cap. 12. n. 8.* Sotus *10. de Inst. & iur. q. 5. artic. 3.* Nauarrus *in Manual. c. 25. n. 96.* Vide infra n. 43.
- 14 Iure communi non est aliquod præceptum obligans, saltem sub mortali, ad hoc ut moniales confiteantur singulis mensibus sua peccata. Ratio est, quia si aliquod ius esset in hac parte, maxime Clement. *ne in agro,* illa autem non obligat ad peccatum, saltem mortale, ut indicat. Concil. Tridentinum *sess. 25. c. 10.* vbi referens in margine prædictam Clementinam sic loquitur circa Confectionem, & Communionem Monialium. *Attendunt diligenter Episcopi, & ceteri Superiores monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem singulis mensibus Confectionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo salutari presidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat. Quòd verò Sanctissimum Christi corpus intra Chorum, vel septa Monasterij, & in publica Ecclesia conferuentur, prohibet S. Synodus, nõ obstante quocumq; indulto, aut privilegio.* Vivald. *in Candela- bro aureo de Confess. n. 51.* Zerola *in Praxi Episcop. verb. Moniales ad septimum dubium.* Vide dicenda infra num. 40.
- 15 Qui scienter cõtrahunt cum Monialibus, & ipsæ Moniales contrahentes sunt excommunicati in Clem. 1. *de consang. & affinitate Tolet. in Sum. lib. 1. c. 40.* Imò si quis Monialem in vxorem acciperet, prohibetur cū alia cõtrahere, in sui peccati pœnam, 27. q. 1. *can. Hi verò.* Idè Tolet. *lib. 7. c. 15.*
- 16 Specialiter tenentur Moniales omnes ad seruandam rigorosam Clausuram, idest numquam exeundum de monasterijs propter specialissimum Ecclesiasticum præceptum illis impositum. Primò ex Bonifacio Octauo *c. periculoso in princ. de stat. Regular. in 6.* præcipiente, vniuersas, & singulas Moniales, præsentis, atque futuras, cuiuscumque Religionis, sint vel Ordinis in quibuslibet Orbis partibus existentes, sub perpetua in suis monasterijs debere de cætero permanere Clausura, ita quòd nulli earum tacitè, vel expressè professæ sint, vel esse valeant, quacumque ratione vel causa (nisi fortè tanto, & tali morbo euidenter, eant laborare constaret, quòd non posset cum alijs absque graui periculo, seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas concedatur. Secundo, ex Concilio

Tridentino *sess. 25. de Regular. cap. 5.* ubi rigidissimis verbis eam inuolabiliter seruari præcepit. Tertio, ex Pio V. quia ad idem intentum duas Constitutiones edidit, alteram anno 1566. alteram anno 1569. in prima explicans magis Decreta Bonifacii, & Concil. Tridentin. in secunda vero rigidius eandem Clausuram præcipiens, iusta causas concedendæ licentiæ declarans, variisque pœnis transgressores afficiens. Tandem quarto, ex Gregor. XIII. qui anno 1572. eandem Clausuram confirmavit, explicans, quæ loca sub illa claudantur. Sanchez *lib. 6. in Decalog. c. 15. Gauantus in Manual. Episcop. verb. Monialium clausura à princip.*

- 17 Non solum Moniales Ordinum Mendicantium, & Monachalium, sed etiam Ordinum Militarium obligantur hoc præcepto Clausuræ. Tum ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 22.* ubi ea, quæ in Superioribus Decretis præceperat, quorum vnum erat de Clausura Monialium dicit, debere obseruari in omnibus Cœnobijs, ac monasterijs, quarumcumque Sanctimonialium, etiam si illæ sub gubernio militarium etiam Hierosolymitanæ viuant. Tum ex Pio Quinto in dicta Constitutione anno 1566. Nauarrus *comment. 4. num. 44. vers. 5. Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 44. artic. 2. & 3.* Tenentur etiam isto præcepto Moniales Conuersæ cuiuscumque Ordinis sint. Quia ita habetur expressè in dicta Constitutione Pij V. Nauarrus *ut supra num. 45. Rodriguez ut supra art. 4.* Non tamen tenentur isto præcepto Nouitiæ. Quia non sunt verè Moniales, nec prædictis Decretis comprehensæ. Nauarrus *ut supra n. 47. Vide infra num. 22.* Bene tamen tacitè professæ. Quia ita decernit Pius Quintus in dicta Constitutione sequens Bonifacium Octauum. Oblatæ autem si non sint religiosæ non tenentur. Cum nulla lex illas obliget. Grassis *1. par. decis. lib. 4. cap. 33. Rodriguez tom. 1. qq. Regular. quest. 44. artic. ult.* Mulieres verò in aliqua domo, vel Congregatione, simul viuentes, & aliquem modum vitæ Religiosæ volentes, hortandæ sunt, vt solemniter profiteantur, & ex tunc tenebantur ad Clausuram, vt ceteræ religiosæ, si verò hoc noluerint facere, non licet eis aliquam in posterum in suam Congregat. admittere, quod si aliquas receperint, professiones, & receptiones illarum sunt omninò irritæ, & nullæ. Ratio est, quia ita deciditur in prædicta Constit. Pij V. Rodriguez *ut supra artic. 3.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 15. n. 14.* Vtrum autem quædam Moniales, quæ faciebant professionem ea conditione, vt non adstringerentur Clausuræ verè essent professæ? Probabilius est, quòd non, quia Pius V. videtur irritasse, & annullasse dictas professiones. Miranda *in tract. de Sacris Monialibus q. 1. art. 4.*

Circa Conuersas autem nota, quòd licet illæ teneantur, vt dictum est, lege Clausuræ, ita vt neque possint exire ad ornandum Altare in Ecclesia exteriori, prout declarauit S. Congregatio Episcop. & Regularium 17. Octobr. 1592. Nihilominus ubi fuerit consuetudo prædictas Conuersas egrediendi è Monasterijs pro quæstu, tolerari potest, habitis tamen necessarijs licentijs, & dummodo tales Conuersæ sint ætatis factæ 40. annorum, nec pulchra, nec foris pernoscant, neque plures quàm octo destinentur ad quæstum, & quòd si deinde non egeant cessent à quæstu. Hoc declarauit eadem S. Congregatio, prout refert Gauant. *in Man. Episc. verb. Monialium clausura à n. 18.* Vbi etiam n. 20. de Monialibus conuertitis si egeant, quid sentiendum. Vide & dicenda *tom. 2. c. 8. n. 29.*

Hinc colligo, neque posse expelli Moniales à Religione, etiam propter incorrigibilitatem; non solum, quia iura, & Decreta Summorum Pontificum, quæ de eiusmodi expulsiōe loquuntur, & de quibus nos egimus c. 23. de viris solum intelligi, praxis Ecclesiæ hucusque recepit, non de feminis, sed etiam quia S. Congregatio Episcop. & Regular. die 27. Maij 1603. declarauit: *Incorrigibiles eyer non possunt, neque transferri, inconsulta Sede Apostolica.* Quare, et si, stando in iure communi naturali Religionum, eijs possent è religionibus prædictæ incorrigibiles; ardua tamen Ecclesiæ consuetudine, & prædicta declaratione, id fieri non potest sine Sedis Apostolicæ consensu. Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 9. n. 6. Gauantus in Man. Episcop. verb. Monialium clausur. n. 23.*

- 18 Locus clausuræ, ex quo prohibitum est Monialibus egre-

di; est totus ille ambitus Monasterij, qui ianua interiori clausa continetur. Vnde si ultra interiorem ianuam exeant ad Ecclesiam, vel ad alia loca, ubi seculares intrant Clausuram violant. Ratio est, quia ita habetur in Bulla Gregor. XIII. superius adducta. Nauarrus *comment. 4. num. 44. not. 4. de Regul. & lib. 2. Consil. 1. edit. tit. de Regul. consil. 66. Rodriguez 10. 1. q. Regular. quest. 44. artic. 3.* Vnde si Monialis ascendat supra tecti regulas supra eam partem, quæ Monasterium respicit, aut egredjatur ex aliqua Domino priuata, in qua, siue iuste, siue iniuste, è Monasterio egressa commoratur, non frangit Clausuram. Eò quòd hoc non est egredi è Monasterij ambitu. Nauarrus ibidem, & Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 15. n. 7. & 9.* Ingredi tamen domos Monasterio contiguas, etiam si in illis solum sint aliqua minima seruitio Monasterij deputatæ est, Clausuram violare. Propter contrariam rationem, scilicet, quia hoc est egredi è Monasterij ambitu. Nauarrus *de Regul. comment. 4. n. 56. Bonacina de Clausur. quest. 1. punct. 1.* Idem dico, propter eandem causam, de ingressu in Ecclesiam exteriorem, ad quam scilicet secularibus patet accessus. Bonacina *ibidem.* Gauantus *in Man. Episcop. verb. Monialium clausura n. 10. 11. 12.* Quid porò sentiendum de moniali quæ se ponit in rota, & facit illam volui versus partem externam ubi non est clausura ipsa tamen non egreditur è rota? Probabile sanè non violare clausuram, quia non egreditur ex ambitu, sed se habet ac si esset in ipso ostio clausuræ. Diana *tract. 2. de Dub. Regular. Resolut. 52.* ubi etiam an in huiusmodi violatione clausuræ possit dari patuitas materiæ.

- 19 Moniales egredientes è Clausura Monasterij, aut eis fauentes, vel licentiam aliquo alio modo (quàm diceretur) concedentes, comitantes, aut recipientes, excommunicationem latæ sententiæ Papæ referuatam incurrunt, & priuationem omnium dignitatum, administrationum, & officiorum tunc obtentorum, & inhabilitatem ad alia. Quia ita habetur in dicta illa Constitutione Pij V. ann. 1569. Incurrunt etiam istas pœnas omnes cooperantes iniustæ egressioni Monialium. Quia omnes isti comprehenduntur ibi, Rodriguez *tom. 1. quest. 49. artic. ult.* An verò huiusmodi pœna incurrantur in foro conscientie ante omnem iudicis sententiam, vel illa expectetur? Constat ex dictis supra *cap. 10. à num. 29. Bonacina de Clausur. q. 1. punct. 4. & 5.*

- 20 Licentia egrediendi Moniales è Monasterio, concedi non potest, nisi grauissima causa perurgente. Ita habetur tam in *cap. periculoso citato*, quàm in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 5.* Maxime in dicta Constitutione Pij V. anno 1569. Vbi tres causæ assignantur, scilicet *magni incendij, vel infirmitatis lepra, aut epidemia.* Nauarrus *comment. 4. n. 40. & 48.* Imò quando huiusmodi magno incendio occurrit potest sine egressu Monialis à suo Monasterio, aut curati à lepra, aut epidemia, sine periculo aliarum, tunc non erunt sufficientes causæ egressionis. Quia tunc cessat necessitas exeundi, quæ est finis huius concessionis. Rodriguez *tom. 3. questionum Regul. q. 31. art. 1. Collector. Priuilegiorum mendicant. verb. clausura monialium cas. 1.* Namine Epidemia non solum intelligitur pestis, sed & morbus etiam alius contagiosus, qui solet alijs de familia periculum mortis afferre. Quia intentum Pij V. in illa exceptione est consulere indemnitati Communitatis religiosæ, ne scilicet patiat periculum mortis propter retentionem monialis infirmæ, quod non solum procedit in infirmitate pestis, sed in alia etiam contagiosa, quæ soleat esse periculosa toti familiæ, vel maiori parti ipsius. Rodriguez *10. 1. quest. 49. artic. 4. Sanchez lib. 6. in Decalog. capit. 15. num. 35.* Vide & Gauantum in *Manual. Episcop. verb. monialium clausura num. 7.* licet oppositum in praxi omninò sequendum sit si authenticè constet de quadam declaratione Sac. Congregationis in contrarium quàm refert Diana *Tract. 15. miscellan. Resolut. 23.* Probabile etiam est tres istas exceptiones Epidemia, lepra, & magni incendij, contentas in prædicta Constitutione extendendas esse ad alios casus similes, vel vrgentiores, quales est tempore belli periculum, quod imminet monialibus, ne patiantur aliquod damnum à militibus, maxime infidelibus. Quia in dicto taxatiua in Decretis non excludit casus similes, vel vrgentiores. Nauarrus *comment. 4. num. 48.*

4. num. 48. Azor. tom. 1. *Instit. moral. lib. 13. c. 8. q. 1.* Non est autem castus similis cum vita vnius monialis periclitaretur non egrediendo e monasterio. Tum quia Pontifex in illa exceptione solum consulit vitæ, & incolumitati totius Communitatis, aut maioris partis ipsius, non vnius, aut alterius monialis. Tum etiam quia magis præponderat bonum commune Religionis, aut Conuentus, quod positum est in exacta obseruantia Clausuræ, quam bonum particulare vitæ vnius monialis. Rodriguez tom. 1. q. 49. art. 4. & 5. Sanchez lib. 6. in *Decalog. c. 15. n. 39.* Oppositum verò etiam credo probabile. Quia sapius hoc nulum præiudicium faciet bono communi Religionis, & lex naturalis conseruandæ vitæ superior est quocumque præcepto Ecclesiastico. Suarez 4. tom. de *Relig. tract. 8. lib. 1. c. 9. n. 9.* Quando monialis alicuius monasterij eligitur in Abbatissam alterius, tunc etiam potest exire ex monasterio, & est causa sufficiens concedendi illi talem licentiam. Ratio est, quia in Concil. Trid. *sess. 25. c. 7.* id videtur permiffum, non obstante quòd in c. 5. multum commendauerat monialium Clausuram. Nauarrus, & Rodriguez vt supra, & Collect. *privileg. mendicant. verb. Clausura monialium cas. 3.* Qui etiam hoc extendunt ad casum quo monialis deberet fundare aliud Monasterium. Video tamen S. Congregat. Episcop. declarasse transferri non posse moniales pro instructione noui monasterij, inconsculta Sede Apostolica, Neque ratione Prioratus aut alterius officij, ac ita intimatum fuisse procuratoribus Generalibus ordinum, Diana *Tract. 2. de Dub. Regular. Resolut. 99. & 127.* Castellin. de *elect. c. 17. num. 6.* Barbosa de *potestate Episc. Allegat. 102. n. 25.* Gauantus in *manu. Episcop. verb. monialium Clausur. num. 14.* [ Zerola in *praxi par. 2. verb. Moniales §. 8.* Quamuis Portellus in *Responsion. moral. 10. 2. casu 31.* non admittat præfatam declarationem.] Quando causa egrediendi legitima non est, sed fraude, vel fauore obtenta non excusat Monialem in conscientia, cum talis licentia nulla sit Suarez 4. tom. de *Relig. tract. 8. lib. 1. c. 9. n. 14.* Vide pro alijs casibus Bonacinam de *Clausur. quest. 1. punct. 9.*
21. Causa autem aliqua legitima ex prædictis subsistente, possunt Prælati Religionum facultatem concedere exeundi e Monasterio Monialibus sibi subiectis, accedente tamen consensu Episcopi approbantis causam egressus. Ratio est, quia ita habetur in Trid. *sess. 25. c. 5.* & in supradicta Constitutione Pij V. Laurentius de Peirinis tom. 1. *primi leg. minim. in Constit. 6. Pij V. n. 22.* Exstat quoque S. Congregat. declaratio, qua dicitur: Moniales subiectæ iurisdictioni Regularium exemptorum, si sine licentia Ordinarij egressæ fuerint e Monasterijs, debent ipsæ, & eorum Superiores, de quorum licentia de Monasterijs egressæ fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia ab eorum Ordinatio puniri, non obstantibus quibuscumque privilegijs, &c. Zerola 1. p. *prax. verb. monialis.* Addunt aliqui consuetudine receptum esse in Hispania, vt non requiratur talis licentia Episcopi, vel Ordinarij. Rodriguez tom. 1. q. 49. art. 6. Sanchez lib. 6. in *Decalog. c. 15. n. 28.* Dilligenter tamen intuendum est an hoc sit vera consuetudo, sed quòd lex Ecclesiastica non amittit suam vim nisi post longam præscriptionem. Suarez tom. 4. de *Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 9. num. 14.* Imò quando necessitas egressus vrgeret, & ratione longæ distantie Superioris non posset ad ipsum adiri absque graui periculo, posset Monialis, Superiore inconsculto, e monasterio egredi, quia necessitas caret lege, & per Episcopum censerì potest hunc casum non comprehendendi in Decretis Concilij, & Pontificum. Sylæster *verb. Relig. 7. quest. 16.* Rodriguez tom. 1. *quest. 49. art. 2.* Bonacina de *Clausur. quest. 1. punct. 8.* Vide dicenda cap. sequenti num. 20.
22. Moniales tamen quomodolibet egressæ e Monasterijs, vel propter morbos permiffos, vel propter aliam causam, ea cessante, tenentur statim redire. Ratio est, quia licentia non durat nisi durante causa egressionis. Rodriguez tom. 1. *quest. 47. art. 11.* Sanchez lib. 6. in *Decalog. cap. 15. n. 60. & 61.* Qui etiam bene addunt, breuem moram non esse contra hoc præceptum redeundi.
23. Nouitiæ, vt dictam est supra n. 17. non tenentur hac lege de non exeundo a monasterio nisi cum circumstantijs adductis, ac proinde si exeant non incidunt in poenas addu-

ctas supra num. 19. An autem exeuntes a Monasterio interruptant Nouitium, & desinant esse moniales? Dicendum est, quòd si ex causa rationabili, v.g. morbo graui curando, & ex licentia superiorum, ac cum habitu exeant, non censentur interrumpere suum Nouitium, secus autem si sine causa, licentia, aut habitu exeant. Ratio primæ partis est, quia talis egressus cum illis circumstantijs arguit vnionem, & permanentiam in religione, affectumque perseverandi. Ratio verò secundæ est ex opposito, quia talis egressus potius arguit retrocessionem ab obedientia, religione, vel habitu. Suarez 4. tom. de *Relig. tract. 8. lib. 1. c. 8. n. 16.* referens pro hoc quamdam declarationem Cardinalium: Addens etiam, quòd si egressus Nouitiæ sit de licentia Abbatissæ malè tamen concessa, adhuc tamen per talem exitum non interrumpi Nouitium quantum est ex vi iuris communis. Vide Barbosam de *potest. Episcopi Allegat. 101. n. 23. & 28.* Non posse tamen Nouitijs dari licentiam exeundi ad visendos parentes, declarauit S. Congregat. Episcop. Gauantus in *Man. Episcop. verb. monialium Clausur. num. 13.*

24. Moniales non possunt admittere intra Clausuram sui monasterij quaucumque personam cuiuscumque generis, conditionis, aut sexus. Ita habetur in *c. periculofo in principio de stat. Regul. in 6.* & in Concil. Trident. *sess. 25. c. 5.* & in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. Suarez 4. tom. de *Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10.* Sanchez lib. 6. in *Decalog. c. 16. per totum.* Num autem Reges, Reginae, Imperatores, seu Imperatrices hoc præcepto comprehendantur, problema videtur. Bonacina de *Clausur. q. 4. punct. 1.* Non extenditur autem hæc prohibitio ad infantes pueros, seu puellas nondum habentes vsum rationis. Quia et si Concilium Tridentinum videatur includere omnes cuiuscumque ætatis, intentum tamen illius solum extenditur ad illos, qui Moniales inducere possint ad peccandum. Nauarrus in *Summa c. 28.* Corduba in *Summ. q. 60.* Oppositum tamen videtur haberi ex declarat. Sac. Congregat. Regular. apud Gauantum in *Man. Episc. verb. Monial. Clausur. n. 31.* Amentes verò adulti sub hac prohibitione comprehenduntur, propter rationem contrariam. Nauarrus *Comment. 4. n. 55.* Rodriguez tom. 1. q. *Regul. q. 46. art. 1.*

25. Licentiam verò ingrediendi dictam Clausuram concedere possunt Episcopi, vel Superiores, in casibus necessarijs, & respectiue ad Monasteria sibi subiecta. Bonacina vt supra *punct. 2.* ex Conc. Trident. vt supra. Nisi aliud in particularibus religionibus sit lege, vel consuetudine receptum. Quod dixerim præcipue propter Monasteria S. Claræ, & Conceptionis Sanchez lib. 6. c. 16. n. 20. Puellas verò educationis gratia Monasteria Monialium intrantes ingredi non posse sine licentia Papæ, aut S. Congregationis tradit Bonacina de *legibus dispur. 1. quest. 1. punct. 3. numer. 20.* & de *Clausur. quest. 4. punct. 4. numer. 16.* Sed non video fundamentum in hoc authore, aut in alijs ad hoc, nisi Decretum Sac. Congregat. Episcop. quod affert Gauantus in *Manual. Episcop. verb. Monial. educatio num. 8.* quod forsan solum intelligitur de illis monasterijs, in quibus non est consuetudo tales puellas recipiendi, iuxta dicenda n. 29. Ipsi etiam superiores ingredi possunt, si id faciant in casibus necessarijs, & a paucis, iisque senioribus, ac Religiosis personis, comitati. Greg. XIII. in Bulla edita anno 1581. quæ incipit *Dubijs, que emergunt.* Abbatissa verò non potest dare hanc licentiam. Quia Concilium postquam dixit Episcopum, vel superiorem licentiam hanc debere dare, subiunxit, neque alius vllò modo id possit. Quo excluduntur prædictæ Abbatissæ. Nomen enim masculini generis etiam foeminas comprehendere est regula communis. Nauarrus *Comm. 4. de Regul. n. 59.* Suar. 4. tom. de *Relig. tr. 8. lib. 1. c. 10. n. 14.* Addens, neque ex commissione Prælati posse hanc licentiam Abbatissam, aut quemlibet alium concedere. Quia Concilium reuocat omnes facultates etiam in posterum concedendas. Exstat verò declaratio Sacræ Congregationis circa hoc, per hæc verba. *Vbi post Concilium fuerit consuetudo introducta, vt Ordinarius det hanc licentiam in monasterijs Regularibus subiectis obseruandam esse. Vbi fuerit consuetudo introducta, vt Episcopus habeat superintendentiam aliquam super concessione talium licentiarum, v.g. quòd debeant apud ipsius registrari, obseruandum esse, quamuis Episcopus non possit tunc licentiam improbare.*



Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 15. Qualis etiam debeat esse hæc licentia, vide Bonacina de Claus. quest. 4. punct. 3.

26. Causæ legitimæ ingrediendi monasteria Monialium sunt, primò, necessitatum communium monasteriorum Monialium, quæ per ipsas suppleri non possunt, verbi gratia fabricatorum, portatorum lignorum, &c. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 16. num. 43. Secundò, necessitatum spiritualium, v.g. Confessorij, seu Sacerdotis ministrantis sacramenta infirmis. Sanchez ibidem num. 44. Vide infra num. 40. Idem dico tertio quoad necessitates corporales, v.g. pro medicis, chirurgis, sanguinis.

27. Pœnæ verò contra ingredientes Monasteria Monialium ultra casum necessitatis, & sine Superioris licentia, sunt excommunicatio ipso facto Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. Illamque Summo Pontifici reservavit Gregorius Decimus Tertius in Bulla illa anno 1575. quæ incipit, *Vbi gratia*. Bonacina de Clausur. quest. 4. punct. 5. Contra Prælatos verò, vel Moniales talem ingressum permittentes, ultra prædictam excommunicationem, est inflicta pœna privationis dignitatum, & beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Gregorius Decimus tertius in prædicta Bulla *Vbi gratia*. Prælatos etiam Monasteria Monialium sine prædictis conditionibus intrantes, si pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice Ecclesiæ ingressu interdictos, pro secunda, à munere Pontificali, & à Divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere, regulares verò omni officio, ac ministerio privatos, excommunicationi similiter subiacere, statuit Gregorius XIII. in prædicta Constitutione *Dubijs, que emergunt*. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 16. à n. 71. Gauantus in Manual. Episc. verb. *Monial. Claus.* à num. 46.

28. Prædictis tamen non obstantibus, volunt quidam, feminas aliquas etiam viduas, seu maritatas, posse admitti intra Monasteria Monialium, ob gravem causam, verb. gr. cum vxor timens sævitiam viri, vult ab ipso separari, &c. Sed quia de hoc non video constantem aliquam Declarationem Cardinalium, sed potius varias, non audeo id consilium, nisi ubi legitima consuetudine id esset præscriptum. Rodriguez tom. 9. Regul. q. 56. art. 10. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 16. n. 64. Barbosa de potest. Episcoporum. Alleg. 102. num. 67. Vbi hoc decisum refertur. Vide Portellum in additionibus ad dubia Regularium verb. *Clausura monialium* n. 2. afferentem declarationem DD. Cardinal. factam Episcopo Salmaticensi, ubi id dicitur non posse fieri. [Nota verò in Lusitanæ Regno contigisse quoddam scœmina maritata, quam maritus cum inimicis iustitiæ insequeretur ad mortem illi inferendam propter adulterium commissum, ad quoddam Monasterium Monialium confugerit pro evitanda morte illi imminente, & Episcopus super hoc consultus responderit, vt scœmina illa intra clausuram conservaretur: Collector autem Apostolicus innixus declarationi Sacræ Congregationis, quam à Roma dicebat sibi transmissam, quam etiam referunt Rodriguez in Bullario inter Bullas Clementis VIII. & Portellus supra, ac in Responsionib. moral. tom. 2. casu 106. extrahi fecerit ex dicto Monasterio præfaram adulteram. Nihilominus Portellus ipse eo casu 1. 6. innixus alijs declarationibus Sacræ Congregationis, & quod casus tam vrgentis & grauis necessitatis effugiendi mortem tam proximè imminente anteponi debeat legi positivæ, probabiliter satis tenet conformiter ad aliorum doctrinam talem scœminam, aut eam in casu prædicto intra clausuram Monialium recipientes non incurrisse pœnas impostas contra transgredientes talem clausuram. Immo dici posset Sacram Congregationem declarantem oppositum solum loqui de casibus non tam vrgentibus, sed passim & ordinariè occurrentibus, in quibus vici cum vxoribus litigant, aut rixantur sub prætextu adulterij &c. Declarationes verò quæ favent huic opinioni est quas, etiam refert idem Portellus eo casu 106. ex impressis Anverpiæ anno 1631. sunt illæ Prima. *Quod mulier conjugata si sit in Monasterio Monialium & confesso quod se inde exierit versabitur in periculo mortis, in monasterio relinqui debet. Secunda. Mulier que venit in suspicionem adulterij apud maritum, & ob id timet ne ab eo vis aliqua inferatur, permitti debet, vt Monasterium*

ingrediatur Monialium, si modo Constitutiones Monasterij non repugnent. Tertia mulieres que sunt in discordia cum maritis, & eorum sævitiam timeant, si sunt extra clausuram, quando iustam timendi causam habuerint, debent si sunt in Monasterijs tolerari. De fide potè quæ adhiberi debet huiusmodi declarationibus Sacræ Congregationis, est quid si authenticæ non fuerint, latè dico 3. tom. verb. *Sac. Congregatio*.]

29. Possunt tamen in Monasterijs Monialium admitti puellæ seculares, vt ibi honestè educantur, vel seruantur, de licentia tamen superiorum, & dummodò de Monasterio non exeant iterum reuertura, ac concurrentibus alijs conditionibus à Sacr. Congregatione Cardinalium præscriptis, prout infra. Ratio est, quia hoc nec est intrinsecè malum, & aliquo modo est necessarium pro Monasterijs Monialium, cum multæ ex prædictis puellis habitam suscipiant in Monasterijs, ubi sunt educatæ, ac per consequens videatur permissum à Concil. Trident. quatenus permittit ingressum in Monasteria Monialium de licentia Episcopi, vel Superioris in casibus necessarijs, sess. 25. cap. 5. Vnde à Sacra Congregatione anno 1575. declaratum dicitur, nullo Concilij Decreto prohiberi, quo minus puellæ in Monasterijs Monialium educantur, si tamen eadem Monasteria ante Concilium consueverint huiusmodi puellas recipere, siquæ à superioribus monasteriorum scriptam licentiam impetrauerint, atque Abbatissæ, & reliquarum Monialium consensus accesserit. Tum verò ipsæ puellæ eo vestitu in Monasteria intromittantur, qui virginali pudore, modestiæ contemiat, nullamque secum famulam adducant, nec manere in eis possint nisi vsque ad ætatis suæ annum vigesimum quintum, atque in eis dum erunt, eandem seruent clausuræ legem, quam Moniales ipsæ, & si semel exierint, nullam habeant ad ea reuertendi facultatem. Nauarrus Comment. 4. n. 67. Laurentius de Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 6. Py V. num. 10. Vide etiam alias declarationes circa hoc in Thoma Zetola in præx. Episcop. verb. *moniales*. Videlicet, quòd prædictæ puellæ non sint supra numerum præfixum, & pro eis quolibet semestri anticipata alimenta soluantur, & quòd sint separatæ à loco destinato monialibus, & Nouitijs ad dormiendum, ac operibus manuum vacandum. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 16. à n. 61. Bonacina de Clausur. q. 4. punct. 4. à n. 15. Vide dicta n. 25. & Gauantum in manual. Episc. verb. *monial. educatio*. ubi nouas alias S. Congreg. Episc. declarationes affert.

30. Fœminam tamen aliquam nobilem, & generosam, v.g. Marchionissam, vel Ducissam, ad monasterium admittere propter aliquam commoditatem ipsius, licet quidem affirmant, probabilius tamen alij negant. Ratio est, quia in hoc nulla est necessitas, & ex alia parte declaratum fuit à S. Congregat. hoc fieri non posse, vt refert Miranda tract. de Sacris Monialibus q. 2. art. 7. Barbosa de potest. Episcop. Alleg. 102. n. 67.

31. Similiter non potest dari licentia matri, sororibus, vel consanguineis monialis infirmæ, etiam morti proximæ, ingrediendi in monasterium ad illam visitandam. Quia hic non est casus necessitatis, & consuetudo ita declarauit, maximè cum S. Congregatio id expresse per hæc verba: *Non licet Episcopo licentiam dare matri, sororibus, & consanguineis Monasterium ingrediendi causa visitandi filias, vel sorores, etiam si sint in mortis periculo*. Miranda in Tract. de Sacris Monialibus quest. 2. artic. 8.

32. Possunt tamen Moniales pro totius Monasterij obsequio famulas seculares habere, quando non sunt Conuersæ, quæ istud ministerium exercere possunt, dummodo foras non exeant, & admittantur de licentia Superiorum. Ratio est, quia habere illas conueniens est, & necessarium Monialibus Choro deputatis, vt melius possint vacare Diuinis. Ergo subsistente licentia superiorum, & necessitate illas habendi, admitti poterunt. Nauarr. Comment. ar. 4. num. 66. & 67. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 16. n. 66. Quod etiam concessum video à Gregor. XIII. quibusdam monialibus. Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 6. Py V. n. 31. Imò etiam pro priuato ministerio alicuius monialis nobilissimæ agræ valetudinis, aut nimis senectutis, si eius necessitati per Conuersas Monasterij subueniri commodè non possit, tenent idem quidam Authores, & Rodrigu.

- tom. 1. q. 46. art. 9. propter eandem rationem, & antiquam consuetudinem. Oppositum tamen tenet Miranda in *trac. de Sacris Monialibus*, q. 2. art. 9. Vnde cautè in hoc procedendum. Maximè, quia à Sacra Congregat. Episcoporum, & regularium declaratum video, non posse introduci tales ancillas in seruitium infirmarum, seu decrepitarum, sine licentia Sedis Apostolicæ. Gauantus in *Man. verb. Episc. v. Monial. recept. num. 14.* Vide & n. 15. & 16. in eodem Gauanto.
33. Licentias concessas mulieribus quibuscumque ingrediendi Monasteria Monialium limitauit Paulus V. in Bulla *Facultatum* anno 1608. edita. Postea tamen in Bulla *Monialium* anno 1612. omninò reuocauit omnes tales licentias, præcipiendi quibuscumque mulieribus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reseruata, ne prædicta Monasteria ingrediantur, & Monasteriorum Abbatissis, seu Priorissis, & Superioribus sub eadem, & alijs pœnis, ne talem ingressum permittant. Vide Bullam 3. tom. Bullar. Laertij num. 74. Peirinis tom. 2. priuil. minim. in *Const. 6. Pij V. num. 5.* Post quæ S. D. N. Urban. in Bulla 5. *Sacrofanctum*, anno 1624. edita, vt habetur 4. to. Bullar. inter Bull. Urbani n. 29. declarauit consensum Monialium, qui requiritur ad hoc quòd scemina seculares ipsarum monasteria ingrediantur, per easdem moniales capitulariter, & per secreta suffragia præstandum esse, alias licentia huiusmodi, mulieribus, quibus concessæ fuerunt nullatenus suffragentur. Bonacina de *Clausur. quest. 4. punct. 5.* Loquitur autem Pontifex in casu, quo scemina intrare velint ex vi licentiarum à Sede Apost. impetratarum.
34. Loqui cum Monialibus futiuè, idest, sine licentia Abbatissæ, vel eius, ad quem spectat illam dare regulariter est peccatum mortale, quia est contra ius Abbatissæ, vel Superioris Monialium, sicut inter seculares loqui futiuè cum virgine existente sub cura parentum Suarez 4. tom. de *Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. num. 27.* Idem dico, etiam si locutio sit per nutus, & signa, & etiam si monialis ipsa non loquatur, propter eandem rationem. Diana *Tract. 2. de Dub. Regular. Resolut. 48.* Probabiliter excusantur in hoc pueri, & puellæ ante 14. annum quia in illis non militat eadem ratio ac in alijs maioris ætatis. Diana ibid.
35. Insuper ex mandato Sacræ Congregationis die 4. Aprilis 1587. Regulares adeuntes Monasteria monialium sine licentia Episcopi incidunt in pœnam excommunicationis quam Episcopus suo Edicto proposuit, nisi Regulares illi haberent ex priuilegio, quòd non possint excommunicari & tunc debent puniri à suis superioribus alia pœna; Qui Regulares sic excommunicati non possunt absolui à suis superioribus, sed ab Episcopo qui sibi hanc absolutionem reseruauit. Suarez tom. 4. de *Relig. cap. 10. num. 27.* Rodriguez tom. 1. *quest. 45. art. 2. in fine.* Extat etiam Sac. Congregat. declaratio, quòd licentia adeundi ad colloquium cum Monialibus regularibus subiectis spectat ad ipsos superiores Regulares, nisi ex consuetudine ad Episcopos pertineat. Quaranta *ver. Monast. Monial.* Gauantus in *Man. Episc. verb. Monial. collocutio num. 2. & 3.* Hoc verò intelligi non potest de regularibus, qui vt moniales alloquantur, indigent licentia Sac. Congregationis, vel Ordinariorum, iuxta dicenda num. sequenti, solùm ergo intelligi hoc debet de secularibus. Peirin. tom. 2. priuil. minim. in *Const. 6. Pij V. num. 28.*
36. Visitare, vel inuisitare moniales, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinet licentia, est peccatum. Quia prohibitum eisdem verbis in *cap. periculofo in princ. de stat. Regul. in 6.* Quod Decretum innouatum est à Pio V. in Bulla, quæ incipit *Circa Pastoralis Officij.* Nauarrus *Comment. 4. n. 61.* Rodriguez tom. 1. *quest. 45. art. 4.* Hoc verò peccatum, ex se, & seclusis circumstantijs alijs extrinsecis, solùm videtur veniale. Quia materia solùm putatur leuis, & communiter saltem in Hispaniæ partibus, ita habetur. Rodriguez ibidem. Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 16. num. 120.* Frequentare verò huiusmodi accessum, seu quòd idem est, sæpius alloqui aliquam, vel aliquas Moniales, in Clericis, etiam secularibus, vix excusari potest à mortali. Ratio est, quia est illis prohibitum, in *cap. monasteria de vita, & honestate Clericorum.* Llamas in *methodo curationis in appendice §. 4.* Alij verò dicunt esse solùm veniales, eo quòd licet illæ pœnæ sint

graues, non tamen statuantur, nisi præmissa admonitione Episcopi. Nauarrus in *Summ. cap. 25. num. 10.* Sanchez vt supra. Si tamen adsit scandalum, praua intentio, occasio peccandi, vel mala suspicio de fama Monasterij, vt ferè semper ex frequenti ista alloquutione monialium confurgit sine dubio est peccatum mortale, propter grauitatem materiæ. Suarez 4. to. de *Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. 27.* Religiosis autem prohibitum est accedere ad monialium Cœnobia, vel ipsas personas intra Clausuram existentes alloqui, absque licentia expressa Sacræ Congregationis, sub pœna priuationis officiorum, & vocis actiua, & passiuæ ipso facto incurrendæ. Ita habetur in Decreto Sacræ Congregationis ann. 1590. edito Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 16. num. 115.*

Quod Decretum, licet innouatum sit à Sacra Congregatione, sub Sanctissimo D. N. Urbano VIII. anno 1623. moderatum tamen fuit quoad hoc, scilicet facultatem tribuendo Ordinarijs, vt, quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licent possint concedere per quatuor vices ad summum quolibet anno, cuiuscumque Regulari; vt moniales sibi in primo, & secundo tantum consanguinitatis gradu conuersas conuenire, & alloqui possit. Seruatis tamen quibusdam conditionibus in prædicto Decreto contentis. Laurentius de Peirinis tom. 1. priuil. minim. in *Const. 6. Pij V. num. 7.* Vide etiam infra num. 40. Insuper præter prædictas pœnas peccare mortaliter regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra formam præscriptam, declaratum est à S. Congregatione anno 1606. Idem Peirinis vt supra n. 36. Præterea Regularem absque legitima licentia accedentem ad monasteria Monialium regularibus subiectarum ibique cum Moniali colloquentem, posse à Diocesano Episcopo tamquam sedis Apostolicæ delegato, coerceri, & puniri, declarauit Sac. Congregatio, approbante S. D. N. Urbano. Vide 10. 4. Bullar. post Bullam 18. Gregorij Decimiquinti Bonacina in *tract. de Clausur. quest. 3. punct. 4.*

Præcipitur etiam à S. Congregat. Episcop. & Regul. ne permitatur accessus ad Moniales sub prætextu docendi sonum cymbalorum, aut alterius instrumenti, aut musicam, cantumue, ad crates. Permissum tamen, quod matres, patres, imò, & filij Monialium possint eas alloqui sine licentia, non tamen in diebus prohibitis. Gauantus in *Manual. Episcop. verb. Monial. collocutio. n. 47. & 8.*

37. Scribere autem Epistolas ad Moniales non est ex se peccatum, quia nulla lex est communis hoc prohibens. Vnde cessante scandalo, aut mala aliqua circumstantia talium Epistolarum non erit peccatum illas scribere. Suarez 10. 4. de *Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 10. n. vlt.* Romæ autem hoc est interdicitum; licet non videatur extra Romam obligare, quia non est lex Pontificia. Nauarrus *Comment. 4. n. 61.* Quibusdam tamen religiosis præceptum est à Gregorio XIII. ne huiusmodi litteras scribant, quod illos obligat non alios Nauarrus *conf. 19. de senten. excommunicat. in 2. editione.*

38. Moniales Conuersæ non essent admittendæ in religionibus ex vi Constitutionis Pij V. Ed quòd id manifestè prohibeat. Nauarrus *comment. 4. n. 56.* Licet alij teneant contrarium. Suarez 10. 4. de *Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 8. n. 19.* Quicquid de hoc sit, consuetudine receptum est in multis locis prædictas Moniales cōuersas in Monasterijs admitti. Rodriguez 10. 1. *quest. 44. art. 4.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 15. n. 58.*

39. Moniales Nouitiæ in articulo mortis constitutæ professionem emittere possunt, etiam ante annum probationis expletum, dummodò sint legitime ætatis iuxta dicta *cap. precedenti n. 42.* Quia ita concessit Pius V. Monialibus Dominicanis in Bulla, quæ incipit *Summi Sacerdotij cura* anno 1570. edita. Et habetur in 2. tom. Bullarij num. 109. Quod priuilegium non est reuocatum à Gregorio XIII. (Rodrig. 10. 3. *quest. Regul. quest. 15. art. 6.*) Quia etsi demus ipsum reduxisse omnia priuilegia à Pio V. Regularibus concessa ad terminos Concilij Trident. hoc tamen solùm intelligi debet in casibus communibus, non in casu aliquo particulari concernente bonum spirituale animæ Peirinis tom. 2. priuil. *Minim. in Const. 8. Pij V. §. 2.* Probabile etiam est talem Monialem sic professam in articulo mortis, si casu non decedat è vita, verè professam manere.

nec noua indigere professione. Cum talis professio valida fuerit, & solum illi defuerit complementum Nouitatus, in quo Papa dispensat. Idem Peirin. vt supra. Quia tamen oppositum dicitur decem à S. Congregat. Cardinal. idèdè cautè procedendum. Gauantus in *Manual. Episcop. verb. Monialium professio num. 4. & 5.* Probabile etiam est Monasterium succedere in bona sic profitentium, propter eandem rationem. Sanchez *li. 5. in Decalog. cap. 4. num. 16.* Nisi obstet prædicta declaratio Sac. Congregatione.

Pro eisdem autem Monialibus Nouitijs nota, obseruanda esse ea, quæ diximus de Nouitijs vitis *c. 24. n. 32. & seqq.* Vnde præter victum, & vestitum Nouitiæ, nihil tribui potest Monasterio, sub pœna Anathematis dantibus, & recipientibus; ex Concil. Trident. *sess. 25. c. 16.* Vide dicta *cap. 24. num. 32.* Similiter nec possunt prædictæ Nouitiæ validè disponere de bonis ad illas pertinentibus, nisi cum conditionibus assignatis ab eodem Concilio ibid. scilicet, nisi fiat talis dispositio, aut renunciatio cum licentia Episcopi, seu Vicarij, & intra duos menses proximos ante professionem. Vide dicta prædicto *c. 24. à num. 33. vsque ad 36.* Præterea, iuxta dicta supra *n. 5.* licitum est accipere pro sustentatione Monialis recipiendæ non solum id, quod est necessarium pro sustentatione illius tempore Nouitatus, prout supponitur à Concil. Trident. *loco citato*; sed etiam id, quod fuerit necessarium pro alimentis ipsius per totam vitam. Ratio est, quia hoc non est accipere temporale pro spiritali, quod est simoniacum, sed temporale pro temporali, scilicet pecuniam pro sustentatione, quod iure naturali concessum est. Bonacina *de Sim. q. 7. §. 4.* Hoc autem, quod datur pro tali sustentatione, quod solet appellari nomine dotis, debet primò, anno probationis durante, deponi penes idoneam personam, non affines, neque consanguineos monialium; & post professionem, in bonis stabilibus, seu censibus implicari. Debet secundò, solui in ære; non in bonis stabilibus. Præterea tertio, nulla fiat dotium differentia inter indigenas, & aduenas. Quarto, expendi potest dos in vsus communes Monasterio necessarios: si verò sit supernumerarium in emptione bonorum stabilium conuertatur. Quorum declarationes à S. Congreg. Episcoporum, & Regularium factas refert Gauantus in *Manuali Episcop. verb. Monialium Nouitiarum alimenta per totum.* Si verò discedat Nouitia, omnia, quæ secum attulit restituenda sunt. Concilium Trident. *ibid.* Idem fiat si moriatur ante professionem; excepto habitu religioso, qui non est restituendus, sed tantum pretium eius. Barbosa *de potest. Episcop. Allegat. 101. num. 39. & 40.*

40 Circa Prædicatores, Capellanos, & Confessores Monialium extat Decretum S. Congregationis, anno 1590. quo præcipitur, quod si aliquando, mandato sui Superioris, aliquos Religiosos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium, seu sororum Ecclesijs, siue Oratorijs exterioribus, siue extra claustra existentibus, mitti contigerit, nullo quæsito colore, Moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra Claustram degentes alloqui possint. Confessarijs autem similiter interdixerunt, ne in adibus monasterij, seu Domus, vel monasterio, seu Domui monialium, aut sororum contigujs, pernoctent; aut alios pernoctare faciant, vel alias secum retineant; neque extra tempora generalium confessionum, quibus soli tantum Confessario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum videlicet, cum sua habitatio, aut virorum Domus, vel monasterium in quo degit, à monialium, seu sororum monasterio, vel Domo nimium distat (nisi tamen, & eo casu contrarium specialiter constitutum sit) ibi nullo modo comedant, resiciantur, aut cibum sumant. Quæ omnia, & singula sub pœnis priuationis officiorum, ac vocis actiue, & passiuæ ipso facto incurrendis, alijsque eiusdem Congregationis arbitrio præceptum est inuolubiler obseruari. Quaranta in *Summ. Bullar. verb. Monasteria Monialium*, addens, Decretum hoc extensum fuisse ad regulares S. Ioannis Hierosolymitani, vt eadem Sac. Congregatio scripsit Vicario Neapolitano. Vide *d. & n. 14.*

Circa eosdem Confessarios Monialium animaduerte, illos non posse ingredi in earum monasteria ad aspergendum

domum in Sabbato Sancto, aut alio die. Neque vt comitentur medicos, aut alios operarios. Neque vt audiant Confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad sedem confessionalem. Neque item prætextu sepeliendæ Monialis, aut officium funerale peragendi. Administrata etiam extrema vnctione, non potest ibi remanere Confessarius. Nec etiam potest diuagare ad aliam partem Monasterij, etiam occasione visitandi alias infirmas. Quæ omnia constant ex declarationibus S. Congregat. Episc. & Regul. apud Gau. in *Man. Episc. verb. Monial. Claus. à num. 37.* Qui etiam addit *num. 41.* quod in casibus, in quibus Confessarius eget socio non est necessaria licentia pro eo expressa. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 16. num. 47.* & Diana *tract. 2. de Dnb. Regul. Resol. 51.* Confessarios autem Ordinarios, etiam eos, qui Confessiones Monialium Regularibus subiectarum audiunt, tantum per triennium durare debere, nec ad id munus eligi posse habentes curam animarum, nec extraordinarios designandos esse pro particulari Moniali, sed in communi declarauit Sac. Congregat. Episc. & Regul. apud eundem Gauantum *vt supr. ver. Monialium cura spiritalis.* vbi multa de huiusmodi Confessarijs.

41 Licitum est Monialibus transire de vna Regione ad aliam, seruatim tamen conditionibus, de quibus diximus *cap. 22. à num. 3.* Ratio est, quia iure antiquo id licebat. *cap. 1. 20. quest. 4.* vt docet ibi Gloss. *verbo Virgines, & cap. 1. in princip. verb. Perpetua, de stat. Regul. in 6.* & hoc non est hodie abrogatum, nec per Concil. Trident. nec per Constitutiones Pij V. Quia solum loquuntur de egressu à Monasterio, non de transitu ad aliam Religionem propter causas iustas Rodriguez *tom. 3. quest. Regul. quest. 52. art. 6.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 6.* Religiosa autem transiens de vna Religione ad aliam, non potest secum deferre, nisi quod à Religione, quam relinquit, sibi fuerit permissum. Ratio est, quia iam illi sunt omnia acquisita. Nauarrus *in cap. Non dicatis. num. 30. & 31. & in cap. Statuimus, n. 24.* Idem dicunt aliqui de moniali, quæ ex vno Monasterio ad aliud transit ex licentia sui Superioris, scilicet, non teneri deferre ad illud dotem, quam primo Monasterio dedit. Propter eandem rationem. Nauarrus *Comment. 4. n. 24. vers. 11. & lib. 3. consil. cons. 55. num. 9.* Rodriguez *to. 2. quest. Regul. quest. 79. artic. 2.* Oppositum verò videtur dicendum, quando monialis transit de vna Religione ad aliam: videtur enim necessarium secum portare suam dotem, cum illam dederit Religioni propter sui sustentationem; vnde si Religio illi concedit facultatem transeundi ad aliam, videtur obligari ad præbendum illi, vnde possit in alia sustentari.

42 Circa absolutionem Monialium à casibus reseruatis, præter dicta in superioribus in capite Prælati *à n. 31. in cap. de Confessoribus à n. 27.* extant etiam peculiaria priuilegia, de quibus Cafarrubius *verb. Absolutio extraord. quoad frat. Miranda in tract. de Sac. Monial. q. 10. art. 4.* Aduerte tamen aliquot illorum esse viua vocis oracula, quæ iam his temporibus nihil valent, quia reuocata sunt.

43 Quoad Cappellanos Monialium aduertendum est, illos debere dicere Missam de Sancto, de quo Officium fit à Monialibus; sed cum Missali Romano. Vide dicta *c. 21. n. 32.* Nota etiam, moniales in *Confiteor*, nihil mutare posse, neque dicere *tibi Mater, vobis sorores, &c.* sed *tibi Pater, vobis frater*, sicut viros. Gauantus *2. to. Thesaur. sect. 5. c. 17. n. 12.*

Circa erectionem Monasteriorum monialium, determinatum est à S. Congregat. Eminentiss. Cardinalium super Episcopos, & regulares. Primò, ne erigantur noua Monasteria, quibus ad minus 300. scutorum redditus annuus non assignetur, pro duodecim sustentandis. Secundò, ne erigantur sine consensu Ordinarij. Tertio, ne sine speciali Sedis Apostolicæ indulto. Quarto, ne erigantur nisi in locis muro cinctis, & vbi copia Confessoriorum adest, aut facultates conducendi Confessarium aliundè. Quintò, ne erigantur in ijs locis, in quibus Monasteria prius erecta, laborant inopia. Sextò, quòd propè Monasteria tollantur omnes arbores altæ. Septimò, quòd in colloquutorio nullo modo sit porta, per quam aditus sit in Monasteria. Similiter pro Ecclesijs earundem Monialium præcipitur ab eadem Sacra Congregatione. Primò, quòd clauis fenestellæ pro Communione Monialium, perpetuò

petuò sit apud Confessarium. Secundò, ne permittatur in earum Ecclesijs cantus simplex, vel figuratus à personis secularibus. Tertio, quòd in sepultura monialium, quæ intra Clausuram est, ne sepeliantur extranei. Quarto, quòd si viger consuetudo sepeliendi moniales in Ecclesia exteriori, permittatur. Quintò, ne instituantur ibi Confraternitates laicorum. Pro quibus omnibus vide Gauantum in *Man. Episc. verb. Monialium monasteria, & verb. Monialium Ecclesie.*

44 Circa regimen monialium ita statuit Concil. Tridentinum *sess. 25. cap. 9. Monasteria sanctimonialium, Sanctæ Sedis Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Sancti Petri, vel S. Iohannis, vel alias quomodocumque nuncupentur ab Episcopis, tamquam diçtæ Sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque. Quæ verò à deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab alijs Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquuntur, &c.*

45 Deinde circa administrationem bonorum Monasteriorum monialium, etiam Regularibus subiectarum, earumque Confessores, prouidit Gregor. XV. in *Constit. de Exempt. Priuilegijs* anno 1622. quam pro Regnis Hispaniarum suspensam esse diximus *cap. 19. num. 35.* Primò, omnes, & quoscumque tam Regulares, quam seculares huiusmodi, nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se posse, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa Clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci, similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Deinde specialiter circa Monialium Confessores, decreuit, quòd Confessores, siue Regulares, siue seculares, quomodocumque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij ad confessiones monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas, nullatenus deputati valeant, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Specialiter etiam circa administrantes bona Monasteriorum monialium statuit, quòd siue Regulares extiterint, siue seculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi, & compelli queant. Subiungitque, quòd liceat Episcopo ex rationabili causa superiores Regulares admonere, vt eiusmodi Confessores, atque Administratores amoueant: ijsque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem, prædictos Confessores, & Administratores amouendi, quoties, & quando opus esse iudicauerint. Ac tandem circa electiones Præpositarum monialium ordinat, quòd similiter possit Episcopus vna cum Superioribus Regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum vel Præpositarum eorundem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus, per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque vlla tamen ipsorum monasteriorum impensa.

46 Circa quæ interrogatum est à Sacra Congregatione Concilij. Primò, an per eandem Constitutionem in illis verbis, *possit Episcopus vna cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatissarum, & cætera electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere*, ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur? Secundò, an Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari? Tertio, an Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus Sanctimonialium sibi subiectarum audiendis. Quarto, an Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris diçtæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, nec ne? Quintò, an Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum? Sextò, an Regularis ad audiendas Confessiones Monialium vnius monasterij ab Episcopo approbatus Confessiones Monialium alterius monasterij au-

dire posse. Septimò, an Confessores Regulares extraordinarij semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas monialium Confessiones pro vna vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilij Tridentini, possint virtute diçtæ approbationis pluries tamquam Confessores extraordinarij eorundem Confessiones audire absque noua Episcopi licentia? Octauò, cum in eadem Constitutione statutum sit, vt liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares amouere, vt amoueant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad eorundem monialium monasteria pertinentium, ijsque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi, quoties, & quando opus esse iudicauerit: an eiusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur? Nonò, an eadem Constitutio, qua parte supponit Episcopi iurisdictioni subijci regulares delinquentes circa personas degentes intra septa Monasteriorum Monialium, aut circa Clausuram, vel bonorum administrationem eorundem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solum in notorijs, & cum scandalo populi? Item decimò, an liceat Episcopo in vim prædictæ Constitutionis punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata. Ad quæ sic respondit eadem Sacra Congregatio. Ad Primùm, ius confirmandi Abbatissas minime fuisse Episcopis per Constitutionem attributum. Vide circa hoc de confirmatore electionum diçta *cap. 14. num. 35. & 36.* Ad Secundum, Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem, illarum Confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei iudicentur, & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari. Vide circa hoc diçta *cap. 19. num. 27. 28. 29. & 35.* Ad Tertium, Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum Officio, pergere, sine alia Episcopi approbatione, in Confessionibus audiendis illarum tantum, quæ spontè ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eliguntur, aut quoquo modo deputantur, vel qui in eorum Officijs, seu Dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiuscumque Ordinis, vel alias legitime præfinito, ad aliud tempus confirmantur, nequaquam posse, Sanctimonialium Confessiones audire, nisi prius à Diocesano Episcopo idoneo iudicati, atque approbati fuerint. Vide etiam diçta *cap. 19. num. 36. & 37. & cap. 18. num. 29.* Ad Quartum, Confessiones huiusmodi nullas atque irritas esse. Ad Quintum, Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam ceteri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere, quoad hoc speciali Episcopi approbatione. Ad Sextum, Regularem ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatum, minime posse audire Confessiones monialium alterius monasterij. Circa restrictionem Confessariorum vide diçta *cap. 19. n. 7. & sequentibus*, animaduertendo etiam multa ex ibi diçtis de Confessarijs secularium non procedere in Confessarijs Monialium, propter huiusmodi Constitutionem Gregorij, & Declarationes circa illam. Ad Septimum, Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire, sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Ad Octauum, Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinquere arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio seridè oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur,

eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri. Ad Num. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notorijs tantum, & cum populi scandalo. Ad Decimum, Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare, si antea ipse expressè declarauerit se uti velle facultate sibi in hac parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animaduertente in regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt. Vide 4. tom. Bullar. inter Bullas Gregor. XV. n. 18. & circa curam Monialium in temporalibus Gauantum in *Manua. Episcop. ver. Monial. cura in temporalib.* ubi etiam Sac. Congregationis Episcop. & Regul. Decreta circa hoc refert.

47 Impedientes Visitatores Monialium quorumcumque in ijs, quæ pertinent ad Officium visitationis earundem, sunt excommunicati ipso facto, Clement. *Attendentes §. final. de stat. Monach.* Tolet. in *Summ. lib. 1. cap. 40. à num. 9.* Vide etiam Gauantum in *Man. Episc. ver. monialium Clausura à n. 64.*

48 Circa bona Monialium derelicta ex Monasterijs ipsarum destructis extat priuilegium Sixti Quarti in Bulla *Dum attendit meditatione*, quo Carmelitis hæc concedit: Et, cum aliquando contingat Monasteria Monialium dicti Ordinis Monialibus destitui adeo, vt de eorum reformatione spes nulla super sit, conuenientiusque sit, quòd illorum sic destitutorum bona ad ipsos Fratres deueniant, quorum erant curæ commissa, quàm ad alios illa, quæ sic destituta existant, & destitui contigerit in futurum, cum eorum bonis omnibus, perpetuis vsibus Fratrum Domus dicti Ordinis, eisdem destitutis Monasterijs propinquioribus, applicamus, ita vt Fratres ipsi possint de illis, & de eorumdem Monasteriorum structuris, & ædificijs, pro eorum voluntate disponere. Prouiso, quòd illorum Ecclesiæ, & Oratoria, ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque Diuina Officia celebrentur. Vide Bullam in *Speculura Ordinis fol. 87.*

49 Pertinet ad Dominos Episcopos procurare in Monasterijs monialium sibi subiectis, ipsarum Clausuram, & inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, & alias pœnas compescere. Concil. Tridentinum, *sess. 25. cap. 5.* Quaranta in *Summ. Bull. verb. Exemptio.* Vnde pro hac Clausura conseruanda, possunt ab ipsis monialibus disquirere ea, quæ ipsam concernunt, in colloquio, aut ad crates, vel fenestram. ChoKier. *de iurisdic. Ordin. in exemptos par. 4. q. 53.* Insuper Magistratus seculares non præbentes auxilium Episcopis circa prædictam Clausuram, excommunicationem incurrunt. Ex Concil. Tridentin. *vt supra Bonacina de Clausur. q. 1. punct. 7.* Vide etiam Declarationes Sac. Congregat. Regular. circa hoc apud Gauantum in *Man. Episcop. ver. Monial. Clausur. n. 29. & 30. & maxime à num. 56.*

50 Comam nutrice prohibitum esse monialibus quidam volunt. Conseruandam tamen standum est. Nullatenus verò permittendum, vti tortis, seu comatis capillis, aut non cooperitis comis. Suarez 4. tom. *de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. num. 4. & 5.*

51 Pro Monialibus Monasteriorum Ciuitatis Neapolis, & Salerni, extrant Ordinationes quædam factæ, reformatæ, & modificatæ à Sacra Congregat. Regular. & à prædictis monialium perpetuò obseruandæ, Quaranta in *Summ. verb. Monasteria Monialium.* Vide & alias Ordinationes pro Monialibus apud Gauantum in *Man. Episcop. ver. Monial. communes leges.*

52 Conditiones assignatæ à Sixto V. pro receptione, & professione Nouitiorum, de quibus nos *cap. precedenti. n. 12.* non extenduntur ad Moniales. Ita enim declarauit ipsemet Sixtus Quintus in secunda Constitutione *Ad Romanum spectat.* citata à nobis ibidem. Idem dico de Decretis Clem. VIII. & Sanctiss. Dom. Nostri Urbani circa receptionem, & institutionem Nouitiorum, adductis etiam eodem *cap. n. 43.* Nullum enim verbum ibi reperio, per quod insinuetur ad Moniales extendenda. Nec video aliquid circa hoc iure communi determinatum. Standum

ergo est peculiariibus institutis, & consuetudinibus Religionum, seu Monasteriorum. Præsertim, quia in iure in *cap. gener. de elect. in 6.* in materia odiosa femina non comprehenduntur.

53 Qualiter Moniales admitti possint vt testes in eorum monasterijs dicemus *c. 27. n. 15.*

#### SYMMARIVM CAP. XXVI.

Duogenera Abbatissarum. n. 1. Earum electio ad quem pertineat. n. 2.

Cuius etatis debent esse vt eligantur. n. 3.

Quanto tempore durat eorum officium. n. 4.

An Vidua, seu corrupta eligi possit in Abbatissam. n. 5.

An illegitima. n. 6. An bigama. n. 7. An possint Abbatissæ, seu Priorissæ, imponere Monialibus præcepta obligantia ad culpam. n. 8.

Circa quam materiam. n. 9.

An in virtute Sanctæ Obedientiæ vel Spiritus Sancti &c. num. 10.

Sub pœna alicuius censura. n. 11.

Exerceant ne actus iurisdictionis. *ibid.* & n. 12.

Possunt & debent cogere Moniales ad obseruantiam Regule, & constitutionum. n. 13.

Punire illas, & inquirere de delictis ipsarum. *ibid.*

Quam licentiam possunt concedere dandi, vel recipiendi. num. 14.

Quid possint circa vota subditarum. n. 15.

Quid circa præcepta Ecclesiastica. n. 16.

An possint recipere nouitias. n. 17.

Quid debeant facere ante professionem nouitiarum. *ibid.*

An possint admittere professiones. n. 18.

Non possunt præesse duobus Monasterijs. n. 19.

Quid possint facere circa egressum & clausuram Monasterij. num. 20.

Vel circa ingressum. *ibid.*

#### De Abbatissis, seu Priorissis Monialium. Cap. XXVI.

1 **D**vo genera Priorissarum, seu Abbatissarum distinguuntur. Aliæ enim sunt Abbatissæ, quæ benedici possunt, & debent, quales sunt Abbatissæ perpetuæ, & si quæ aliæ forsan sunt, de quibus *cap. indemnitatibus §. verum de elect. lib. 6. & Clem. Attendentes §. statum de stat. Monachorum.* Aliæ verò sunt, quæ non benedicuntur, quales sunt, quæ regulariter reperiuntur in Monasterijs non perpetuò, sed temporales, ad triennium, scilicet, vel quadriennium electæ, istæ enim benedicendæ non sunt de iure communi, nisi à Sede Apostolica aliud ipsius concedatur, Nauarrus *lib. 3. conf. de stat. monach. conf. 1.* Quaranta in *Summ. Bull. v. Abbatissa.* Vide etiam Gauantum in *Man. Episcop. v. Abbatissa.*

2 Huiusmodi Abbatissarum, seu Priorissarum electio pertinet de iure communi ad Monasterium. Ex *cap. indemnitatibus citato de elect. lib. 6. Syluest. v. Electio 3. q. 6. num. 7.* Suffragium, seu vocem actiuam in prædicta electione solùm habent Moniales professæ, quæ adminis duodecim annorum ætatis habeant. Ex eodem *cap. Indemnitatibus.* Mirand. in *Trac. de Sacris mon. q. 7. art. 2.* Conuersæ autem professæ, licet de iure communi possint habere suffragium in hac electione, cum nullus textus id prohibeat; ex consuetudine tamen, & specialibus legibus Religionum non admittuntur. Suarez 4. tom. *de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 6. n. 18.* Is verò, qui electioni præest Episcopus, siue alius Superior claustra Monialium non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestram vota singularum audiat, vel accipiat. In reliquis autem seruentur singulorum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones. Ita habet Concil. *Trid. sess. 25. cap. 27.* Vide dicta in *c. de electionibus* maximeque quæ diximus *cap. precedenti à num. 45.* in *Const. Gregor. XV. & responsis Sac. Congregat. ad dubia circa illam.*

3 Ve aliqua eligatur in Abbatissam, seu Priorissam alicuius Monasterij Monialium requiritur ætas quadraginta annorum, & octo post expressam professionem. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem

- eiusdem Ordinis eligi potest. Si autem hoc incommodum Superiori videatur, ex ijs, quæ in eodem Monasterio annum trijesimum exceperint, & quinque saltem annos professionis habuerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur. Ita habetur in Concil. Trident. session. 25. c. 7. Suarez *tomo 4. de Religion. tract. 8. lib. 2. cap. 6. à num. 7.* Addens etiam, defectum harum conditionum non reddere electionem nullam, aut irritam, sed ad summum irritandam. Cum Concilium non apposuerit clausulam irritatiuam, sed solum prohibitiuam. Vide etiam ibidem duas Declarationes Sac. Congregat. circa electionem Abbatissarum, & locum Concilij adductum.
- 4 Abbatissæ, & aliæ Præfectæ Monasteriorum Monialium in Italia ad triennium tantummodo eligendæ sunt, quod si secus actum fuerit, irrita, & nulla voluit esse omnia Gregor. XIII. in Bull. *Exposcit debitum* anno 1583. edita 2. *tomo Bull. num. 80.* Item abstinere debent per triennium à die finitæ administrationis sui officij. Ita habetur in eadem Bulla. Quaranta in *Summ. Bull. v. Abbatissa.* Vide alia apud Gauantum in *Man. Episcop. v. Monial. Officiales à num. 19.*
- 5 Multorum sententia est, Monialem corruptam, seu non virginem, aut viduam eligi non posse in Abbatissam sine dispensatione: propter *capit. inuenculas 20. questione 1. & cap. si quis omnem §. nouimus peccatricem 1. quest. 7.* & etiam, quia indecens est non virginem præesse virginibus, cum illis vix possit persuadere virginitatem; ac proinde dato casu, quod Monialis corrupta occultè eligeretur in Abbatissam, tenet se excusare prout melius poterit, ne suum defectum prodar. Rodriguez *tomo 2. questione 54. artic. 1.* Miranda in *Tractat. de Sac. Monial. questione 7. artic. 6.* Maximè, quia declaratum video à Sac. Congregat. Episcopor. & Regular. Viduam sine licentia Sedis Apostolicæ non posse fieri Abbatissam. Gauantum in *Manual. Episcop. verb. Monialium Officiales num. 6.* Diana *Tractat. 2. de Dubijs Regular. resolut. 99.* Vnde speculatiuè solum, & non practice videtur probabilis sententia affirmans non esse necessariam prædictam conditionem virginitatis ad munus Abbatissæ, nisi solum in casu, quo Monialis illa esset benedicenda, seu consecranda benedictione speciali virginum, de qua *cap. præcedenti num. 10.* Sanchez *lib. 5. de præcept. Decalog. cap. 5. num. 22.* post D. Antoninum, & Paludanum. Adminus tamen consuetudini videtur standum, si illa derogata non sit per prædictum Decretum Sac. Congregat. Episcop. Suarez 4. *tomo de Relig. tractat. 8. libr. 2. capit. 6. num. 16.*
- 6 Illegitima absque dispensatione non potest eligi (secundum plures) in Abbatissam, aut Priorissam. Ratio est, quia in *capit. 1. de Fil. Presbyt.* statuitur, illegitimum inhabilem esse ad Ecclesiasticas dignitates, inter quas computatur munus Abbatissæ. Nauarrus *Comm. 2. de Regul. num. 60.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 5. num. 19.* [Et ita habetur ex quadam declaratione Sacre Congregationis Concilij 27. Aprilis 1630. Si tamen ea non obstatet.] Oportet tamen satis probabile censo. Quia ita video declaratum à Sac. Congregatione Episcopus & Regular. apud Gauantum in *Manual. Episcop. verb. Monial. Officiales num. 7.* & quod in iure *Cap. Generali de Elect. lib. 6. in materia odiosa* femine non comprehenduntur, cuius signum est quod Sixtus Quintus in sua Constitutione contra illegitimos nullam mentionem de Monialibus fecit. Miranda in *tractat. de Sacris Monial. quest. 6. artic. 3.* bene etiam addens, quod casu, quo prima opinio sustinenda esset possent Moniales illegitimæ habilitari ad Officia eodem modo, quo Religiosi, de quo diximus *capit. 18. num. 60.* Vide Portell. in *Dub. Regular. verb. Abbatissa. num. 6.*
- 7 Non posse eligi in Abbatissam Monialem bigamam, asserunt aliqui, eò quod sit eadem ratio de illis, ac de viris bigamis quantum ad hoc. Viuald. in *Candel. Sacram. in 2. edit. par. 3. cap. 5. num. 8.* Sanchez *lib. 5. de præceptis Decalogi cap. 5. num. 23.* Atque ob eandem rationem, infamis nequit esse Abbatissa, sicut nec vir infamis potest esse Abbas Viuald. *ibidem num. 11.* Sanchez *ibidem num. 24.* [Oportet tamen quod attinet ad Monialem bigamam indicat Tamburinus *de iure Abbatissarum disput. 28. quest.*
- 8 Possunt Abbatissæ, seu Priorissæ Monialium imponere illis præcepta obligantia ad culpam, iuxta gravitatem, vel leuitatem materia, mortalem scilicet, si materia fuerit grauis, venialem verò si leuis. Ratio est, quia, etsi prædictæ Abbatissæ non habeant veram, aut propriam potestatem, siue Iurisdictionem spiritualem, cum femina non sit capax illius, habent tamen veram potestatem Dominatiuam, hoc est administrandi, & regendi Monasterium, personas, & bona illius, ac per consequens Moniales tenentur illis obedire, sicut alijs Prælati. Victoria *relect. de potest. Eccles. questio. 2. num. 4.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. capit. 1. num. 18.*
- 9 Hæc verò præcepta, quæ possunt imponere solum sunt circa ea, quæ spectant ad bonum commune politicum Monasterij, vt scilicet pacificè absque scandalis, & perturbationibus gubernetur. Ratio est, quia cum non habeant potestatem spiritualem, seu Iurisdictionem supra Moniales, ac perinde non possint illis imponere præcepta spiritualia, scilicet, spectantia ad finem spiritualem, videlicet perfectionem, & profectum spiritualem animæ adminis poterunt alia præcepta ad prædictum finem boni regiminis Conuentus imponere. Rodriguez *tomo 1. questio. Regul. quest. 15. artic. 1.* Victoria in *Summ. Sacram. de Clausibus num. 325.*
- 10 Vtrum autem possint etiam præcipere Monialibus aliquid in virtute Sanctæ obedientiæ, vel in virtute Spiritus sancti, &c. Multi negant, eò quod solum habentes Iurisdictionem, seu potestatem spiritualem vt possunt isto modo præcipiendi. Alij verò affirmant, eò quod Moniales verè emittunt votum obedientiæ suis Superiorissis. Questio hæc de modo loquendi apparet, & in ea standum est consuetudini approbatæ Monasteriorum. In rigore tamen Iuris loquendo probabilior est secunda sententia, cum modus ille loquendi non importet necessariò Iurisdictionem spiritualem, & ex alia parte possit habere bonum sensum, scilicet in virtute Sanctæ obedientiæ mihi præstitæ, vel in virtute Spiritus sancti, qui me præfecit huic Monasterio, Azor *tomo 1. Inst. Mor. lib. 3. cap. 10. quest. 7.* Cornexo *tomo 2. in 3. part. tract. 5. de excomm. disp. 2. dub. 5.*
- 11 Non possunt autem præcipere aliquid Monialibus sub pœna excommunicationis, vel alterius censuræ. Qui hoc ex vsu Ecclesiæ importat actum Iurisdictionis, cuius femina non sunt capaces. Sotus in *4. distinct. 20. quest. 1. artic. 4.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. capit. 2. num. 4.* An verò ex commissione Pontificis id possint facere, tractatur in materia de censuris. Vide Cornexo *vt supra.*
- 12 Quando huiusmodi Abbatissæ, vel Priorissæ exercere videntur aliquos actus pertinentes ad Iurisdictionem, vt dare Beneficia, vel similia, tunc non exercent verum actum Iurisdictionis, sed solum designant personam, vel materiam cui Pontifex dat beneficium. Suarez 4. *tomo de Rel. tract. 8. lib. 2. cap. 9. num. 13.*
- 13 Possunt tamen, & debent prædictæ Abbatissæ, seu Priorissæ cogere Moniales sibi subditas ad obseruantiam Regulæ, & Constitutionum, punite illas propter transgressionem, inquirere de delictis illarum, &c. Ratio est, quia, vel hoc pertinet ad potestatem dominatiuam, vel ad id habent auctoritatem à confirmante Regulam, seu Prælati Religionis. Vasquez 1. 2. *disp. 166. c. 4.*
- 14 Possunt etiam dare suis Monialibus eam facultatem dandi, vel recipiendi, quam habent alij prælati Regulares, nisi ex consuetudine, aut præcepto Superioris prælati sit eis denegata talis facultas. Ratio est, quia licet non sint verè prælatæ, habent tamen liberam administrationem bonorum sui Monasterij. Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 19. Bonacina de largit. num. disp. 3. punct. 6. num. 7.*
- 15 Non tamen possunt dispensare, in votis Monialium, seu illa commutare. Quia hoc pertinet ad Iurisdictionem spiritualem, quam non habent. Possunt tamen prædicta vota irritare, propter potestatem dominatiuam, quam supra Moniales habent. Sotus 7. *de Iust. & iur. quest. 5. artic. 1.* Nauarrus in *Man. cap. 12. à num. 63.* Quare dispensare, & commutare vota Monialium pertinet ad Superiores Religionum, iuxta dicta *c. 18. num. 48.*
- 16 Abbatissam posse ex commissione prælati dispensare cum Monialibus in ieiunijs, & quibusdam legibus Ecclesiasticis

fiasticis aliqui volunt. Henriquez *lib. 6. de poeni. cap. 2. num. 8.* Alij verò negant, eò quòd dispensare in prædictis legibus sit actus Iurisdictionis, quam non possunt habere Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 1. n. 24.*

17 Non possunt Abbatisse, seu Priorisse recipere Nouitias etiam consentientibus Monialibus sine suorum prælatorum licentia. Quia hoc est actus Iurisdictionis solùm spectans ad veros Prælatos. Cafarubius in *Compend. privileg. verb. Abbatisse num. 8.* referens ad hoc Nicolai V. indultum. Miranda in *tract. de Sac. Monial. quest. 8. artic. 1.* Qui etiam Superiores debent taxare dotes Monialium recipendarum. Eò quòd ipsi habeant potestatem, & Iurisdictionem supra ipsos Conuentus Monialium. Miranda *ut supra artic. 8.* Dotes autem non debent recipi ante professionem. Concil. Trident. *sess. 25. capit. 16. iuxta dicta capit. præced. num. 8.* Tenetur autem Præposita Monasterij per mensem ante professionem alicuius Monialis certiorum facere Episcopum, aliàs ab Officio est suspensam tamdiu quamdiu Episcopo videbitur. Concil. Trident. *sess. 25. capit. 17.* Tolet. in *Summ. lib. 1. capit. 50.* Vide dicta *capit. præcedenti num. 8.* Barbosam *Allegat. 100. & Gaquantum in Man. Episc. verb. Monial. professio à num. 9.* vbi plura ad intentum.

18 Quamuis admittere professionem Monialium pertinet ad quos iura, & Constitutiones Religionum decreuerint, non tamen est contra ius commune, quòd Abbatisse in suo Monasterio professiones Monialium admittat. Nam hæc acceptatio non est actus Iurisdictionis, sed cuiusdam Superioritatis. Azor. *lib. 12. Institut. Moral. cap. 5. quest. 6.* Sanchez *lib. 5. de præcept. Decal. cap. 4. num. 76.* Consulatur ergo leges, & consuetudines Religionum.

19 Ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 7.* Duobus Monasterijs vlla (intellige Abbatisse) præficiatur. Et, si qua duo, vel plura quocumque modo obtinet, cogatur, vno excepto, intra sex menses cætera resignare. Post id verò tempus, nisi resignauerit, omnia ipso iure vacent. Is verò, qui electioni præest, Episcopus, siue alius Superior, claustra Monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vora singularum audiat, vel accipiat. In reliquis seruentur singularum Ordinum, vel Monasteriorum Constitutiones.

20 Abbatisse non possunt concedere Monialibus licentiam villo modo egrediendi è Clausura Monasteriorum. Quia talem licentiam concedere Concilium Trident. & Pius V. limitarunt ad Episcopum, & Superiorem Religionis, iuxta dicta *cap. 25. num. 21.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 28.* Nec etiam possunt ipsæ Abbatisse exire, siquidem eadem obligatione Clausuræ, ac cætera Moniales tenentur. Vnde nec possunt è Clausura exire ad visitandum ædificium Ecclesiæ, quod fabricatur & ad videndum num sibi placeat, aut dicendum cæmentarijs qua forma construendum sit. Sanchez *ut supra num. 52.* Nec etiam ad visitanda Monasteria sibi subiecta. Quia ita definitum est à Pio V. in Bulla quæ incipit *Decoris, & honestati.* Nauarrus *Comm. 4. num. 47. notab. 2. & 3. de Regul.* Possunt tamen è Clausura exire prædictæ Abbatisse, quando propter feudum tenentur præstare iuramentum fidelitatis alicui seculari Principi, si illud per procuratorem præstare nequeunt. Tum quia in hoc casu de communi Monasterij bono agitur, Tum quia ita conceditur à Bonifacio VIII. in *cap. periculoso §. verum quando de Stat. Regul. in 6.* neque hoc reuocatum est à Pio V. aut alio Summo Pontifice. Sanchez *ut supra n. 51.* Bonacina *de Clausur. quest. 1. punct. 9. nu. 9.* Qui bene aduertunt cum Syluest. in *Summ. verb. Religio 7. quest. 16. dub. 2.* adhuc in hoc casu esse licentiam Superioris petendam, quòd si illam neget, posse Abbatisam vti iure suo. Intellige tamen, dam certò constet iniuste denegare licentiam. Qualiter autem non possint prædictæ Abbatisse licentiam ingrediendi Monasteria concedere, diximus *c. 25. num. 25.*

### SVMMARIVM CAP. XXIII.

Triplici via possunt procedere Prælati Regulares ad cognoscenda subditorum delicta. n. 1.  
Via accusationis, denunciationis, & inquisitionis. ibidem.  
Quid significant ista. ibidem.

Inquisitione generali quando vtendum est, & quomodo, num. 2.

Quid facere teneantur subditi in ea. n. 3.

Procedit Index regularis ad inquisitionem specialem quando illi constat de delicto. num. 4. Etiam si male factor sit occultus. n. 5.

Non potest hoc modo procedere nisi præcedat infamia, vel quid simile. n. 6.

Quæ indicia sufficiant ad procedendum hoc modo. n. 7.

Quæ semiplena probatio. n. 8.

An in aliquo casu procedere possit ad inquisitionem specialem ex se solo. n. 9.

Quid quando inquisitio sit non ad punitionem inquisiti, sed ad alios honestos fines. n. 10.

Praxis inquisitionis specialis, num. 11. De interrogatione rei. num. 12.

Quid si fateatur, vel neget delictum. n. 13.

Quid si voluerit se defendere. n. 14.

Quid facere debeat probationibus finitis. num. 15. Testium diuisio. ibid.

Si delictum non sit plene probatum quid agendum. n. 16.

Antortura applicanda. ibid.

Si in tormentis non confiteatur reus delictum quid faciendum. num. 17.

Quid ante sententiam definitiuam præmittendum. n. 18.

De modo procedendi per iuridicam denunciationem. n. 19.

Denunciatoris condiciones. n. 20.

Denunciations facta, quid facere teneatur Index. n. 21.

Accusationis condiciones. n. 22.

An criminis occultus possit esse accusatio. n. 23.

Accusatori quæ competant. n. 24.

Qui non possint esse accusatores. n. 25.

Facta accusatione quid agendum. n. 26.

De forma actorum in iudicio Regulari. n. 27.

## De iudice Regulari, seu modo procedendi iudicialiter in causis Regularibus. Cap. XXVII.

SVpposito ex dictis *cap. 18. num. 15.* posse, & debere Prælatos Regulares delicta suorum subditorum corrigere, & punire, quod maximè est verum pro tempore visitationis illorum, quam tenentur iure communi & Diuino facere, iuxta illud Luc. 12. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, & iure humano ex *capit. Romana §. 1. de censuris in 6. & can. relat. 11. quest. 1.* & expressius ex Concil. Trident. *sess. 25. cap. 1. & 8.* (Roguez *10. 2. quest. 4. art. 4.*) triplici via potest Index Regularis ad hoc procedere, scilicet accusationis, denunciationis, inquisitionis, vt habetur *cap. qualiter, & quando 2. de accusatione.* Primò modo procedit, quando aliquis defert crimen alicuius ad vindictam iustam de eo capeffendam. Secundo modo, quando aliquis defert crimen alterius, non ad vindictam capeffendam, sed ad ipsius emendationem, correctionem, seu poenitentiam. Tertio modo, quando Index ipse Regularis ex officio, & non ad instantiam alicuius procedit inquirendo de delicto commisso. Vnde iste tertius modus procedendi solet vocari ex officio, & duo priores ad instantiam partis. Alderete *de Relig. discipl. lib. 1. cap. 4. §. 5. & 7.* Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 10. de Regim. Societ. cap. 11. & 12.* Deinde modus procedendi per inquisitionem duplex est, scilicet Inquisitionis generalis, & particularis, seu specialis generalis est qua in genere inquiritur an subditi seruent leges, aut statuta Religionis, an committantur crimina, obseruetur Regula, &c. specialis verò est, cum de certa persona, aut certo crimine instituitur inuestigatio. Ad quam adiungunt aliqui tertiam inquisitionem mixtam, quando scilicet, de sola persona instituitur inuestigatio, cum tamen de delicto habeatur certa noticia. Franciscus Aretinus in *Prætic. criminal. cap. 10.* Alderete *ut supra cap. 7.* Rursus denunciatio, quamuis variè diuidatur, melius tamen dicitur quòd est duplex, scilicet Euangelica, & iudicialis. Prior est, quæ fit Prælato non vt Iudici, sed vt Patri, non ad processum formandum, sed ad correctionem, vel emendationem. Posterior verò est, quæ fit Prælato vt Iudici ad

dici ad formandum processum, & puniendum delinquentem. Suarez *vt supra cap. 8.* Thomas de Iesu *in tract. 1. de visitat. Regul. cap. 4.* De quibus omnibus sigillatim dicendum est.

2 Et primò, loquendo de inquisitione generali, seu de modo procedendi per illam, dicendum est, illa vti debere prælatos Regulares in visitationibus Prouinciarum, vel Monasteriorum. Finis enim talium visitationum est inquirere in generali de vitijs, & virtutibus Religiosorum. Suarez *vt supra cap. 11.* Vnde ad hanc inquisitionem generalem non requiritur, quòd præcedat aliqua infamia, aut clamorosa insinuatio de aliquo crimine, aut denunciatio, seu accusatio aliquo. Quia in hac inquisitione generali procedit Prælati ex officio, ob bonum commune Religionis, nec sic procedendo alicui infert iniuriam. Alderete *vt supra cap. 1. num. 3.* Thom. de Iesu *etiam vt supra tract. 1.* Nec etiam requiritur petitio iuramenti à Religiosis; saltem de iure communi (quidquid sit de statutis particularibus Religionum) nam hæc generalis inquisitio non est perfectum iudicium, sed præparatoria ad inquisitionem specialem, quæ perfectum iudicium est. Graffis *2. part. Decis. lib. 3. cap. 28. num. 5.* Alderete *vt supra num. 4.* Ex nostris autem Constitutionibus *part. 2. cap. 7.* imponitur præceptum obedientiæ à Visitatore, quod, vt ibidem dicitur, habet vim iuramenti. Deinde in huiusmodi inquisitione generali crimina occulta interroganda, aut patefacienda, non sunt, nisi de illis præcedat aliqua infamia, aut suspicio probabilis. Ratio est, quia si talis infamia, aut suspicio non præcedit, Iudex non interrogat iuridicè cum non habeat plenam, aut semiplenam probationem, ac per consequens nec ipse potest interrogare, nec subditus occultum peccatorem manifestare. Quod intellige, etiam si sub iuramento interrogetur. Suarez *4. tomo de Relig. lib. 10. de Regim. Societ. cap. 11. num. 7.* Nisi solum velit manifestare tale peccatum prælato vt patri, & secretò ad emendationem fratris, quia vt sic potest id facere, etiam si non præcedat suspicio, aut infamia. Suarez *vt supra num. 8.* Semper tamen præmittenda est, si sit spes emendæ, & opportunitas, correctio fraternalis, quia illa est de iure diuino, Matth. 18. Rodriguez *tomo 2. quest. 8. artic. 1.* Peirinis *tomo 1. de subdito quest. 1. de obedientia cap. 16. post 3. concl.* Excipe Religiosos Iesuistas, quia isti cedunt iuri suo de correctione fraternali, ratione statuti illorum, quod præcipit, quod qui nouerit peccatum socij immediate denunciet Prælato non præmissa correctione fraternali. Suarez *de fide disput. 8. sect. 6.* Volunt etiam aliqui prælatos teneri in huiusmodi visitationibus, seu inquisitionibus generalibus monere subditos ne reuelent peccata omnino occulta, de quibus non est suspicio, aut infamia. Nauarrus *Corollar. 47. num. 179. cap. inter verba.* Hæc tamen cautio solum videtur necessaria quando subditi sunt indocti, aut non possunt ductiores consulere. Docti enim sciunt præcepta superiorum nihil contra ius naturale, aut diuinum præcipere posse. Suarez *vt supra num. 7.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tractat. 1. cap. 1. num. 5.* Similiter in huiusmodi Inquisitionibus generalibus non tenentur Religiosi denunciare etiam ad præceptum Superioris, ea peccata, quæ constat iam esse emendata. Quia iam cessat finis denunciationis, quæ est emendatio fratris. Nauarrus *in Summ. cap. 25. num. 46.* Rodriguez *tomo 2. quest. Reg. quest. 6. art. 2.* Secus est de prælatis, quibus incumbit, ne delicta etiam correctæ impunita maneant. Rodriguez *vt supra.* Peirinis *etiam vt supra.* Similiter si aliquid mali timet quis sibi obuenturum ex denunciatione, nisi quando delicta essent in graue damnum communitatis, denunciare non tenetur. Quia hoc postulat ordo charitatis. Rodriguez *tomo 2. quest. Regul. quest. 6. art. 3.* Neque etiam tenetur aliquis denunciare quæ audiuit à persona non fide digna, aut appassonata, quia talibus non est credendum. Secus est, si audiuit à persona fide digna, & Prælati præcipiat, vt dicat quæ audiuit, & ipse credit id esse verum Rodriguez *tomo 2. quest. Regul. quest. 6. art. 7.* Peirinis *vt supra 4. concl.*

3 Tenentur tamen subditi in huiusmodi inquisitione generali denunciare paternè prælato, correctione fraternali, si fieri debeat, præmissa, iuxta dicta *num. 2.* omnes defectus Religiosorum. Quia salutem spiritualem proximi omnes procurare tenemur omni meliori modo quo possu-

mus. S. Thomas *2. 2. quest. 33. art. 8.* Graffis *1. part. Decis. lib. 2. cap. 69. num. 15.* Imò si fraternali correctione, vel paterna denunciatione Religiosus non est correctus, nec speratur corrigi, tenentur alij ipsum iuridicè ad prælatum vt Iudicem, denunciare, si per testes idoneos probari potest delictum. Ratio primæ partis est adducta, videlicet, quod omnes tenemur procurare salutem proximi omni meliori modo, quo possumus. Ratio verò secundæ, quia nemo tenetur denunciare iuridicè quod probare non potest *ex cap. plerumque 2. questio. 7. Nauarrus cap. inter verba conclus. 6.* Graffis *1. part. Decis. lib. 1. cap. 69. num. 15.* Ad quod addunt aliquid, id esse verum etiam Prælati oppositum præciperet. Quia hoc præceptum contineret intolerabilem errorem. Nauarrus *vt supra.* Angelus *verb. excommunicatio 3. Vide dicenda inferius num. 15. & 20.* Si testes leues sint, idonei non censentur, & ita, qui hos tantum habet, non tenetur denunciare iuridicè; quia non habet testes idoneos ad probandum delictum fratris. Peirinis *tomo 1. de Subdito quest. 1. de Obedientia cap. 16. ante 4. conclus.* Demum pro huiusmodi inquisitionibus generalibus, seu visitationibus, nota, quod Prælati in illis admonitus solum tamquam Pater, seu denunciatio, paterna, non potest rerum punire, sed tantum monere, seu minis terrere, vt cautius se habeat. Angelus *in Floribus part. 2. quest. de Correct. frat. art. 1. diffic. 7.* pro forma verò in huiusmodi inquisitionibus generalibus, seu Visitacionibus seruanda, legantur particularia Statuta Religionum, & pro nostra *par. 2. Const. c. 5. & 6.*

4 Ad inquisitionem specialem alicuius delicti procedere potest, & debet, Prælati Regularis, primò, quando ex visitatione, seu inquisitione generali constat illi aliquod crimen à subdito aliquo fuisse commissum: tunc enim contra ipsum specialis fieri debet inquisitio, & præiuro iuramento testes interrogandi. Cum enim iam delictum sit Iudice notorium, non potest prætermittere iuridicè contra delinquentem sic infamatum procedere. Nauarrus *de Iudicijs num. 87.* Alderete *lib. 1. de Relig. discipl. cap. 7. num. 6.* Quod intelligo etiam in casu, quo iniuste tale delictum Prælato sit patefactum. Nam eo ipso quòd crimen deductum est in Iudicijs notitiam, siue bene, siue male, eo ipso tenetur contra illud procedere. Lessius *2. de Iust. cap. 29. dub. 15. num. 125.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tractat. 2. cap. 4. num. 7.* Non tamen potest Prælati ad hanc inquisitionem specialem procedere ex sola notitia habita per epistolas, vel libellos sine auctore, etiam si in ipsis litteris notificarentur testes, qui delictum testificari possent. Quia huiusmodi litteræ, aut libelli nullam inducunt infamiam, & habetur *ex cap. Inquisitionis, extra de accus. Lessius vt supra num. 136.* Thomas de Iesu *etiam vt supra cap. 3. num. 9.* Poterit tamen generalis inquisitio fieri ex huiusmodi litteris sine nomine, quia ad huiusmodi inquisitionem non requiritur infamia. Alderete *de Discipl. Regul. lib. 1. cap. 7. num. 31.*

5 Secundò etiam potest Iudex Regularis ad inquisitionem specialem procedere, quando delictum est notorium, etiam si malefactor sit occultus, nec vlla infamia laboret. Ratio sumitur ex communi vsu Reipublice Christianæ, & Iudicium timoratae conscientie, qui ob bonum publicum, quando constat de delicto, querunt speciali inquisitione de delinquenti. Nauarrus *capit. inter verba conclus. 6. num. 124.* Salon. *de Iust. & iur. contr. 7. circa questionem 79. art. 2. & alij.* Qui bene aduertunt in hoc casu Iudicem non debere facere inquisitionem de singulari aliqua persona, v. g. an Petrus fecerit hoc furtum, quia cum nulla de illo præcedat infamia, iniquè infameretur, sed in communi solum. Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tract. 2. cap. 5. à num. 6.*

6 Regulariter etiam loquendo non potest Iudex Regularis iuridicè contra aliquem per specialem inquisitionem procedere, nisi infamia, siue clamorosa insinuatio, vel indicia manifesta, aut semiplena probatio præcedat. Quia si sine aliquo istorum delicta reputantur occulta iudicio humano. Sanctus Thomas *2. 2. quest. 69. art. 2. & 3.* Thomas de Iesu *de Visitat. Regul. tract. 2. capit. 2. & habetur ex cap. qualiter. & quando & cap. Inquisitionis de Accus. & cap. licet. Helii de Simon.* Infamia est quidam rumor ortus non à maleuolis, sed à probis, & honestis hominibus



sparsus inter multos. Clamorosa verò insinuatō, vel est idem quòd infamia, vel est vxor totius populi, vel publicus rumor inter multos subortus. Indicia autem sunt illæ circumstantiæ, ex quibus potest aliquo modo colligi quis sit auctor criminis. Tandem semiplena probatio est vnus testis oculati, & iurati, omnique exceptione maioris testimonium. Thomas de Iesu *vt supra*. Ergo, vt diximus, si aliquid istorum non præcedat, non potest Iudex ad inquisitionem specialem procedere. Quod præter dicta, ex eo confirmatur primò, quia, vt docet Sanctus Thomas 2.2. *quest. 67. art. 3.* contra nullum potest Iudex via inquisitionis (intellige specialis) procedere, quando nullus est accusator formalis, vel virtualis. Cum ergo in via inquisitionis, de qua loquimur, nullus sit accusator, vel denunciator formalis, quia in hoc distinguitur hæc via à via denunciatiōis, & accusatiōis, debet necessariò esse aliquis virtualis denunciator, vel accusator, cuius munus solum prædicta habere possunt. Secundò, & ad idem, quia iudicium ex tribus personis constat, scilicet accusatore, reo, & Iudice, cum ergo inquisitiō hæc specialis, iudicium quoddam sit ex eisdem tribus constare debet, & cum accusator in illo non adsit, aliqua quæ ipsum suppleat, adesse debent. Francisc. Aretin. *in Practic. crimin. cap. 14.*

7 Imò ad hoc quòd indicia sufficiant ad procedendum via specialis inquisitionis, non debent esse leuia, sed graua. Quia cum in iure expressè caueatur, infamiam prærequiri ad inquisitionem specialem *capit. cum oportet. capit. inquisitionis. cap. qualiter, & quando, de accus. indicia autem leuia non æquiualeant infamiæ, absdubie requirentur indicia graua. Quo in sensu accipiendus est Nauarr. capit. inter verba concl. 6. num. 116.* Imò etiam indicia graua, & expressa æquiualeant infamiæ, ad hoc, vt sufficiant pro inquisitione speciali, debent esse publica multis, & in delicto publico, tunc enim æquiualeant infamiæ, & ex illis Iudex potest procedere ad inquisitionem specialem delinquentis Suarez 4. *tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 12.* Addunt aliqui, quòd etiam si delictum non sit publicum, sed occultum, si tamen contra bonum commune, vel ex eo imminet damnum tertie personæ, posse Iudicem ex solis prædictis indicijs ad specialem inquisitionem auctoris criminis procedere. Thomas de Iesu *Tract. de Visitatione Regularium c. 7. num. 2.*

8 Similiter ad hoc, quòd Iudex procedere possit ex semiplena probatione ad inquisitionem specialem, requiritur, quòd crimen sit notorium & malefactor occultus: nam si delictum notorium non sit, tunc semiplena probatio non erit æquiualeans infamiæ, atque ita insufficientis ad procedendum inquisitione speciali, sicut diximus supra de indicijs expressis. Nauarrus *in Summ. cap. 25. num. 3.* Lessius *lib. 2. de Iust. capit. 29. dub. 16. num. 146.* Addunt etiam alij quòd in delictis, quæ sunt contra bonum commune, & quando imminet proximo damnum graue ex peccato alterius, etiam occulto, posse ad inquisitionem specialem ipsius procedere Iudicem ex sola semiplena probatione. Thomas de Iesu *tractat. 2. de Visitatione Regul. capit. 9. num. 6.*

9 Excipi tamen solent aliqui casus particulares, in quibus Iudex ex se solo, & sine alio motiuo possit procedere ad inquisitionem specialem. Primus est, si delictum vergat in commune damnum Republicæ, vel Communitatis, v. g. crimen hæresis, vel apostasiæ à fide, crimen læsæ Maiestatis, conspiratio in Principem, falsificatio monetæ, furta, homicidia, &c. Secundus est, quando delicta sunt nimis graua, & atrocia, v. g. sodomia, &c. Tertius est, quando crimen est commissum, vel detectum in iudicio, vt si aliquis coram Iudice, & Noratio falsum testimonium dixerit, aut confessus fuerit aliquod crimen. Sorus *de detegendo secreto, memb. 2. quest. 6.* Thom. de Iesu *de Visitatione Regul. tract. 2. cap. 4.* Cæterum quòd attinet ad crimen hæresis, constat ex dictis *cap. 18. num. 18.* illud non posse iudicari à Prælati Regularibus. De falsificatione monetæ constat etiam ex dictis *capit. 10. num. 23.* ad quos pertinet Iudices, saltem in Italia. Sed dato quòd hæc delicta ad Iudices Regulares ex priuilegio aliquo, vel alio modo spectent, (& idem est de alijs criminibus in primo casu relatis) dicendum est primò, quòd quando illa sunt omnino occulta, vel quia illa in se talia sunt, vel quia esto, quòd no-

ta sint, ignoratur tamen auctor, ita, vt nec de illo sit infamia, semiplena probatio, aut indicia saltem leuia, tunc nullo modo licet Iudici ad inquisitionem specialem procedere. Ratio est, quia, vt diximus supra *num. 6.* ad huiusmodi specialem inquisitionem, cum sit quoddam indicium, petitur necessariò, aliquid, quod habeat vim accusatoris, & moueat Prælatus ad illam, ac perindè, si aliquid ex prædictis non adsit, procedere nequibit ad specialem inquisitionem, Suarez 4. *tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 4.* Dico tamen secundò, sufficere, quòd præcedant aliqua indicia, saltem leuia, posita notorietate talium delictorum, & qualitate illorum, ad hoc, quòd Iudex procedere possit ad inquisitionem specialem auctoris. Ratio est, quia positus talibus circumstantijs, hic & nunc reperit Iudex sufficiens motiuum ad inquisitionem specialem, tunc enim ratio boni communis obligat, vt eius cura, & prouidentia habeatur, delictum publicum prouocat sufficienter ad aliquam inquisitionem, & indicia, saltem leuia delinquentis, ad inquisitionem specialem. Suarez *vt supra num. 13.* In alijs verò delictis, quæ non sunt contra bonum commune, indicia debent esse non leuia, sed graua, vt diximus supra *num. 7.* Loquendo verò de delictis in secundo casu relatis, quæ sunt nimis graua, & atrocia, dicendum est, non sufficere talia esse, ad procedendum per specialem inquisitionem, nisi præcedat infamia, semiplena probatio, aut sufficientia indicia, iuxta dicta *num. 6.* Quia aliàs iniuria fieret proximo ipsum infamando, Suarez *etiam vt supra num. 6.* In delictis verò in tertio casu relatis, cum iam illa supponantur manifesta, nihil istorum requiretur, nec fiet iniuria delinquenti, contra illum specialiter procedendo. Francisc. Aretin. *in Pract. crimin. cap. 14. Alderete lib. 1. de Discip. Regul. c. 7. num. 14. & 15.*

10 Præterea quando inquisitiō sit non ad punitionem inquisiti, sed ad alios iustos fines, ad quos est necessaria cognitio personæ, & qualitatū eius, vt cum Prælatus querit de habilitate, aut inhabilitate subditi ad aliquod officium, gradum, vel dignitatem, vel ad aliquod suffragium ferendum, vel habendum, potest ipse ad inquisitionem specialem de delictis alicuius personæ determinatè procedere, etiam non præmissa infamia, semiplena probatione, aut iudicijs aliquot, sicut inter seculares solet fieri ad contrahenda Matrimonia. Quia non potest aliter Prælatus satisfacere muneri suo, & bono communi religionis, nec in hoc modo procedendi ex motiuo boni communis procurandi, alicui facit iniuriam. Francisc. Aretin. *in Pract. crimin. cap. 14.* Suarez *vt supra num. 17.* Bene autem aduertit Aretinus debere in tali casu aperiri crimina superioribus secretò, & cum minima, qua fieri potest, læsione.

11 Praxis autem Inquisitionis specialis, supposita infamia personæ, vel delicti, iuxta dicta in superioribus, hæc est. Primò enim constituendus est Notarius, seu Secretarius à Prælato, qui omnes actus inquisitionis fideliter conscribat, eisque cum ipso Prælato subscribat. Suarez 4. *tomo de Relig. lib. 10. de Regim. Societ. cap. 12. num. 29.* Deinde formati articulis, & capitulis pro interrogatorio testium, secundum illos interrogandi sunt testes, clarè, & distinctè. Suarez *ibidem.* Qui etiam benè aduertit, quòd quamuis cum præcedit infamia delinquentis (idem dico cum præcedit semiplena probatio, aut graua indicia, iuxta dicta supra *num. 6. & 7.*) non sit necessarium de illa inquirere in interrogatorio, bonum tamen est hoc facere ad magis conuincendum Reum. Interrogandi autem sunt testes sub iuramento, saltem iure communi loquendo, iuxta *cap. cum delicti de accusat.* nisi legitima consuetudo Religionis oppositum teneat, scilicet solum sub præcepto Obedientiæ, vel excommunicationis. Suarez *ibidem.* Interrogari etiam debent de nomine, & cognomine eorum, *cap. olim de accusat.* Thomas de Iesu *de Visitatione Regul. tract. 3. cap. 7.* Testes autem interrogati sic tenentur sub mortali veritate fateri. Quia astringuntur iusto Prælati præcepto. Nauarrus *cap. inter verba conclus. 6. Less. 2. de Iust. cap. 39. dub. 6. num. 43.* Quod intellige, vt supponitur, quando iuridicè interrogantur (prout semper debet credi quando Iudex est probus, nisi ceterò constet contrarium) idest ab habente potestatem, & præcedente infamia, semiplena probatione, seu noticia delicti, iuxta dicta *num. 6. & 7.* Quia non tenentur testificari cum legitime, & iuridicè non

non interrogantur, Syluester verb. Testis quest. 8. d. primo. Lessius 2. de Iust. cap. 30. dub. 6. num. 47. Sed nec tunc debent mentiri, cum mendacium numquam sit licitum, sed dicere se nescire, aut non vidisse &c. tale delictum, mente intelligendo, ad manifestandum, vel propalandum in tali iudicio. Nauarrus in Manual. cap. 18. num. 61. & cap. 12. num. 9. Ea verò, quæ per Sacramentalem Confessionem nouerunt, nullatenus debent, aut possunt reuelare. Quia obligatio sigilli Sacramentalis multò maior est, quàm cuiuscumque præcepti, Sotus de rat. tegend. secr. membr. 3. questio. vltim. conclus. 4. Idem dico si notitia, quam habent testes de delicto fuit sub sigillo secreti, confilij, vel auxilij petendi gratia. Quia obligatio seruandi secretum est maior, quam obediendi Prælato, Nauarrus in Summ. cap. 25. num. 46. Secus verò est, quando id quod acceptum est sub secreto cedit in damnum corporale, vel spirituale Communitatis, vel graue alicuius personæ particularis. Quia tunc obligatio seruandi secretum, cedit obligationi tuendi bonum commune, vel graue priuatum alicuius particularis. Valentia tomo 3. disput. 5. quest. 14. p. p. Nec etiam tenentur testes testificari ea, quæ ab aliquo non fide digno, aut appassionato audierunt; secus verò si à persona fide digna illa acceperunt, & Prælati præcipiat, vt referant ea, quæ sciunt ex auditu, iuxta dicta supra num. 2. Nec etiam tenentur testificari cum suo notabili damno spirituali, vel temporali, quod prudenter timeant euenturum ex testificatione; iuxta dicta etiam ibidem. Peirinis tomo 1. de Subdito questio. 1. de obedientia cap. 16. §. 3. conclus. 7. Testes non sunt vilo modo cogendi à Iudice, vt dicant quod nesciunt, sed liberrimè sinendi dicere veritatem; imò si ignorantes sunt, monendi sunt ab illo de modo testificandi, vel dandum illis tempus ad consilium accipiendum à doctis. Thomas de Iesu de V. visitat. Regul. tract. 3. cap. 6. Debent etiam cum ferunt sua testimonia interrogari de causa scientiæ, seu quomodo sciunt, quod dicunt, c. causam de testib. Thomas de Iesu ibid. cap. 7. Apud quem alia ad intentum.

12. Post formationem processus, seu informationis, si nullus sit testis, qui reum condemnet de delicto, posset absolui si non præcessissent prædictam informationem, vel processum infamia, semiplena probatio, aut indicia sufficientia respectiue ad delictum, quia nulla esset tunc causa, quare ulterius contra illum procedi posset. Imò numquam citandus est aliquis, vt tamquam Reus interrogetur, nisi delictum sit, saltem semiplenè probatum, vel ex testibus, vel ex indicijs, vel ex probata infamia. Franciscus Aterinus in Pract. crimin. de 3. substant. iudicij cap. 1. Aliquo tamen ex prædictis præmissis, & multò magis si per testes, vel vnum solum omni exceptione maiorem constet de Reo criminoso, ante omnia citandus est; nam si Iudex Reum condemnaret non vocatum prius, non solum condemnatio esset nulla, sed etiam peccaret mortaliter. Nauarrus in Manual. cap. 25. num. 13. Non est tamen detruendus in carcerem, nisi fuga timeatur, vel grauitas delicti hoc postulet. Secus enim grauitè Iudex peccaret. Nauarrus de Iudic. num. 51. verb. ex quo inferitur. Franc. Ater. vt supra. Incarcerato ergo, siue extra carcerem Reo, debet Iudex omnia testimonia, & probationes simul cum delicto, quod contra illum obijcitur, patefacere, tacitis nominibus testium, cum aliquo spatio temporis, etiam sub iuramento, vt respondeat, Suarez 4. tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. Thomas de Iesu de V. visitat. Regul. tractat. 3. cap. 9. Reus autem iuridicè interrogatus tenetur veritatem confiteri, sub mortali, manifestando delicta, de quibus inquiritur. Tenetur enim obedire Prælato iusta præcipienti. S. Thomas 2. quest. 69. artic. 1. & 2. Nauarrus de Pœnitent. dist. 1. §. non dico tibi num. 19. & in Summ. cap. 18. num. 57. Etiam si illi imminet periculum vite. Propter eandem rationem. Sotus de tegendo secret. memb. 2. & 5. de Iust. quest. 6. artic. 2. Corduba lib. 5. quest. 43. dub. 3. Et propterea absolutio à Confessore est illi deneganda. Thomas de Iesu de V. visitat. Regul. tractat. 3. cap. 10. num. 8. Secus si non iuridicè interrogaretur, scilicet, quia Iudex competens non esset, aut non esset infamia, semiplena probatio, aut indicia sufficientia. Quia tunc iniuste præciperet reuelari sibi crimen. Thomas de Iesu de V. visitat. Regul. tractat. 3. cap. 8. Addens benè etiam in hoc casu non esse licitum reo

dicere mendacium, quia hoc est intrinsecè malum, ac propterea numquam licitum; posse tamen celare veritatem verbis æquiuocis, aut amphibologicis, dicendo scilicet, nihil scio, nihil feci, mente intelligendo, vt illud debeam manifestare, iuxta dicta testibus supra num. præcedenti. Vnde numquam Reus tenetur delictum, purè occultum, quod non est manifestum aliquo modo ex prædictis, manifestare. Quia de purè occultis nunquam legitime interrogatur. Nauarrus dist. 1. de pœnit. §. non dico tibi. Rodriguez tomo 2. quest. Regul. quest. 5. artic. 4. Imò aliqui volunt peccare mortaliter sic faciendo. Quia iniuste se infamat. Nauarrus in Manual. cap. 18. num. 57. Thomas de Iesu de V. visitat. Regul. tractat. 3. cap. 10. num. 7. Iudex etiam non potest reum de vno crimine conuictum, de alijs criminibus, aut etiam de socijs interrogare, nisi de ijs quoque præcedat aliqua infamia semiplena probatio, vel indicia iuxta dicta. Propter eandem rationem. Thomas de Iesu vt supra c. 8. num. 5. & 6.

13. Sumpto igitur confessione à reo, si fatetur delictum, posset in rigore contra illum proferri sententia, licèt mitius cum illo procedi debeat, terminum ei concedendo, vt si quam habet excusationem de delicto, quæ saltem illud minuat, eam afferat. Suarez 4. tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 31. Si verò interrogatus neget delictum procedi ulterius debet ad conuincendum illum. Primò ratificatione testium, licèt hoc non sit necessarium, maximè inter regulares, quando de fide testium moraliter constat. Secundò alios de nouo accipiendo si necessarium hoc videbitur ad moralem certitudinem veritatis. Suarez vt supra.

14. Si verò Reus defendere se voluerit poterit aliquem Religiosum designare Procuratorem, qui suo nomine, maximè si incarceratus fuerit, suam defensionem suscipiat. Clement. Religiosus de procurat. Alderete de Discipl. lib. 1. cap. 11. num. 15. Et, si voluerit producere testes aliquos in sui defensionem, terminus ad hoc necessarius est illi concedendus, & prædicti testes ab ipso oblati iuxta ordinem præscriptum examinandi sunt. Thomas de Iesu de V. visitat. Regul. tract. 3. c. 9. num. 6. Similiter si Reus propriæ defensionis causa petierit copiam probationum contra ipsum, debet etiam dari: imò si nomina testificantium contra illum postulauerit, licèt regulariter loquendo id negari debeat, iuxta dicta sup. n. 12. in causa tamen grauissimæ culpe ex qua grauissimum damnum ipsi imminet poterit hoc ipsi concedi. Rodriguez tomo 2. quest. Regul. quest. 16. artic. 1. Thomas de Iesu vt supra. Si verò timeat Iudex, quod rei amici, vel partiales graue damnum testi, vel testibus reuelatis illaturi sint, poterit illos occultare, Alderete de Relig. discipl. lib. 1. cap. 14. num. 10.

15. His peractis probationibusque finitis, Iudicis partes sunt diligenter examinandæ, an Reus verè se defenderit, & testes per ipsum adducti certò probent illum non commisisse crimen sibi impositum, ita vt credere possit illum esse innocentem, & tunc illum debet absoluerè. Alderete lib. 1. de discipl. cap. 16. num. 2. Si autem è contra videat crimen plenè probatum esse, & defensiones pro Reo adductas, parum, aut nihil iuuare, eum condemnare debet pro criminis qualitate. Alderete ibi num. 3. Tunc autem nec est necessaria, nec iuste adhiberi debet tortura. Quia in tali casu cessat finis torturæ, qui est supplere defectum plenæ probationis. Nauarrus cap. 18. num. 59. Suarez 4. tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 33. Tunc verò intelligitur delictum plenè probatum quando ad minimum per duos testes oculares, & contestes, & omni exceptione maiores testificatum est, iuxta illud Christi In ore duorum, vel trium stet omne verbum. Suarez ibidem. Testes oculares, sunt, qui oculis (idem est de auditu, quando delictum auditu percipitur, vt blasphemia) delictum perceperunt. Franciscus Aterinus in Pract. crimin. cap. 2. de num. test. Testes contestes, qui de eodem facto, loco, tempore, personis, alijsque circumstantijs ad facti substantiam attinentibus, & necessarijs deponunt. Thomas de Iesu Tract. 3. V. visitat. Regul. cap. 7. num. 11. Testes verò omni exceptione maiores sunt, quibus nulla exceptio opponi potest, per quam eorum fides minuatue. Alderete lib. 2. de Discipl. cap. 3. num. 6. Vnde testes de auditu, qui scilicet deponunt se audiuisse, vel fama percepisse, nisi illi, à quibus audiuisse dicunt, idem depo-

- deponant non faciunt plenam probationem. Thomas de Iesu vt supra num. 16. Similiter nec testes singulares, illi scilicet, qui de diuersis numero factis, aut de distinctis temporibus, aut locis deponunt, non faciunt plenam probationem. Suarez 4. *tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 33.* Thomas de Iesu de *Visit. Regul. tract. ar. 3. cap. 7. num. 5.* Licet quando de eadem delicti specie deponunt, in circumstantijs loci, vel temporis variando, pliusquam semiplenam probationem faciunt. S. Thomas 2. 2. *quest. 70. artic. 2. ad 2.* Sotus 5. de *iust. quest. 7. artic. 2.* Testes autem non omni exceptione maiores, & quibus exceptio opponi potest, (ac per consequens qui non faciunt plenam fidem) sunt primò inimici inimicitia capitali, non leui inimicitia. [Tales autem rarò credendum est reperiri inter Regulares vt piè notat Portellus in *Responsionibus moral. casu 16. quest. 1.* vbi etiam de signis inimicitia capitalis.] Secundò, minores natu viginti annis. Tertio, viles personæ, & infames, & qui graui delicta commiserunt, nisi fuerint emendati. Quarto, dementes, & furiosi. Quintò, conspiratores, qui scilicet ex pacto conuenerunt, vt vnus accuset, seu denunciât, & alij sint testes. Sextò, qui sunt varij, & inconstantes in suo testimonio. Septimò, mulieres sed inter Religiosos admittendæ sunt Moniales, maximè pro delictis, quæ in earum Monasterijs committuntur. Pro quibus, & alijs ad intentum vide Franciscum Aretinum in *Pract. cap. 1. de secundo substant. iud.* Alderete de *Discipl. lib. 2. cap. 3.* Thomas de Iesu de *Visit. Regular. tract. 3. c. 11.*
- 16 Si verò delictum non sit, pensatis pensandis, plenè probatum, & Reus illud non confiteatur, distinguendum puto, aut enim tale delictum non est ex atrocibus, & capitalibus, quæ pœna corporali mortis, mutilationis, aut trirremium puniri debent; aut est ex illis. Si primum, tunc puniendus est Reus pœna minori, quàm si tale delictum plenè probatum esset, & condemnandus ad illam. Hoc enim æquitas iustitiæ, & rigor obseruantia regularis exoptular, ne sub spe infirmæ probationis reddatur faciles Religiosi ad crimina perpetranda. Suarez 4. *tomo de Relig. lib. 10. de Regim. Societ. cap. 12. num. 33.* Qui etiam bene addit, in hoc processu per inquisitionem mitius adhuc agendum esse in imponenda pœna, quàm si per accusationem criminalem processum esset. Si verò delictum sit ex atrocioribus, & grauissimis, quibus in sæculo pœna mortis, mutilationis, vel trirremium applicatur, & sint magna indicia, quæ Iudici fudeant Reum commississe crimen, quod negat, ita vt semiplenè probatum sit, potest illum torquere, iuxta dicta *cap. 18. num. 17.* Alderete *lib. 1. de Discipl. Religio. capit. 17.* Vbi etiam de modo quo tortura applicanda est Religiosis.
- 17 Si Reus in tormentis adhuc non confiteatur delictum, absolueudus est. Dicitur enim tunc indicia purgasse; & quasi obliterasse. Suarez 4. *tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 32.* Alderete *lib. 2. de Relig. Discipl. cap. 12. num. 6.* Si verò confiteatur delictum, adhuc oportet, vt ratificet confessionem illius; cum Confessio facta in tormentis fragilis sit, & incerta. Franciscus Aretinus in *Pract. crimin. cap. 12. de confess. per torturam.* Vbi etiam de tempore, quo faciendâ est hæc ratificatio, & quoties repetenda tortura, si noluerit ratificare, quod in illa confessus est.
- 18 Post quæ sententia diffinitiuâ à Iudice ferenda est contra Reum, & imponenda illi pœna, tum iure communi, tum iure particulari designata. Poterit autem superior sententiam ferre vel in scriptis, vel viua voce, dum tamen ad illam audiendam citetur Reus. Alderete *lib. 1. cap. 17. num. 3. & 4.* Ad quam etiam præcedere debet probationum legitima examinatio, an scilicet, plenè conuictus sit Reus, ita vt certò constet delictum ab ipso commissum; indicia an sint leuia, aut grauiâ; delictum an sit contra bonum commune an verò solùm in damnum tertie personæ, aut solius delinquentis; persona delinquens an sit Prælati, contra Prælatos enim maior sæpè desideratur probatio, quam contra alios, quia hi multorum calumnijs expositi sunt. Qualitates etiam testium, defensiones rei, excusationes, exceptiones, & alia huiusmodi sedulè examinare debet Iudex, & ante omnia Deum exorare, vt mentem ipsius illuminet ad benè, iustèque iudicandum. De quibus Alderete *lib. 1. de Relig. discipl. cap. 18. & lib. 2. cap. 1.* Thomas de Iesu de *Visit. Regul. tract. 3. c. 14.*
- 19 Iloquendo autem de alio modo procedendi Iudicis regularis, scilicet per iuridicam denunciationem sic est in illa procedendum. Primò enim denunciator culpam defert ad Superiorem. Est namque denuntiatio iuridica declaratio licitius criminis apud Iudicem competentem ad pœnam, vel correctionem inferendam delinquenti. Nauarrus *cap. noui. de Iudic. notab. 5. num. 2.* Thomas de Iesu de *Visit. Regul. tract. 3. cap. 2. §. 3.* Debet autem prius denunciator fraternaliter correxisse, vel monuisse delinquentem, iuxta modum præscriptum à Christo Dom. Matth. 18. qui conformis est legi charitatis, ne scilicet fama proximi lædatur, eius delictum prius publicando, quam ipse sit monitus corrigi. Alderete *lib. 1. de Relig. discipl. cap. 5. §. 4.* Suarez 4. *tomo de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 36.* Si tamen sit spes emendationis, iuxta dicta supra num. 2. imò si post fraternali correctionem emendatio fratris secuta est, non debet denunciari. Quia iam cessat finis denunciationis. Suarez vt supra num. 37. Quando verò delictum est notorium, non est necesse vt prius delinquens fratrem moneatur. Iuxta illud Apostoli 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue.* S. Tho. 2. 2. *quest. 33. artic. 7.* Nauarrus de *restit. lib. 2. cap. 4. num. 64.* Nec tunc, aut vnquam, peccatum deferendum est ad Superiorem vt Iudicem, si vt Pater speratur remedium adhibere posse. Omnia enim cum charitate tentanda sunt, vt minori cum detrimento fratri subueniatur. S. Tho. 2. 2. *quest. 33. artic. 7.* & Thomistæ ibidem. Similiter vt aliquis denunciât alium iudicialiter, necessarium non est vt præcedat infamia. *cap. Inquisit. & cap. qualiter, & quando.* Quia in via inquisitionis ideo requiritur infamia vt suppleat vicem accusatoris, denunciator verò sustinet vicem accusatoris. Suarez vt supra num. 35. Si tamen præcedit infamia multò magis debent denunciari delicta. Thomas de Iesu de *Visit. tract. ar. 1. cap. 15.* vbi multa ad intentum. Vide etiam dicta supra num. 2.
- 20 Denunciator, etsi non teneatur denunciare delictum, quòd probare non potest, & per testes fide dignos iuxta dicta supra num. 3. tamen si vult, potest denunciare, nec teneatur probare delictum, quòd denunciât. Quod rationi consentaneum est, tum ne plura crimina grauiâ in Religiosis maneant impunita, ex eò quod nullus ea audeat denunciare, quia probare non possunt; tum quia in hoc differunt accusator, & denunciator, quòd ille tenetur probare delictum, non iste. Sotus 5. de *iust. & iure quest. 1. artic. 3. & quest. 5. artic. 4.* Bannez 2. 2. *quest. 33. artic. 8. aub. 3.* Vnde si non probet, non ideo multandus. Non enim suscipit supra se onus probandi, sed tantùm præparat viam Iudici, vt ipse inquirat, & probet, quòd secus est in accusatore. Thomas de Iesu de *Visit. Regul. tract. 1. cap. 16. num. 13.* Similiter denunciator potest esse testis, si aliud non habeat aliud impedimentum. Eò quòd non procurat vindictam delinquentis, sed correctionem. Nauarrus in *Manual. cap. 25. num. 33.* Sotus 5. de *iust. quest. 6. artic. 2. consil. 4.* Secus est de accusatore, neque enim ipse, aut eius cognati, & domestici possunt esse testes. *cap. 12. 4. quest. 4. lib. 3. testes.* Alderete *lib. 2. de discipl. c. 3. num. 19.*
- 21 Facta denunciatione, munus prudentis Iudicis erit diligenter expendere, tam personam denunciantis, quam denunciati, & an delictum sit prius fraternaliter correctum, an non, an publicum, an verò occultum. Si enim denunciator esset aliàs malignus, & pacis perturbator, aut denunciatus vir eximius, & probatè per plures annos vitæ, non est admittenda denuntiatio. Ne malignis occasio calumniandi viros probos facile concedatur. Thomas de Iesu de *Visit. Regul. tract. 1. cap. 17. num. 1.* Nisi fortè tunc denunciatis munus accusatoris, & sub pœna tallionis vellet subire. Rodriguez *tomo 2. quest. 6. artic. 8.* Similiter si videat denunciatum non fuisse fraternaliter monitum, aut esto ita sit, faciliè per correctionem paternalem emendandum, illum corrigat, secretam aliquam pœnitentiam illi imponendo. Quia regulariter denuntiatio iuridica inter Regulares admitti non debet, si per aliquod aliud emendatio speratur. Thomas de Iesu vt supra num. 5. & 6. Similiter quando delictum non est publicum, nec delinquens laborat infamia, non est iuridicè contra eum procedendum, sed vel occultè puniendus, si emendationem promittat, vel dimittendus si culpam non fateatur. Sotus *Relect. de legend. secret. memb. 2. quest. 4. consil. 8.* Suarez 4. *tomo*

- de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 27. & 28.* Quando verò delictum est publicum, vel Reus laborat infamia, aut contra eum est semiplena probatio, vel indicia sufficientia, iuxta dicta supra à num. 6. admittenda est denunciatio, & iuridicè contra Reum procedendum, eodem modo, quo diximus de inquisitione speciali supra à num. 4.
- 22 Loquendo verò de tertio modo procedendi Iudicis Regularis, scilicet per accusationem, licet ille relegandus sit à Regularibus, vt potè, quòd Religiosorum paci, & tranquillitati videatur repugnare, vt proindè etiam in aliquibus Regnis non permittatur, eò vel maximè, quòd per denunciationem iuridicam suppleri possit (Thomas de Iesu de *visitat. Regul. tractat. 1. cap. 4. num. 6.*) nihilominus casu, quo admittatur, (quia fieri potest sine iniustitia, vt si qui iniuriam passus est contra iniuriantem agat ad iustam vindictam, & sine peccato contra charitatem, vt si non ex odio, sed vel ex affectu Religionis ne similes iniuriæ in ea introducantur, vel ex affectu resarciendi iustum honorem, vel nomen bonum fiat. Suarez 4. tomo de *Relig. lib. 10. cap. 12. num. 45.*) istæ conditiones ad illam requiruntur. Primò vt fiat in scriptis. Secundò, vt exprimat dies, & annus, quo intentatur. Tertio, nomen accusatoris, & accusati. Quarto, species delicti. Quintò, locus & etiam tempus, nempe annus, & mensis, quo delictum commissum est. Sextò, inscriptio accusantis. Colliguntur hæc ex *lege libellorum ff. de accusat. Franciscus Aretinus in practica criminali de accusat. cap. 6. Alderete lib. 1. de Religiosa Discipl. cap. 4.* Non tenetur tamen accusator exprimere in libello diem commissi delicti, vt expressè habetur in prædicta *leg. libellorum*. Quia alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur, facile enim fieri potest, vt quis dici, vel etiam hebdomadè sit oblitus. Quia ita cadit sub sensum. Franciscus Aretinus *vbi supra*.
- 23 Accusator potest crimen etiam occultum deferre, neque tenetur ex iniustitia secretam premittere correctionem sed sufficit quòd possit probare delictum. Hoc enim inter est inter accusationem, & denunciationem, vt habetur in *capit. qualiter & quando de accusat. Nauarrus in Manual. cap. 18. num. 30. Lessius 2. de iust. & iur. cap. 30. num. 10.* Aliquando tamen esset contra charitatem nulla præmissa monitione accusare. Lessius vt supra. Alderete *lib. 1. de religiosa disciplina c. 3. num. 6.*
- 24 Tenetur accusator probare delictum quod defert ad Iudicem. Ideo enim debet accusatio fieri in scriptis, vt constet, quid illi probandum. Franciscus Aretinus in *Practico crimin. de accusat. cap. 5. Thomas de Iesu de Visitat. Regular. tractat. 1. capit. 4.* Nec potest esse testis in causa, in qua est accusator, in quo differt à denunciatore. *cap. in omni negotio de testibus. Sotus de secret. membr. 2. quest. 4. & 5. de iust. questio. 6. artic. 2. conclus. 4. Nauarrus in Rubric. de iudicijs num. 19.* Iurat de calumnia, scilicet, quòd non calumniandi animo delictum opponat. Alderete *lib. 1. de Relig. Discipl. capit. 4. num. 17.* Vnde si reperi tus fuerit calumniator, idest, quòd falsa crimina obiecerit, punitur eadem pœna, qua puniendus esset accusatus, quæ vocatur pœna talionis. S. Thomas 2. 2. quest. 68. artic. 4. Sotus *lib. 5. de iust. quest. 5. artic. 4.* Vt autem dicatur delictum probasse, & calumniatorem non esse, sufficit quod prædictum delictum probauerit semiplenè, scilicet per famam, vel per vnum testem integrum, vel per alia indicia illis æquipollentia. Quia tunc iam tenetur Reus interrogatus à Iudice, si talis semiplena probatio illi intimata est, delictum confiteri, & puniri. Nauarrus in *Manual. cap. 25. titul. de pecc. Rei accusat. & inquis. num. 35. & seq.* Franciscus Aretinus in *Practico crimin. de accusat. cap. 5.* Sed nec etiam quando nec semiplenè probat delictum, quod obiecit, punitur accusator, secundum consuetudinem, pari pœna talionis, sed solum minori pro arbitrio Iudicis, ne homines ab hoc actu accusandi omnino deterreantur. Aretinus vt supra. Alderete *lib. 2. de Relig. discipl. cap. 23. num. 5.* Imò etiam ab hac pœna minori excusatur accusans, si probat, obiecisse crimen, eò quòd haberet iustam aliquam causam per quam crederet illud esse commissum, vel non ex malitia fecisse accusationem. Nam calumniator verus solum est, qui falsa crimina scienter intendit. Alderete vt supra num. 9. Aretinus etiam
- vt supra capit. 7. Vbi etiam in additionibus, de aliquibus casibus in quibus accusator deficiens à probatione excusatur.
- 25 Repelluntur à munere accusatoris scemina, pupilli, & serui, & infames, ac inimici capitales, nisi quando agitur de proprio interesse, si arbitrio Iudicis taliter iudicabitur. *l. quia accusarem ff. de accusat. cap. prohibentur, & Gloss. in capit. 1. de accusat. Nauarrus lib. 5. consil. titul. de accusat. consil. 3. num. 2. Alderete lib. 1. de Relig. Discipl. cap. 4. num. 7.* Item laici Clericum accusare non possunt, nisi suam, suorumque iniuriam prosequantur. Alderete ibidem qui etiam num. 9. qualiter Iudex Regularis se gerere debeat cum externus aliquem Religiosum accusare voluerit. Et num. 13. refert excommunicationem late sententia à Leone X. in fauorem Ordinis Prædicatorum prolata contra Religiosos, qui alios eiusdem Ordinis ex quauis causa conueniant coram Iudice externo, & etiam contra Iudicem, si talem conuentionem admittat. Vide etiam Confessum in *Comp. Bull. Leo. X. c. 6. c. 1.*
- 26 Facta accusatione, & à Iudice Regulari acceptata, si acceptari debet, procedendum est in causa eodem ferè modo quo diximus de denunciatione, & speciali inquisitione vsque ad sententiam diffinitiuam. Suarez 4. tomo de *Relig. lib. 10. cap. 12. num. 45.* Solum est aduertendum, quod etiam diximus capit. 18. num. 16. Prælatos Religionum ex priuilegio Bonif. VIII. non teneri in causis Religiosorum procedere, apicibus, & rimulis iuris seruatis, sed secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda Ordinis instituta. Quod ipse Pontifex exponit dicens: *Quod licet Prælati omnes ad apices iuris ex supradicta Constitutione non teneantur, vt sunt citationum interualla, dilationes interlocutoria, & cetera huiusmodi, que non sunt de essentia iuris, non tamen possunt in actis iudicialibus pro eorum arbitrio procedere, sed iure diuino, ac naturali ad substantialem iuris ordinem tenerentur.* Thomas de Iesu de *Visitat. Regul. tractat. 3. cap. 1.* Quo etiam sensu aliqui Pontifices, in suis Decretis apposuerunt particulas, *simpliciter, summarie, de plano, & sola veritate facti inspecta.* Quæ ferè idem significant. Nam *simpliciter* denotat procedendum excludendo calumniatorias, & dolosas dilaciones, inanesque exceptiones. *Summarie*, vt solum ea, quæ ad iudicis vim, & essentiam pertinent, adhibeantur. *De plano*, vt omissa solemnitate sedendi, vel etiam feriatis diebus, post positis vanis exceptionibus, tergiversationibus & appellationibus. *Sola veritate facti inspecta* denotat, vt solemnitates accidentales iuris reiciantur, seruatis solum, quæ de iure naturali, diuino, & iure gentium qualia sunt statuta Religionum, seruanda sunt. Alderete *lib. 1. de disciplin. Relig. cap. 8.* Thomas de Iesu de *Visitat. regul. vt supra.* [Quia verò Causidici aliqui nolunt admittere id quod diximus, scilicet, Prælatos Regulares non debere in processibus suis Iuris solemnitates, & subtilitates obseruare, sed solum ea quæ de Iure naturæ, vel Iure gentium sunt necessaria, ideo animaduertendum non solum quoad hoc extare priuilegium Bonifacij VIII. pro Prædicatoribus, quod retuli supra; sed etiam eiusdem Bonifacij VIII. pro Minoribus, & habetur Bulla in Bullario Rodriguez in Bonifacio 8. Bulla 2. ea etiam refertur à Casarubio in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. Correctio Fratrum num. 6.* vbi etiam num. 8. refertur eadem concessio Bonifacij IX. per Bullam pro Ordine Prædicatorum. Idem etiam concessit idem Bonifacius VIII. Cisterciensibus, vt patet in Bulla in Bullario Rodriguez inter Bullas Bonifacij VIII. num. 10. Item Iulius II. Minimis, & Oliueranis; Leo X. Camaldulensibus, & Eugenius IV. Congregationi S. Iustinae. Quæ omnia refert Cardinalis Lugo *tomo 2. de iust. & iur. disput. 37. sect. 14. num. 162.* & ea in præsentia adduxi vt constet non sine temeritate negari posse Prælatos Regulares dictarum Religionum, & quæ cum illis communicant in priuilegijs, hoc etiam priuilegio potiri.]
- 27 Circa formulam, qua formanda sunt acta processuum Regularium vide Franciscum Aretinum in *Practico crimin. part. 3. Alderete de Relig. disciplin. lib. 3. Thomas de Iesu de Visitat. Regul. tractat. 3. à capit. 2.* Circa modum etiam, quo facienda est purgatio canonica, (licet iam his tempo-

temporibus parum fit in usu, vide eundem Aretinum *ut supra* & cap. 13. de purgation. Canonico. & pro nostris Carmelitis *part. 3. Constitut. capit. 9.* Pro pœnis etiam trimerium, exilij, &c. vide dicta *capit. 18. num. 16.* Pro pœna etiam carceris vide *capit. 16. num. 9. 10.* Pro pœnis incontinentium, seu qui lapsi sunt in peccatum carnis vide *capit. 5. num. 16.* Sodomitarum, ibidem à *num. 11.* Eorum, qui foeminas sollicitant in Sacramento pœnitentiæ *cap. 19. num. 33.* Qualiter etiam liceat, vel non liceat appellatio Regularibus *capit. 9. num. 4.* [Nota demum pro pœnis infligendis à Iudice Regulari, quod cum ipse in benigniorem partem inclinati debeat, ideo in casu quo circa pœnam infligendam alicui Religioso sint diuersæ opiniones alia affirmans tali pœna esse dignum, v.g. excommunicatione &c. alia verò negans, hanc posteriorem sequi debet, vti quia est benignior, & magis fauorabilis Reo, cui iura sem-


per fauent. Sayrus in *Clau Regia li. 1. cap. 13. num. 22. 27. noua addit. Portellus in Responson. Moral. to. 2. casu 40.]*

Laus Deo Beataque Virg. Mariæ Carmelitarum Patronæ.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. M. S. P. A.

A. Tornellus Vic.

Reimprimatur.  
Fr. Gregorius Orobanus Magister, & Reuerendiss. P. M. S. P. A. Socius.





S V M M A  
**Q V A E S T I O N V M**  
**R E G V L A R I V M,**  
 S E V D E C A S I B V S C O N S C I E N T I Æ  
 ad personas Religiosas vtriusque sexus spectantibus.

T O M V S S E C V N D V S.

S V M M A R I V M C A P. I.



**M**endicantes Regulares à mendicitate dicti. num. 1.

Ipsa dicuntur, quorum Cœnobys ex Regula, vel Constitutionibus non est permittum bona stabilia habere. ibid.

Alij sunt ex Regula, alij ex Constitutionibus. ibid.

Quinam sint? ibid.

Non sunt dicendi Mendicantes

illi, qui etsi pane Mendicato viuunt, ex Regula tamen, vel Constitutionibus bona immobilia habere possunt. ibidem.

Sicut è contra Mendicantes dicuntur illi, qui etsi ex priuilegio bona immobilia possideant, hoc tamen est illis prohibitum ex Regula, vel Constitutionibus. ibid.

Alij sunt à iure, alij ex concessione, vel declaratione Summi Pont. ibid.

Priores sunt tantum quatuor, scilicet Predicatores, Minores, Augustiniani, & Carmelita. ibid.

Postiores autem Seruite Minimi, Iesuata, & Iesuita. ibidem.

Licitum est Mendicantibus ex Concil. Tridentin. in domibus suis bona immobilia possidere. n. 2.

Exceptis Minoribus de Observantia, & Capuccinis. ibid. Comprehenduntur in hoc priuilegio Carmelita & Discalceati. ibidem.

Ex particularibus tamen ipsorum Constitutionibus prohibitum est Monasterijs ipsorum bona immobilia possidere. ibidem.

Non est aliqua lex, aut præceptum quibus teneantur Mendicantes ex mendicato viuere. num. 3.

Possunt tamen viuere hoc modo, quando illis desunt necessaria ad vitam. n. 4.

Nec possunt à questuatiõne prohiberi. ibid.

De licentia suorum superiorum. ibid.

Eam debent ostendere Ordinarijs se ipsi petant. ibid.

Non est prohibitum illis colligere fructus antequam Curatus suas primitias. ibid.

Contra prohibentes eos mendicare præcedi potest. ibid.

Etiam si elemosinas superfluas peterent non sunt iudicari Summi Lezana. Tom. II.

di ab Ordinarijs. num. 5.

Bona Minorum de Observantia pertinent ad Papam, vel ad eos, qui ea dederunt. n. 6.

Solius habent usum facti ipsorum, non dominium, aut usum iuris. ibid.

Possunt tamen recipere legata. ibid.

Quorum bonorum, & ad quem usum? ibid.

Domus professe, Societatis Iesu, & Monasteria Carmelitarum Discalceatorum bona immobilia non possident. num. 7.

Secus Collegia ipsorum. ibid.

Quamuis in bona suorum Religiosorum non succedant. ibidem.

Moniales bona immobilia possidere possunt in communi. num. 8.

Etiam Moniales S. Clare. ibid.

Error est dicere teneri Mendicantes manibus laborare, nec posse docere, concionari, confessiones audire, &c. num. 9.

Instituti sunt ad prædicta munia exercenda. ibid.

Finis ipsorum est profiteri statum vite mixte ex actiua, & contemplatiua. num. 10.

Monachorum verò ad vacandum Deo silentio, solitudini, &c. ibid.

Tenantur ex charitatis præcepto salutem proximorum subuenire. num. 11.

An obligari possint à Papa ex vi voti ipsorum ad eundem in terras infidelium? ibid.

Multa illis priuilegia concessit Pius V. in Bulla Et si mendicantium. num. 12.

Plures tenent eam esse reuocatam à Greg. XIII. in Const. In tanta. n. 13.

Quidam putant hanc Gregorij Constitutionem publicatam non esse. n. 14.

Publicata tamen fuit. ibid.

Alij dicunt non esse receptam. n. 15.

Quomodo id accipiendum? ibid.

Solum est reuocata Constitutio Pij V. quatenus contraria Conc. Trid. n. 16.

Quomodo intelligenda facultas concessa mendicantibus ad concionandum? n. 17.

Quomodo possunt audire confessiones secularium? n. 18.

Quomodo confessiones monialiu, & aliorum fratru? n. 19.

K Admini-

Administrent Eucharistiam nisi in Paschate. n.20.  
 An suspendantur interdicta in festiuitatibus Sanctorum  
 Ordinum Mendicantium? n.21.  
 An Prelati Mendicantium concedant licentias ingrediendi  
 Monasteria monialium? n.22.  
 An DD. Episcopi possint se introuere circa admini-  
 strationem bonorum monialium? n.23.  
 Examen puellarum Deo dicandarum faciendum, & quo-  
 modo, ab Episcopo. n.24.  
 An possint mendicantes a quocumque Episcopo Ordines  
 suscipere? n.25.  
 Quid de Officijs, Missis, Concionibus, lectionibus in Ecclē-  
 sijs mendicantium? n.26.  
 Declaratum dicitur non posse exponere Sanctissimum Sa-  
 cramentum sine causa ab Ordinario approbata. ibid.  
 Quomodo controuersia super precedentiam aa Ordinarijs  
 terminande? n.27.  
 Admittendi mendicantes ad curam animarum in Cos-  
 uentibus, quibus talis cura imminet. n.28.  
 Quarta funeralis an ab ipsis soluenda. n.29.  
 Quid de quarta relictorum pro ornamentis, &c. n.30.  
 Sepultura libera pro secularibus in Conuentibus mendi-  
 cantium. n.31.  
 Qualiter se gerere debeant cum Curatis circa corpora sepe-  
 lienda, Crucem portandam &c. n.31.  
 Non obligantur ad contributionem onerum. n.32.  
 Quid declaratum circa contributionem pro seminario? n.33.  
 Quid de oneribus personalibus, custodia portarum, muro-  
 rum, &c. n.34.  
 Libera facultas Mendicantium ad quaestrandum. n.35.  
 Quomodo, aut quando Ordinarij introuere possint in deli-  
 ctis Fratrum? n.36.  
 Quomodo DD. Episcopi non debeant introuere in ipsorum  
 gubernio. n.37.  
 Quando cognoscere possint de delictis aliquorum fratrum. ib.  
 Puniant Prelati ipsorum fratres confugientes ad Ordina-  
 rios. n.38.  
 Nō debēt recipi ab Ordinarijs sub eorum protectione. n.39.  
 Nec detineri inuitis superioribus. ibid.  
 Bona ipsorum extra claustra decedentium, seu ad claustra  
 reuertentium ad quos pertineant. n.40.  
 Quid facere possint Episcopi circa uniones Ecclesiarum  
 factas monasterijs fratrum. n.41.  
 Quid possint in Ecclēsijs unius Curā animarū exercere. n.42.  
 Quid circa salarium seruientium dictis beneficijs? ibidem.  
 Non possunt impediri a pulsatione campanae, celebratione  
 Missarum, mortuorum associatione, & alijs Officijs hu-  
 iusmodi. n.43.  
 Quid declaratum circa pulsationes Campanarum. n.44.  
 Licentia pro construendis domibus mendicantium quomo-  
 do danda. n.45.  
 Associare corpora defunctorum, & mandatum seu predica-  
 tionem in die Cena Dom. quomodo facere possint. n.46.  
 Quomodo officia mortuorum non faciendā a Parochis in  
 Ecclesijs fratrum. n.47.  
 Libera sepultura in illis. ibid.  
 Non sepelienda corpora defunctorum ad quae associanda  
 vocati fuerint fratres sine ipsis. ibid.  
 De candelis quae fratribus dantur non debetur portio ca-  
 nonica. n.48.  
 Qualiter dimidi debeant candela, & intortitia. ibid.  
 Vfus non faciendi testamenta sine parochis. n.49.  
 Ad quas processiones accedere debeant Regulares. n.50.  
 Quomodo faciendae processiones a Regularibus in suis Ec-  
 clesijs. n.51.  
 Quam precedentiam debeant habere. ibid.  
 Gaudent Mendicantes coicatione suorum Priuilegiorū. n.52.  
 Non tamen poenarum, aut censurarum. ibid.  
 An concessa uni Monasterio censeantur alijs concessa. ibid.  
 Vni fratri priuato concessa nō censeantur concessa alijs. n.53.  
 Secus quando priuilegium uni fratri concessum inutile ef-  
 fet nisi alteri communicaretur. n.54.  
 Priuilegium aliquid debet operari, & esse utile. ibidem.  
 Communicatio priuilegiorū intelligenda est respectu. n.55.  
 Quando priuilegium uni Ordini concessum repugnat obser-  
 uantia alterius non communicatur illi. n.56.  
 Religio cui communicantur priuilegia potest se illis defen-

dere contra eam cui primò concessa sunt. n.57.  
 Renocata censentur a Conc. Trident. quoties in eo ponitur  
 clausula derogatoria illorum. n.58.  
 Quid autem quando non ponitur talis clausula. ibid.  
 Quomodo, & pro quibus personis suspendantur per Bullam  
 Cruciatæ. n.59.  
 An suspendatur in Anno Iubilæi centesimi. n.60.  
 Gaudent Mendicantes priuilegijs aliorum Ordinum. n.61.  
 An extendatur hoc ad priuilegia concedenda. n.62.  
 Tenentur obseruare decreta Generalia Clem. VIII. pro re-  
 format. Regular. n.63.  
 An possint obtinere beneficia. n.64.  
 An idem dicendum de fratribus Minoribus. n.65.  
 An hoc procedat in Mendicantibus transuentibus ad non  
 mendicantes. n.66.  
 Non procedit in illis. n.67.  
 Priuantur etiam voce, & loco in Capitulis. ibid.  
 An reddantur inhabiles ad officia, & ad quae officia. ibid.  
 Mendicantes ad alios mendicantes transuentibus, seu non  
 mendicantes ad mendicantes non afficiuntur dictis pœ-  
 nis. n.68.  
 Non possunt consentire electioni, postulationi, &c. de se in  
 discordia factis ad aliquam Prelaturam extra suum  
 Ordinem. n.69.  
 Quid dicendum de beneficio parochiali? ibid.  
 Possunt Mendicantes iure communi esse Vicarij Episcopo-  
 rum. n.70.  
 Cum licentia Superioris, & utilitate Monasterij. ibid.  
 Non autem fratres Minores. ibid.  
 Possunt etiam exercere munus Prouisoris Episcopi. n.71.  
 Qualiter Coadiutorias obtinere possint. n.72.  
 Qualiter alia beneficia, pensiones, & de alijs requisitis ad  
 ea. n.73.  
 An teneantur comparere ad allegandum priuilegium excē-  
 ptionis coram DD. Episcopis, seu Ordinarijs. n.74.

## De specialibus obligationibus, iuribus & priuilegijs Regularium Men- dicantium. Cap. I.

**M**endicantes Regulares à Mendicitate sic dicti iudicantur, quorum Canobis ex Regula, vel Constitutionibus nequaquam est permittum bona stabilia, seu immobilia (qualia sunt fundi, prædia possessiones, annui redditus, &c.) etiam in communi habere, sed eorum Religiosi ex eleemosynis sibi datis, vel oblatiis quesitis, victum, & alimenta comparant. Glossa in c. ex eo. verb. Mendicantes, de excessibus Prelatorum in 6. Glossa in cap. quorundam de elect. in 6. verb. Mendicantes, Ioannes Azorius to. 1. Instit. Moral. lib. 12. c. 23. Vnde fit primò Mendicantes alios esse ex Regula, alios ex Constitutionibus. Mendicantes ex regula (inquit Azorius vt supra) sunt Franciscani de Obseruantia: Dominicanos enim, Augustinianos, & Carmelitas solum vocat Mendicantes ex Constitutionibus, nam Regula S. Augustini sub qua Dominicani, & Augustiniani viuunt, & Regula S. Basilij, sub qua, vt ipse inquit) Carmelitar, permittunt fundos, prædia & alia bona stabilia. Sed quòd ad Carmelitas attinet non bene dicit Azorius sub Regula S. Basilij viuere, cum luce clarius sit regula à B. Alberto Patriarcha Hierosolymitano tradita degere. Malè etiam affirmat Carmelitas non esse Mendicantes ex Regula. Ipsorum namque Regula ab Innoc. IV. correctæ, & explicata nihil de permissione bonorum stabiliū continet imò, expressè habet cap. 13. Et quia vos oportet frequenter mendicare &c. Abbas Iapus, Allegat. 45. Thomas de Iesu in exposit. Regula Carmelitar. part. 3. dub. 6. Vide etiam Annales nostros. Inferitur etiam secundò non esse dicendos Ordines Mendicantes eos qui tamen pane mendicato viuunt, ex Regula tamen, & Constitutionibus bona immobilia habere possunt: sicut è contra, eos esse dicendos Mendicantes qui quamuis ex priuilegio stabilia bona in communi possideant, ex Regula tamen, vel Constitutionibus ea habere nequeunt, quia vt dictum est, ratio Mendicantis Ordinis in eo sita est, vt ex Regula, vel Constitutionibus hoc illis non sit permittum. Azorius vt supra §. ex his perspicue. Ruffus

Rurfus Mendicantes alij sunt à iure, alij ex Constitutionibus Summorum Pontificum. Priores sunt tantum quatuor, videlicet Dominicani, Franciscani, Augustiniani, Carmelitæ. Hi enim & hoc ordine numerantur in *cap. Religionum de Relig. Domib. in 6. §. sanè*, & à Pio V. in Constitutione *Romanus Pontifex*. anno 1567. Postiores verò sunt Seruitæ, quos in prædicta Constitutione comprehendit idem Pontifex, Minimi, quos etiam tales declarat in alia Constitutione *Apostolica Sedis*. eodem anno: fratres Iesuati Sancti Hieronymi, vt idem Pontifex habet in alia Constitutione *Romanus Pontifex*, & Iesuicæ ex alia etiam Constitutione eiusdem Pij V. *Dum indefessè* sub anno 1571. Azor. *vt supra §. 2. Queritur*. De Ordine autem, siue antiquitate inter ipsos Mendicantes non est locus disputandi. Solum enim eo ordine quo à iure, & Pontificibus, referuntur illo referre volui.

2 His tamen non obstantibus, vt dixi *tomo 1. cap. 6. num. 5.* licitum est Mendicantibus in domibus suis tam virorum quam mulierum, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, eorum, qui Minores de Observantia vocantur, bona immobilia in communi possidere. Ita enim decernitur in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 4.* illis verbis: [Concedit S. Synodus omnibus Monasterijs, & domibus, tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capuccinorum, & eorum qui Minores de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.] Vnde censendum est Concilium autoritate quia pollebat dispensasse in possessione communi bonorum immobilium cum omnibus Mendicantibus, siue ipsi ex Regula, Constitutionibus, aut alio modo interdicta prius fuisset. Hoc enim sonant verba illa vniuersalia *omnibus Monasterijs*, & indefinita illa vox vniuersali æquiualens *Mendicantium* & exceptio illa *exceptis*, &c. quæ firmat regulam in omnibus alijs. Azorius *tomo 1. lib. 12. cap. 23. §. 8. Queritur*. Propter quam causam comprehenduntur etiam sub hoc priuilegio nostri PP. Discalceati Carmelitæ; cum Concilium generaliter loquatur de omnibus Mendicantibus, & Monasterijs exceptis Minoribus. Nec obstat quod objicit Thomas de Iesu in *exposit. Regulæ Carmel. part. 3. cap. 8. dub. 6.* quod Concilium solum loquatur de ijs quibus ex Constitutionibus erat prohibitum habere bona immobilia, Carmelitis autem ex Regula illis hoc prohibebatur. Dicendum enim est, Concilium nomine Constitutionis intelligere etiam Regulam, dicunt Rodrig. *tomo 2. quest. Regul. quest. 62. art. 14.* & Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 12. num. 2.* & ratio id suadet, quia si nomine Constitutionum non intelligeret Regulam, frustra fecisset exceptionem de fratribus Minoribus, & Capuccinis, cum illis ex vi Regulæ prohibitum sit habere prædicta bona immobilia. Vide Suarez *tomo 3. de Relig. lib. 8. cap. 47. num. 2.* Et nota ex peculiaribus Constitutionibus eorumdem PP. Discalceatorum prohibitum esse Conuentibus illorum bona immobilia possidere, vt patet ex Constitutionibus Hispan. *part. 1. cap. 7. num. 11.* Quod sine dubio propter strictiorem obseruantiam paupertatis statutum fuit.

3 Vnde non est aliqua lex aut præceptum quibus teneantur ex mendicato viuere Mendicantes. Eo enim ipso quod à Sede Apostolica dispensati sunt in possessione bonorum stabilium dispensatur in possessione tot bonorum stabilium, quot sufficiant ad eorum sustentationem, ac per consequens deobligantur ab onere Mendicandi, ne obligentur ad superflua querenda, vel tenenda, quæ nullatenus habere possunt, iuxta dicta *tomo 1. cap. 6. num. 13.* Vide ibi dicta *num. 43.* Imò in casu quo Mendicantes essent in sua puritate non possidendi bona stabilia non erant obligati ad viuendum ex eleemosynis ostiatam mendicatis, sed poterant viuere ex sibi vtrò obligatis, & datis, vel aliquo alio modo quæstis. Ex vi enim mendicitatis solum obligabantur ad non habendum bona stabilia. Azorius *vt supra §. 9. queritur*.

4 Possunt nihilominus siue habeant, siue non, prædicta bona viuere ex mendicatis, quando scilicet adhuc desunt illis necessaria ad vitam. Vt latè dixi *tomo 1. cap. 6. num. 33. §. 44.* Quibus iungitur Pius V. in Constitutione *Esi men-*  
*Summa Lezana. Tom. II.*

*dicantium* anno 1567. edita, & de qua inferius dicitur, ac S. Congregationis declaratio anno 1587. quia dicitur: *Fratres Mendicantes nullatenus à quæstuatione, quæ de licentia suorum Superiorum fit, & in dies fieri contingit, prohibetur.* Hanc potè licentiam debent ostendere Ordinarijs, si ipsi eam videre velint, declarauit enim Sacra Congregatio Concilij: Regulares mendicantes teneri ad ostendendum Ordinario licentiam quærendi eleemosynas à suis Superioribus sibi datam. Quæ etiam Sacra Congregatio ad Rectores Ecclesiæ Bononiensis respondens declarauit: Non esse prohibitum Regularibus colligere frumentum, vvas, ligna, & similia, antequam Curatus habuerit suas primitias. Vnde ad huiusmodi quæstuationes non requiritur licentia, Episcopi, cum Mendicantes sic quæstuant vtantur iure suo. Prohibentes autem eos mendicare incidunt secundum aliquos in excommunicationem latæ sententiæ. Ad minus tamen ex priuilegio Sixti IV. Carmelitis concessio in Bulla *Dum attenda*, quæ est mare magnum Ordinis contra Ordinarios impediens dari nobis eleemosynas propter lites, & processus inter illos, & nostros exortos accerrimè procedendum dixit ijs verbis: [quod si per quoscumque processus lites, & controuersias quomodolibet inter ipsos fratres prænominat, & Ecclesiarum Rectores, & Ordinarios emergentes Ordinarij ipsi, seu quicumque alij inhibitionem Eleemosynarum per Christi fideles fratribus ipsis faciendam quocumque modo fuerint prolapsi, volumus, & præsentium patrociniò decernimus quod omnes, & singuli tales inhibentes ipso facto excommunicationis incurrant sententiam, & contra tales ipsi Carmelitarum, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini Protectores, & Auditor Camera Apostolicæ, qui sunt, & pro tempore erunt, & Inquisitores hæreticæ prauitatis ad prædictorum Fratrum requisitionem possint, & debeant quilibet eorumdem per se sicut contra hæreticos procedere.] Nec his obstat Concil. Trident. *dum sess. 21. capit. 9. & sess. 25. capit. 2.* quæstorum nomen, & officium omnino abolendum statuit. Non enim id ad Mendicantium Ordines refertur debet vt declarauit Pius V. in constitut. supra relata: intentum enim Concilij solum est tollere illos, qui Eleemosynas quærent publicando Indulgentias eis concessas, vel prædicando. Rodriguez *tomo 2. quest. Regular. quest. 57. artic. 7.* Peitinis *tomo 1. priuileg. Minim. in constit. 4. Sixti IV. §. 8. à num. 40.*

5 Hic notandum aliquos esse, qui volunt posse Ordinarios impedire ne Mendicantes superfluas eleemosynas petant. Lauretas de Franchis in *Controuers. Episcopor. & Regular. pag. mibi 39.* Sed licet Mendicantes ita facientes peccent, & propterea à suis Superioribus debeant coerceri, iuxta dicta *tomo 1. capit. 6. num. 43.* non video tamen qualiter competat ordinarijs iudicare an eleemosynæ, quas petunt, sint vel non sint superflue. Cum non sint iudices ipsorum.

6 Minores autem de Observantia, siue Capuccini, cum non solum in particulari, sed neque in communi habere possint bona stabilia, & bonorum quæ possident dominium pertineat, vel ad Papam, vel ad eos, qui ipsa contulerunt, vt diximus *tomo 1. capit. 6. num. 5.* Ideo solum eorum quæ possident habent vsum facti, non dominium, aut vsum iuris. Quia solum habent facultatem vtendi illis instar seruorum ad nutum eorum ad quos pertinet dominium, vel vsum iuris, quod est vsum facti, (Azorius *tomo 1. instit. moral. lib. 12. capit. 24.*) Nihilominus possunt recipere legata non quidem bonorum stabilium cum illorum non sint capaces ratione mendicitatis non dispensata, sicut est in alijs Mendicantium Ordinibus, sed aliarum rerum, & bonorum ad proprios dumtaxat necessarios vsus (qua ratione domos ad habitandum iure possident) v. gr. pecuniarum, librorum, suppellectilium ad cultum diuinum, litterarum studium, vel alias impensas, iuxta modum illis præscriptum à Nicolao III. in *capit. exijt de verbor. significat. in 6.* Azor. *vt supra.* Sorbus in *additionibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. legata.* Vide dicenda *cap. 19. num. 45.*

7 Similiter Domus Professæ Societatis Iesu bona immobilia etiam in communi possidere non possunt, quamuis à Concilio Tridentino non excipiantur. Ratio est, quia



quia ipsa Societas in secunda Congregatione Generali anno 1565. can. 2. cessit iuri suo provenienti ex dicta concessione Concilij. Quod recte potuit facere, cum ea concessio non fuerit fauor aliquis Religionum cuius renunciatio cedat in dedecus, & iniuriam status Religiosi quale est privilegium fori Ordini Clericali concessum. Aliqui etiam credunt ad hanc faciendam renunciationem accessisse auctoritatem Pontificiam, & saltem generalis approbatio habetur à Gregorio XIII. in Extrauaganti *Ascendente Domino* anno 1584. Sanchez *lib. 6. in decalog. cap. 18. à num. 11.* Collegia autem eiusdem Societatis bona immobilia possident, & sine ne illis fundari non possunt, alias enim vix possent in eis studentes alij, aut conseruari, seu bona studia florere, cum temporalium rerum sollicitudo, quietem ad studium necessarium impediatur. Suarez *4. de Religione trac. 9. lib. 4. c. 11.* Iure tamen succedendi in bona suorum Religiosorum carent, vt constat ex Greg. XIII. in Bulla *Quantofructuosius*, & in Bulla *Ascendente* ac ex Congregat. Generali. 3. can. 4. Sanchez *lib. 7. in Decalogum c. 12. num. 1.* vide dicenda c. 19. num. 13. Pariter etiam RR. PP. Discalceati Carmelitæ etiam in Collegijs pro ipsorum sustentatione annuos redditus possideant, non tamen in Conuenticibus, quia illis quicumque bonorum immobilium possessio denegatur. Collegia quoque ipsorum iure succedendi in bona fratrum sunt priuata. Constitutiones PP. Discalceatorum Hispan. ex Capitulo Generali Paltrana: 1604. part. 1. cap. 7. num. 11. & 12.

8 Moniales autem Ordinem Mendicantium prædicta bona immobilia in communi possidere possunt. Concilium enim loco adducto generaliter dispensat in hoc cum omnibus *Monasterijs, & domibus tam virorum quam Mulierum etiam quibus, aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum.* In quo etiam comprehenduntur Moniales S. Clare, tam quæ primæ Regulæ, quam quæ secundæ, & Urbane Regulæ nuncupantur. Cum Tridentinum in eo Decreto in concessione habendi bona in communi expresserit omnia virorum, & Monialium Monasteria, & solum excepterit Fratres Minores de obseruantia seu Capuccinos, non autem Moniales ipsorum. Sic etiam dicitur à Sac. Congregat. Cardinalium declaratum. Rodriguez *tom. 3. quest. Regular. quest. 29. art. 14.* Sanchez *de præceptis Decalogi lib. 7. cap. 12. num. 2.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Moniales S. Clare* afferens duas declarationes S. Congregationis quoad hoc.

9 Error est asserere Mendicantes non posse docere, concionari, confessiones audire, & Sacramenta administrare, ac debere suis manibus laborare ad quærendum sibi vitæ, & vestitum. Ita enim determinauit Alexander IV. in Bulla *Non sine multa.* Pontificat. anno 3. edita contra Guillelmum, Giraldum, Odonem, & alios Parisienses. Vide Bullam in Bzouio *tom. 13. Annal. sub anno 1257. à num. 5.* Guillelmus propterea à Papa Romam euocatus damnatus est, omni Ecclesiastici ordinis functione, & redditibus exutus, & liber quo talia assererat igni traditus fuit. Bzou. *num. 4.* Decens etiam est Mendicantes Religiosos prædictis muneri attendere. Quia ipsi instituti sunt non tanquam Monastici Ordines ad solitariam vitam, agendam tantummodo, sed ad salutem animarum procurandam, conseruandam, & augendam, ad quæ prædicta munia valde conducunt S. Thomas *opusc. 10. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 1.*

10 Finis proprius Mendicantium Regularium, & per quem à Monachis distinguuntur est profiteri statum vitæ mixtæ ex contemplatione, & actione, Magdalenam, Martham imitantium, & præsertim erga proximi salutem procurandam: Monachi autem finis contemplatio, & solitudo est. Id constat ex eorum institutione, sicut enim Monachi ad vacandum Deo, silentio, solitudini, & orationi instituti sunt ex primæua sui origine (sic enim de illis loquimur) sic & Mendicantes, quatuor præsertim Ordines, quibus hoc nomen primum tributum est, instituti sunt ad vacandum vitam contemplatiuam in Choro, & diuinis Officijs, tum actiuæ erga salutem proximorum procurandam, confessionibus, prædicationibus, doctrina, & ministerio Sacramentorum. Panormit. *in capitulo causam, et primo de iudic. num. 2.* Suarez *4. tomo de Relig. tract. 6. lib. 1. c. 8.*

11 Hinc iuxta dicta *tom. 1. c. 1. n. 17.* tenentur ex præcepto

charitatis saluti proximorum subuenire, confessionibus, prædicationibus, lectionibus. &c. & vt ibidem etiam dictum, sunt coadiutores Episcoporum. Insuper propterea, vt aliqui probabiliter dicunt, possunt ex vi voti obedientiæ, quod emiserunt, à Papa obligari ad eundem in terras infidelium ad prædicandum Euangelium. Sorus *7. de iust. q. 2. art. 1.* Suarez *4. tomo de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 4. num. 22.* Et si Iesuitarum obligatio ratione specialis voti, quod emittunt, multo maior sit quoad hoc, vt idem Suarez *ibidem, & constat ex dicendis c. 4. num. 10.*

12 Pro privilegijs autem Mendicantium maximè discutienda sunt ea quæ Pius V. in Bulla *Etsi Mendicantium Ordines* anno 1567. edita (quæ habetur in 2. tomo Bullarum inter Bullas huius Pontificis num. 41. & apud Peirinis *10. 2. priuileg. Minim. inter Constit. huius Pont. num. 7.*) recessit. Cum enim is Pontifex re & nomine Pius considerasset grauamina ab Ordinarijs, & Ecclesiarum Prælatibus ipsi Mendicantibus illata sub prætextu præsertim Concilij Tridentini decretorum volens ab ijs molestijs ipsos liberare, 26. ex prædictis grauaminibus relatis, motu proprio, & ex certa scientia, sic illis obuiando decernit. [Nos igitur motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed de mea deliberatione, & ex certa scientia nostris, ac de Apostolica potestatis plenitudine declaramus, Canonem *sess. 24. c. 4.* per quem omnibus Regularibus etiam in suorum Ordinum Ecclesijs, contradicente Episcopo, prædicationis officium interdicitur, Mendicantium Ordinum fratres huiusmodi quando à suis Generalibus, vel eorum ministris Prouincialibus ad id deputati fuerint, non comprehendere, neque eos afficere posse, imò volumus, quòd in suis Ecclesijs quando eis placuerit, licite & absque vilo impedimento, vel contradictione, etiam Episcopi, nisi ipse prædicauerit, prædicare possint. Quòd verò in *sess. 23. cap. 15.* circa confessiones à Regularibus nõ audiendas statuitur hoc etiam dictorum Ordinum Fratres à præfatis suis Generalibus, vel Ministris Prouincialibus ad audiendas Confessiones vtriusque sexus Christi fidelium approbatos, vt præmittitur, minimè comprehendat, ita vt à Confessionibus audiendis tam intra eorum Ecclesias, domos, quam extra minimè prohibeantur, super hoc litteras fel. rec. Pauli Papæ IV. etiam prædecessoris nostri, concedentes eisdem Fratribus Mendicantibus Regularis obseruantie posse Confessiones Secularium personarum, etiam infirmarum, etiam extra domos, & Monasteria sua, & vbi libet audire, approbando, & de nouo concedendo. Statuimus etiam, quòd ille qui semel in vna Diocesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem Diocesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta Diocesi debeat, tam quoad prædicationes faciendas, quam quoad Confessiones audiendas: nec aliquid pro prædictis exigi, vel recipi debeat. Confessores verò Monialium, quæ degunt sub cura Regularium ab Ordinario examinari nolumus, quemadmodum neque etiam Fratres si debeant audire Confessiones aliorum Fratrum examinari debent. Lectores insuper ex eisdem Fratribus, & in Theologia graduati, qui cum licentia suorum Superiorum ad gradum admissi fuerint, cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam Confessiones audiri, quam prædicationis munus subitari ab Episcopis minimè examinentur. Ipsique Christi fideles Sacramentum Eucharistiæ, Resurrectionis Dominicæ festiuitatis dumtaxat excepta, sumere, eisque illud per Fratres huiusmodi administrari valeat, nec ad illud faciendum per locorum ordinarios aut Ecclesiarum Rectores præfatos, seu alios quoscumque (illorum licentia minimè requisita) etiã sub censuris Ecclesiasticis, & alijs pœnis cogi vel compelli possint, seu debeant, et decernimus, & declaramus. Et licet in *sess. 25. c. 12.* caveatur quòd censuræ, & interdictionis Ecclesiasticæ et à locorum ordinarijs promulgata mandante Episcopo à regularibus in eorum Ecclesijs publicari debeant tamen si tempore celebrationis alicuius ex festis Sanctorum ordinum eorumdè, ac alijs festiuitatibus, iuxta eorumdè ordinem priuilegia Apostolica, interdictionis huiusmodi emanauerit, illud in præfatis festiuitatibus, & earum octauis suspendimus. Cumq; inhonestum sit quemlibet in alienam messem falcem iniicere, cumq; Monialium Monasteria nõ nisi de episcopi, vel superioris licentia, & in casibus necessarijs aliquis ingredi presumat, in *sess. 25. c. 5.* prohibetur, hoc

hoc tantum in illis Monasterijs locum habere volumus, quæ Ordinarijs ipsis pleno iure subsunt, in quibus in casibus necessarijs ipsis dare licentiam possint, & non in alijs Monasterijs. Ita vt in præfatis Monasterijs, quæ Ordinarijs ipsis pleno iure non subsunt, ipsi Ordinarij illa ingredi non possint pro vt in Regulis earum, seu de iure statuitur; & in eis aliquos processus aduersus Moniales ipsas, seu fratres huiusmodi propterea, seu alias ipsorum Ordinum Superioribus irrequisitis, quoquo modo formare, aut facere posse omnino prohibemus, ita vt aliquam iurisdictionem seu aliquod quodcumque dominium in Moniales, & Fratres huiusmodi respectiue habere, exercere, aut exequi nullatenus possint, aut debeant, immo illas, & illos omnes ab eorum superioritate, dominio, & iurisdictione, & potestate eximimus, & liberamus, pro vt eis concessum est per sua priuilegia à Sede præfata obtenta. Et ita præfata Moniales, ac Fratres sint exclusi à superioritate, & iurisdictione Ordinarij respectiue huiusmodi, vt etiam in illarum, vel illorum syndicis, aut Procuratoribus deputandis, vel in disponendis illorum facultatibus, vel ad alia sibi non competentia faciendâ nullatenus non se intromittant. Nec etiam Ordinarij ipsos Regulares præfatos citare, & iurisdictioni suæ subijcere, ac eorum conuentus occupare, ipsos ab eis expellendo, ac in ipsos iurisdictionem aliquam, & potestatem exercere, vt premititur, aut ipsos carceribus mancipare, & contra eos aliud facere possint, vt suæ ditioni subijciantur. Volumus etiâ puellarum Deo dicandarum an scilicet coactæ, vel seductæ fuerint, examen faciendum, non nisi infra quindecim dies postquam iuxta Concilium Trident. Episcopi, vel eorū Vicarij requisiti fuerint, fieri possit. Quibus elapsis amplius in hoc illis se intromittere non liceat. Cuius occasione nec Episcopus nec eius Vicarius intra septa Monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream, & interrogationes alias quàm eas, quas præfatum Concil. Trident. iubet eis fieri omnino prohibemus, ac similiter volumus quod puellæ, seu nouitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minimè teneantur. *Sessione verò 23. c. 8.* Neminem nisi à proprio Episcopo ordinari posse statuens, in Regularibus locum non habere omnino declaramus. Ita quod fratres huiusmodi præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minimè requisita licentia, in locis seu domibus Fratrum huiusmodi, aut alibi recipere possint. Et insuper *sess. 22. decreti*, per quod populum sæpe ad suas Ecclesias saltem Dominicis, & maioribus festiuis diebus conuenire debere monet, insequendo volumus quod fratres Mendicantes huiusmodi non solum prohiberi non possint, ne Missas, & alia Diuina Officia faciant in eorū Ecclesijs; verum etiam in quibuscumq; alijs vbi celebrare Missas solitum est, etiam ipsis non vocatis, seu ad id requisitis, celebrare valeant; ac etiâ quod Conciones, & lectiones Sacræ Scripture, & Sermones pro mortuis etiam in Ecclesijs facere, ac eleemosynas pro celebrandis huiusmodi Missis, & alijs diuinis Officijs peragendis, si eis illas donari, seu relinquere contingat, recipere. Nec non Missas, & Diuina Officia huiusmodi etiam in diebus Dominicis, vel festiuis, etiâ antequam Rector Parochialis Ecclesiæ celebrauerit, celebrare, & facere, & quâdo eis videretur, etiam si tunc in Ecclesia Cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiâ quicūq; vtriusq; sexus, Christi fideles totius anni tēpore illas, & illa in Ecclesijs fratrum huiusmodi audire possint, ipsique Christi fideles nullatenus desuper molestari, aut impediti per locorum Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumq; vlllo pacto, causa, vel occasione nõ valeant seu debeant, sed præfati Christi fideles audiendo Missas, & alia diuina Officia in Ecclesijs fratrum huiusmodi diebus Dominicis, aut festiuis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censentur. Controversias autē omnes de præcedentia, quæ eadem *sess. 25. c. verò 13.* per Episcopum terminati mandantur, non nisi durantes per illum dirimi; finitas autem nullo pacto innouari posse statuimus. Cumq; *licet c. 11. sess. 25.* statuatur quod in domib. Virorum, seu Mulierum quibus animarum personarum seculariū cura imminet, nulli et ad nutum amouibiles inibi deputentur, nisi de Ordinarij consensu, à præuio examine huiusmodi præcedente, ad curam huiusmodi admitti posse omnino volumus præfatos regulares. Quartam autem funtaliū de qua *sess.*

Summa Lezana Tom. II.

25. c. 13. nequaquam soluere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citra fundata existunt, postquam Conciliū ipsam loquitur tantū de Monasterijs ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueverunt, & vbi solui consuevit id tantum ceræ, & aliorū quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu Legatis, vel alijs Fratribus ipsis, seu Monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solui debet, sicque intelligi Concilij decretum quoad quartam huiusmodi soluendâ debere decernimus. Vbi verò non est consuetudo soluendi quartâ huiusmodi de nullo supra scriptorum solui debere declaramus: Nec ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ et pro ornamento Ecclesiæ, paliorum, planetarū, cortinarum, pannorum, aliorum quæ dictis Ecclesijs relinqui, vel dari contigerit, etiam si pro victu fratrum, aut alijs relinquantur, aliquid contribuere teneantur. Ac et ipsi sepulturæ solui tantum consuetum Curatis, & non aliquid aliud eis solui debeat, quamuis partes ad eorum libitum Ecclesijs Ordinum huiusmodi, seu eorū Fratribus alia quæcumque tribuant, seu eleemosynas elargiantur quâdo sepeliuntur ibidem corpora mortuorū huiusmodi. Nec propterea impediri debeant quin possint Defunctorum corpora præfata ad eorū Ecclesias tumulanda deferri facere. Inhonestum quoque esse censentes Mendicantium Ordines ad aliquorum onerum contributionem teneri, illos, illorumq; loca, etiam si curam animarum habeant, ac quæcumq; beneficia illis vnita ad contributionem pro Seminario, aut decimarum aliquarum solutionem, immo illos, & eorum domos, Monasteria, beneficia, & loca quæcumq; & ab illis quomodolibet dependentia, eorumque possessiones, vineas, agros, & prata, ac alia bona quæcumque tã ad ipsos, quàm ad Moniales præfatos, et largitione fidelium, seu alijs iustis de causis ab eis acquisita, ac pecunijs empta, vel alijs quomodolibet pertinentia minimè teneri, illosq; & illas à quibuscumq; decimis, primitiis, quartis medijs, & alijs fructuum partibus, necnon subsidijs charitatiuis, et per nos concessis ad quorūcumq; et Regum, Principum, & dominorum temporalium instantiam, quacumq; etiâ vrgentissima, & de necessitate exprimens causa, ac et alijs quibuscumq; oneribus, tã ordinarijs, quàm extraordinarijs, et ratione fructuū, olerū, vignatorum, lignorum beneficiorū, & aliarū quarūcumq; rerum, tã pro victu, quàm vestitu, aut alijs sibi necessariarum quomodolibet et auctoritate Apostolica nunc, & pro tēpore impostis, ita vt penitus, & omnino ad alicuius rei contributionem minimè teneantur, omnino eximimus, & liberamus, illosq; & illa ad illos & illa, etiam si seculares, & alia personæ quæcūq; in eas exigendi possessione fuerint minimè teneri debere volumus. Nec sub *c. 12. sess. 25.* comprehendendi posse, vel debere decernimus. Quod verò de vltimo quæstorum eleemosynarū auferendo loquitur *sess. 21. c. 8.* id ad Mendicantium ordines nullo modo referri posse, vel debere et decernimus, quin potius eū eleemosynis huiusmodi viuere cogatur, eis id facere liberū omnino esse declaramus. Quonia verò ex nimia Episcoporum sibi arrogata auctoritate ipsi personas regulares suæ iurisdictionis subijcere omnino student, ac decreto Concilij præfati *sess. 25. c. 14. edito*, quo cauetur quod si regularis intra claustra existens, & extra ea ita notoriè delinquerit vt populo scandalosus sit, termino ab Episcopo præfigendo à suo Superiore omnino puniatur, si minus ab Ordinario delinques puniri possit, confisi, varijs, indebitisq; grauaminibus regulares afficiunt: Ordinarios præfatos aliquid contra regulares in claustris degentes huiusmodi quouis prætextu, occasione vel causa innouare nõ posse, vel debere, nec aliquos processus contra ipsas personas regulares formare, aut facere posse volumus nisi propter manifestū scandalum, & suorum ordinū Superioribus prius consultis, & negligentibus, alioquin omnia, & singula contra præmissa facta, & gesta ac faciendâ in futurum, pro nullis, & infectis habeantur. Neque etiâ se intromittant vlllo pacto, aut aliqua ratione in gubernatione Conuentū, tam Fratrum, quàm Monialium huiusmodi & illorū correctionibus, sed omnia ista, & alia necessaria ad correctionem, & gubernationem fratrum, aut Monialium huiusmodi, eorū Generalibus, ac Ministris, seu Prouincialibus vel alijs eorū, aut earū respectiue Superioribus etiâ ratione cōputata faciendi cum syndicis Conuentuum huiusmodi

K 3 omnino

omnino relinquatur, nec vlllo modo in prædictis per se, vel alios se intromittant. Fratres quoque si contigerit eos ad huiusmodi Ordinarios recursum habere à præfatis Generalibus, Ministris, seu Prouincialibus, Prioribus, Guardianis, & alijs Superioribus castigari, & puniri posse, & debere: neque ipsos Ordinarios præfatis Superioribus ordinum huiusmodi vllatenus inhibere quinimo præfatos Superiores processus contra Fratres suos, & Moniales huiusmodi quando opus fuerit circa delictorum inquisitionem, vel castigationem facere posse decernimus, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Inhibemus etiam ipsis Ordinarijs, ne Fratres extra claustra degentes sub eorum protectione recipiant, eosque inuitis suis Superioribus detineant. Prohibemus quoque eisdem Ordinarijs, ne aliquo modo se intromittant in bonis dictorum Fratrum extra claustra suorum Monasteriorum pro tempore degentium, siue decedentium, & quamuis in habitu, siue absque habitu moriantur, volumus quod eorum bona mobilia, & immobilia ad Ordinem quem professi sunt pertineant, disponenda iuxta Constitutiones, seu Ordinationes præfatorum Ordinum, neque illa Ordinarij præfati occupare præsumant, imò huiusmodi ad habitum Religionis reuertentium bona omnia Monasterijs ipsis, cum ea quæ acquirunt Monachus, de iure Monasterio acquirantur, pertinere etiam decernimus. Ac ipsi Ordinarijs ne quascumque vniones etiam perpetuas à Sede prædicta, vel alias, vt præfertur hæctenus factas, & pro tempore faciendas de beneficijs Ecclesiasticis, seu illorum Fratribus quin suum sortiantur effectum, impediant, omnino etiam prohibemus, & censuras Ecclesiasticas, & alias poenas per eos in contradictores pro tempore latas, nullius esse roboris, vel momenti, similiter decernimus, & declaramus. Insuper volumus, quod præfati Regulares, quibus cura animarum est, possint per seipsum iuxta suorum Superiorum Ordinationem, aut alios Vicarios, seu Cappellanos sæculares, ipsorum Regularium nutu amouibiles, ab eis deputatos, & ab Ordinario pro idoneis nominatos, & approbatos præfata curam exercere, neque in eorum deputatione, vel amotione, neque alicuius partis fructuum consignatione pro præfatis Cappellanis, seu Vicarijs sæcularibus, si per tales curam exercere contigerit, Episcopi vlllo pacto se intromittant. Prohibemus insuper eisdem Ordinarijs, ac alijs quibuscumque personis, ne impediant ipsos Fratres, quando eis placuerit tam in diebus Dominicis, seu festiuis, aut alijs totius anni temporibus campanas pulsare, & etiam tempore quo ipsi celebrauerint Missas celebrare, nec non mortuorum corpora associare, & illa per fratres ipsos quando in Ecclesijs suis præfatis delata fuerint absque præsentia Rectorum Ecclesiarum huiusmodi sepelire facere ac Officia mortuorum huiusmodi peragi posse, necessariamque præsentiam Rectorum, aut aliorum Clericorum, quin infirmi liberè sua possint concedere testamenta minimè esse, ac ipsos Regulares legata, aut quæuis alia sibi in testamentis relicta exigere, & obtinere posse; neque aliquod ius in contrarium esse decernimus, & declaramus. Licentias verò pro construendis domibus Regularibus quæst. 3. cap. sess. 25. nisi de Ordinarij licentia construi prohibentur, gratis omnino dari, & non nisi legitima subsistente causa Superioribus explicanda illas recufari posse. Nec non Fratres præfatos etiã solos mortuorum corpora associare ac mandatum in die Cœnæ Domini fieri solitum in Ecclesijs seu domibus Fratrum cuiuslibet Ordinis prædictorum solemniter facere, & prædicta die prædicare, hora qua eis videbitur, nec per locorum Ordinarios, aut Rectores Ecclesiarum, seu alios quoscumque prohiberi posse etiam decernimus, & declaramus. Mandantes etiam vniuersis locorum Ordinarijs ne mortuorum Officia agere Rectores Parochialium in Ecclesijs ipsorum fratrum contra illorum voluntatem permittant. Ac moniales dictis Fratribus subditas, vel personas sepulturam in eorum Ecclesijs eligentes, nulla soluta Parochia portione sepelire, vel si Fratres ad mortuorum corpora associanda vocati fuerint, illa absque Fratrum huiusmodi præsentia sepeliri facere audeant, vel præsumant. Cumque maximè deceat, liberam esse cuiusuis restantis voluntatem, prauum illum usum paruo adhuc tempore, vt præfertur, introductum, per quem testamenta absque Pres-

byterorum præsentia fieri interdicitur omnino abrogamus. Postremò quod c. 13. sess. 25. cautum fuit, quòd omnes scilicet tam Clerici, quàm Regulares quicumque ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id quod ad Fratres præfatos, de illis tantum processibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra Infideles inducuntur. Quod etiam de illis Conuentibus, qui collegia nuncupantur minimè intelligi volumus in quibus Fratres sub arctiori claustra degunt, ita vt nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, sed tantum studijs, & lectionibus vacent. J

13 Circa quam Constitutionem, vel Bullam id primò notandum, plurimam sententiam esse; imò & communiter teneri eam reuocatam esse à Gregor. XIII. in alia Constitutione, quæ incipit *In tanta*, quæ habetur in 2. tomo Bullarum inter Constitutiones illius num. 9. vbi de prædicta Constitutione, & alijs quæ à præd. Pio V. prædecessore manuerant sic habet. Nos hac tanta varietate cognita quæ etiam ex multiplici Litterarum, & Constitutionum editione procedi, præsentibus, & futuris discrimibus occurrere volentes de nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus de prædictis, & alijs omnibus Litteris, & Constitutionibus, quæ ab eodem Prædecessore eisdem de rebus pro quorumcumque Regularium, & Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus, & quibuscumque in eis contentis eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris dictis Concilij decretis, siue alias legitime ante dictarum Litterarum, & Constitutionum editionem erat, et si ipsæ non emanassent futura fuissent. Ad quam dispositionem, & decisionem, suumque pristinum, & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus, & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, nec non prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque alia ipsis Litteris, & Constitutionibus apposita, & alijs eorum occasione & cet. Hæc Gregor. Decimo Tertio.

14 Nihilominus plures tenent hanc Gregor. Constit. non obligare ex defectu legitimæ publicationis, cum enim edita fuerit sub anno Incarnationis Dominicæ 1572. dicunt publicatam non esse, nisi post annum 1588. Vide Llamas 1. p. *Methodi*. c. 7. §. 6. Peirinis to. 2. *privileg. Minim. in Constit.* 7. *Pij V. num. 2.* qui referunt Nauarrum in *Man. cap. 27. in fine* & c. 21. num. 5. quatenus dicere videtur non fuisse publicatam hanc Gregorij Constitutionem. Sed erant in hoc. Nauarrum enim non loquitur de hac Constitutione Gregorij, sed de alia moderatione dictæ Constitutionis Pij V. ab ipso Pio V. edita, imò ipse tam in dicto *cap. 27. in fine*, quam c. 25. num. 68. supponit esse publicatam hanc Gregorij Constitutionem. Quorsum enim eam referret si publicata non esset? Adde quòd in præd. 2. tomo Bullarum sine huius Constitutionis Gregorij loco citato dicitur publicata locis solitis in Curia die 23. Martij 1573. non ergo ex defectu publicationis infirmatur eius auctoritas.

15 Alij videntur dicere apud dictum Peirinis non esse praxi receptam. Sed nec id probare possunt, nec video aliquid fundamentum ad id asserendum, imò potius ad dicendum contrarium, cum praxis Ecclesiarum, & Religionum eam obseruet. Nisi dicatur eam non esse receptam in alio præterquam quoad reuocationem privilegiorum contrarium Conc. Trident. iuxta dicenda numero sequenti. Quo sensu videntur intelligi Henriquez, & Thomas de Iesu relati *tom. 1. huius Summæ c. 3. num. 12.*

16 Dicendum ergo est Gregorij XIII. in dicta Constitutione *In tanta*. Solùm reuocasse præfata Constitutionem Pij V. quatenus per ipsam conceditur aliquid contrarium decretis Concilij Tridentini, non tamen quatenus conceditur aliquid non contrarium ipsis decretis. Ita enim dicitur à Sacra Congregatione declaratum. Rodriguez *tom. 1. quæst. Regular. quæst. 8. artic. 9. quæst. 43. artic. 7. & quæst. 39. artic. 2.* Sorbus in *annotat. ad compend. privileg. Mendic. verb. privilegia Fratrum §. Et licet Greg. XIII. Molserus 2. part. summa tract. 13. cap. 9. num. 30.* Quod etiam habetur in quadam decisione Rotæ coram Decano, & est *Liciensis Quartæ funeralium 15. Ianua. 1618.* apud Barbotam *de officio, & potest. Episc. alleg. 86. n. 17.* & Tamburinus

- burinus de *Iure Abbat.* 10. 1. *disp.* 15. *quasi.* 17.] Nec etiam est reuocata quantum ad ea quæ dictus Pontifex Pius in dicta Constitutione dixerat non aliquid de nouo concedendo, sed explicando Concilium Tridentinum. Miranda 2. *tomo Mannal. quest.* 48. *art.* 8. Peirinis *tomo 2. priuileg. Minim. in Constit.* 7. *Pij V. num.* 3. Restat ergo videre quænam ex dictis Priuilegijs à Pio V. concessis, aut quomodo hoc tempore robur habeant.
- 17 Et primò facultas concessa Mendicantibus prædicandi in Ecclesijs suorum Ordinum etiam contradicente Episcopo limitanda est iuxta dicta *tomo 1. cap.* 20. *num.* 2. & 3. ita scilicet vt non requiratur ad hoc licentia Episcopi, bene tamen ipsius benedictio saltem petita, vt habetur ex Concilio Trident. *sess.* 5. *cap.* 2. Fauent litteræ in forma Breuis à SS. D. N. Urbano Missæ ad Eminentijs. Cardin. Sandoual, quas refert Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Episcopus prædicator, & circa prædicatores* 11.
- 18 Deindè facultas concessa Mendicantibus ab hoc Pontifice ad audiendas confessiones secularium solum cum approbatione Generalium, vel Prouincialium cum sit contraria decreto Concilij Tridentini *sess.* 23. *cap.* 15. Nullo modo subsistit, valet tamen quantum ad hoc quod idem Pontifex subiungit quòd scilicet ille qui semel est in vna Diocesi ab Episcopo admissus, amplius præsentari ibidem non debeat aut examinari ab eodem Episcopo, bene tamen à successore, vt declarauit Sac. Congregatio apud Quarantam in *summa Bullarij verbo confessor.* Vide dicta *tomo 1. cap.* 19. *num.* 7. illud autem quod subiungit Pontifex de non exigendo, vel recipiendo aliquid pro examine ad confessiones audiendas (intellige ab Episcopo, vel eius officialibus) manet omnino in sua vi.
- 19 Illud de Confessoribus Monialium, quæ sub cura Regularium degunt non examinandis ab Ordinario, vacat in Italia, & alijs partibus, vbi Constitutio Gregorij XV. de *exemptor. priuilegijs* viget, cum in illa præcipiatur quod prædicti Monialium Confessarij approbati ab Episcopo esse debeant, iuxta dicta *tomo 1. cap.* 25. *num.* 45. & 46. in partibus autem, seu Regnis Hispaniarum, vbi illa Constitutio suspensa est, iuxta dicta *tomo 1. cap.* 19. *num.* 35. valet dicta concessio, vel declaratio Pij V. quòd scilicet Confessarij Monialium non debeant ab Episcopis examinari. Declarationes autem quædam S. Congregat. quas refert Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Confessarius Monialium* 2. & ego dicto *cap.* 25. *num.* 46. quæ videntur contrariæ huic doctrinæ; cum sint factæ pro explicatione dictæ Constitut. Gregor. XV. solum habent vim sicut ipsa extra Hispaniam. Pariter etiam illud de Fratribus pro Confessionibus aliorum Fratrum audiendis non examinandis ab Episcopis, vbique valet iuxta dicta *tomo 1. c.* 18. *n.* 27. Illud autem de lectoribus, seu graduatis non examinandis ab Episcopis, reuocatum est ab eodem Pio V. iuxta dicta *to. 1. cap.* 19. *num.* 6. & ita modo non subsistit.
- 20 Facultas porò administrandi Sacramentum Eucharistiæ fidelibus præterquam in festiuitate Paschatis, quam hic Pontifex concedit Mendicantibus cum in Concilio Tridentino nihil de hoc habeatur, manet in sua vi iuxta priuilegia antiquiora ipsorum Mendicantium de quo *tomo 1. cap.* 21. *num.* 8. Vide etiam Nauarrum in *summa capit.* 21. *num.* 52. Azorium *tomo 1. lib.* 7. *capit.* ult. *quest.* 7. Suarez *tomo 3. in 3. part. disput.* 72. *sect.* 2. *dub.* 2. Qualiter verò id non liceat in die Paschatis vide declarationem Sac. Congregat. in Barbosa de *Collectan. Bullar. verb. Eucharistia.*
- 21 Similiter facultatem suspendendi interdictionem Ecclesiasticam in festiuitatibus SS. Ordinum Mendicantium, ac alijs festiuitatibus iuxta eorum priuilegia, cum probabile sit non esse contrarium Concilio iuxta dicta *tomo 1. cap.* 21. *num.* 19. probabile etiam erit manere in sua vi his temporibus. De quo bene Peirinis *tomo 1. priuileg. Minim. in Constitut.* 2. *Sexti IV. à num.* 50. plures alios referens. Nec obstat probabilitati huius opinionis declaratio quædam S. Congregationis, quam referunt Garzia, Armendariz, & Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Priuilegium*, in qua oppositum declaratur. Tum quia de illa mihi authenticè non constat, tum propter concessionem Clem. VIII. factam Minoribus, quam referunt Rodriguez *tomo 2. questio. Regul. questio* 112. *artic.* 2. & Peirinis *ve Summa Lexana. Tom. II.*
- supra num.* 51. Ad minus tamen videtur standum consuetudini legitimè præscriptæ, & ea vtendum, ex clauso scandalo. Nota tamen hanc concessionem Clem. VIII. solum esse pro festiuitatibus Sanctorum Ordinis.
- 22 Id quod etiam habetur in dicta Constitutione Pij V. de licentia pro ingrediendo Monasteria Monialium pleno iure subditarum Mendicantibus in casibus necessarijs, non concedenda ab Episcopo, sed à Prælati Religionum, etiam videtur in sua vi cum non sit contrarium Concilio Tridentino, quia solum petit *sess.* 25. *capit.* 5. quòd talis ingressus non fiat sine Episcopi, vel superioris licentia. Quod debet intelligi cum partitione accommodata, idest, Episcopi in Monasterijs Episcopo subiectis, vel Superioris, intellige Regularis, in Monasterijs Regularibus subiectis. Neque obstat declaratio Sac. Congregationis adducta *tomo 1. capit.* 25. *num.* 26. vbi habetur, quòd si fuerit consuetudo introducta quòd talis licentia concedatur ab Ordinario, vel quòd ipse habeat aliquam super intendentiam super concessione ipsius obseruanda sit. Hoc inquam non obstat, quia etsi verum sit, quod vbi fuerit talis consuetudo obseruari debeat, tamen id non erit ex vi Concilij sed ex vi talis consuetudinis quæ habet vim legis. Non stante tamen tali consuetudine priuilegium Pij V. videtur subsistere, cum id non sit contrarium, sed potius conforme Concilio Tridentino Suarez 4. *tomo de Religio. tractat.* 8. *libro primo capit.* 10. *num.* 15. Magis tamen obstat videtur duæ aliæ declarationes Sac. Congregationis apud Barbosa in *Collect. Bullar. verb. Monialium clausura circa ingressum*, in quibus dicitur, tales licentias obtineri debere non solum ab Episcopis vbi esset talis consuetudo. Quare ijs declarationibus standum videtur, si authenticè de illis constet, aliàs consuetudini legitimè præscriptæ, non obstantibus ijs quæ dixi dicto *cap.* 25. *num.* 25. antequam huiusmodi declarationes vidissem.
- 23 Quoad illud quòd Episcopi non possint se intromittere circa administrationem bonorum Monialium, seu aliquod dominium, aut iurisdictionem exercere, vide limitationem à Gregor. XV. factam in Constitut. de *exemptor. Priuilegijs* de qua dicto *tomo 1. capit.* 25. *num.* 45. quam etiam suspensam dixi pro Regnis Hispaniarum eodem *to. 1. c.* 19. *num.* 35. vnde extra Hispaniam obseruari debet.
- 24 Circa puellarum Deo dicandarum examen faciendum ab Episcopo non nisi infra quindecim dies postquam requisitus fuerit, & illis transactis non se in hoc intromittendum, & alias circumstantias dicti examinis faciendi priuilegium adductum Pij V. videtur in suo robore manere cum nullo modo contrarium appareat, sed conforme decreto Concilij Tridentini *sessio.* 25. *capit.* 17. Solum aduertendum Sac. Congregationem, vt dicitur, declarasse posse Episcopum ob iustam causam, vel suspicionem quòd stando puella intra Monasterium non liberè suam voluntatem manifestabit; illam examinare in Ecclesia Monasterij exteriori, vel in alia proxima, presentibus duabus matronis, ætate grauibus, & honestis, non consanguineis, vel coniunctis puellæ. Vide dicta *tomo 1. capit.* 25. *num.* 12. Zerolam 1. *part. praxis verb. Monialis.* Peirinis *tomo 2. priuileg. in Constit.* 7. *Pij V. §. 8. num.* 10. & circa illud de examine faciendum ad cratem ferream Gauantum in *Manual. Episcop. Monialium professio num.* 14. & 15.
- 25 Priuilegium autem illud seu potius confirmatio priuilegij antiqui Mendicantium quòd possent Sacros Ordines suscipere à quolibet Antistite, gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minimè requisita licentia in locis, seu domibus Fratrum omnino vacare videtur, quia contrarium decreto Concilij Tridentini *sess.* 6. *capit.* 5. & *sess.* 23. *capit.* 8. ac decreto Sac. Congregationis sub Clem. VIII. iuxta dicta *tomo 1. cap.* 14. *num.* 11. & 12.
- 26 Id verò quod de Missis, seu Officijs diuinis à Mendicantibus celebrandis, concionibus, lectionibus, & sermonibus pro mortuis in Ecclesijs eorum faciendis, elemosynis pro Missis, & Officijs diuinis recipiendis, & prædictis Missis, & Officijs diuinis quacumque die, & tempore dicendis, & audiendis à Christi fidelibus subiunxit idem Pontifex Pius V. omnino manet in sua vi, & robore, tum quia nullo modo contrariatur Concilio Tridentinum

- quia ita vsti, & praxi in Ecclesia Dei receprum. Vide dicta *tom. 1. cap. 12. num. 41. cap. 21. num. 11.* & Peirinis *tom. 1. Privileg. Minim. in Constit. 21. Leonis 10. num. 1.* & in *to. 2. super hanc Constitutionem Py V. §. 10. num. 11.* Hic tamen obiter norandum sæpius declaratum esse à S. Congregat. Episcoporum, & Regular. non posse Regulares exponere Sanctis. Sacramentum publicè adorandum sine causa ab Ordinario approbata. Barbosa *in collect. Bullar. verb. Regular. num. 53. & 54. & verbo Regular. iura sub Episcop. num. 19. & 20.* Vbi etiam qualis futura sit hæc causa, & qualis modus, quo exponi debeat. Quæ decreta observari debent, nisi forsitan publicata non sint, & consuetudine legitima oppositum alicubi habeatur.
- 27 Id etiam quod additur ab eodem Pontifice de controuersijs super præcedentia per Episcopum terminandis, sed non postquam sopitæ sunt, sed quamdiu durant cum non aduersetur Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 13.* Sed potius sit declaratio ipsius omnino subsistit. Pro quo vide Rodriguez *tom. 3. quest. Regular. quest. 37. artic. 2.* Peirinis *tom. primo, Privilegiorum Minimorum in Constit. 2. Sixti IV. num. 58.*
- 28 Id quoque de Regularibus Mendicantium admittendis ad curam animarum personarum sæcularium in domibus Religiosis virorum, seu mulierum, quibus talis cura imminet, manet etiam in suo robore, cum contrarium non sit Concilio Trident. *sess. 25. cap. 11.* vbi de hac re agitur. Observari tamen debent, quæ ibi à Concilio præscribuntur iuxta dicta *tom. 1. cap. 11. num. 9.* Quibus adde ex Constitutione Gregorij X. V. *de exemptor. Privilegijs,* prædictos Regulares, siue animarum curam personarum sæcularium, Monasterijs seu domibus Regularibus, aut quibusvis alijs Ecclesijs, vel beneficijs, siue Regularibus, siue sæcularibus incumbentem exerceant, siue aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent præuia Episcopi licentia, & approbatione, siue quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque vlla auctoritate se ingerant, in ijs, quæ eiusmodi curam seu administrationem concernunt omnimodè iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diocesani Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus subiiciantur, & infra. Ita vt Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatâ personâ in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliaque pœnas vti eiusdem Sedis Delegati procedere, omnemque iurisdictionem exercere, liberè, & licitè valeant. Peirinis *tom. 1. Privileg. Minim. in Constit. 2. Sixti IV. §. 11. num. 27.* Nota etiam id quod sæpius dictum maximè *tom. 2. cap. 19. num. 35.* quod scilicet in Regno Hispaniarum huiusmodi Constitutio suspensa est, ac proinde in illis iudicandum, secundum ius commune Concilij Tridentini.
- 29 Pariter id quod Pontifex decernit, de quarta funerali non soluenda à Monasterijs, quæ à 40. annis citra fundata existunt, etiam manet in suo robore, cum Concil. Trident. non contradicat. Concilium enim *sess. 25. cap. 13.* solum iubet illam solui à quibuscumque Monasterijs quæ illam soluere essent solita ante annos 40. Vide dicta *tom. 1. cap. 3. num. 13.* Peirinis *super hanc Constitutionem in tom. 2. Privileg. Minim. §. 13. num. 14. & tom. 1. in Constit. Pyri num. 54.*
- 30 Idem dico de quarta relictorum pro ornamentis Ecclesiæ, pallijs, planetis, cortinis, pannis, victu Fratrum &c. cum nihil circa hoc in Concil. Trident. reperitur, & conforme sit Privilegijs antiquis Mendicantium specialiter Sixti IV. pro Carmelitis, qui in Bulla. *Dum attenda,* quæ est mare magnum sic habet: [Etsi fortè per nos aut Sedem Apostolicam de piè legatis dispositis, & relictis in genere vel specie decima, vel alia portio, seu quarta alteri piæ, vel non piæ causæ ex quavis causa hæcenus concessa foret, aut in posterum, concedi, & solui aut dari vel mandari contingeret, Fratres prædictos, & illorum domos ac eis legata, & relictâ, aut aliàs in eorum fauorem disposita in concessione, & mandatis huiusmodi decernimus, & volumus non includi, nisi de ipsis Fratribus & præsentî decreto, & voluntate nostra non per generales clausulas, quæ etiam specialem mentionem importare viderentur, sed vera & specificata mentio fiat in eiusdem.] Declaratum etiam est à S. Congregat. Episcoporum, & Regular. non posse Ordinarium, exigere à Regularibus quartam legatorum piorum, nisi eam soluere essent soliti, aut à quadraginta annis citra eam exegerint. Barbosa *in Collect. Bullar. verb. quarta.*
- 31 Pariter etiam id quod Pontifex dicit de libera sepultura sæcularibus in Ecclesijs Mendicantium tribuenda, cum non aduersetur vllò modo Concilio Trident. etiam manet in suo vigore, maximè cum conforme sit privilegijs antiquis Mendicantium specialiter Sixti IV. in mari magno pro Carmelitis, & aliorum Summorum Pontificum apud Rodriguez *tom. 3. quest. Regular. quest. 58. art. 3.* Circa modum quo se gerere debeant Regulares cum Parochijs circa sepelienda corpora sæcularium in suis Ecclesijs, & Crucem portandam, ommissis varijs privilegijs, extat decretum Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinal. negotijs Episcoporum, & Regularium Præposit. in quo conformiter ad decretum Lateranensis Concilij, vbi statutum, & ordinatum erat vt Fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Religiosi Regulares non possent intrare Parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias domorum, & locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine eius, & Ordinarij præiudicio obuiare volens quorundam Regularium vsui, quo prætextu cuiusdam consuetudinis contendebant, sibi licere defunctorum funera, proprio eorum Parocho absente, eoque irrequisito, afferre, & leuare, maximè cum hoc non leues controuersias, & altercationes aliquibus in locis non sine populi scandalo, & Dei offensione excitasset. omnem eiusmodi disensionem, & scandalorum materiam, & occasionem præcidere, atque in futurum providere desiderans, & vt tam Parochi, quam Fratres ipsi vnanimi inter se voluntate, & ea qua par est, charitate vltima hæc Christianæ pietatis officia defunctis præstent, statuit, & declarauit. [Quibusuis Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium existant nullo modo licere, etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu, Parochias cum Cruce processionaliter, aut aliàs ad efferenda, & leuanda Defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio Defuncti Parocho, eoque ibidem præsentem, si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat: vel nisi requisitus venire expressè omnino recuset.] Atque ita obseruari mandauit, & districtè præcipit; firmis de cætero, & in suo robore permanentibus ijs omnibus, quæ super quarta funerum, & canonica portione, alijsque iuribus ad sepulturas pertinentibus, à sacris canonibus, & Conciliorum decretis, Summorumque Pontificum Constitutionibus hæcenus sancita, & ordinata erant, vel aliàs ex particulari consuetudine, vel alio iure obseruabantur. Stephanus. Quaranta *in Summa Bullary verb. Privilegia Regularium.* Peirinis *tom. 1. Privileg. Minim. in Constit. 26. Leonis X. §. 16. num. 20.* Barbosa *de Officio Paroch. cap. 26. num. 66.* Extat etiam alia Congregationis declaratio apud eundem Barbosam *in Collectar. Bullar. verb. cadaver.* in qua dicitur: *Cadavera defunctorum leuare de domo propria nullo modo licet Regularibus, & Presbyteris sæcularibus, nisi de licentia, & consensu proprij Parochi.*
- 32 Similiter id quod additur ab eodem Pontifice de Mendicantibus non obligandis ad contributionem quorumcumque onerum etiam manet in sua vi, cum Concilium Tridentinum non contrarietur, & conforme sit multis privilegijs ipsorum Mendicantium, de quibus Casarubius *in Compend. privileg. Mendic. verb. decima.* Rodriguez *tom. 2. quest. regular. quest. 44. art. 4. & 5.* maximè Sixto IV. in Bulla *Dum attenda* pro Carmelitis illis verbis: [Primò litteras Innoc. IV. & Clem. IV. & etiam Innoc. IV. & Alex. IV. per quas dicti Ord. B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli professoribus conceditur: quod ad solutionem collectarum, seu exactiõnum quorumlibet, vel vicissimæ, cogi à nemine valeant, & in præfatis Clem. IV. & Alexand. IV. Rom. Pontificum præfatorum, etiam prædecessorum nostrorum litteras prædictas in ea parte in qua concedunt dictis

dictis Fratibus, ut de noualibus eorum quæ proprijs manibus, aut sumptibus, colunt ac de horis virgultis, & piscationibus eorum nullus ab eis decimas exigere præsumat, ad quæcumque bona dictorum Fratrum, & quæcumque opera, quæ etiam sub censuris alterius quotæ, vel subsidij etiam charitatiui, aut datij, vel pedagij, vel gabellæ, seu alio quouis nomine indicerentur etiam per Apostolicæ Sedis Legatos, locorum ordinarios, vel Clerum, aut Populum, vel seculares Principes, & Dominos temporales, & alios quoscumque exigerentur, quamuis etiam Apostolica auctoritate, necnon ad quascumque decimas etiam quas vulgus Papales appellat, & Apostolica Sedes pro Christianæ fidei defensione, aut alijs imminentibus ei perpè necessitatibus indicit, extendimus, ac decernimus dicti Ordines Professores, etiam si decimæ, & onera huiusmodi per quoscumque exemptos etiam Medicantium Ordinum professores solui mandarentur cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, ac fortioribus, & efficacioribus clausulis ad decimarum, & onerum huiusmodi solutionem non teneri, & in illorum solutione cessando censuras, & pœnas aliquas non incurere, nisi præsentibus, & non per generales, aut alias clausulas specialem mentionem importantes, sed aliâ sit derogatum specificè earum de verbo ad verbum inserto tenore. & infra Innocentij VI. & Clementis I V. Clementis V I. prædecessorum nostrorum indulta de decimis non soluendis de hortis, virgultis, noualibus ad eorum vsum pertinentibus, & quæ proprijs manibus, & sumptibus coluntur speciali priuilegio, ut eorum utamur, verbis. Ea propter dilecti in Domino filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & domos vestras, in quibus diuino mancipati estis obsequio sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, & quæ de nominatis rebus præfati prædecessores priuilegia concesserunt ad singula bona dictorum Fratrum extendimus, videlicet quoscumque hortos, & silua, & quæcumque alia bona prædictæ domus, & Ordinis quæ in præsentiarum iustè, & canonicè possident, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum oblatione, aut fidelium donatione, siue hæreditaria successione quam in sæculo existentes, tam de iure, quam de consuetudine ad succedendum fuissent habiles, seu alijs quibuscumque iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, siua vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs diximus exprimenda vocabulis. Loca ipsa in quibus præfata domus sitæ sunt cum pertinentijs suis. Videlicet cum Ecclesijs, hortis, pratis, memoribus, vsuagijs, pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis in vijs, & semitis, ac omnibus alijs libertatibus, & immunitatibus suis, sanè noualium vestrorumque proprijs manibus, aut sumptibus colitis, siue de hortis, virgultis, vineis, & piscationibus vestris nullus à vobis decimas exigere, vel extorqueri præsumat. J. Hæc Sixt. I V. Vide dicta tom. 1. cap. 2. num. 14. & 15.

33 Circa id tamen quod ibidem subiunxit Pontifex de exemptione Mendicantium à contributione pro seminario pro beneficijs Monasterijs illorum vnitis notandæ sunt declarationes quædam Sacr. Congregationis apud Barbosam in Collet. Bullar. verb. Mendicantes, in quibus oppositum declaratur. Nihilominus dum de illis an sint, vel non authenticæ, aut de sensu, in quo accipiendæ sint non constituerit, standum est consuetudini Religionum. [Maximè pro illis videnda sunt quæ dico tom. 4. verb. Seminarium. Et quia Pius V. in præfata Bulla eximit Mendicantes à charitatiuis subsidijs etiam à Sede Apostolica impostis: & Sixtus IV. Carmelitas in Bulla Dum attentæ relata, ideo tam pro ipso charitatiuo subsidio, quam pro personis, à quibus sit exigendum & priuilegijs Regularium eos ab isto onere eximentibus, consulendi sunt. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 9. cap. 14. Barbofa de offic. & potest. Episcop. alleg. 87. par. 3. Tamburinus de Iure Abbatum tom. 3. disp. 10. & alij apud ipsos.]

34 Idem quod dictum est de exemptione Mendicantium ab oneribus realibus ratione suorum bonorum dici debet de oneribus personalibus ratione suarum personarum, cum etiam illæ sint exemptæ. Vnde non possunt obligari ad custodiam Ciuitatis portarum, aut murorum tempore

pestis, nisi quando esset magna penuria vitorum, qui id facere possint. Lauretus de Francis in Controuers. Episcoporum. & Regular. in quest. 9. 94. Neque ad custodiam murorum Ciuitatis tempore belli, nisi quando adest magna necessitas. Lauretus ibid. q. 95. Vtrumque verò elicitur ex c. peruenit de immuni. Eccles. Multò minus obligari possunt ad pugnandum contra hostes pro defensione Reipublicæ, cum id sit eis prohibitum cap. petio tua de homicid. vol. c. clerici de vit. honest. cleric. nisi quando magna necessitas esset ad defendendum Reipublicam, vel consequendam insignem victoriam contra iniuste bellantes. Laur. ut sup. Bonac. de irreg. disput. 7. quest. 4. par. 4. num. 11. An verò tunc occidentes, vel mutilantes fiant irregulares, tractant prædicti Lauretus, & Bonacina post Molinam de iustit. tract. 2. disp. 109.

35 Illud insuper de libera facultate Mendicantium ad elemosinas quærendas manere in sua vi, ut potè quia conformè priuilegijs ipsorum, & declarationibus Sac. Congregationis, nec contrarium Concil. Trid. constat ex dictis in hoc capite n. 4.

36 Quantum ad illud de Ordinarijs non intromittendis in delictis Regularium Mendicantium nisi quando ea fuerint notoria, & scandalosa, & tunc monitis Superioribus ipsorum, & negligentibus illos punire, etiam manet in suo robore, & vigore iuxta dicta tom. 1. cap. 16. num. 26. & 27. cum limitatione tamen à Clementè VIII. posita, & ibidem relata. Pro quo etiam extat declaratio Sacræ Congregationis apud Quarantam in summa Bullar. verb. confessor. Lecto enim memoriali oblato nomine Fratrum Mendicantium Regni Neapolitani conuerentium qualiter ab Ordinarijs grauarentur contra sua priuilegia, & sacros Canones Concil. Trident. Respondit Sacr. Congregatio Ordinarij in cognitionibus causarum Fratrum Mendicantium tam civilium, quam criminalium minimè sese ingerant, pariter nec in visitatione eorundem Fratrum, vel Ecclesiarum suarum, nisi quatenus eis per Concilij Tridentini decreta conceditur.

37 Quod etiam dico de eo quod subiungit idem Pontifex Pius de Episcopis non se intromittendis in gubernatione Mendicantium, illud enim etiam manet in sua vi, iuxta declarationem Sacræ Congregationis adductam, limitandum tamen est propter Constitutionem Gregorij XV. de exemptior. priuilegijs, quæ ut dixi tom. 1. cap. 19. num. 35. pro Regnis Hispaniarum suspensa est, ita ut in alijs Regnis extra Hispaniam possint Ordinarij cognoscere de delictis eorum, qui curam animarum exercent, iuxta dicta supra num. 28. aut si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel administrationem bonorum Monialium, iuxta dicta tom. 1. cap. 25. num. 45. & etiam petere rationem ab administrantibus bona prædictarum Monialium adhibitis etiam Superioribus Regularium, cofque, & confessarios amouere si admoniti Superiores id facere neglexerint, iuxta ibidem dicta.

38 Idem pariter dicendum de facultate concessa ab eodem Pio V. Prælati Mendicantium ad castigandum, seu puniendum Fratres, qui ad Ordinarios confugerint, manet enim in suo vigore, cum tam iure communi, quam propter priuilegia Mendicantium illis maximè interdictum sit à correctione suorum Superiorum appellare ad Iudices extraneos, iuxta dicta tom. 1. cap. 9. n. 4.

39 De illo etiam quod subiungitur, videlicet de non recipiendis ab Ordinarijs Fratibus nostris extra claustra degentibus sub eorum protectione, nec eis, inuitis Superioribus, detinendis, clarum est manere etiam in suo vigore. Vide dicta tom. 1. c. 16. num. 15. & multa priuilegia Mendicantium apud Casarubium in compend. Priuileg. Mendicant. verb. apostata ab Ordine cum annotationibus Cordubæ, & Sorbi ibidem, & præsertim magnum priuilegium Sixti IV. pro Carmelitis, circa quod Sorbus notauit se credere quod non reperiatur alibi, eo enim pro capiendis, excommunicandis, & incarcerandis nostri Ordinis apostatis Fratres nostri constituuntur Ordinarij etiam in Curia illis verbis: Apostatas quoque vestri Ordinis iuxta Alexandri IV. Constitutionem, & nostram presentem concessionem excommunicare, capere, incarcerare, & alias subdere disciplina rigori possitis per vos, ac etiam alios à vobis deputatos in quocumque habitu, & loco, etiam in Curia à nostra

- eos contigerit inueniri, in qua sicut extra nos (alibi habetur extra vos) super vestros subditos ratione professionis tam tacite, quam expressè emisse Ordinarios proprio motu, & scientia similibus auctoritate apostolica deputamus, inuocato ad hoc, scopus fuerit, brachij secularis auxilio. Ex quo videtur, etiam si apud quoscumque Reuer. Episcopos inueniantur, eadem auctoritate vti posse Prælatos nostros.
- 40 Id verò quod subiungit Pontifex de bonis Regularium extra claustra decedentium moderatum est à Greg. XIII. iuxta dicta *to. 1. cap. 16. n. 20. 21. & 31.* Quatenus autem decernit quòd si ad Religionem reuertantur, bona ipsorum ad Religionem pertineant non video immutatum, & ideo videtur manere in sua vi. Peirinis *to. 2. Priuileg. Minim. super hanc Constitutionem Pij V. §. 22. n. 22.*
- 41 Circa id quod addit Pontifex de vnionibus Ecclesiarum notandum, Concilium Tridentinum *sess. 7. c. 6.* hæc statuisse, *Vniones perpetue à quadraginta annis citra factæ examinari, ab Ordinarijs, tamquam à Sede Apostolica delegatis possint, & quæ per subreptionem, vel obreptionem obtenta fuerint, irritæ declarentur. Ille verò quæ à dicto tempore citra concessa nondum in toto, vel in parte sortita sunt effectum, & quæ deinceps ad cuiusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alijs rationalibus causis eorum loco Ordinario vocatis, quorum interest, versificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtenta presumantur: ac propterea nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit viribus omnino careant.* Et conformiter ad ista *sess. 24. cap. 13.* etiam dicitur de huiusmodi Ecclesijs vnitis, & quæ vnita sunt reuideantur ab Ordinarijs. Quorum decretorum prætextu cum aliqui Domini Ordinarij grauarent Mendicantes qui Ecclesias Parochiales, seu alia beneficia suis Ecclesijs habeant vnita. Propterea Pontifex Pius decernit quod non possint Episcopi dictas vniones factas, vel faciendas impedire, declarans censuras, & penas pro eo latas nullius esse roboris, & momenti. Quod eatenus valere hoc tempore poterit quatenus contrarium non fuerit repertum Concilij decretis.
- 42 Decernit etiam ibidem Pontifex quòd in prædictis Ecclesijs possint Mendicantes curam animarum exercere, vel per seipos, vel per alios seculares ab ipsis amouibiles, approbatos tamen ab Ordinario, absque eo quòd Episcopi in hoc, aut in salario prædictorum, assignando se vlio modo intromittant. Quod etiam eatenus manet in suo vigore, quatenus non contrarietur, vel Concilio Tridentino, vel Constitutioni Gregorij X V. iuxta dicta *supra n. 28.* Vide dicenda *c. 18. n. 8. & seqq.*
- 43 Id quoque de non impediendis Mendicantibus, à pulsatione Campanæ, celebratione Missarum, mortuorum associatione, sepultura, & Officijs ipsorum faciendis absque præsentia Parochorum, legatorum receptione, & obtentione, etiam manet sua vi, cum nihil, quod sciam, in Concilio Tridentino, contrarium habeatur, & vsu sit receptum, & vt decernit Pontifex, nullum ius in contrarium sit. Vide dicta *supra num. 26. 30. & 31.* Nota etiam declarationem Sacræ Congregationis apud Quarantam *in Summ. Bullar. verb. confess.* in qua præcipitur quòd Ordinarij non impediunt Fratres pulsare Campanas, ad matutinum, ad horas, & ad Missam antequam pulsetur Campana maioris Ecclesiæ, præterquam in die Sabbati Sancti. Insuper Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium declarasse dicitur Defunctorum hæredes pro defuncto ad sepulturam associando numerum Sacerdotum sibi bene visum conuocare posse, & numerum cetera sibi etiam bene visum ad cadauer sepulturæ associandum, quolibet contrario prætextu per parochum deducto non obstante. Barbofa *de Offic. Paroch. c. 26. à n. 57.* vbi etiam alia ad intentum.
- 44 Circa pulsationem tamen Campanarum plures aliæ extant declarationes. Sac. Congregationis apud Barbosam *in Collectan. Bullar. verb. Campana.* Prima est. Campanæ in Sabbato Sancto non possent in aliqua Ecclesia pulsari ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel matrice, tam in Ecclesijs secularibus, quam Regularibus etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani etiam propè, & extra muros existentibus, & etiam in Ecclesijs Confratrum, & etiam si ad sit Ecclesia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem. Secunda est. Campanæ in alijs diebus præter Sabbatum Sanctum pulsari possunt ante Salutationem Angelicam indifferenter ante, vel post pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel matrice, nisi forte adesset consuetudo vt non pulsetur antea.
- 45 Illud de licentijs pro construendis domibus Regularibus gratis dandis, nec sine legitima causa recusandis non video vlio modo reuocatum, aut contrarium Concilio Tridentino, ac propterea in sua etiam manet vi, iuxta decreta tamen posteriora Clem. VIII. & Greg. XV. ac SS. Domini Nostri Vrbanii, de quibus *to. 1. c. 9. n. 34. & 35.*
- 46 Sicut, & illud de associatione corporum Defunctorum mandato in die Ccenæ Domini fieri solito, prædicatione eadem die facienda iuxta decretum tamen Sac. Congregationis de quo *supra num. 31.* Maxime tamen standum est in hoc consuetudini legitime receptæ. Notandum etiam Parochum nullatenus excludendum quamuis ad sepeliendum cadauer soli Fratres à defuncto accersiri iubeantur. Ita enim decretum est à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium. Barbofa *de offic. Parochi cap. 26. num. 62.*
- 47 Id quoque de Officijs mortuorum non faciendis à Rectoribus Parochialium in Ecclesijs Fratrum contra ipsorum voluntatem, libera sepultura ibidem habenda, & non sepeliendis corporibus defunctorum ad quæ associanda vocati Fratres fuerint sine ipsis, cum Concilio contrarium non sit in sua vi, & vigore subsistet, nec video derogatum. Potius declarasse dicitur Sac. Congregationem, quòd quoties cadauera ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur Officia mortuorum, ac reliqua munera, quæ in huiusmodi Monasterijs fieri solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed ab eisdem Fratribus obiri, ac peragi debere. Peregrinus *2. par. sui Compend. tit. sepultura in scholio §. 3.* Peirinis *to. 1. Priuileg. Minim. in Constit. 2. Jul. II. §. 22. num. 57.* Vide tamen dicta *to. 1. c. 12. n. 41.* qualiter scilicet quando Regulares vocantur ad sepeliendum aliquod cadauer, debent accedere ad Parochialem Ecclesiam vbi Clerus Congregati consuevit, iuxta declarationem Sac. Congregat. ibidem adductam. Cui etiam consonant aliæ SS. Congregationum declarationes apud Barbosam *de Offic. Parochi c. 26. n. 63. 64. & 65.* [Et vna quam vidi pro Min. Conuent. sub die 4. Maij 1641.] Quia tamen sæpius video fieri oppositum multis in locis, ideo legimæ consuetudini standum est.
- 48 Obiter circa huiusmodi funera defunctorum obseruandum, primò, de candelis quæ Fratribus dantur nullam deberi portionem Canonica. Ita enim concessit Sixt. IV. Minoribus. Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Canonica portio num. 6.* Secundò, candelas, & intortitia quæ per viam deferuntur circa cadauera in quibuscumque priuatis Ecclesijs diuidenda esse pro æquali portione inter Parochos, & ministros aliarum Ecclesiarum, ac propterea quando huiusmodi intortitia, seu candelæ in præfatis Ecclesijs pro celebrandis Diuinis Officijs præsentem corpore accenduntur, finito officio extinguenda, & cuiquam medietatem consignanda. Ita decisis est à Congreg. RR. Præfectorum Vrbs, approbante SS. D. N. Urbano. Barbofa *de Officio Parochi cap. 25. n. 42.* Patriæ tamen consuetudo extra Romam consulenda est.
- 49 Abrogat præterea Pontifex vsum non faciendi testamenta sine Parocho, quia hoc auaritiam redoler, quæ procul abesse debet ab Ecclesiasticis; de quo Peirinis *tom. 1. Priuileg. Minim. in Constit. 10. Leonis X. §. 2.* licet acius quam par est de hoc puncto ibi loquatur.
- 50 Demum circa id quod disponit Pontifex de accessu Regularium ad processiones, cum Sac. Congregatio, vt visum est *tom. 1. cap. 9. num. 47.* conformiter huiusmodi decreto Pontificum loquatur, dicendum est illud manere in suo vigore, imò ex eo quòd in præfato decreto Sac. Congregationis ipse se referat ad huiusmodi Bullam Pij V. aperte constat eam non esse reuocatam à Greg. XIII. vt dictum est *supra num. 16.* nisi quatenus statuit aliquid quòd sit contra Concilium Tridentinum. Peirinis *tom. 2. Priuileg. Minim. in Constit. hac Pij V. §. 25. num. 25.* Declaratum est etiam à S. Congregat. per publicas processiones intelligi etiam eas, quæ pro bono publico indicuntur. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Præcedentia vers. de præcedentia in processionibus.* [Item declarauit Regulares illo-

rum Conuentuum qui collectanei nuncupantur, in quibus videlicet fratres in arctiori clausura degunt, ita vt nec in Choro cantent, nec ad mortuos accedant, non teneri ad processiones. Hanc declarationem referunt Sorbus *in addit. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo Processiones §. Ac tenentur*, & Portell. *in respons. moral. tom. 2. ca. su 107.*]

51 Hic obiter notandum nullo iure prohibitum esse Regularibus præsertim Mendicantibus, processiones facere, seu instituire in suis Ecclesijs, imò id supponitur in declaratione Sac. Congregat. quam retuli *tom. 1. cap. 12. n. 41.* & in hac Bulla Pij V. dum illis conceditur facere, seu celebrare diuina officia, processiones enim partes quædam sunt Officij diuini, cum ad cultum Dei, & Sanctorum ordinentur. Cæterum circa spatium, per quod fieri debent huiusmodi processiones declaratum dicitur à S. Congreg. Regularib. habentibus claustra non licere facere processiones extra illa; claustra verò non habentibus non nisi intra ambitum hoc est, propè muros Ecclesiarum, extra ambitum, autè Ecclesiarum, non nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce parochiali. Barbofa *in Collect. Bull. v. processio, & v. regul. 1. Gauant. in Man. Episc. v. processio n. 46. 47. & 48.* Vbi etiam animaduertitur id intelligendum seclusis particularibus priuilegijs, qualia Dominicanis pro processionibus SS. Sacramenti, & Rosarij in quibusdam locis dicuntur concessa. Festus *in Constit. sui Ordin. par. 1. cap. 23.* Barbofa *de Offic. & potest. Parochi cap. 12. num. 14.* [Circa horam faciendi dictas processiones declaratum video à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium 15. Septembris 1634. non licere Curato facere processionem alicuius Confraternitatis ea hora, qua Patres Dominicani faciunt suam Sacri Rosarij, posito quod confraternitas Rosarij sit antea instituta in eo loco. Quod de alijs similibus confraternitatibus religionum videtur intelligendum.] Pro præcedentia autem, quam debent obseruare Regulares in processionibus cum Regularibus alterius Ordinis, & alijs Monasterijs eiusdem, vide declarationes S. Congregat. apud dictum Barbofam *ver. Regulares quoad processiones 4. & ver. Regulares quoad præcedent. 5.* & Gregor. XIII. Constitutionem 84. *Exposcit* in 2. tom. Bullar. vbi decernit præcedentiam inrer Mendicantes sumendam esse ex quasi possessione, quando verò de illa non constat, antiquiores in loco debere præcedere. Lauretus de Franchis *in Controuersis Episcoporum, & Regular. super dict. Constit. Gregorij pag. mibi 17. 18. 19. 20. & 21.*

52 Gaudent Mendicantes communicatione priuilegiorum ita vt priuilegia vni ipsorum Religioni concessa etiam alijs communia sint. Etenim præter dicta *tom. 1. cap. 2. num. 17.* Leo X. in Constit. *Dudum per nos* anno 1519. edita, quæ habetur in 1. *to. Bull. num. 32.* inter Bull. s. huius Pontificis omnia priuilegia, & indulta Mendicantibus concessa, & concedenda singulis ipsorum ordinibus communicauit, & Pius V. in Bulla *Romanus Pontifex* anno 1567. omnes, & singulos Ordines Mendicantes omnibus, & singulis priuilegijs Mendicantium eidem concessis gaudere posse, & debere declarauit Rodrigu. *tom. 1. quest. Regular. quest. 55. art. 1.* Confettius *in summa priuilegiorum Maris Magni cap. 5.* Non tamen propterea in pœnis, & censuris impositis vni Ordini Mendicantium alij communicant. Non solum quia iuxta Regulam iuris in 6. *odia debent restringi, & fauores ampliari*, sed etiam quia Summi Pontifices communicationem priuilegiorum concedentes, nihil (quod viderim) de pœnis aut censuris communicandis dixere. Confettius *vt supra.* Sorbus *in additionib. ad Compend. priuileg. Mendicant. ver. commun. priuileg. §. notandum autem.* Qui etiam bene subiungit, quòd in pœnis laicorum est talis communicatio, id est, quòd quando priuilegium aliquod conceditur vni Religioni, cum pœnis aliquot contra seculares illud non admittentes, vel reprobantes & cetera, tale priuilegium alijs Religionibus habentibus cum illa communicationem communicetur. Priuilegia autem vni domui vel Conuentui alicuius Religionis concessa, communicari etiam alijs domibus eiusdem Religionis, ac per consequens etiam alijs domibus aliarum Religionum, quæ cum illa communicant in priuilegijs, tenent aliqui auctores, quia quamuis Leo X. declarauerit communicationem priuilegiorum solum intelligendam esse de priuilegijs gene-

raliter concessis Congregationibus, personis, & locis, & non de concessis domibus, vel personis particularibus. Nihilominus Pius IV. ipso Leone posterior ad instantiam Catholici Monarchæ Philippi II. concessit Ordini S. Hieronymi in Hispania, quòd concessa vni, aut quibusdam Monasterijs eiusdem Ordinis censeantur concessa alijs eiusd. Ordinis Monasterijs, quòd etiã postea Sixt. V. confirmauit. Rodrigu. *to. 1. q. regul. q. 55. art. 9. & 18.* Portell. *in dub. regul. ver. communicat. priuileg. n. 6. & verb. priuileg. n. 20.* Nihilominus quia hoc valde exorbitat à iure communi, & ipsius metas maximè excedit, limitandum est, vt solum verum sit quando in alijs Conuentibus, siue eiusdem, siue alterius Religionis participatis eadem priuilegia militat eadem ratio, vel saltem similis, vel æquiualens, propter quam Pontifex illo concessit priuilegium. Si enim talis ratio eadem, similis, vel æquiualens non militat, incongruum videtur Pontifices talis priuilegij communicationem intendisse. Quis enim credat quòd priuilegium concessum vni Monasterio ratione paupertatis ipsius concessum credatur alij diuiti, vel opulento? Aut quòd priuilegium concessum alicui Monasterio propter numerositatem Fratrum illius, aut magnam populi deuotionem, quæ erga illud est ratione alicuius Imaginis v. gr. deuotissimæ in eo existentis, communicatum credatur à Pontifice alij Conuentui paucos Fratres habenti, aut in quo nulla talis, vel similis deuotionis Imago reperitur? Ad quod expendo verba priuilegij Pij IV. adducti, dicit enim se extendere priuilegia vni domui dicti Ordinis Hieronymianorum concessa ad omnia, & singula Monasteria Ordinis quibus in specie concessa non sunt, & in quibus alia causa concessio, & indulgentiarum prædictorum aliam, quam, vt præfertur, suberant. Quòd sanè denotat aliquam causam, eandem scilicet, similem, vel æquiualentem subesse debere in alijs Monasterijs, vt priuilegia vni concessa ad illa extendantur, quo etiam sensu intelligo priuilegium simile Iul. II. & Clem. VII. Minorum Ordini concessum.

53 Priuilegia quoque vni Fratri Mendicantium vt personæ priuatae concessa nullo modo alijs communicantur. Tum quia ita declarauit Leo X. supra relatus, tum quia oppositum non solum maximè iuris communis metas excederet, sed multa ex eo absurda sequerentur, & tota Religionum obseruantia funditus euerteretur, vt per se patet. Rodrigu. *tom. 1. quest. regul. quest. 55. art. 18.* Portellus *in Dub. regul. ver. priu. communic. n. 21.* Dixi vni Fratri, vt personæ priuatae, quia priuilegia concessa alicui Fratri Mendicantium non vt priuata persona, sed ratione officij, Generalatus videlicet, vel Prouincialatus, in ordine scilicet ad suos subditos, videtur communicari alijs in quibus eadem, similis, vel æquiualens ratio procedit. Sic enim priuilegium concessum priori domus Sancti Stephani Dominicanorum Salmanticæ circa modum faciendi informationes pro receptione nouitiorum de quo *tom. 1. cap. 24. num. 14.* dixi, communicari posse videtur alijs, vbi eadem, similis, vel æquiualens causa conspiciatur. Portell. *in Dub. regul. ver. priuileg. communicat. n. 20. & 21.*

54 Quando autem priuilegium vni Fratri concessum inutile esset si alij non communicaretur, communicari illud posset. Exemplum commune est de eo qui habet priuilegium dicendi Missam tempore interdicti, quam tamen dicere non potest sine ministro. Similiter si alicui concessa esset facultas recitandi matutinum diei sequentis immediate post meridiem, quod sine socio commodè facere non posset, probabile est tale priuilegium socio communicari quia priuilegium aliquid debet operari, & esse vtile, cap. *in his de priuileg. l. 1. C. de Theauris l. 10. l. 1. ff. ad municipalem, & de incolis leg. si quando ff. de legatis*, quod non haberent ista priuilegia, si non communicarentur. Suarez *de legib. lib. 8. cap. 11. n. 7. & 8.* Portellus *in Dub. Regul. ver. priuileg. communicat. n. 19.*

55 Priuilegiorum Mendicantium communicatio intelligenda est respectiue ad Religionem cui communicantur, ita scilicet, vt quæ conceduntur pro Generalibus, Prouincialibus, prioribus, Vicariis, & cetera intelligantur communicata illis, qui etsi non eodem nomine, eodem tamen munere fruuntur. Similiter priuilegia pro festiuitatibus Sanctorum vnius Ordinis concessa censentur etiam concessa pro festiuitatibus Sanctorum alterius Ordinis Casarubius *in Com-*



in *Compend. privileg. Mendic. verb. festiuitas, n. 14. Rodrig. 10. 1. q. regul. q. 55. art. 20. Portel. in Dub. regul. verbo communic. priuil. n. 7.*

56 Quando privilegium vni Ordini Mendicanti concessum repugnat obseruantie alterius, iste Ordo cui repugnat non potest illo privilegio vti, neque enim æquum est credere Pontifices concedere Religioni alicui quod in dissipationem, & destructionem illius cederet. Rodriguez 10. 1. q. regul. q. 55. art. 22. Portellus in *Dub. regul. verbo communicat. priuileg. num. 8.*

57 Cum per communicationem Privilegiorum Mendicantium ad inuicem ita fiant privilegia propria illius Religionis cui communicantur, ac illius cui primò erant concessa, ideo Religio cui communicantur potest se illis defendere contra ea, cui primò erant concessa. Vnde si aliqua Religio ex Mendicantibus velit fundare monasterium circa monasterium alterius Religionis ex eisdem Mendicantibus potest hæc Religio defendere se contra illam, privilegio concessio à Summis Pontificibus de non fundando monasterio alterius Ordinis iuxta monasterium ipsius intra spatium tot annorum; etiamsi casus esset, quòd illud privilegium primò esset concessum illi alteri Religioni, & sibi solum per communicationem. Ratio est, quia per communicationem fiunt privilegia propria Religionis cui communicantur, & tam independentia ab alia, ac si ipsi essent specialiter concessa. Corduba in *Annotationib. ad priuileg. Mendic. v. communicat. priuileg. §. tandem, Portellus in Dub. regul. verbo priuileg. communicat. n. 24.* Secus autem philosophandum de familiaribus, quia ipsis non communicantur privilegia Fratrum vt propria, & independentia, sed vt dependentia ab illis, vt dicitur cap. 16. num. 34. Corduba vt supra. Confectius in *Summ. priu. Maris magi cap. 5.*

58 Prædicta, & alia quæcumque privilegia Mendicantium reuocata censentur à Concil. Trident. toties quoties in ipso aliquid decernitur cum derogatione saltem generali privilegiorum, vt si dicat non obstantibus, &c. vel similia verba. Cuius exempla plura affert Ioannes de Cruce de *statu Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 6.* Talis autem derogatio privilegiorum aliquando ponitur in fine capituli, vel decreti, vt patet ex *sess. 5. cap. 2. sess. 23. cap. 12.* & alijs locis, aliquando verò ponitur in fine sessionis in qua multa capita seu decreta comprehenduntur, vt patet ex *sess. 25. de Regular. cap. 22.* Portellus in *dub. Regular. verbo Concil. Tridentin.* Quando autem decernitur, seu præcipitur aliquid à Concilio sine derogatione privilegiorum, tunc etiamsi illud sit contrarium dictis privilegijs, nihilominus probabile est quòd non censentur propterea reuocata. Exempli gratia in *sess. 22. cap. 4.* præcipitur quod nullus habeat vocem in Capitulis nisi sit in Subdiaconatus Ordine constitutus, quia ergo ibi non reuocantur privilegia Regularium, ideo qui hoc privilegium habuerint, possunt illo vti, prout declaratum dicitur à Sac. Congreg. Nec obstat quòd in eodem Concil. *sess. 25. cap. ultim.* dicatur. *Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta obseruari S. Synod. præcipit in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs Collegijs, ac domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, &c. non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegij sub quibuscumque &c.* Hæc enim reuocatio privilegiorum solum cadit supra privilegia contraria decretis illius sessionis 25. non supra privilegia contraria decretis aliarum sessionum Concilii. Nec enim sine causa credendum est Concilium dixisse in superioribus decretis contenta, non verò in superioribus sessionibus. Nec etiã obstat Bulla Pij V. pro obseruantia eiusdem Concilij, qua etiam reuocantur omnia, & quæcumque privilegia prædictis decretis Concilij contraria. Hæc enim reuocatio regulanda, & intelligenda est ad terminos decretorum ipsius Concilij, ita scilicet vt intelligatur solum de ijs quæ statuuntur à Concilio cum derogatione privilegiorum, non de ijs, quæ ab illo ordinantur sine tali derogatione. Tum quia finis prædictæ Bullæ solum est obseruantia decretorum Concilij, iuxta ipsorum qualitatem, tum quia Constitutio quæ fit ad roborandum aliam debet intelligi secundum eam, & concludendam in terminis ipsius, vt habetur ex *Aurb. Constitutio que in noua §. inde ver. in illis.* Rodriguez tom. 1. *quest. Regul. quest. 8. artic. 6. & 10. 2. quest. 23. art. 5.* Tho-

mas de Iesu de *procuranda omnium salute lib. 12. cap. 8. it. sequitur collectio vers. Illud tamen referens etiam Nauarrum in Manual. cap. 27. num. 190.* & Sã in *Summa verb. gratia*, etsi non ita clarè loquantur. Ioannes de Cruce de *statu religios. lib. 2. cap. 3. dub. 6.* Hæc autem solum probabiliter, & in terminis opinionis probabilis dicta sunt. Oppositum enim videlicet dicto *cap. 22. sess. 25.* reuocata esse omnia privilegia Religionum etiam contraria decretis aliarum sessionum quibus non apponitur derogatio privilegiorum, est etiam satis probabile, & securius, maximè propter dictam Bullam Pij IV. & ita id secutus sum tom. 1. *cap. 14. num. 19.* post Mirandam in *Man. tom. 1. q. 38. art. 4.* & alios.

59 In Regnis vbi publicatur Bulla Cruciatæ non suspenduntur per illam privilegia Mendicantium, & aliorum Regularium, nisi ea solum quæ impedire possent, vel retardare expeditionem ipsius Bullæ, quia scilicet sunt circa eandem materiam in ea contentas, v.g. absoluedi à referuatis commutandi vota, &c. quia intentum Summi Pontificis in tali suspensione privilegiorum id solum videtur esse, ne propter alia privilegia circa eandem materiam impediatur finis præsentis ab ipso, qui est contributio certæ pecuniæ pro bello contra infideles. Casarub. in *Comp. priuil. Mendic. ver. priuil. Frat. q. 2. & 3.* Miranda in *Man. tom. 2. quest. 45. art. 7.* Nec prædicta privilegia concessa Superioribus Mendicantium quantum ad suos Fratres suspenduntur. Ita enim declaratur in ipsa Bulla. Casarubius, & Miranda *ibid.* Sorbus in *Compend. verb. Cruciatæ §. quoad aliud.* Suspendi tamen prædicta privilegia quoad sæculares multorum est opinio specialiter Nauarri *lib. 5. consil. 16. num. 1. de Priuileg.* eo quòd in dicta Bulla à tali suspensione solum excipiant concessa Superioribus Mendicantium quoad eorum Fratres tantum, exceptio enim firmat Regulam in contrarium. Sed valde probabile est non suspendi dicta privilegia Mendicantium quoad sæculares. Ratio est non solum quia illa cum sint maximè fauorabilia non debent censeri suspensa nisi de illis specifica mentio fiat, sed etiam quia per Bullam non suspenduntur gratiæ aut privilegia Ordinibus concessa, sed solum Monasterijs, Ecclesijs Hospitalibus, locis pijs, &c. hæc autem privilegia absoluedi à referuatis, commutandi vota &c. concessa sunt Ordinibus ipsis, & Religionibus. Vnde exceptio illa de Superioribus Mendicantium quantum ad suos Fratres, intelligitur iuxta subiectam materiam, videlicet de concessionibus factis Monasterijs, Ecclesijs, locis pijs, &c. pro visitantibus illa: his enim privilegijs non fruuntur sæculares saltem carentes Bulla. Rodriguez 10. 1. *quest. Regular. quest. 61. artic. 14.* Sanchez *lib. 4. de præcept. decalog. cap. 54. n. 62.* Diana de *Bulla Cruciatæ res. 100.*

60 Nec etiam suspendi dicta privilegia in anno Iubilæi centesimi tenent plures, specialiter Henric. *lib. 3. de Indulg. cap. 28. num. 7.* & *cap. 21. num. 3.* Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 54. num. 62.* Diana de *Bulla Cruciatæ resolut. 100.* contrarium alijs opinantibus. Sed meo videri attendendum ad verba Bullæ Iubilæi, quæ mutari, & alterari possunt voluntate Pontif. Si enim in illa solum fit reuocatio generalis privilegiorum nulla facta mentione privilegiorum Mendicantium, cum nulla sint valde fauorabilia, & ad bonum cõmune fidelium ordinata, & per consequens speciali nota digna, vera erit prima opinio, si autè specialis mentio, & reuocatio fiat privilegiorum Mendicantium, vera erit secunda.

61 Gaudent etiam Mendicantes privilegijs quoque aliorum quorumcumque Ordinum etiam non Mendicantium. Ita enim concessit Carmelitibus Clement. VII. in Bulla, quam retuli tom. 1. *cap. 2. n. 17.* quam etiam refert Confectius in *Collectan. Litterar. Apostolicar. in Clement. V. II. num. 5.* & Minoribus idem Clemens VII. vt referunt Casarubius *Compend. privileg. Mendicant. verb. communicat. priuileg. num. 19.* & Miranda *to. 2. man. q. 46. artic. 1.* Fauent etiam aliæ concessionès Gregorij XIII. & Sixti V. pro eiusdem Minoribus, quas refert Confectius vt supra in *Greg. XIII. num. 6.* & in *Sixto V. num. 5.* Pro Eremitis etiam S. Augustini fauet ad intentum privilegium Alexan. VI. quod referunt Casarubius vt supra num. 21. & Miranda etiam vt supra art. 3. Vnde hac communicatione privilegiorum quorumcumque aliarum Religionum gaudent non solum Mendicantibus.

- Mendicantes, sed & quicumque etiam alij, quibus Mendicantium privilegia communicata sunt. Rodrigu. tom. 1. q. Regul. q. 55. art. 17.
62. Extenditur id quoque ad privilegia concedenda etiam Ordinibus quibuscumque non Mendicantibus, illis enim perfruuntur ipsi Mendicantes iuxta dicta tom. 1. cap. 3. n. 17. Colligitur id ex privilegio Clem. VII. pro Minoribus numero præcedenti relato. Maximè tamen, & clariùs ex privilegio eiusdem Clement. VII. pro Carmelitis etiam numero præcedenti relato. Vide Mirandam in 2. tom. man. quest. 46. artic. 5. & nota pro huiusmodi communicatione privilegiorum, quæ dicta sunt numeris præcedentibus, videlicet 52. 53. 54. 55. 57. & præsertim num. 60. Quod confirmat id quod habetur in privilegio adducto Clement. VII. pro Minoribus, & Carmelitis, ubi dum illis communicat privilegia etiam concedenda quibuscumque alijs Religionibus dicit id intelligi debere de privilegijs *sue professioni non contrarijs*; neque enim Pontifices Regularis observantiæ maximi zelatores concedere volunt Religionibus ea, quæ ipsarum professioni contraria sunt.
63. Tenentur Mendicantes observare decreta generalia pro reformatione Regularium edita à Clement. VIII. anno 1599. & 1604. quæ habentur in 3. tom. Bullar. inter Constitut. Clem. VIII. num. 60. & postea fuerunt innouata à S. Congregatione Concil. in decretis, de Apostatis, & electis sub SS. D. N. Urb. VIII. inter Constitutiones ipsius 4. tom. Bullar. num. 26. Etenim titulus illis præfixus est pro Reformatione Regularium tam monachorum, quam mendicantium cuiuscumque Ordinis, &c.
64. Mendicantes nulla beneficia obtinere posse quidam affirmant, quos sequitur Rodriguez tom. 1. quest. Regul. q. 34. artic. 3. quia cum emittant votum abdicationis proprietatis incapaces sunt reddituum, & proventuum annuallium. Horum tamen doctrina nullo modo placet, nam vel loquuntur de beneficijs secularibus, vel de Regularibus; si de prioribus constat ex dictis tom. 1. cap. 2. num. 17. & ex dicendis hoc 2. tom. cap. 2. num. 11. & 12. Religiosos etiam Mendicantes capaces esse illorum, licet de facto sine dispensatione Papæ, illa habere non possint. Si verò sermo sit de beneficijs Regularibus ex tota cap. 18. constabit illorum capaces esse omnes Religiosos etiam Mendicantes, & vta constat plura ab illis obtineri. Nec hoc repugnat voto paupertatis ipsorum, sicut nec Monachorum, Hospitaliariorum, aut Canonicorum Regularium, qui similia beneficia possident, nam licet non possint iure communi annuos redditus, vel proventus habere in particulari, ex concessione tamen tacita, vel expressa Ecclesiæ, quando tales beneficiati viuunt extra Monasteria, vel Conuentus, vt rectè, & commodè prædictis beneficijs inferuire queant, possunt illos habere non vt sibi proprios, sed quoad usum, & administrationem. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. num. 1. Quomodo autem in Indijs officium Parochorum exercere possint dicemus cap. 18. num. 22.
65. Limitant aliqui doctrinam de capacitate Mendicantium ad beneficia, vt non procedat in Fratribus Minoribus, sed illis sit prohibeum iure communi beneficia curata habere. Corduba in Reg. S. Franc. cap. 2. q. 20. punct. 2. Verumtamen etiam tam Minores, quam alij quicumque Mendicantes iuxta dicta non possint de facto sine licentia Sedis Apostolicæ prædicta beneficia curata habere, iure tamen communi non est aliqua differentia inter Minores, & alios Regulares, quoad hoc. Clementina enim exius, de verb. significat. quæ ad hoc intentum adduci solet solum illis prohibet habere redditus annuos, quæ prohibitio commodè factis intelligitur dum intra Monasteria, viuunt, secus verò si ad beneficia curata promouerentur. Sicut nec propterea illis interdicitur promotio ad Episcopatus, cum tamen Episcopi facti ampliores redditus habeant. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 27.
66. Melius limitatur prædicta doctrina de capacitate Mendicantium ad beneficia curata, vt non procedat in Mendicantibus transeuntibus ad non Mendicantes. Propterea quod in Clem. I. de Regularib. talibus transeuntibus etiam auctoritate Apostolica interdicitur exercere pro se, vel pro alijs, curam seu regimen animarum. Ex quo inferitur interdici illis beneficia curata quæcumque possidere, cum illis annexa sit talis cura. Vide dicta tom. 1. cap. 22. num. 20. & 21. & dicenda inferius. Imò generaliter loquendo quicumque Regularis etiam si Canonicus Regularis fuerit ad aliam quamcumque Religionem translatus incapax est ad beneficia secularia etiam curata, iuxta dicta eo cap. 22. num. 20. ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 11.
67. Mendicantes ergo ad non Mendicantes transeuntibus etiam auctoritate Apostolica vocem, & locum in Capitulo non habent etiam si hoc sibi ab alijs liberè concedatur: nec possunt ad Prioratus, administrationes, aut quæcumque Officia etiam tanquam Vicarij, vel ministri, vel locum aliorum tenentes assumi, aut curam, & regimen animarum exercere. Ita enim decernitur in Clement. I. de Regularibus Circa quæ præter dicta tom. 1. cap. 22. num. 21. aduertendum primò prædictos Mendicantes transeuntibus privari loco, & voce solum in Capitulo, non in Choro, aut Refectorio, quia textus solum loquitur de Capitulo. Rebuffus Prax. benefic. tit. de dispens. cum Regular. num. 54. Bonacina Tract. de clausura quest. 2. punct. 9. §. 5. diff. 1. n. 3. Rursus hæc privatio vocis, & loci videtur intelligenda, tam in Religione ad quam transeunt, quam extra illam, si contingeret tales habere aliquam administrationem in Ecclesia seculari. Quia textus generaliter loquitur, & interpunctio illius id indicat Bonacina ibid. num. 2. Rursus prædictos transeuntibus inhabiles effici ad munera prædicta non solum intra Religionem, sed etiam extra illam. Quia textus generaliter loquitur, & vitur particula quæcumque, quæ est vniuersalis. Sanchez lib. 6. in Decalogum cap. 7. num. 126. Præterea nomine officiorum, ad quæ inhabiles redduntur, intelligi videri omnia, & quæcumque munia per Religiosos fieri solita, vt sunt Sacristæ, Oeconomus, Officiarius, Prædicatoris, Lectoris theologiæ, vel aliarum facultatum, quia textus interdicit quæcumque officia; hæc verò munia sunt talia. Nauarr. Comment. 4. de Regularib. num. 24. Azor. lib. 12. Institut. moral. c. 14. quest. 12. vers. quæres. Idem dicendum videtur de Vicariatu Episcopi (cuius muneris gerendi capaces esse Mendicantes inferius dicitur) quia interdicitur illis officia quæcumque, etiam vt Vicarijs. Sanchez vt supra num. 130. Cum tamen gradus præsentatus, vel Doctoratus non sint officia, seu administrationes, non videntur illis prohiberi. Sanchez num. 132. Bonacina vt supra num. 4.
68. Mendicantes autem ad alios Mendicantes transeuntibus, seu non Mendicantes transeuntibus ad Mendicantes non afficiuntur dictis pœnis prædictæ Clement. I. de Regularibus quia illa expressè loquitur solum de Mendicantibus ad non Mendicantes transeuntibus. Nauarrus lib. 3. consil. 57. in prima editione, & consil. 66. in 2. Azor. lib. 12. Institut. moral. cap. 14. quest. 12. imò si mendicans illegitimè professus transeat ad non Mendicantes, aut legitimè professus transeat, & postea reuertatur non videtur affici prædictis pœnis, quia Clement. solum loquitur de transitu legitimi profertur, & videtur intelligenda solum pro tempore quo manserit extra suum ordinem Mendicantem. Bonacina vt supra num. 5. Incapaces tamen erunt omnes illi beneficiarum secularium, etiam Curatorum iuxta dicta num. 66. ex decreto Concilij.
69. Mendicantes non possunt etiam suorum Prælatorum licentia obtenta consentire electioni postulationi, vocationi, seu provisioni de se in discordia factis ad aliquam extra suum ordinem prælaturam. Ita enim deciditur in cap. quorundam de elect. in 6. & ratio decisionis est, vt abstineant à litibus quæ possent suboriri ex eligentium discordia. Lambertinus de iure patronatus lib. 2. par. 1. quest. 7. artic. 20. num. penult. Rodriguez tom. 2. questionum Regular. quest. 55. artic. 2. Nomine autem prælaturæ quidam volunt intelligi etiam beneficium Parochiale, forsan quia Parochi etiam vocantur Prælati. Quia tamen decisio huius capituli exorbitans est à iure antiquiori, ideo non est extendenda ultra verborum proprietatem. Parochi autem solum dicuntur large, & improprie Prælati, quia Prælati proprie illi dicuntur, qui in vtroque foro iurisdictionem habent, vt docent Angelus, Syluester, & alij Summistæ. Quare non videtur comprehendi hac decisione munus Parochi Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 56. Comprehenduntur tamen Episcopatus, Abbatia, & alia Prælaturæ extra Ordinem. Idem Sanchez num. 49. Qualiter autem

autem per prædictam electionem, prouisionem, seu vocationem in discordia factam nullum ius adquiratur prædictis Mendicantibus sic habetur ex dicto capit. *Quorumdam. Præsenti Constitutione facimus, ut nulli Religioso Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, aut quorumlibet mendicantium Ordinum, ex electione, postulatione, prouisione, seu vocatione ad aliquam extra administrationem sui ordinis Prælaturam in discordia de se facta ius de cætero adquiratur, nec eorum aliquis tali electioni, postulationi, prouisioni, aut vocationi quoquo modo valeat consentire: etiamsi magistri, aut ministri, vel Prioris Generalium eorundem ad id accesserit licentia, vel consensus.*

70 Possunt etiam Mendicantes iure communi esse Vicarij Episcoporum, vt diximus de Religiosis tom. 1. cap. 9. num. 14. Ratio est, quia nullum ius commune extat hoc illis prohibens, etenim Clement. I. de Regularibus quæ adduci solet in contrarium solum loquitur de Mendicantibus qui ad non Mendicantes transferunt, quare potius supponit non transeuntes posse esse Episcoporum Vicarios, omitto etiam non ita clarè etiam transeuntibus hoc interdici. Clement. etiam in plerisque de elect. nihil loquitur ad intentum. Vnde videtur contrarium asseuerantes non benè legisse prædictas Clementinas. Melius eas legit, & intellexit Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 13. num. 88. & 83. Cum tamen munus Vicarij sit officium ad iudicia pertinens, & Religiosi non possint talia officia recipere nisi de licentia Superioris, & cum utilitate Conuentus, vt ibidem diximus, ideo has duas condiciones pro Vicariatu exercendo necessarias esse etiam ibidem diximus: sufficit autem licentia immediati Prælati, vel alterius Superioris, cū omnes ij sint verè Prælati, & pro utilitate Monasterij sufficiens ea est quæ monasterio contingit, ex eo quòd aliquis Frater ipsius in tam honesto obsequio Ecclesiæ, & Episcopo inferuiat. Sanchez vt supra num. 91. & 92. Fratres autem Minores nullo modo possunt esse Vicarij Episcoporum, propter abdicationem omnium secularium negotiorum illis commendatam in Clement. exiui de verbor. significat. Sbrozius de Vic. Episcop. lib. 1. q. 38. n. 5. Portellus in Dub. Regular. verb. Religiosus n. 5. Religiosis etiam Societatis Iesu id prohibitum sine licentia Generalis. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 13. num. 95.]

71 Multò magis possunt Mendicantes exercere munus prouisoris Episcopi, quòd diuersum esse solet à Vicario, non solum quia nullum extat ius illis hoc prohibens, sed etiam quia hoc officium non est ita litibus, ac forensibus strepitibus expositum, sicut munus Vicarij Episcopi. Vnde multo maiori ratione licebit Mendicantibus. Portellus in Dub. Regular. verb. Religiosus, seu Regularis num. 5.

72 Coadiutorias autem Episcoporum, & aliorum Prælatorum eas suscipere possunt quarum munera, vt principales exercere possunt sola licentia, Prælatorum, sicut è contra nequeunt absque dispensatione creari Coadiutores in eis prælaturis, vel beneficijs quibus vt principales absque eadem dispensatione præesse nequeunt, iuxta dicenda de Monachis cap. seq. n. 10. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 2. q. 8.

73 Pro alijs autem beneficijs, seu pensionibus, seu requisitis pro obtentione beneficiorum, ac capacitate nouitiorum ad ipsa, vide dicenda cap. 5. seq. à n. 11.

74 Quoad exemptionem Mendicantium à iurisdictione Ordinariorum, præter dicta tom. 1. cap. 11. notandum, quòd quamuis ibidem num. 15. dictum sit, Regularem ab Episcopo citatum vt compareat decens esse vt compareat, & coram eo priuilegium exemptionis allegando, postea discedere, nihilominus loquendo de Mendicantibus asseuerandum est eos non teneri ad comparandum, aut exhibendum coram Ordinarijs priuilegium suæ exemptionis. Ratio est, quia licet quando exemptio non est notoria ita debeat, fieri, vt colligitur ex c. cum persona de priuileg. in 6. quando tamen notoria est non est id necessarium, vt elicitur ex Clem. Pastoralis de sentent. & re iudic. §. notorium quippe. Nauarrus cap. cum contingat de rescript. caus. 6. n. 6. Henriquez lib. 7. de Indulgent. cap. 25. num. 6. Quia ergo exemptio Mendicantium clara est, & notoria, cum à multis annis sint in possessione illius, ideo citati ab Episcopis non tenentur comparere, nec coram eis exhibere suæ

exemptionis priuilegium. Syluester in Summ. ver. exemp. 110 quest. 7. Sanchez 2. tom. consil. mor. lib. 6. cap. 9. dub. 4. Id etiam declarauit Sixt. IV. in mari magno Carmelitarum ver. Exemptionem quoque Ordinis, & ita id notauit Corduba in annotat. ad priuileg. Mendicant. verb. priuileg. Fratrum §. quoad §. 10. Quare cum Mendicantes coram Ordinarijs conuenirent nullatenus debent ostendere priuilegium suæ exemptionis coram ipsis, quia hoc esset constituere illos iudices, quod intendunt, sed respondere (intellego humiliter, & modeste) se illos audire, vel se exemptos esse ab ipsorum iurisdictione, & propterea declinare ab illa. Quo facto, statim recurrant ad Conferuatores, vt Ordinarios inibeant, & illos ab ipsis defendant, iuxta modum præscriptum in Bullis Conferuatorijs, & Conferuatorum auctoritatem de quo cap. 10. Sanchez vt supra dub. 5.

#### SVMMARIVM CAP. II.

Monachi nomen dupliciter sumitur. num. 1.

Monachi nomine in iure omnes Religiosi veniunt. n. 2.

Etiam Canonici Regulares. ibid.

Vnde Constitutio aliquid statuens de Monachis ad omnes Religiosos trahitur, nisi, &c. ibid.

Quoad obligationem votorum, Regule, Constitutionum, & tendentia ad perfectionem, & similia, qualiter de illis philosophandum. n. 3.

Possunt ad quamcumque dignitatem supremam promoueri. num. 4.

Etiam Episcopalem. ibid.

Cum licentia sui Superioris. ibid.

Quid autem si eam neget? ibid.

Etiam ad Papatum. n. 5.

An ad id requiratur licentia Abbatis. ibid.

Non possunt promoueri ad dignitates seculares non curatas. num. 6.

Quid de perfectura alicuius Collegij? n. 7.

Quid de regimine Hospitalis, & in quibus casibus. n. 8.

Possunt exercere munus Vicarij Episcopi. n. 9.

An esse Coadiutores? n. 10.

Possunt iure communi habere beneficia curata. n. 11.

Secus hodie. n. 12.

An requiratur necessitas, vel utilitas Ecclesiæ? n. 13.

An requiratur aptitudo ad concionandum? n. 14.

An in loco ubi Monasterium habet populum sibi subiectum. num. 15.

Requiratur licentia Abbatis, & qualis ea sit? n. 16.

An possint præstare consensum electionibus, & postulationibus de se factis? n. 17.

Non sunt capaces Monachi Beneficiorum simplicium iure communi. num. 18.

Cui subijciantur beneficijs seruientes. n. 19.

Nequeunt habere pensiones sine dispensatione Papa. numer. 20.

Qualis debeat esse hæc dispensatio. ibid.

Quid de Beneficijs Nouitiorum? n. 21.

Tempore Nouitatus sunt capaces beneficiorum. n. 22.

Per professionem vacant quæcumque Beneficia. n. 23.

Monachi Basiliani quomodo reformati, & quibus priuilegijs ornati. n. 24.

Benedictini plurimis gaudent priuilegijs, & quomodo intelligenda. n. 25.

Cistercienses, quoque, quomodo etiam intelligenda. n. 26.

Quibus Monachis prohibitum est Confessorem eligere virtute Cruciate, aut aliorum priuilegiarum. n. 27.

Chartusiani quando approbati, & quibus priuilegijs gaudent. num. 28.

Quid de aliarum Monachorum Religionum priuilegijs? num. 29.

Non potest Monachus locum habere in duobus Monasterijs. n. 30.

Regula monachorum legenda, & in vulgari sermone exponenda in Capitulo. n. 31.

Silentium à monachis quibus locis obseruandum, & sub quanta obligatione. n. 32.

Carnes comedere quomodo prohibitum monachis, maxime Chartusianis. n. 33.

Tenentur

Teneatur S. Eucharistiam sumere prima Dominica cuiuslibet mensis. n. 34.

An teneantur accedere ad Processiones. n. 35.

Abbatibus qui consecrandis, & qui benedicendis, & quid consecratio, seu benedictio. num. 36.

Qui, & quando possunt benedicere populum solemniter. ibid.

An possint tonsuram, & minores Ordines conferre. n. 37. Chrysmata conficere. ibid.

Iura Episcoporum prescribere, & qualiter. n. 38.

Aliqui ipsorum utuntur Mitra, Annulo, & Pontificalibus insignibus, & quando. n. 39.

Qui deserunt Episcoporum insignia alios precedunt. n. 40.

An gaudeant nomine Ordinarij, seu Diocesani. n. 41.

An possint benedicere vestes sacras, & ornamenta. n. 42.

An comprehendantur decreto Concil. Trid. sess. 24. c. 20. vers. ad hęc. num. 43.

An teneantur rationem reddere DD. Episcopis. n. 44.

Carentes curas, & Conuentu non sunt cogendi residere. n. 45.

## De specialibus obligationibus, muneribus, & priuilegijs Monachorum. Cap. II.

**M**onachi nomen quod à voce greca *μοναχος*, idest, vnus solus, aut solitarius, deriuatur, dupliciter sumitur, primò latè pro quocumque Religioso cuiuscumque Ordinis sit, secundo strictè pro illis, qui tribus votis astricti bona stabilia, in communi possident, & in vitæ solitariae studio, quieti, silentio, orationi, & contemplationi incumbunt. Abbas in cap. ex parte de postulando. Azorius 10. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 19. In presenti loquimur de Monachis in hac secunda acceptione, quales sunt Basiliani, Benedictini, & Carthusienses. Ex Benedictinis autem prodierunt postea Cistercienses, & alij. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 3.

**1** Nihilominus nomine Monachi in iure canonico omnes Religiosi veniunt, etiam Canonici Regulares, præsertim in fauorabilibus, nisi aliud ex dispositione manifestè constet, & nisi aliqua specialis ratio diuersitatis appareat. Abbas in cap. ex parte de postulando Glossa in cap. Canonica de sent. excommunicat. Peirinis 10. 1. priuileg. Minim. in Const. 12. Julij II. num. 2. ac proinde Constitutio Pontificia, siue canonica aliquid de Monachis statuens ad omnes Religiosos trahitur, nisi aliud ibi exprimat, vel manifesta diuersitatis ratio conspiciatur. Azorius 10. 1. instit. moral. lib. 12. c. 19. §. 10. Queritur Laurent. de Franchis in controuers. Episcop. & Regular. in quest. 9. 3.

**3** Quoad obligationem votorum, Regulæ Constitutionum seu statutorum Ordinis, philosophandum de illis est, sicut de alijs Regularibus, iuxta dicta tom. 1. cap. 4. §. 6. 7. & 8. Et quoad obligationem tendendi ad perfectionem, seu procurandi illam, iuxta dicta ibid. cap. 1. Quoad obligationem autem obseruandi ea, quæ in iure, vel Concilijs habentur attendendum est ad dicta ibid. cap. 9. præsertim cum sepius in iure sub Monachorum nomine expressè illis aliquid præcipiatur, vel interdicitur, vt patet ex cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, cap. Monachi el. 2. 16. q. 1. cap. cum ad Monasterium de stat. Monachor. Clem. ne in agro, & de stat. Monachor. & alijs iuribus dicto cap. 9. relatis. Cum etiam Monachi veri Religiosi sint ob trium votorum essentialium Religionis professionem nomine Religiosorum veniunt, ac per consequens comprehenduntur in iuribus, & decretis Summorum Pontificum, Conciliorum, & S. Congregationum, quæ adducta sunt dicto cap. 9. & 10. Teneatur etiam obseruare decreta Generalia Clem. VIII. approbata, & innouata à Sac. Congregat. Concilij sub SS. D. N. Urbano VIII. de quibus cap. præcedenti num. 63. vt patet ex titulo illis præfixo, scilicet *pro reformatione Regularium tam Monachorum, &c.*

**4** Monachi possunt ad quamcumque dignitatem supremam promoueri, siue dignitas illa sit Episcopalis, vt patet 18. q. 1. cap. vnico cap. nullus de elect. lib. 6. Iacobus Graffis in decisionib. p. 2. lib. 3. cap. 20. num. 1. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 32. Cum licentia tamen sui Superioris,

ex cap. Religiosus in princip. de elect. in 6. & cap. 1. d. 58. quod est D. Gregorij lib. 7. epist. 8. dicentis: Nullus ad Ecclesiasticum officium ex monasterio producat, nisi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulit Episcopo. Et ratio est, quia Monachus non habet velle, aut nolle cap. si Religiosus, vt supra. Sanchez vt supra n. 57. Vide infra num. 16. Quam si nollet concedere posset compelli propter bonum publicum ad consentiendum. Ad quod facit cap. nullus de iure patron. Abbas in cap. quod Dei de statu monach. n. 12. Syluester verb. Religio 7. q. 9. Iacobus Graffis in decision. p. 2. lib. 3. c. 20. n. 1.

**5** Siue etiam dignitas illa sit Papalis, vt notat Gloss. cap. quam sit 18. q. 2. Iacobus Graffis in decision. p. 2. lib. 3. cap. 20. num. 1. Ad quod etiam plures volunt requiri licentiam Superioris, ita vt sine illa nullum ius in Pontificatum acquirere dicant. Quibus non assentior, quia eo ipso quo est in Papam legitime electus nulli superiori creato subest. Syluester in Summ. ver. votum 3. Rossella ver. votum 2. ad finem. Quare bene Glossa relata dicit quòd si Monachus factus est Papa reuente Abbate, ipsemet debet se compellere redire, quasi dicat non posse ad id ab alio compelli, cum nullum habeat super se Superiorem.

**6** Non possunt autem promoueri ad dignitates sæculares quæ non sunt curatæ, vt sunt Decanatus, Præposituræ, Canonicatus. Ratio sumitur, tum ex cap. in nona actione 16. q. 7. vbi præscribitur homines diuersæ professionis in vno officio non esse sociandos. tum ex cap. quod Dei rimorem de statu Monachorum vbi in curæ animarum fauorem traditur posse regulares ad beneficium Parochiale assumi, ergo non ad istas dignitates, quæ non sunt beneficia parochialia, tum propter dicenda inferius de beneficijs simplicibus. Sunt etenim huiusmodi dignitates quasi beneficia simplicia, cum non impotent curam animarum. Fauct etiam cap. cum de beneficio de Præbendis in 6. Hostiensis in cap. quod Dei de stat. Monach. Graffis in decisionib. p. 2. lib. 3. cap. 20. num. 4. Sanchez lib. 8. in Decalog. c. 29. num. 72. & 75.

**7** Possunt tamen stando in iure communi promoueri ad præfecturam alicuius Collegij cui non incumbit propriè, sed tantum impropiè animarum cura. Tum à simili dignitate Episcopali ad quam in omnium sententia promoueri possunt, tum etiam à simili de Ecclesia Parochiali, ad quam etiam, vt dicitur inferius, assumi possunt. Videtur enim suo modo procedere eadem ratio, sicut enim ad Parochiam promoueri Monachi possunt propter utilitatem quæ speratur futura ex ipsis in animabus illius Parochiæ; sic etiam eodem modo in presenti. Azorius 10. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 19. quest. 13. Rodriguez 10. 3. q. Regular. quest. 53. art. 2. Dixi stando in iure communi, quia propter declarationem S. Congregationis sub Gregorio XIII. afferendam infra num. 12. aliqui putant esse derogatum. In illa tamen nihil video clarum circa hoc, sed tantum circa beneficia habentia curam animarum. Huiusmodi autem præfecturæ non includunt propriè curam animarum, sed impropiè tantum, scilicet in pertinentibus ad Collegium. Vide Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. n. 72.

**8** Possunt etiam Monachi promoueri ad regimen Hospitalium in aliquibus casibus. Primus, quando Hospitalia spectant ad Religionem quæ fundatur super Hospitalitate, vt Cruciferorum, S. Antonij Viennen., & similium. Ex quo enim illa Religio est fundata super Hospitalitate, & hoc est principale studium per quod operibus pietatis ad seruandum Deo se dedicauit, nihil Religiosis ipsis obstat quominus plura Hospitalia erigant, & in illis Hospitalitatem seruent, & Religiosos suos ibi deputent ad Hospitalitatem ibi seruandam, & ipsa Hospitalia regenda. Secundus, quando Hospitale est annexum Ecclesiæ Curatæ ita quod Rector vnus sit Rector alterius, iuxta cap. quod Dei de stat. Monachor. iuncto cap. super eo de præbendis in 6. Tertius, quando Hospitale est annexum Religioni, vel quia de mensa Monasterij, vel in proprietatem ipsi concessum, tunc enim possunt poni Monachi ad regendum illud Hospitale. Si enim pro utilitate Monasterij mitti possunt Religiosi ad litigandum, multò magis ad curandum infirmos. Quartus, quando Hospitale ipsum est Collegiatum. Religiosorum. Iacobus de Graffis in Decisionibus par. 2. lib. 3. c. 20. num. 13.

Possunt

9. Possunt Monachi exercere munus Vicarij Episcopalis, cum nullibi id interdicitur. Et patet ex eo quod dicitur *cap. preced. num. 70. de Mendicantibus*. Si enim Mendicantes admitti possunt ad hoc munus multo magis Monachi cum minor sit in his difficultas. Azorius *tom. 2. instit. moral. lib. 2. cap. 43. q. 10.* & alij quos refert, & sequitur Sbrozjus *de Vicario Episcopali lib. 1. q. 38. num. 4.* Qui num. 11. alijs relatis dicit idem esse dicendum de Vicario Capituli Sede vacante, vel locum tenente Vicarij, propter similitudinem rationis.
10. Etiam possunt constitui Coadiutores Episcoporum, sola Abbatis licentia. Cum enim possint Episcopatum assumere veluti principales, multo melius vt Coadiutores. Azorius *tom. 2. instit. moral. lib. 3. cap. 2. q. 8.* Idem dico propter eandem rationem de Coadiutorijs beneficiorum, quæ Monachi recipere possunt sicut è contra, quod eis beneficijs, quæ vt principales obtinere non possunt, neque etiam poterunt vt Coadiutores. Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 29. num. 84.*
11. De beneficijs autem Curatis secularibus loquendo (nam de beneficijs Regularibus latè dicitur *cap. 18.*) dicendum est, iure communi posse Monachos ad illa promoueri absque vlla dispensatione. Probatum ex *cap. quod Dei timorem de stat. Monach.* vbi id expressè habetur illis verbis, *Per antiquos canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari.* & colligitur ex *cap. in Parochia 16. q. 1.* Nec obstat Bulla Pauli IV. *Postquam diuina bonitas* anno 1558. qua omnes Regulares priuat beneficijs secularibus, quia ad ius commune redacta est postea per Pium IV. in Bulla *Sodis Apostolica solertia* anno 1560. *Selua de benefic. 3. p. q. 11. n. 133. & quest. 70. n. 6. & 7. Graffis in decision. p. 2. lib. 3. c. 20. n. 6.* Azorius *to. 1. instit. moral. lib. 12. c. 19. q. 13. & to. 2. lib. 3. cap. 2. quest. 8.*
12. Dixi iure communi loquendo, nam hodie nullus Regularis est capax beneficij curati absque Pontificis dispensatione. Tum quia ita praxis obseruat, tum propter declarationem Sac. Congregationis tempore Gregorij XIII. per hæc verba *SS. D. N. Gregorius XIII. voluit licere Canonice Regularibus etiam de licentia sui Generalis absque permissu Summi Pontificis assumere curam animarum etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 71.*
13. Videtur tamen requiri necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ curatæ secularis vt ipsi Monachi præfici possint. Quia hæc iuris concessio dimanauit fauore boni animarum cui prospicere Monachorum munus est, si ergo ad hoc necessarij, vel vtilis non fuerint, cessabit concessio. Lessius *2. de iust. cap. 41. dub. 12. n. 99.* Azorius *to. 1. instit. moral. li. 12. c. 19. q. 13. ad fin.*
14. Hinc plures volunt Monachum ineptum ad prædicandum ineptum quoque esse, vt assumatur ad beneficium curatum seculari, quia in *cap. quod Dei timorem* hoc indicari videatur. Rosella *verb. Monachus num. 4.* Syluester *verb. Relig. 7. q. 4.* Sed valdè probabile est id non requiri, dummodo Monachus aptus sit animarum curæ, & doctrinæ, etiam si non concionetur. Quia nomine prædicationis in *d. cap. quod Dei timorem* commodè intelligi potest prædicta cura, & doctrina animarum, Angles in *Summ. verb. dispensatio num. 3.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 40.*
15. Plures quoque volunt Monachum non posse præfici curæ animarum in loco, vbi Monasterium habet populum sibi subiectum. Quia ita expressè habetur in *cap. 1. de capellis Monachor.* Angelus *verb. Monachus num. 5.* Syluester *verb. Religio 7. q. 7.* Rodriguez *to. 1. q. Regular. q. 34. art. 4.* Verum tamen quia rationi dissonum videtur, vt cum Monasterium non habet populum subiectum ibi possit præfici Monachus, non autem quando ille populus est subiectus Monasterio; ideo videtur dicendum, textum solum prohibere quod Monachus ibi præficiatur si non adsit necessitas, vel sine consensu Episcopi; nam, vt dictum est, sine necessitate non debet Monachus præfici Ecclesiæ seculari, nec sine consensu Episcopi. Abbas *cap. dicto de capellis Monachor.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 43.*
16. Requiritur etiam ad hoc vt Monachus præfici possit Ecclesiæ seculari curatæ Abbatis sui licentia. Id enim constat ex *cap. si Religiosus in princip. de elect. in 6.* vbi sic: *Si Religiosus [cuius arbitrium, non ex sua, cum velle, vel nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet] electioni de se ad prælationem aliquam extra suum Monasterium vel suam Ecclesiam celebratæ sui Superioris qui date ipsam valeat, non petita licentia, & obrenta præsumperit consentire, consensus sic præstitus non teneat, & in pœnam præsumptionis illius electio eadem ipso facto iuribus vacuetur omnino.* Quamuis autem textus solum loquatur de electione ad prælaturam, attamen ratio in ipso explicata, scilicet *quod velle, vel nolle non habeat,* etiam procedit in ordine ad quodecumque beneficium. Rodriguez *to. 1. q. Regular. q. 35. art. 5.* Adeo etiam vt quidam vt dictum est *num. 5.* extendant hoc ad casum in quo Monachus ad Papatum assumeretur. Nec sufficit licentia generalis concessa per Superiorem, vt consentiat suæ electioni quandocumque electus fuerit, quia licet in prædicto *cap. si Religiosus* nihil de hoc exprimat, attamen in *Clement. 1. de elect.* id habetur expressè ijs verbis. *[Cum concessa Religioso a Superiore suo licentia, vt electioni vel prouisioni (si quam de ipso contigerit fieri) suam dare possit assensum, ambitionis vitio viam parat, nullius eam existere volumus firmitatis.]* Sanchez *lib. 7. in Decalog. capit. 29. num. 59.* Cum autem in dicto *cap. si Religiosus* nihil dicatur circa Superiorem Religiosi a quo obtinenda est licentia, videtur dicendum quemcumque Superiorem, videlicet, vel supremum scilicet, Generalem, vel etiam Prouincialem, aut immediatum. Prælaturam ad hoc sufficere, nisi aliud in Religionis Constitutionibus statuatur, cum quilibet eorum sit verus Superior, & cuiuslibet etiam subijciatur Monachus. Ioannes Andreas in *cap. si Religiosus num. 2.* Sanchez *vt supra num. 65.* Ex privilegio tamen Eugenij IV. pro Monachis Congregationis S. Iustinae in Bulla *Regulam vltam* apud Rodriguez *tom. 1. Bullarj inter Bullas Eugenij num. 10.* habetur, nullum Monachum eiusdem Congregationis posse beneficium aliquod extra dictam Congregationem impetrare, aut acceptare sine licentia Capituli dictæ Congregationis, vel Præsidentis cum maiori parte visitatorum sub magnis pœnis ibi contentis. [Ex dictis autem colligitur ad hoc quod iure communi Monachus præfici possit beneficio seculari Curato requiri tum necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ cui præficatur tum licentiam sui Superioris. Adde etiam requiri vterius, ne id sit prohibitum illis per Statuta suæ Religionis, qualiter Societatis Iesu Religiosis prohibitum est vt habet Sanchez *supra num. 36.* Imò etiam videtur requiri quod Ecclesia illa sit actualiter curata, non habitualiter tantum, hoc enim privilegium concessum est Regularibus in fauorem curæ animarum quod cessaret si actualiter Ecclesia non esset Curata Sanchez *supra num. 41.* Tamburinus *de Iure Abbat. to. 3. disput. 9. quest. 8. num. 8.* Adeo etiam videtur requiri quod Ecclesia præscriptione quadragennaria non sit solita regi per seculares cum exclusione Regularium. Selua *de beneficio 3. par. q. 11. num. 133.* Sanchez *supra n. 42.* Tamburinus *supra n. 9.*]
17. Generaliter etiam præcipitur Monachis, & quibuscumque Religiosis non mendicantibus, ne [electionibus, prouisionibus, aut vocationibus à minori parte numero ad prælationes quaslibet de se factis (quæ hoc ipso quod à minori parte processerint, nullum profusus tribuant ius eidem) suam audeant præstare consensum, etiam si super hoc assensus, vel licentia suorum interuenit Prælatorum.] Ita enim deciditur *cap. quorundam de elect. in 6.* Vbi etiam irritum, & inane, quidquid secus factum fuerit, declaratur: Videtur autem loqui textum tam de Prælaturis intra Ordinem, quam extra, cum dicat ad *Prælationes quaslibet,* per quod denotantur Prælaturæ intra, & extra Ordinem, præsertim quia in priori parte capitum cum loqueretur de mendicantibus in alia prohibitione expressis solum prælaturas extra Ordinem. Rodriguez *to. 2. qq. Regular. q. 55. art. 2.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 29. n. 49.* Vbi etiam alia ad intentum.
18. Loquendo autem de beneficijs simplicibus secularibus inter ea connumerando Canonice Ecclesiæ secularis, verissima sententia est monachum iure communi esse illorum inca-

incapacem. Primò ex cap. in nona actione 16. q. 7. vbi habetur in vno eodemque officio non debet dispar esse professio, quasi dicatur, quòd in Ecclesia seculari, vbi seculares sunt beneficiati non debent esse Monachi qui sunt disparis professionis. Secundò ex cap. super eo de Regularibus vbi de eis dicitur, nec amplius in Ecclesiis secularibus debent assumi. Tertio ex cap. Quòd Dei timorem, vbi solum in curæ animarum fauorem statuitur, quòd Monachus assumi possit ad beneficium curatum seculare. Fauent etiam cap. cum de beneficio de prabend. in 6. Clem. vnica de supplend. negligent. Prælator. Nauarrus Comment. 4. num. 23. in de Regularibus, Azorius tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 19. q. 13. & tom. 2. lib. 6. cap. 4. q. 22. Nec potest Episcopus in hoc dispensare, quia nullibi id illi conceditur. Rosella verb. Monachus num. 4. Azor. tom. 1. institut. moral. vt supra in fine quest. 13. Sed solus Papa, iuxta dicta tom. 1. cap. 2. num. 17. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 76.

19 Tam Monachi, quàm quicumque alij Regulares beneficijs huiusmodi curam animarum habentibus inseruietes, aut Ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrantes, in his quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diocæsani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati subiiciuntur. Ita enim colligitur ex declaratione S. Congregationis Episcop. & Regular. apud Barbofam in Collectan. Bullar. verbo Regulares 1. & ex Constitutione Gregorij XV. verbis adductis cap. 1. n. 28.

20 Incapax etiam est Monachus pensionis obtinendæ super beneficio seculari, siue simplici, siue Curato, absque Romani Pontificis dispensatione. Ratio est loquendo de beneficio simplici, quia cum Monachus sit incapax illius, vt dictum est, sic etiam pensionis super illo, quæ est quasi pars vel accessorium illius. Loquendo verò de beneficio curato, ratio est, quia licet illud concedatur Monacho à iure communi, vt dictum est ex indulgentia, & in fauorem curæ animarum, cum hæc ratio non procedat in pensione non erit capax illius. Ratio autem vtriusque præcipue sumitur ex eo quòd (quidquid sit de iure antiquo) attentio tamen Romanæ Curie vsu propriæ, & veræ pensiones, quibus beneficia onerantur ad certam reddituum partem alteri dandam sola auctoritate Pontificia concedi possunt. Sotus 9. de iust. quest. 7. artic. 2. column. 2. vers. 2. conclusio. Aragon. 2. 2. quest. 100. artic. 4. Imò etiam si Papa talem pensionem Religioso concederet, si constaret legitimam deesse causam, concessionis, tutus non esset in conscientia Religiosus. Ratio est, quia quicquid sit de pensionibus concessis secularibus, de quibus inualidas etiam esse si sine causa concedantur, tenent aliqui, vt Toletus lib. 5. Summ. cap. 83. cum obtinere Religiosum pensionem sit relaxatio, quædam voti paupertatis iure diuino, & naturali obligantis, & ad minus sit dispensatio quadam in decretis Concilij Tridentini, & Summorum Pontificum circa paupertatem Religiosam, si sine causa legitima concederetur, nulla esset. Azorius tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 9. quest. 9. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 98. Iuxta autem causam huius concessionis erit si Religiosus ille vir sit cuius opera Romanus Pontifex egeat, aut de Ecclesia benemeritus, aut senio confectus, aut graui valetudine grauatus, aut talis indigentia quòd Monasterium illi non subueniret in necessarijs. Azorius ibid. Toletus etiam ibid. An verò Monachus, vel Regularis capax sit pensionis super beneficium Regulariter dicitur cap. 18. num. 37. [Hæc porrò omnia quæ diximus de incapacitate Monachorum ad beneficia simplicia secularia, seu pensionem super beneficia secularia, conueniunt etiam alijs Regularibus (exceptis forsitan Canonicis Regularibus propter dicenda inferius cap. 3. de ipsis) Iura enim & rationes adductæ id conuincunt, & ita tenent præter relatores Authores Rodriguez tom. 1. quest. Regular. quest. 33. artic. 4. Sà in Summa verb. Religio. num. 32. Tamburinus de iure Abbas. 10. 3. disp. 9. quest. 25. post alios.]

21 Ex dictis autem sit beneficijs Nouitiorum Monachorum, quæ antea in seculo habebant, & quorum Monachi capaces sunt, iuxta dicta, videlicet beneficium curatum, non vacare probationis anno, non solum quia cum Monachi non sint incapaces illorum, nec Nouitij per no-

Summa Lezana Tom. II.

uitiatum incapaces erunt, sed etiam quia in c. beneficium de Regularib. in 6. sic dicitur: Beneficium illius, qui Religionem ingreditur non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat assensus, aut constet quòd vitam voluerit absolute mutare, vel professionem expressam fecerit, seu scienter habitum receperit Professorum. Sed interim eodem beneficio per alium deseruiri debet, assignata sibi congrua de ipsius prouentibus portione. Sayrus in Clau. regia lib. 6. cap. 5. num. 25. vers. possunt etiam. Sanchez lib. 7. in decalog. c. 4. n. 2. Imò etiam ea beneficia, quorum, iuxta dicta, Monachi incapaces sunt, vt sunt v. g. Canonicatus (idem dico de pensionibus propter paritatem rationis) non vacant toto probationis tempore, nisi adsint ea quæ in prædicto cap. Beneficium designantur. Textus enim vniuersaliter loquitur de beneficijs, ac proinde intelligendus de quibuscumque beneficijs siue illorum sint capaces Monachi siue non. Quare Canonicus nouitius habet ius eligendi, quòd cæteri Canonici habent. Azorius tom. 1. institut. moral. lib. 12. cap. 3. q. 1. Sanchez lib. 7. in Decalog. c. 4. n. 11. & 13. Non tamen propterea vocari necessariò debet ad electionem, sed potest censi vt legitime absens. Syluester verb. Religio 5. q. 11. Azorius vt supra. Fructus autem beneficij nouitij diuidendi sunt, itaut pars illorum assignetur Vicario ministrato beneficio, iuxta dictum c. Beneficium, pars autem alia cadat ipsi Nouitio, quia est verus Dominus illius, & beneficiarius. Sanchez vt supra num. 18.

22 Tempore etiam Nouitiatu capaces sunt Nouitij Monachorum beneficiorum, iuxta dicta, 10. 1. c. 24. num. 37. Quod non solum intelligo de illis beneficijs, quæ Monachis professis concedi possunt, sed etiam de illis, quæ solis secularibus, cum nouitij sint sui iuris, & simpliciter seculares. Non debent tamen ista illis concedi, ne ansa detur deferendi Religionem ad fruendum beneficijs. Angelus verbo Nouitius n. 23. Tabiena ibi quest. vlt. An verò sint capaces beneficiorum Regularium dixi 10. 1. c. 24. n. 37. relato, & dicam cap. 18. num. 4.

23 Quæcumque autem beneficia, siue pensiones vacant, per professionem, iuxta dicta 10. 1. cap. 2. n. 17. ita enim supponitur in cap. beneficium n. 21. relato, & ratio decisionis ea est, quia per professionem Religiosus moritur mundo, & seculo. Vacant ergo illa quæ in mundo, & seculo habebat. An autem idem sit dicendum de professione Equitum militarium S. Ioannis, S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ &c. dicitur cap. 5. n. 42.

24 Gaudet præterea Monachi varijs, & diuersis priuilegijs à Summis Pontificibus illis concessis, quorum aliqua hic adducenda sunt: Primò enim Monachi S. Basilij à Gregor. XIII. in bulla benedictus Dominus in 2. tom. Bullarij Laertij inter Bullas huius Papæ n. 58. in vnam Congregationem, & sub regimine vnius Abbatis redacti, certisque Constitutionibus reformati, multis priuilegijs ab ipso decorati sunt, videlicet Congregationis Castinensis Ordinis S. Benedicti, exemptione à iurisdictione Ordinariorum, & Commendatariorum, ac sub protectione S. Petri immediatè constituti. Idem etiam Gregor. XIII. in alia Bulla Cogit muneris in eodem tomo 2. Bullarij num. 46. Eremitoria del Tardon, & alia in Hispania existentia in Monasteria S. Basilij erexit, Ordini eidem adiunxit, & alijs quibus statutis eis concessis, priuilegia quoque Ordinis S. Basilij, & Congregationis Castinensis S. Benedicti illis tribuit. Postea Clemens VIII. in Bulla Quæ ad restituendos in 3. to. Bullar. num. 14. facta à Gregor. XIII. approbavit, & in ea alia quæ est num. 103. vniorem à Gregor. Decimotertio factam reuocauit, & duo Monasteria in Hispania, scilicet Eremiti del Tardon, & S. Antonij de Galogillos in Monasteria reformationi constituit, & separauit, ac illis nouitios recipiendi facultatem concessit. Ac tandem Paulus V. in bulla Inuincitum nobis 3. tomo Bullarij Laertij n. 17. separationes factas approbans priuilegia illis concessa confirmavit. Ante quæ tempora Alexan. III. in Bulla Apostolica Sedis in 1. to. Bullar. Laertij n. 6. Ordinem, & Regulam S. Basilij approbavit, ipsi donata à Rege Sicilia rata facit, exemptionem à decimis concessit, ac facultatem quæcumque bona acquirèda. Insuper Calixt. III. in Bulla Verget nos in eodem tomo 1. Bullarij numer. 4. Monasterium S. Saluatoris de lingua huius Ordinis pluribus immunitatibus præfertim

præsertim à iurisdictione Ordinariorum, collectis, & exactiõibus decorauit, & sub S. Petri protectione suscepit. Qualiter autem hæc priuilegia modò subsistant, ex dictis, tum hoc 2. tomo, tum in 1. tum etiam ex inferiùs dicendis constabit.

- 25 Monachi etiam Benedictini quamplurimis gratijs, priuilegijs, & immunitatibus à Sede Apostolica concessis gaudent, quorum aliqua relata in Bullario Rodrig. hic referenda sunt. Primò enim Vrban. II. anno 1092. in Bulla *cum vniuersis*. Cauensæ Cœnobium Ordinis S. Benedicti multis priuilegijs decorauit, & inter alia quòd ab omni tam secularis, quàm Ecclesiasticæ personæ iugo liberum esset decreuit, quod qualiter recipiendum *10. 1. cap. 3.* est dictum. Item Gregor. IX. in Bulla *Apostolica Sedis benignitas* Abbati S. Facundi Ordinis S. Benedicti concessit, vt possessiones, & alia bona, mobilia, & immobilia, quæ essent Religiosorum antequam Religionem professi essent, feudalibus dumtaxat exceptis, possent petere, recipere, & retinere. De qua materia infra cap. 18. Eidem etiam Abbati S. Facundi Benedictus 12. in Bulla *Deuotionis vestrae* Cœlestini III. Bullam confirmando indulget, vt non liceret, alicui personæ præter Romanum Pontificem, aut Legatum Cardinalem eos excommunicare, aut interdiceret, & quod tempore interdicti generalis eis liceret in Ecclesijs suis, exclusis excommunicatis, & interdictis, clausis ianuis, non pulsatis campanis, suppressa voce, clericis, & familiæ ipsorum diuina officia celebrare, & debita peragere sepulturæ, & quod liberi essent à decimis certis soluendis, nec aliquis ædificaret infra Parochias Ecclesiarum ad dictum Monasterium pertinentium absque Abbatis consensu. Item Martinus V. in Bulla *In decore* Conuentui S. Benedicti Vallisoletani concessit exemptionem à cognitione, siue executione quorumcumque negotiorum, seu commissionum, dummodo ad fidem Catholicam non pertinerent. Maximè Eugenius IV. eidem Monasterio S. Benedicti Vallisoletani magna priuilegia concessit circa absolutionem Monachorum, & dispensationem cum eisdem, quæ tamen prætermitto, quia solum viæ vocis oraculo concessa videntur, & concessiones huiusmodi hoc tempore vacant, iuxta dicta *10. 1. cap. 3. num. 21.* Item in Bulla *Imunctum nobis* facultatem tribuit recipendi reliquias à quibuscumque personis. Item in Bulla *Dispositione diuina* Congregationi S. Iustinae facultatem tribuit recipendi quascumque donationes, seu legata multa etiam eidem Ordini S. Benedicti idem Pontifex statuta dedit, & priuilegia magna concessit, vt patet ex pluribus eisdem Pontificis diplomatibus in eodem Bullario Rodriguez in Eugen. IV. item Calixtus III. eidem Conuentui Vallisoletano indulta dedit circa contributiones de bonis ipsius in Bulla *Speciali gratia*. Alexand. VI. Monasterio Montisferrati priuilegium concessit in Bulla *Sanè merita &c.* vt in dicto Monasterio immediatè post duas horas post mediam noctem Missam celebrare possent. Hoc tamen priuilegium vacare videtur hoc tempore propter declarationem Sacr. Congregationis adducta *10. 1. cap. 21. num. 2.* Clem. VII. eidem Congregationi Vallisoletanæ in Bulla *Deuotionis augmentum* priuilegia indulget circa contributiones, & partitiones decimarum ipsis Monachis non auditis non faciendas. Paulus III. in Bulla *Exponi nobis* Congregationi eidem magnum etiam priuilegium concessit circa absolutionem, & dispensationem faciendam cum subditis prima die lunæ Quadragesimæ Pius V. in Bulla *Decet ex benigno &c.* facultatem concessit Congregationi Cassinensi alienandi eius bona. Quod tamen priuilegium hoc tempore vacat, propter dicta *10. 1. cap. 10. à num. 1.* Deinde Sixtus V. in Bulla *Imunctum nobis* amplam communicationem priuilegiorum Congregationum Cassinensis, & Vallisoletanæ, & Ordinum S. Hieronymi, & Cisterciensium Congregationi S. Benedicti in Lusitania concessit, extendit etiam hoc priuilegium idem Pontifex ad litteras conseruatorias dictarum Congregationum, & Religio-

num in alia Bulla *Alias si quidem*. Pariter Clem. Septimo in Bulla Romanus Pontifex Congregationi S. Benedicti Vallisoleti communicauit priuilegia Ordini concessa. Vide etiam alia priuilegia Abbatibus horum monachorum concessa apud Barbofam in *Collectan. Bullar. ver. Abbas 3.*

- 26 Pariter etiam pro Ordine Cisterciensibus Innocentius Quartus in Bulla *Cum à nobis petiur &c.* illis concessit ne quisquam in familiares, seruientes, ac benefactores Ordinis illius seu in eos, qui molunt in molendinis Monasteriorum, vel coquunt in furnis illorum, seu alias cum Monachis communicant excommunicationis sententiam promulgaret, & si talis excommunicatio proferatur, irrita sit, & inanis. Loquitur autem Pontifex de illis qui in fraudem priuilegiorum dicti Ordini à Sede Apostolica concessorum id faciunt. Vide dicenda *cap. 16.* de familiaribus Regularium. Item idem Pontifex Innocentius Quartus in Bulla *Cum nuper duxerimus* declarat decretalem ab ipso editam de exemptis ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur ritè posse coram Ordinarijs conueniri intelligendam esse sine præiudicio libertatum, & immunitatum Ordinis Cisterciensibus. De qua materia dictum est *10. 1. cap. 3. num. 8.* & *cap. 11. à numer. 2. præsertim numer. 10.* Concessit etiam eidem Cisterciensibus idem Pontifex, & postea id ipsum confirmauit Pius Secundus vt possessiones, & alia bona mobilia exceptis feudalibus quæ personas Fratrum professionem facientium si remansissent in sæculo ratione successionis, vel quocumque alio iusto titulo contigissent petere, ac retinere libere valerent. De quo etiam capitulo 18. dicitur. Postea Alexandri Quarti in Bulla *Deuotionis vestrae*, ipsi Cisterciensibus concessit, quod in grangijs, & locis, quæ aded distant ab Ecclesijs Parochialibus, quod ad eas pro audiendis diuinis Officijs non possent commodè habere recursum, liceret illis dummodò Parochiani earumdem Ecclesiarum non interessent diuina celebrare sine præiudicio iuris alieni, de quo vide dicta *10. 2. cap. 21. num. 15.* Item idem Pontifex in Bulla *Præclara Religionis*, vt nullus ipsorum posset alij alterius Religionis, vel Præsbytero seculari confiteri absque sui Abbatis licentia. De quo *10. 1. cap. 18. numer. 26.* Præterea ipse Pontifex eidem Cisterciensibus concessit in Bulla *Circa sacrum*, ne tenerentur quibuscumque Nuncijs Archiepiscopis, vel Episcopis quascumque procuraciones pecuniarias soluere. Prohibuit etiam ipsidem idem Pontifex in Bulla *Virtutum meritis* appellationem extra Ordinem, de quo etiam *10. 1. cap. 10. nono* est dictum. Insuper Vrbanius Quartus in Bulla *Deuotionis augmentum* eisdem Cisterciensibus concessit, quod tempore interdicti possent, excommunicatis, & interdictis exclusis, diuina officia etiam alta voce, apertis ianuis, & pulsatis campanis in Monasterijs, quæ à secularium habitationibus remota sunt celebrare. De quo dictum est *10. 1. cap. 21. num. 19. & 20.* Item Gregor. Decimus ann. 1275. in Bulla *In vestitu deaurato* post egregiam Ordinis Cisterciensium commendationem eum à decimarum extraordinarium, & exactiõnum onere liberauit. Vide dicta *10. 1. cap. 2. num. 14. & 15.* Præterea Nicolaus III. in Bulla *Honestis desiderijs*, ipsis indulget, vt possent audire confessiones pauperum infirmorum, qui ad Hospitalia infra septa Monasteriorum deputata confluunt per aliquem, vel aliquos idoneos Monachos deputandos, eisdemque Ecclesiastica Sacramenta ministrare. Vide dicenda hoc 2. tomo cap. 6. de Hospitalarijs. Item Bonifac. Octauo in Bulla *Series oblata* inhiuit ne aliqui Prælati cum ipsos in Ecclesijs Monasteriorum Cisterciensium solemnia celebrare contigisset, possent oblationes tempore celebrationis factas à Monasterijs ipsis asportare, sed eas ibi dimittere. Item in Bulla *ad augmentum* concessit, vt Prælati ipsorum possent ad correctionem monialium procedere, rimulis, & apicibus iuris postpositis, appellatione interdicta *10. 1. primo capitul. 18. numer. 16.* & in Bulla *In Ecclesie fundamento* eos à decimis, & primitijs soluendis exempt. Item Clement. Sexto in Bulla *Meluantis Ecclesie*, tres Abbates, Iudices, Conseruatores depurauit pro defensione rerum mobilium, & immobilium iurisdictionum,

num, & possessionum eorumdem Cisterciensium. De qua materia infra c. 10. Urban. V. in Bulla *Sacra vestra* illis indulget, quod in castris, & fortalitijs, ad quae tempore belli recurrerent in locis tamen congruis, & honestis, erigere possent Altare portatile, & ibi Missas, & diuina Officia celebrare. Vide dicta tom. 1. cap. 21. num. 14. Item Martinus V. in Bulla *Militanti Ecclesiae* amplum priuilegium illis concessit circa exemptionem à decimis soluendis Ioannes XXIII. in Bulla *cisi quibuslibet*, priuilegia à Summis Pontificibus Praedecessoribus eisdem concessa confirmauit. Eugenius IV. in Bulla *Iniunctum nobis* Reformati Ordinis Toleti, & successoribus magnam etiam facultatem concessit circa absolutionem, & dispensationem dandam Religiosis. Quibus etiam in alijs Bullis magna quoque priuilegia indulget, statutaque dedit Sixtus IV. in Bulla *Sacrosanctae* magnum etiam priuilegium eisdem Cisterciensibus, eorumque familiaribus continuis, Procuratoribus &c. concessit circa absolutionem eorum in mortis articulo. Praecipue Gregorius XIII. in Bulla *Superna dispositione* circa ipsorum reformationem plura statuta fecit, priuilegiaque concessit. Item Gregorius XIV. in Bulla *Romanus Pontifex*, amplissimam extensionem priuilegiorum aliarum Congregationum Congregationi S. Bernardi Hispaniarum communicauit. Bullarium Rodriguez tom. 1. & 2. in praefatis Pontificibus.

27 Prohibitum tamen illis est in Regnis Castellae, & Legionis ab Alexandro VI. in Bulla *Romanus Pontifex* in Bullario Rodriguez tom. 1. Bulla 14. inter Bullas huius Pontificis ne praetextu Cruciatæ, aut aliarum quarumcumque litterarum Apostolicarum confessorem eligere, & absque licentia Superiorum suorum possent. Vnde comprehenduntur in doctrina tradita tom. 1. nostrae summae c. 19. num. 29. Idem ordinatum esse videtur à Julio III. pro Congregatione S. Benedicti Vallisoletani in Bulla *Suadet*, in Bullario Rodriguez tom. 1. num. 5. in Julio III. Quibus adde decretum S. Congregationis in causa Castellae, & Portugaliae, vbi id decretum de Bulla Cruciatæ generaliter pro omnibus Regularibus vtriusque sexus quoad casus referuatos, apud Barbosam in *Collectan. Bullarj verbo Cruciatæ*.

28 Carthusiani ab Alexandro III. in Bulla *Cum vos* in 1. tomo Bullarj Laetij Cherubini num. 7. approbati sunt, sub protectione Sedis Apostolicae suscepti, & in possessionibus quas habebant confirmati. Prohibuit etiam Pontifex sub anathematis poena, ne quis intra terminos ipsorum hominem capere, furtum, seu rapinam committere, vel homicidium facere auderet, aut homines ad domos illorum venientes, vel ab eis redeuntes quomodolibet perturbaret. Quod priuilegium quantum ad capturam hominum, si intelligatur de delinquentibus, correctum à Gregor. Decimo quinto videtur, iuxta dicta tom. 1. cap. 18. numer. 83. concessit etiam eisdem, vt infra dimidiam leucam à terminis possessionum quas habent nullus Religiosus quodlibet aedificium constituere, vel possessiones acquirere possit. Contrarium tamen apparet Romae vbi multa Cœnobicia Regularium intra dictam mediam leucam reperiuntur. Item Honor. III. in Bulla *Cum dilecti*. in eodem tom. 1. Bullarj Laetij num. 3. ne ab aliquibus temere molestentur ad calumniae iuramentum, vel ferendum testimonium cogerentur praecipit. Vide dicta tom. 1. cap. 11. num. 24. Gregor. IX. in Bulla *quoties à nobis* in eodem 1. tomo Bullarj num. 3. oblatos Carthusiensis Ordinis etiam sub protectione S. Petri. Suscepit, & eisdem libertatibus, & immunitatibus quibus ipsi gaudent gaudere decreuit. Pro quo vide dicenda hoc 2. tomo cap. 8. Item Urbanus V. in Bulla *Sincera* in eodem 1. tomo Bullarj num. 2. facultatem tribuit vtendi Altari portatili pro celebratione missarum in locis ad Ordinem spectantibus. Pro quo indulto, vide dicta tom. 1. cap. 21. num. 14. Praeterea Bonifac. IX. in Bulla *Sacrosanctae* eodem tom. 1. Bullarj num. 3. ipsos exempt à iurisdictione, visitatione, & correctione Episcoporum, & aliorum omnium. Pro quo etiam, vide dicta tom. 1. cap. 2. num. 8. & cap. 11. à num. 2. Martinus V. in Bulla *fons paruulus* in eodem tomo 1. Bullarj num. 4. illos à solutione primitiarum, & decimarum exempt. De quo, vide dicta tomo 1. cap. 3. num. 15. Gregor. XI. concessit eisdem, vt omnia priuilegia. Domui Carthusiae

Summae Lezana Tom. II.

Gratonopolitanæ, & alijs domibus concessa ad alias domos in posterum aedificandas extenderentur. Quam etiam extensionem, & expressionem concessit illis Pius II. Casarubius in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. communicat. priuileg. num. 36. & 37.*

- 29 Aliarum Congregationum monachorum priuilegia non refero, quia etsi illas magna veneratione dignas aestimem, ipsorum tamen priuilegia fere similia sunt ijs, quae ex Basilianis, Benedictinis, Cisterciensibus, & Carthusianis sunt relata.
- 30 Non potest monachus locum habere in duobus monasterijs. Ita enim decidit in cap. *ne nimia de Religios. domib.* Tunc autem dicitur habere locum in duobus monasterijs quando in vtroque habet vocem in Capitulo, & sedem in Choro. Azorius tom. 1. *instit. moral. lib. 12. capit. 19. §. 12. Queritur.* Nec quando monachus eligitur in Abbatem alterius monasterij potest in suo habere vocem, & locum nisi illa Monasteria sint annexa. Abbas in cap. *1. de priuilegijs.* Azor. *vt supra.*
- 31 Is qui praestit Monachis debet per se, vel per alium vulgari sermone Regulam exponere in Capitulo. Ita enim habetur in Clement. Ne in agro de statu Monachorum illis verbis *Regula quoque cum in capitulo legitur ab illo qui praest, ipsi Capitulo, vel alio cui hoc ipse iniunxerit propter iuniores vulgariter exponatur.* Vbi vnum supponitur videlicet Regulam legi in capitulo aliud verò praecipitur, scilicet eam exponi debere in vulgari sermone propter iuniores.
- 32 Tenentur ad silentium seruandum Monachi in Oratorio, Dormitorio, & Refectorio; in claustro verò ad certas temporum horas. Ita enim habet Innocentius III. in cap. *cum ad Monasterium de statu Monachorum.* In Oratorio verò Refectorio, & Dormitorio continuum semper silentium obseruetur, in claustro quoque certis horis, & locis. Hanc verò obligationem non esse sub mortali certum est cum nunquam tam rigorose sit recepta. Grassis in 2. par. *decis. lib. 3. cap. 22. num. 1.* An verò sit sub veniali, licet in rigore iuris ita sit dicendum, cum sit praecipuum Pontificum, ad communem tamen acceptationem Religionum attendendum est, iuxta dicta tom. 1. cap. 7. à num. 10. Hæc autem obseruantia maiorem obligationem in ducere videtur Carthusianis, quam alijs Monachis.
- 33 Prohibitum est Monachis in iure carnes comedere sine causa rationabili, & assensu Abbatis, ex cap. *carne de consecrat. d. 5. & cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum.* Grassis 1. par. *decisionum lib. 3. cap. 5.* non tamen videtur hoc praecipuum obligare ad mortale nisi quando quis carnes edit ex contemptu Regulæ, vel contra speciale Superioris praecipuum. Syluester *verb. Religio. 7. quest. 14.* Grassis *vt supra.* secus dicendum Carthusiensibus propter magnum rigorem, quo hæc obseruantia apud illos habetur. In Monasterijs autem aliorum Monachorum, in quibus consuetudo habet quod comedantur carnes, scientibus Superioribus, & patientibus sine vilo peccato id fit. Censetur enim consuetudine immutatam esse iuris dispositionem. Grassis *vt supra num. 10.* De vsu lineorum. Vide dicta tom. 1. c. 9. n. 21. Et nota illud praecipuum praecipue dirigi ad Monachos in praedicto cap. *cum ad Monasterium.* Similiter de obligatione consistendi semel in mense, vide *ibid. n. 22.*
- 34 Tenentur Monachi prima Dominica cuiuslibet mensis in Monasterijs venerabile Sacramentum sumere, nisi ex causa (quam Abbatis, aut Priori, aut Pœnitentiarijs monasteriorum aperiant) abstineant ad eorum arbitrium. Ita enim decernitur. in *Clem. ne in agro de statu Monachorum.* Azor. tom. 1. *instit. moral. lib. 12. cap. 19.* Aduertens etiam hanc legem cum sit humana, consuetudine abrogari posse. Vbi autem consuetudine abrogata non fuerit, obligat ad culpam cum sit praecipuum Papale in illa Clementina. Addit esse mortale Iacobus Grassis in 1. par. *decis. lib. 2. cap. 38. num. 36.* Sed non credo cum tanto rigore acceptam esse hanc legem saltem apud omnes. Ipsi tamen viderint.
- 35 Teneri accedere ad processiones publicas, & generale, imò ad id compelli posse ab Episcopo monachos quantumuis exemptos, habetur ex declarationibus S. Congregationis apud Barbosam in *Collectan. Bullar. verbo Monachus*



1. Veruntamen, si de illis, aut earum sensu certo non constat poterunt monachi, uti consuetudine legitime præscripta.
- 36 Monachorum Abbates non omnes consecrandi, aut benedicendi sed ij tantum qui suæ Ecclesiæ more, consecrari, aut benedici solent. *ex c. alienationes 12. q. 2.* Sunt enim Abbates quidam benedicti, alij non benedicti, ut ex usu constat, & colligitur, *ex cap. 1. de supplend. neglig. Prælat. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num. 2.* Hæc porro benedictio, seu consecratio, etsi decentius die Dominica dari debeat, alij tamen diebus in quibus Minores Ordines conferuntur dari potest, cum non sit tanta quantitas Episcopi, nec maior quam Ecclesiæ, vel altaris consecratio, quæ tamen alijs diebus quam Dominicis fit, *capitulum de consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris.* Azorius *10. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 20.* Non reiteratur hæc benedictio, quia etsi characterem non imprimat, æquiparatur tamen in hoc benedictioni nuptiali, & alijs benedictionibus Ecclesiasticis, quæ circa eandem rem permanentem non reiterantur. Nauarrus *consil. 2. de stat. Monachorum.* Suarez *ut supra.* Unde à Sac. Congregatione declaratum est, quod Abbas semel benedictus cum usu birretii si transferatur ad aliam Abbatiam habentem usu mitræ, non indiget alia benedictione, sed potest per seipsum mitram capere. Barbosa *in collect. Bullar. verb. Abbas 1.* Fit hæc benedictio Abbatis post electionem, & confirmationem ipsius, sicut consecratio Episcopi quæ etiam fit post electionem, seu designationem & confirmationem. Azorius *ut supra.* Unde Abbas non constituitur per benedictionem sed per electionem, & confirmationem; benedictio enim se habet, ut quoddam ornamentum, seu consecratio personæ in eadem dignitate constitutæ. Suarez *ut supra.* Fit benedictio Abbatis ab Episcopo, duobus assistentibus Abbatibus, vel sine Episcopo à tribus ad minimum Abbatibus, ut consuetudine habetur. Syluester *verb. Abbas quest. 1.* Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 9. c. 13. §. unico num. 17.* Video tamen declaratum dici à S. Congr. quod solum ab Episcopo recipere debeat benedictionem. Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Abbas 1.* ideo cautè procedendum. Possunt autem illi solemnem benedictionem impertiri populo in Ecclesijs ad ipsos pleno iure spectantibus post Missarum perfecta sacrificia, post vespertinas preces, aut matutinas decantatas, non autem alibi publicè, aut per vias, Ciuitates, aut Castella, vel Villas. *ex cap. Abbates de privileg. in 6.* Pro quo video privilegium Cælestini V. & Eugenij IV. Cælestinis concessum, ut Abbas de Sulmona, eiusque successores ad Missas in Conuentibus benedictionem solemnem facere possent, dummodo ibi non sit præsens aliquis Episcopus, vel Superioris status persona. Bullarium Rodriguez *tom. 1. Bulla 18. in Eugen. IV.* Vide etiam privilegium Innocent. VIII. pro aliquibus Abbatibus Cistercij, de quo infra. Azorius *10. 1. instit. moral. lib. 12. c. 20.*
- 37 Possunt etiam aliqui ipsorum, consularum, & minores Ordines conferre, iuxta dicta, & cum conditionibus assignatis, præsertim ex decreto Sacræ Congregationis *tom. 1. nostre Summæ cap. 18. n. 64. & 65.* De quo etiam Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 29.* Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Abbas 1.* Extat etiam concessio Innocentij VIII. pro Abbate Cistercij, & quatuor primis Coabbatibus eius in *exposit* in Bullario Rodriguez *tom. 1. inter Bullas Innocent. VIII. num. 5.* qua illis concedit facultatem dandi quatuor minores Ordines suis subditis, & quod magis est Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines. Sed hæc facultas à Concilio Trident. *sess. 23. cap. 8. & 10.* maxime 12. sublata videtur. Rodr. *1. q. Reg. q. 18. art. 3. & 4.* Declaratum etiam est à S. Cong. Conc. Abbatem habentem privilegium faciendi ea omnia, quæ spectant ad Episcopum non posse christum consecrere, nec sacros Ordines conferre. Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Abbas 1.*
- 38 Possunt item Abbates iura Episcoporum præscribere legitima consuetudine quantum ad iurisdictionem, non quantum ad potestatem Ordinis *ex cap. aqua de consecrat. Eccles. Azorius tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 20.* Non tamen tenent Monachos associare, & reassociare eorum Abbates sicut tenentur facere Canonici cum Episcopis, dum ad Ecclesiam veniunt solemniter celebraturi, habetur ex declaratione S. Congregationis apud Barbosam *in collectan. Bullar. verb. Monachus 1.*

39 Abbas Cistercij, & quatuor primi Coabbates eiusdem Ordinis habent privilegium ad utendum mitra, & annulo, & alijs Pontificalibus insignijs. Ita enim supponitur in Bulla Innocent. VIII. *exposit* in Bullario Rodriguez *tom. 1. Bulla 5.* Innocent. VIII. quamvis hic Pontifex nihil circa hoc illis concedat, Unde Abbates alijs infulati, alij non infulati dicuntur, de quibus Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 9. cap. 13. §. unico num. 14.* Nota tamen ex decisione S. Congregationis apud Barbosam *ut supra.* Abbatem licet exemptum, & habentem privilegium usus pontificalium, non posse illis uti extra Monasterium nisi de licentia Ordinarij. Insuper Abbatem in processibus extra suam Ecclesiam, & Conuentum non posse uti Mitra, & baculo, nec etiam ante se deferri facere. In usu tandem huius privilegij attendendum maxime consuetudini legitimæ.

40 Abbates qui privilegio, vel consuetudine deferre solent Episcoporum insignia ceteros Abbates eis insignibus carentes præcedere debent. *ex cap. ut Apostolica de privileg. in 6.* Nauarr. *consil. 1. num. 5. de maiorat. & obedient.*

41 Abbas cuius abbatiam ad nullam pertinet Diocesim, & propria Episcoporum habet iura, Ordinarij nomine gaudet. Quia in iure nomen Ordinarij nisi aliud exprimitur non solum Episcopis, sed etiam inferioribus Clericis competit. Glossa *in cap. Ordinarij de Offic. Ord. 1. in 6.* Nauarrus *consil. 5. de spons.* Nomen autem Diocesani non venit. Quia hæc vox tantum Episcopos significat. Glossa *in Clement. 1. de iure patron. in verb. Diocesani.* Nauarrus *ut supra.*

42 Possunt etiam Abbates, iuxta dicta *to. 1. c. 18. n. 57.* benedicere vestes sacras, & ornamenta Altaris in quibus christus non interuenit Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. n. 30.* Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Abbas 1.* Sed huiusmodi facultas, quantum ad paramenta pro extraneis benedicenda ablata est, iuxta dicta *præd. num. 57.* Vide etiam Barbosam loco relato.

43 Abbates Regulares habentes iurisdictionem criminalem in Clericos etiam seculares non comprehenduntur decreto Conc. Trid. *sess. 24. cap. 20. versu ad hæc* ubi est sermo de causis criminalibus ab Episcopis tractandis. Ita enim decisum refertur à S. Congreg. Barbosa *ut supra.*

44 Abbates, Præpositi, & Abbatissæ, vitam Regularem ducentes non tenentur Episcopo rationem reddere. Ita enim decisum etiam refertur à Sac. Congregat. teste Armendariz *in addit. ad recopilat. leg. Navarra leg. 1. tit. 18. lib. 8. num. 79.* Attendenda tamen in hoc est Constitutio Gregor. XV. *de exemptor. privileg.* de qua *tom. 1. cap. 25. num. 45.* quam pro Regnis Hispaniarum suspensam esse ibidem dixi.

45 Abbates Abbatie carentis cura, & Conuentu non sunt cogendi residere. Ex declaratione S. Congregat. testibus Garzia *de benefic. par. 3. cap. 2. num. 176. in 9. declarat.* Armendariz *in addit. ad recopilat. leg. Navarra lib. 2. tit. 23.*

### SVMMARIAM CAP. III.

- Canonici Regulares unde dicti. num. 1.  
 Dicuntur etiam à canoniam. num. 2.  
 Habet eorum Religio beneficia Ecclesiastica, simplicia, Canoniciatus, Abbatias, Præposituras, Personatus, Prioratus, officia administrationes, &c. num. 3.  
 Sunt eiusdem Religionis ij qui Ecclesijs inseruiant, & qui Monasterijs assistunt. num. 4.  
 Sunt verè, & essentialiter Religiosi, propter tria vota, quæ emittunt. num. 5.  
 Eorū tamè Religio laxior habetur quam Monachorū. ib.  
 Nomen Monachorum comprehenduntur in fauorabilibus, non autem in odiosis, & pœnalibus. num. 6.  
 Item quoad ea, quæ per se solum respiciunt substantiam, vel decentiam status Religiosi. n. 6.  
 Institutum eorum per quod à Monachis distinguuntur est vacare officijs, & ministerijs diuinis. n. 7.  
 Sunt enim verè Clerici. num. ibid.  
 Monachorum porro institutum est vacare vite solitariae, quieti, silentio &c. ibidem.  
 Monachorum Religio est austerior. ibid.  
 Canoniceorum verò perfectiorem habet finem. ibid.  
 Quomodo differant à Mendicantibus. ibid.

Quomo-

Quomodo à Clericis Regularibus. *ibid.*  
 Licitus est transitus Regulariter loquendo, ex Canonicis ad  
 Monachos. n. 8.  
 Precedunt monachos. n. 9.  
 Gaudent pluribus priuilegijs à Sede Apostolica illis concef-  
 si. num. 10.  
 Prohibentur medicinam, vel leges audire. n. 11.  
 Prohibentur etiam munus aduocati exercere. n. 12.  
 Si non adsint due conditiones, scilicet preceptum Superio-  
 ris, & utilitas Monasterij. *ibid.*  
 Inuentur in una domo habitare, ad mensam communem  
 edere, & sub eodem tetto dormire. n. 13.  
 An obligetur ad confessionem saltem semel in mense, com-  
 munionem prima Dominica mensis, legendum, & ex-  
 ponendum vulgari sermone Regulam in capitulo. n. 14.  
 Non est illis interdictum comedere carnes sicut Monachis.  
 num. 15.  
 Possunt habere beneficia Regularia, & qualia, aut quomo-  
 do. n. 16.  
 Accipientes, vel retinentes aliquod beneficium requirens  
 residentiam tenentur residere. n. 17.  
 Canonici Ecclesie Cathedralis Regularis capaces sunt, vt  
 sint delegati ad exequendas litteras Pontificias, que à  
 personis in dignitate constitutis exequenda necessarid  
 sunt. n. 18.  
 Possunt ad eas dignitates extra Ordinem promoueri, ad  
 quas Monachi. n. 19.  
 Ad beneficia autem curata requiritur Sedis Apostolica li-  
 centia. *ibid.*  
 Si sine illa sint poterunt ab Episcopis remoueri. *ibid.*  
 Tenentur Canonici Regulares Ecclesiarum Cathedralium  
 professionem fidei facere. n. 20.  
 Alioquin fructus non faciunt suos. *ibid.*  
 Nequeunt esse compatriini. num. 21.  
 Nec possunt admitttere foeminas intra Monasteria. n. 21.  
 An vero in priuatis domibus. *ibid.*  
 An prohibitio de non assistendo agitationibus taurorum il-  
 los tangat. n. 23.  
 An prohibitio non tenedi arma intra septa monasterij. n. 24.  
 Munus Procuratoris exercere non possunt, nisi duabus con-  
 ditionibus concurrentibus, scilicet Superioris licentia,  
 & utilitate monasterij. n. 25.  
 Nec etiam possunt procuratorem constituere, aut substitue-  
 re. n. 26.  
 Subornatio pro electionibus prohibita est Canonis. S. Sal-  
 uatoris. n. 27.  
 De qua subornatione id intelligatur. *ibid.*  
 An puniantur ab Episcopis seruientes Parochialibus Ec-  
 clesijs unitis suis monasterijs si delictum non concernens  
 curam animarum non committant. n. 28.  
 An predicti teneantur interesse diuinis officijs, que diebus  
 Sanctorum Patronorum Ciuitatis in Ecclesia Cathedra-  
 li celebrantur. *ibid.*  
 An Episcopus possit Ecclesias Parochiales illis unitas visi-  
 tare, etiamsi Generalis ibi sedem habeat. n. 29.

De Regularium Canonicorum specia-  
 libus iuribus priuilegijs, & obli-  
 gationibus. Cap. III.

1 Canonici Regulares sic dicuntur quia nō solūm Apo-  
 stolorum Canonem, seu Regulam in commune sua  
 bona conferendo sequuntur, propter quod vocantur Cano-  
 nici, sed etiam quia instar Monachorum, & aliorum Regu-  
 larium tria vota emittunt, & se Deo atq̄tius obligant, pro-  
 pter quod Regulares nuncupantur, & coniunctim canoni-  
 ci regulares appellantur, vt distinguantur ab alijs canonicis  
 non regularibus, sed secularibus. Couarr. in Clem. si furio-  
 sus de homicidio p. 1. n. 1. Azor. to. 1. instit. moral. lib. 12. c. 22.  
 2 Dicuntur etiam canonici à canonia, quæ est spirituale  
 ius ratione cuius aliquis habet stallum in choro alicuius  
 Ecclesie, & locum in Capitulo, vt colligitur ex c. dilecto  
 de prebendis. Suar. to. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 9. n. 6.  
 3 Habet hæc Religio beneficia Ecclesiastica, simplicia,  
 Canonicatus, Abbatias, Præposituras, Personatus, Prio-  
 ratus, officia, administrationes, &c. Azor. to. 1. instit. mor-  
 Summa Lezana Tom. I l.

ral. lib. 12. c. 22. §. 7. queritur. Lauretus de Franchis in  
 controuers. Episcoporum & Regular. in quest. 9. 87. De quibus  
 aliqua dicemus tum in hoc capite, tum in c. 18.  
 4 Sunt eiusdem Ordinis, & Religionis, ij qui cathedra-  
 libus Ecclesijs inseruiunt, ac ij, qui Monasterijs assistunt.  
 Cum eundem habitum gerant, & eandem professionem  
 emittant. Augustin. Ticinensis in propugnaculo Canonici  
 Ordinis par. 3. cap. 5. Rodrigu. tom. 2. q. regul. q. 49. art. 3.  
 5 Sunt verè, propriè, & essentialiter Religiosi, si quidem  
 promittunt tria vota essentialia Religionis sicut alij Regu-  
 lares, sub approbata regula, S. Augustini videlicet, & con-  
 stitutionibus. Rodrig. to. 1. q. Regul. q. 1. art. 3. Quamuis  
 intra genus religionis laxior habeatur hæc Religio, quam  
 monachorum, vt habetur in cap. quod Dei timorem de sta-  
 tu monach. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 22.  
 6 Quamuis dubium sit an nomine monachorum compre-  
 hendantur, probabilius tamen est, quod in pœnalibus, &  
 odiosis non comprehendantur, cum lex pœnalis, & odiosa  
 strictè sit, explicanda, bene tamen in fauorabilibus, pro-  
 pter oppositam rationem. Rodrig. to. 1. q. Regul. q. 1. art. 3.  
 Azor. to. 1. instit. moral. lib. 12. c. 22. Idem dico de ijs quæ  
 per se solūm respiciunt substantiam, vel decentiam status  
 Religiosi, in ijs enim nomen Monachi etiam extenditur ad  
 canonicos regulares, vt constat ex c. ex parte de postulan-  
 do. Nauarrus comment. 3. de Regularib. n. 4. & 41. Suarez  
 4. tom. de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 7. n. 10.  
 7 Institutum proprium Canonicorū regularium per quod  
 à monachis distinguitur est vacare officijs, & ministerijs  
 diuinis. Sunt enim, iuxta doctrinam S. Augustini, huius-  
 modi canonici, clerici, quorum proprium munus, id est,  
 Monachorum enim institutum est vitæ solitariæ, quieti,  
 silentio, & orationi incumbere, vt dixi supra cap. 1. num.  
 10. Suarez 4. tom. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 7. a num. 6.  
 Sanchez lib. 5. in decalog. cap. 7. num. 20. Et si enim tam  
 monachi, quam canonici vitam contemplatiuam profi-  
 teantur, Canonici tamen sunt instituti ad contemplatiuam  
 circa ministeria Ecclesiastica publica, monachi autem ad  
 contemplatiuam priuatam. Vnde Canonicis Regularibus  
 per se inest Clericatus Monachis autem quasi per accidens.  
 Nauarrus comment. 4. de regularibus, num. 1. Hinc oritur  
 quod vita monachorum regulariter, seu ex suo genere sit  
 austerior, quam canonicorum, in his quæ pertinent ad cor-  
 poris tractationem, vt sunt victus, vestitus, lectus, & simi-  
 lia. Suarez *ibid.* n. 9. licet quoad essentiam, & substan-  
 tiam suam religio canonicorum videatur perfectior quam  
 monachorum, ratione perfectioris finis iam assignati.  
 Idem Suarez 4. to. de relig. tract. 8. lib. 3. c. 10. n. 7. Differt  
 autem illorum institutum à Mendicantium, quod mendic-  
 antium Ordinum finis, vt dixi c. 1. n. 10. est vacare tam  
 actiua, quam contemplatiua vitæ sub exercitijs vtriusque  
 Canonici verò finis non videtur includere aliquid de  
 actiua vita, vel si illam includit, solūm est secundario, &  
 minus principaliter. Differt autem eorum finis, seu sco-  
 pus, à scopo, & fine clericorum regularium, quia etiam si  
 isti ad diuinum quoque cultum in diuinis ministerijs, & of-  
 ficijs detineantur, sed id est ad modum simplicium clericor-  
 um, & in simplici Ecclesia, vel simplici Superiori, non ad  
 modum dignitatum, vel quasi dignitatum in Ecclesijs Ca-  
 thedralibus, & sub Superioribus dignitatem specialem ha-  
 bentibus, prout contingit in canonicis. Suarez 4. to. de  
 relig. tract. 9. lib. 1. cap. 8. num. 10.  
 8 Hinc etiam regulariter loquendo licitus est transitus  
 ex canonicis regularibus ad Monachos, seruatis tamen  
 ijs de quibus egimus to. 1. c. 22. est enim vt diximus Religio  
 Monachorum austerior, & strictior, quam canonicorum,  
 vt etiam habetur in c. quod Dei timorem ad finem de statu  
 monach. Nec obstat quod in c. mandamus 19. q. 3. probi-  
 beantur canonici professi transire ad monachos. Quoniam  
 vt Glossa explicat id locum habet in ijs Canonicis qui leui-  
 tate animi, aut temeritate, aut facultate non petita tran-  
 sire volunt. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 22.  
 §. 6. queritur. Sanch. lib. 6. in Decalog. c. 7. n. 21. Nisi di-  
 catur cum alijs ideo prohibitum in illo c. transitum cano-  
 nicorum ad monachos. quia eorum religio videatur perfe-  
 ctior, & habere perfectiorè finè, qui est ministerijs diuinis  
 vacare, vt diximus, etiamsi sit minus stricta, & austerà  
 v. Nicolaū à Iesu in sua Apologia proposuit. 61. & Laym. in

- Theolog. moral. lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 11.*
- 9 Ordo Canonicorum Regularium præcedit Monachis tum quia sunt clerici, qui Monachis præcedunt, tum ex sententia Romæ à D. D. Cardinalib. super hac controuersia data, & à Pio IV. confirmata. Nauar. in comment. 4. de regularib. Barbofa in Collect. Bull. ver. Canonici regul. 15.
- 10 Gaudent pluribus privilegijs à Sede Apostolica illis concessis. Primo enim Sixt. IV. in Bulla *Dum ad vniuersos* in 1. tom. Bullar. n. 10. omnia privilegia illis à prædecessoribus Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, & Principibus concessa confirmavit, & approbavit, alijs etiam de nouo concessis, de exemptione à iurisdictione quorumcumque, subsidij, & exactionum præstatione, & alijs immunitatibus. Specialiter eisdem concessit, vt contra bona ipsorum præscribi non possit, nisi spatio 60. annorum. De his, & alijs ipsorum privilegijs Barbofa in Collect. Bullar. verb. *canonici regulares* 15. Deinde Canonici Regulares Lateranenses à Greg. XV. in Bulla *inuncti nobis* 4. tomo Bullar. num. 33. Omnium privilegiorum à prædecessoribus illis concessorum confirmationem obtinuerunt, dummodo tamen &c. & communionem gratiarum, & privilegiorum congregationis Cassinensis, & congregationis canonicorum regularium S. Saluatoris Bononiensis. Barbofa vt sup. ver. *Canonici regulares Lateranenses* 16. Item canonici regulares Præmonstratenses à Ioane XXII. in Bulla *In Apostolica* in 1. tom. Bull. Rodriguez inter Bullas Ioan. XXII. num. 4. à solutione decimarum exempti sunt, & à Greg. XIII. in Bulla *Romanus Pontifex* in 2. tom. Bullar. eiusdem Rodriguez Bulla XV. confirmationem privilegiorum Ordini concessorum obtinuerunt, quatenus tamen &c. Insuper à Clem. VIII. in Bulla *Romanus Pontifex* in 2. tom. Bullar. prædicti Rodriguez num. 20. confirmationem privilegiorum Ordinis, & communicationem privilegiorum Ordinis Cisterciensium habuerunt. Præterea canonici regulares S. Saluatoris à Greg. XII. in Bulla *Exiit nostræ* in 1. tom. Bullar. num. 2. privilegijs Ordinis Eremitarum S. Augustini, & canonicorum regularium decorati sunt. Alia etiam privilegia habuerunt à Julio II. Constituit. XXX. Quibus etiam postmodum à S. Congregatione concessum est vt posse bitreto nigro loco albi. Barbofa in collect. Bullar. verb. *Canonici Regulares S. Saluatoris* n. 18. Demum canonici Regulares S. Crucis Conimbricensis præter alia privilegia id specialiter habent, vt veniant appellatione eorum, qui in stricta clausura viuunt ad effectum ne ad publicas processiones accedere cogantur. Ob decretum S. Congregationis Concilij. *Armenariæ in additionibus ad recopilat. legum Nauarræ* lib. 1. tit. 14. lib. 24. §. 3. de processione. n. 6. Barb. in collect. Bullar. verb. *Canonici regulares S. Crucis Conimbricensis* 19. vbi etiam alia de ipsis.
- 11 Prohibentur hi canonici medicinam, vel leges audire, iuxta dicta to. 1. c. 9. n. 3. Hoc enim ius, vt testatur Glossa in cap. quod *Destimorem* in verbo *laxiori*, de stat. Monac. locum habet in canonicis regularibus perinde ac in Monachis. Azor. to. 1. instit. moral. lib. 12. c. 22. §. 5. queritur.
- 12 Prohibentur etiam munus aduocati exercere, iuxta dicta to. 1. c. 9. n. 12. ex c. ex parte de postulando. præsertim quia tam indecens hoc apparet respectu canonicorum Regularium, quam respectu Monachorum. Azotius tom. 1. instit. mor. lib. 12. cap. 22. §. 5. queritur. Hoc tamen intellige, si non ad sint duæ conditiones, scilicet, præceptum Superioris, & vtilitas Monasterij, illis enim concurrentibus poterunt canonici munus aduocati exercere, vt colligitur ex d. cap. ex parte de postulando. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 13. à num. 1. cum seqq.
- 13 Inbentur in vna domo habitare, ad mensam communem edere, & sub eodem tecto dormire. Colligitur ex capit. *quoniam de vitas, & honestate Clericorum* Glossa ibi. Azotius to. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 22. §. quinto queritur.
- 14 Obligantur etiam secundum quosdam sicut Monachi ea parte Clementinæ ne in agro de statu Monachorum §. *sanè singulis* quæ sic habet [sanè singulis mensibus tam in Monasterijs, quam extra sub lata occasione quacumque ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi, & in prima Dominica mensis cuiuslibet in Monasterijs semper communent nisi ex causa forte, quam Abbati, Priori, aut Penitentiarijs Monasteriorum non differant intimare, eorumque iudicio, vel abstineant, vel ac-

cedant. Regula quoque eum in Capitulo legitur ab illo qui præest, vel ab alio cui hoc ipse iniunxerit, propter iuniores vulgariter exponatur. Nouitjs etiam fidelis deputetur instructor, tam in diuinis officijs, quam in obseruantia Regulari. ] Hæc omnia vim, & locum habere in Canonicis Regularibus ait Oldradus consil. 222. quem sequitur Azotius tom. 2. instit. moral. lib. 12. cap. 22. §. 5. queritur. Non videntur autem ad id maiori obligatione, quam ipsi Monachi astringi, sed æquali, vel simili, ac proinde eodem modo philosophandum de illis, ac cap. præc. num. 34. dictum manet.

- 15 Non est huiusmodi Canonicis interdictum comedere carnes, neque etiam eo modo, quo de Monachis dixi cap. præc. n. 33. Quia Canonicorum Religio non petit illas austeritates. Azotius tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 22. §. 6. queritur.
- 16 Possunt habere, & de facto habent huiusmodi Regulares Canonici beneficia Regularia à Prælati sui Ordinis concessa. De quibus qualiter conferantur, an sint vel non manualia, an in titulum, an duo simul eidem dari possint, & alia huiusmodi, dicimus in cap. 2. loquendo de Monachis, & dicemus cap. 18. Nota tamen prohibitionem Sac. Congregationis sub Gregor. XIII. quam afferro ibidem num. 12. specialiter loqui de Canonicis Regularibus, ita scilicet, vt illis non liceat habere curam animarum, aut beneficium curatum etiam ad tempus sine licentia Papæ, Lauterus de Franchis in controuers. Episcop. & Regul. in quest. 986. [Nihilominus valde animaduertendum Gabrielem Pennotum lib. 2. Histor. Tripart. Canon. Regular. cap. 72. contendere non obstante relata declaratione Sac. Congregationis sub Gregorio XII. posse Canonicos Regulares assumi ad beneficia sæcularia Curata cum sola licentia suorum Superiorum. Eo quod præfata declaratio Sac. Congregationis sub Gregorio non fuit promulgata, aut inter præfatos Canonicos fuit practicata. Vnde Rota in vna Papiensi Iuris patronatus 6. Martij 1598. coram Seraphino, determinauit oppositum: similiter S. Carolus Borromeus Canonicum quendam Regularem post dictam declarationem ad Ecclesiam quandam Parochialem sæcularem assumpsit, & Sacra Congregatio de anno 1602. declarauit: *Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia curata secularia, nisi fuerint ex ijs translatis, de quibus in cap. 11. sess. 14. Concilij Tridentini.* Hæc & alia præfatus Pennotus & Tamburinus de Iure Abbatum tom. 3. disp. 9. quest. 8. afferens etiam consilium Vicentij Parentij Iuris consulti super hac re. Audio etiam plures ex istis Canonicis in varijs Italiæ locis huiusmodi beneficijs secularibus seruire ab Episcopis in hoc munere constitutos.]
- 17 Accipientes autem, vel tenentes aliquod beneficium requirens residentiam in eo residere tenentur, vt ex multis canonibus elicitur cap. 1. 18. quest. 1. cap. licet olim de privileg. cap. ne pro cuiuslibet 16. quest. 1. cap. si quis iam translatus c. 25. q. 2. Clement. ne in agro §. sane de stat. Monach. Rodrig. to. 3. q. Regular. q. 53. artic. 3.
- 18 Religiosi canonici Ecclesiæ cathedralis regularis capaces sunt vt sint delegati ad exequenda litteras Pontificis, vel eius Legati quæ à personis in dignitate constitutis, vel canonicis Ecclesiæ cathedralis sunt necessariò exequenda, iuxta cap. statutum in principio de rescriptis in 6. Ratio est, quia cum ipsi sint veri canonici, nomine canonicorum veniunt maximè in fauorabilibus, alias ratione religionis eorum conditio deterior esset. Abbas cap. eausam qua n. 9. de iudic. Sanch. lib. 6. in decalog. c. 13. n. 83. Quod etiam intelligit casu quo Monachus ex legitima dispensatione esset canonicus Ecclesiæ cathedralis sæcularis, propter eandem rationem.
- 19 Possunt etiam ad eas dignitates extra Ordinem promoueri, ad quas, & Monachi, iuxta dicta c. præc. n. 4. Id tamen maximè notandum, quod licet iure antiquo cap. quod *Destimorem* secularia beneficia curata obtinere possent, dummodò si commodè fieri posset, socium regularem secum haberent, Syluester verb. Religio 7. quest. 3. & Lessius lib. 2. cap. 41. num. 98. propter dicta tamen cap. præcedenti num. 12. ex decreto Sac. Congregationis, & praxi Curie Romanæ ad id requiritur Sedis Apostolicæ licentia. Vide pro hac praxi Gonzalez de mensib. & alterna-

tua Episcop. gloss. 7. a num. 53. Iuxta quæ Episcopus Monachos, & regulares canonicos, si absque tali licentia ad Parochias seculares suo monasterio non vnitas promoti sint, inde remouere potest. Layman in Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 3. num. 11. Possunt tamen isti canonici sicut, & monachi, iuxta dicta dicto cap. precedenti, de licentia suorum Superiorum, promoueri ad quamcumque dignitatem supremam siue Episcopalem, siue etiam Papalem, præfecturam Collegij, regimen Hospitalium, munus Vicarij Episcopalis, & Episcopi coadiutoriam. Neque enim video rationem cur Monachis id liceat non autem canonicis regularibus, præferim cum isti minus austeram vitam profiteantur quam Monachi.

- 20 Canonici regulares Ecclesiarum cathedralium professionem fidei facere debent, iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 24. cap. 12. alioquin fructus non faciant suos nec illis possessio suffragetur, prout in eodem Concilio ibidem dicitur. Barbosa de Offic. & potest. Episcopi allegat. 61. n. 6. Forma autem huiusmodi professionis assignata fuit à Pio IV. in Bulla *Insumtum nobis*, quam affert Sorbus in fine *Compendij priuileg. Mendic.*
- 21 Prohibitio illa compaternitatis, seu compatrinatus de qua tom. 1. cap. 9. num. 21. etiam extenditur ad canonicos regulares, ita vt illi (sicut nec alij religiosi) non possunt esse compatrini. Et si enim hoc munus solum interdicitur monachis cap. non licet. & cap. Monachi de consecrat. dist. 4. & cap. peruenit 18. quest. 2. tamen quia quoties leges disponentes de Monachis fundantur in Religione, & non continent aliqua verba, quibus excludantur canonici, comprehenduntur ipsi canonici, ideo in hac etiam prohibitione comprehenduntur. Nauarrus *Commentar. 4. de Regularibus num. 65.* Rodrigu. 10. 1. quest. Regul. q. 31. art. 2.
- 22 Comprehenduntur etiam in communi illa prohibitione religiosi facta de non admittendo fœminas intra monasteria, de qua tom. 1. cap. 10. num. 9. Lex enim, finis, & ratio legis illos comprehendit. Nauarr. *Comment. 4. de regularibus. n. 65.* Rodrig. 10. 1. quest. Regul. q. 48. art. 4. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 17. n. 31. Si tamen canonicus aliquis regularis in domo aliqua priuata etiam monasterio contigua habitaret, tunc mulier honesta, ac suspitione carens illi posset in ea domo inseruire, quia nullus est textus id interdicens, nec illa domus est verè Monasterium. Nauarrus, Rodrig. & Sanchez relati.
- 23 Pari etiam ratione comprehendendi videntur in prohibitione de non assistendo agitationibus taurorum fieri solitis, maxime in Hispaniarum Regnis, de qua tom. 1. c. 10. n. 7. præsertim propter illa verba Clement. VIII. *Ceterisque cuiuscumque Ordinis, & instituti Regularibus*, quæ etiam tangunt canonicos istos, cum verè Regulares sint. Rodrig. 10. 2. quest. Regularium quest. 68. art. 3.
- 24 Quamuis autem propter eandem rationem videretur ipsis prohibitum arma tenere sine licentia Abbatis intra septa Monasterij, & incidere in excommunicationem Clement. *ne in agro*, de qua tom. 1. cap. 9. num. 27. Nihilominus graues Doctores asserunt ipsos hac prohibitionem non comprehendendi, forsan quia non ita illis hoc indecens videtur sicut monachis. Glossa in dict. Clem. Nauarr. in Man. c. 27. n. 139. Toletus in summa lib. 1. cap. 39. n. 6.
- 25 Expressus tamen est illis prohibitum munus Procuratoris obire, nisi duabus conditionibus concurrentibus, scilicet Superioris licentia, & vtilitate monasterij. Cum enim cap. Monachi el. 2. 16. quest. 1. Monachis id prohibitum esset, & aliqui Canonici Regulares non de illis, sed tantum de Monachis id intelligi debere dicerent, Innocentius III. in cap. 2. de postulando expressè determinat idem iudicium habendum esse de Canonicis, ac de Monachis quantum ad præsens. Idem enim constat ex Clement. Religiosus. Sylu. verb. aduocatus q. 6. Sanchez lib. 6. in Decalog. c. 13. num. 1. Illis autem conditionibus concurrentibus poterunt procurare nedum in foro Ecclesiastico, sed etiam in seculari, vt colligitur ex cap. 1. & 2. de postulando. Sanch. vt supra num. 4.
- 26 Nec tantum non possunt huiusmodi Canonici munus Procuratorum exercere, nisi concurrentibus dictis conditionibus, sed neque possunt Procuratorem constituere, aut substituere, etiam si per constituentem hoc sibi expressè fuerit Summa Lezana. Tom. II.

commissum. Ita n. deciditur in Clement. Religiosus. Fundatur hæc decisio in eo quod Religiosus non habet velle, aut nolle, substituere autem est actus substituentis. Si autem adsit Superioris licentia possunt prædicti canonici Procuratorem constituere, aut substituere. Ita enim colligitur ex prædicta Clement. Cum autem ibi nihil dicatur de vtilitate Monasterij sicut dicitur in prohibitione num. precedenti adducta de munere Procuratoris non obeundo, videtur non requiri, & ita sine illa solum cum licentia Superioris posse id fieri. Glossa in Clement. Religiosus verbo substituere. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 13. n. 12.

- 27 Canonici Congregationis S. Saluatoris præceptum est à Pio V. in sua Constitutione, quam confirmauit Greg. XIII. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac priuationis perpetuæ vocis actiue, & passiuæ ne per sex menses ante electionem aliquis audeat pro se, vel pro aliquo quemquam subornare, vt refert Castellinus de elect. can. Pralat. cap. 6. num. 9. De qua autem subornatione id sit intelligendum, vide dicta tom. 1. c. 15. n. 24. & dicenda hoc tom. 2. c. 12. n. 31. 32. & 35. Quod dixerim, quia si in hac constitutione solum prohibeatur huiusmodi canonicis subornatio, potest intelligi de subornatione praua, & iniqua de qua dictis locis, non autem de bona, & honesta, de qua etiam ibidem. Si autem prohibeatur aliquis alius sermo, tractatus, aut ratiocinatio de electione futura, etiam comprehendetur bona, & honesta subornatio, quia ante prædictos sex menses non credatur conueniens. Mihi autem legere non licuit prædictam Constitutionem, & ideo sub hac distinctione loquor.
- 28 Declaratum est à Sac. Congregat. Eminentiss. DD. Cardinalium, canonicum regularem iussu sui Superioris degentem in ædibus Parochialis Ecclesiæ Congregationi vnitate, in qua curam animarum exercet, & Sacramenta administrat, si delictum non concernens curam animarum, nec administrationem Sacramentorum commiserit, non posse ab Episcopo puniri vigore decreti Concilij cap. 3. sess. 6. de reform. quasi extra Monasterium degat. Item, canonicos regulares curam animarum exercentes in Ecclesijs vnitis eorum Monasterijs, non posse ab Episcopo compelli ad interessendum diuinis Officijs, quæ diebus Sanctorum Patronorum Ciuitatis in Ecclesia Cathedrali celebrantur. Item canonicos regulares non teneri associare, & excipere Abbatem ex eius domo, dum ad Ecclesiam venit solemniter celebraturus. Barbosa in Collectan. Bullar. verb. Canonici Regulares 15.
- 29 Præterea declaratum est à S. Congregatione posse Episcopum ex decreto Concil. Trident. sess. 7. cap. 7. de reformatione Ecclesias Parochiales vnitas Monasterio canonicorum regularium visitare, tamen si Generalis in eo sedem ordinariam principalem habeat. Armendariz in additionib. ad recopilat. leg. Nauar. lib. 1. tit. 6. lib. 7. §. 2. n. 2. Barb. in Collect. Bullar. verb. visitare Episcopus quando possit Ecclesias, & loca Regul. 2. Per quod videtur limitata, vel moderata doctrina generalis tradita tom. 1. c. 11. n. 9.

SVMMARIVM CAP. IV.

- Clericorum Regularium nomine qui intelligendi. n. 1.  
 Plures ipsorum Ordines. ibid.  
 Sunt verè, & essentialiter Religiosi. n. 2.  
 Eorum institutum quale. ibid.  
 Qualiter differant à Monachis, & Mendicantibus. ibid.  
 Eorum Religio ex parte finis perfectior videtur sine Monachorum. n. 3.  
 Nihilominus, quia Monachismus austerior est, ideo ad illum transire possunt Clerici Regulares iure communi. ib.  
 Non comprehenduntur in iure quoad odiosa, & pœnalia, nomine monachi, aut Fratrum, bene tamen nomine Religiosorum, seu Regularium, seu Clericorum. n. 4.  
 An ea, quæ de Canonicis Regularibus dicuntur eis accommodentur. ibid.  
 Non tenentur iure communi abstinere à lineis indumentis. num. 5.  
 Nec etiam à carnibus. n. 6.  
 Abstinere tamen debent ab officio aduocandi, & quomodo. num. 7.  
 A mercatura etiam, & similibus negotiationibus. n. 8.

- Hæc obligatio videtur sub mortali. *ibid.*  
 Quid de negotiationibus per alios. *ibid.*  
 Aliqui illorum obligantur specialibus votis. n.9.  
 Clerici Societatis Iesu sex alia emittunt. *ibid.*  
 Clerici Regulares Minores quartum votum emittunt. *ibid.*  
 Clerici Regulares ministrantes infirmis alia etiam vota emittunt. *ibid.*  
 Votum Iesuitarum de obediendo Summo Pontifici qualiter intelligendum. n.10.  
 Votum de non permittenda relaxatione paupertatis in Societate quomodo accipiendum. n.11.  
 Item votum de non pretendenda prelatione, aut dignitate in Societate quomodo obliget. n.12.  
 Similiter de voto non procurandi dignitatem extra Societatem. num.13.  
 Votum de denunciando ambientes ad quid extendatur. n.14.  
 Votum de audiendo Generali etiam extra Societate. n.15.  
 Votum Clericorum Minorum de non petenda Prelatura quomodo sumendum. n.16.  
 Votum Clericorum ministrantium infirmis de perenni ministerio egrotorum qualiter intelligendum. n.17.  
 De alijs votis huius Religionis. n.18.  
 Gaudent Clerici Regulares multis privilegijs. n.19.  
 Theatini quibus privilegijs decorantur. *ibid.*  
 Iusita quibus etiam privilegijs decorati sint. n.20.  
 Quomodo intelligenda. *ibid.*  
 Exempti sunt ab aliquibus obligationibus aliorum Regularium. n.21.  
 Comprehenduntur tamen in alijs. *ibid.*  
 Clericorum Regularium S. Pauli decollati approbatio, & privilegia. n.22.  
 Quomodo ea intelligenda. *ibid.*  
 Clericorum Regularium de Somascha approbatio, & privilegia. n.23.  
 Clericorum Regularium ministrantium infirmis privilegia. num.24.  
 Clericorum Regularium Minorum privilegia, quæ sint. n.25.  
 Clericorum Regularium Matris Dei Lucæ approbatio, & privilegia. n.26.  
 Clericorum Regularium Scholarum piarum institutum, & privilegia. n.27.

## De Regularium Clericorum iuribus privilegijs, & obligationibus.

### Cap. IV.

- 1 **C**lericorum Regularium nomine intelligimus eos quorum institutum est diuinis ministerijs vacare non solum in communi viuendo, sed etiam tria vota essentialia Religionis emitendo sub habitu tamen clericali. Suarez *tom.4. de Relig. tract.9. lib.1. cap.7.* Hi dicuntur à tempore Apostolorum instituti, & vique ad hæc tempora propagati maximè per Canonicos Regulares, qui etiam sunt Clerici Regulares. Ioannes Trullus *lib.1. de Ordine Canonico. Regul. cap.2. & 3.* Nauatrus in *Comment.4. de Regularibus num.3.* Illorum plures species his temporibus magna cum Ecclesiæ utilitate institutæ, ut sunt, Theatorum, Iesuitarum, Sancti Pauli Decollati, Somaschorum, Ministrorum infirmorum, Clericorum minorum, Clericorum Matris Dei Lucæ, & Scholarum piarum.
- 2 Sunt verè proprie, & essentialiter Religiosi, cum omnes tria vota essentialia Religioso statui emittant, & sub aliqua regula, vel saltem constitutionibus ab Ecclesia approbatis. Eorum institutum qua Clerici Regulares sunt est vacare diuinis ministerijs, seu officijs. Per quod differt à Monachismo, cuius scopus solum, est, iuxta dicta c. precedentiium. vacare quieti, silentio, solitudini, & orationi. Vnde Clericatus per se conuenit huiusmodi instituto, monachismo autem, non nisi per accidens, iuxta *ibid. dicta. S. Th. 2. q. 189. art. 8. Suarez. 4. to. de relig. tr. 9. li. 1. c. 7. a. n. 5.* Mendicantium autem ab instituto differunt, quod mendicantes ex fine proprio ad vitam contemplatiuam, & actiuam ordinantur, Clerici autem Regulares, qua Clerici sunt, solum ad contemplatiuam, quæ est in vacando diuinis ministerijs, etsi prout de facto contingit, vtramque rationem, seu vi-

tam amplectantur, propter diuersa eorum instituta particularia, de quibus infra.

- 3 Eorum Religio licet ex se perfectior videatur religione Monachorum, cum illi ad altiorem, & diuiniorem finem ordinentur, quam isti, si quidem Clerici Regulares ex vi sui generis ad diuinum cultum, monachi autem, ad solitudinem, silentium &c. Nihilominus, austerior, & strictior est Religio Monachorum, quam Regularium Clericorum Suarez *tom.4. de Relig. tract.9. lib.1. cap.7.* Vnde si iuxta dicta secundum probabilem sententiam *tom.1. cap.22. n.5.* eo ipso quod vna Religio est strictior alia, est etiam illa perfectior, admitti posset transitus ex Religionibus clericalibus ad monachales saltem iure communi, & seclusis privilegijs, & prohibitionibus particularium Ordinum, seruatis tamen conditionibus eo loco assignatis. Vide ibi dicta præsertim n.6. Maxime notandum, quod cum in Religionibus monachalibus prout hodie sunt in Ecclesia, repetiatur etiam Clericatus, & vacare diuinis ministerijs in Choro, & Ecclesia, & ex alia parte etiam maiores austeritates, quam in Clericalibus, certius videtur posse, ut dixi, iure communi, & seclusis privilegijs, & prohibitionibus particularibus, transitum esse ex ijs ad illas.
- 4 Vnde Clerici Regulares non censentur in iure comprehendendi nomine Monachorum, saltem quantum ad poenalia, & odiosa, imò ab illis distinguuntur, ut patet 16. q. 1. præsertim *can. 16.* ut dicitur, *Alia causa est monachi, alia Clerici.* Idem dico de nomine Fratrum, quia illud Monachis vulgò accomodatur, non Clericis. Suarez *4. tom. de Relig. tract.9. lib.1. cap.7. n.10.* Comprehenduntur autem nomine Religiosorum, seu Regularium, cum verè Religiosi, & Regulares sint. Imò cum Clerici sint, etsi Regulares, comprehenduntur sub dispositionibus factis in iure pro Clericis, quia esse Regulares non est additum diminuens, sed potius augens obligationes Clericorum. In fauorabilibus, autem, & in his quæ respiciunt substantiam, vel decentiam status Religiosi, nomen monachorum extenditur etiam ad illos, sicut dictum est de Canonicis Regularibus capite præcedenti num.6. S. Thom. *opuscul. 19. cap.2.* Suarez *vi supra.* Ea etiam, quæ in iure Canonice Regularibus dicuntur, non videntur extendenda ad Clericos Regulares, nisi quatenus disponunt de re, quæ solum fundatur in Religioso statu Clericali, quatenus talis est, vel continet fauorem Religionis, ut sic. Suarez *vi supra cap.9. numero decimo tertio.*
- 5 Hinc huiusmodi Clerici Regulares non tenentur sicut Monachi abstinere à lineis indumentis, etiam si in iure hoc præcipiatur Monachis *cap. cum ad monasterium de statu monachorum.* Etenim huiusmodi austeritas non est ita expediens Clericis sicut Monachis, iuxta dicta capit. precedentiium numer.7. & 15. Quod etiam supponit S. Thom. *opuscul. 19. c.2.* Suarez *4. to. de Relig. tract.9. lib.1. c.7. n.9.*
- 6 Similiter nec tenentur abstinere à carnibus etiam si hoc quoque præcipiatur Monachis dicto *cap. cum ad monasterium de statu monachorum.* Etenim nec huiusmodi austeritas viuendi necessaria est Clericis quantumuis Regularibus: Cuius signum est, quod nec in Regula S. Augustini, nec in alia Regularium Clericorum (quod sciam) talis abstinentia præcipitur. Suarez *4. to. de Relig. tract.9. lib.1. c.7. n.9.* Vide dicta de Canonicis Regularibus cap. præc. n.15.
- 7 Abstinere tamen debent ab officio aduocandi, iuxta dicta de eisdem Canonicis Regularibus *cap. præcedenti num. 12.* & ita id habet expressè de eisdem Canonicis S. Thom. *opuscul. 19. cap.2.* & ratio esse potest quia huiusmodi prohibitio fundatur in decentia status Religiosi Clericalis, ac proinde etiam expressè solum detur de canonicis *in c. ex parte de postulando,* extendi etiam debet ad Clericos Regulares. Hac enim ratione hæc eadem prohibitio, quæ solum data erat pro Monachis 16. q. 1. *cap. Monachi el. 2.* extensa fuit a Papa ad Canonicos Regulares in dicto *cap. ex parte.* Hoc tamen intellige si non aduocentur duæ conditiones ibi assignatæ, & 10. 1. c.9. num. 12. videlicet utilitas Monasterij, & Abbatibus imperium.
- 8 A mercatura etiam, & similibus negotiationibus omnino abstinere debent, iuxta dicta *tom.1. cap.9. numer. 39.* & præter ibi dicta, quod hæc obligatio sit sub peccato mortali, nisi paruitas materie aliquando excuset, constat ex verbis Gelasij Papæ *in cap. consequens distinct.*

88. ubi postquam aliquos Clericos huic vitio deditos esse narrauit subiunxit. [Proinde huiusmodi, aut ab indignis post hac quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio, cupiditateque cessandum, aut in quocumque gradu sint positi, mox a Clericalibus officijs cogantur abstinere, quoniam domus Dei domus orationis, & esse, & dici debet, ne per officia negotiationis potius sit latronum spelunca.] Quibus acerbis verbis, & pœna graui depositionis quam imponit, satis insinuat hoc esse peccatum mortale. Quod idem dico de pœna excommunicationis, vel simili, quæ in alijs Canonibus imposita est propter hoc crimen, præcipue de pœna degradationis quæ imponi videtur propter idem *in cap. Clericus dist. 91.* huiusmodi enim pœnæ etiam si solum dicantur infingenda, solum propter peccatum mortale designari solent. Negotiantes autem, seu mercaturam exercentes per alios, excusari poterunt probabiliter cessante scandalo, à peccato mortali, cum lex non videatur esse contra illos. Quo sensu accipiendi sunt aliqui Auctores id doceres apud Dianam *tract. 8. de contract. & cambijs resol. 72.* Licet à veniali peccato, propter indecentiam, distractionem, periculum cupiditatis, & peccandi contra paupertatem, quæ in tali exercitio quasi necessariò reperitur, excusari vix possint, etiam si per alios negotientur.

9. Obligantur præterea quidam illorum specialibus votis, quæ ultra tria communia alijs Religiosis in professione emittunt. Etenim professi Societatis Iesu, sex à vota emittunt, videlicet obedientiæ specialis erga Summum Pontificem, non permittendæ relaxationis paupertatis, non prætendendi directè, vel indirectè dignitatem, vel prælationem in Societate, non procurandi dignitatem extra Societatem, denunciandi ambientes, & audiendi consilium Generalis, vel alterius ad id deputati, si in Episcopos, vel Præsides alicuius Ecclesiæ eligantur, Clerici etiam Regulares minores, quartum votum emittunt, vt dicitur, de non petendo prælaturam extra Religionem. Clerici autem Regulares ministrantes infirmis plura etiam vota, & inter ea vnum præcipuum emittunt, de perenni ministerio agrotantibus exhibendo. Quorum votorum obligatio, quamuis præcipue ex modo quo in istis Religionibus accipiuntur, & ex eorum Statutis, seu constitutionibus, pensanda sit, ex generalibus tamen principijs discutienda est.
10. Et primò votum Religiosorum Societatis de obedientia Summo Pontifici intelligitur circa missiones ad partes infidelium, vt habetur in Bullis Pontificijs. Ex constitutionibus Societatis. Suar. *4. tom. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 4. num. 4.* Sanchez *de præcept. decalog. lib. 6. cap. 18. num. 1.* Continet autem nouam obligationem extensiuam ultra communem omnium fidelium, nam reliqui fideles non tenentur obedire Papæ mittenti eos ad seminandum Evangelium inter infideles, & ad partes valde remotas, nisi in casu rato, & speciali, in quo necessitas boni communis id postulet. Sanchez *vt supra num. 5.* Dato etiam quòd in illo casu tenerentur seculares obedire Pontifici id præcipienti, hoc non esset ex vi voti obedientiæ quemadmodum Religiosi Societatis, sed ratione iurisdictionis, quam Pontifex in illos habet. Suarez *vt supra n. 22.* Continet etiam hoc votum nouam obligationem ultra communem, quam habent alij religiosi ratione voti obedientiæ ab ipsis emissi, quia et si omnes religiosi teneantur ex vi voti obedientiæ quod emittunt in professione obedire Papæ, tamquam supremo Generali omnium religionum, iuxta dicta *10. 1. cap. 4. num. 3.* id tamen intelligitur, vt ibidem dictum est, in ijs, quæ concernunt Regulam, ite autem ad partes Infidelium ad conuertendos illos, non concernit, saltem regulariter, Regulam, iuxta dicta *eo cap. 4. n. 15.* Ludouicus Lopez *1. part. instructor. cap. 56.* Rodriguez *2. 10. Summ. cap. 9. n. 5. & 10. 3. quæst. Regul. qu. 19. art. 7.* Dato etiam quòd ad id tenerentur Mendicantes ex vi suæ institutionis quia ex institutione sua ordinantur ad actiones circa proximos, iuxta dicta *supra c. 1. n. 11.* non tamen eo modo & cum illis circumstantijs quibus Religiosi Societatis, qui id promittunt se facturos, sine excusatione, non petito vtiaco, quocumque genium &c. Suar. *vt supra à n. 22.* Sanchez *etiam vt supra à n. 5.* apud quos plura alia ad intentum.

11. Deinde votum illud de non permittenda relaxatione paupertatis obligat ad non permittendam relaxationem

circa paupertatem in Societate institutam, quia hæc exprimitur in verbis quibus hoc votum emittunt. Sanchez *lib. 6. in decalog. c. 19. n. 7.* Circa materiam autem illius diffiduum video inter Doctores Societatis. Suarez enim *4. 10. de relig. tract. 10. lib. 6. c. 6. n. 18.* eam extendi dicit ad totam materiam paupertatis, prout cadit sub votum in Societate factum etiam circa collegia, & domos probationis. Sanchez verò *vt supra n. 8.* solum dicit intelligi de paupertate quoad redditus, & bona stabilia domorum professorum. Conueniunt autem, quod si casus esset, attentis circumstantijs temporum, & locorum quòd esset vtilius Societati talem modum paupertatis relaxare, licitè id fieri posset, quia tunc cessaret hoc votum, quia desineret esse melioris boni, imò esset impeditiuum maioris. Suarez *num. 11.* Sanchez *num. 10.* Quando autem Pontifex præciperet dictæ paupertatis relaxationem absdubie admitti deberet, non solum quia tunc vtilior, & conuenientior æstimari deberet. Sed quia Societas non se obligauit ad resistendum Pontifici, sed ad non permittendum quantum est ex parte sua prædictam relaxationem. Sanchez *num. 9.* Si verò Pontifex non præcipiendo, sed indulgendo prædictam relationem inducere vellet motu proprio, probabilius est non posse acceptari à Societate, nam ex vi huius voti videtur se obligasse non solum ad illam non procurandam, sed etiam ad eam ultra oblatam non acceptandam. Sanchez *ibidem contra Suar. num. 16.* Apud quos alia circa hoc.

12. Item votum illud non prætendendi prælationem aliquam, aut dignitatem in Societate obligat hos Religiosos ad nihil faciendum, ea intentione vt prælatio, vel dignitas sic facientibus conferatur: hoc enim exprimitur verba quibus id votum emittunt, videlicet. *Promitto nunquam me acturum, vel præensurum nec indirectè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promouear.* Sanchez *lib. 6. in decalog. c. 18. n. 16.* Vnde non obligat illos ad non desiderandum prælationes, vel dignitates. Quia votum tantum est de non agendo, vel procurando, non est de non desiderando. Vasquez *1. 2. qu. 74. art. 8. disp. 115. c. 13.* Suarez *4. 10. de relig. tract. 10. lib. 6. c. 7. n. 9.* Nec etiam ad non faciendum aliquid quo reddantur capaciores, vel digniores dignitatum, vel prælationum, nisi hoc proueniat ex animo inducendi eum qui possit prælationem dare. Quia nisi hoc animo fiat non videtur ibi esse nec indirectè prælatio dignitatis, vel prælationis. Suarez *n. 10.* Sanchez *n. 19.* Nec etiam obligat ad non auferenda impedimenta quæ obuiare possunt collationi dignitatis, vel prælationis nisi fiat modo dicto, propter eandem rationem. Sanchez *n. 21.* Obligantur tamen ex vi huius voti religiosi Societatis non solum ad fugiendam prætensionem illicitam, & ambitionem prælationum, seu dignitatum, qualis esset illa qua prætenderentur propter excellentiam, & potestatem, sed etiam ad licitam, & aliam honestam, qualis esset illa qua prætenderentur v. g. propter fructum aliorum. Id enim exprimi videtur ex generalibus verbis quibus votum emittitur, & est conforme intentioni Societatis, vt scilicet ambitioni aditus præcluderetur. Suarez *n. 6.* Quid verò per dignitates, & prælationes in hoc voto intelligitur constabit ex dicendis, *cap. 13. n. 2.* & de eo Sanchez *vt supra num. 25.* Suar. *etiam vt supra n. 14.*

13. Præterea votum illud de non procurandis prælatione, aut dignitate extra societatem, imò nec consentiendi in electionem nisi obedientia cogente (ita enim emittitur hoc votum in hac Religione) habet pro materia omnes prælationum, seu dignitatem extra societatem, id est Episcopatum, Abbatiam, Vicariatum generalem Episcopi, & similia quæ important prælationem, & iurisdictionem in foro externo, Cardinalatum etiam, & similia quæ important dignitatem, vel in tota Ecclesia, vel in aliqua particulari. Suarez *4. tom. de relig. tract. 10. lib. 6. cap. 8. n. 1.* Sanchez *lib. 6. in decalog. c. 18. n. 28.* apud quos multa circa hoc votum. Vide dicenda *cap. 13. post num. 4.*

14. Similiter votum illud de denunciando ambientes prælationes, & dignitates habet pro materia omnes ambientes dictas prælationes, & dignitates siue in societate, siue extra illam. Ita enim docet praxis, & vsus huius Religionis. Suar. *4. 10. de Relig. tract. 10. lib. 6. c. 10. n. 2.* Sanchez *lib. 6. in decalog. c. 18. n. 54.* Obligat tantum quando est moralis certitudo de ambitione socij: non solum quia in forma voti dicitur,

dicitur, si quem sciam, quæ verba tertitudinem moralem important, sed etiam quia sine illa iniuria fiet proximo ipsum propalando. Suarez num. 11. Sanchez num. 55. Etiam si delictum sit occultum. Quia bonum commune præponi debet particulari, ambitio autem est graue Religionis detrimentum. Sanchez num. 56. Eo autem casu, quo delictum sit occultum non est deferendum Prælati tamquam Iudici, sed tamquam Patri, iuxta dicta to. 1. c. 27. Si autem constat religiosum esse emendatum, ita ut nullum recidui periculum subsit, non obligat hoc votum denunciandi, iuxta dicta in simili dicto c. 27. num. 2. Quia tunc cessat finis denunciationis. S. Thom. quodlib. 11. art. 13. Syluest. verb. denuncia- tio q. 1. Sotus de secreto membr. 2. quest. 4. post dub. 3. conclus. 4. Multa etiam de hoc votum tangentibus apud Suarez, & Sanchez ut supra.

15 Vltimum votum in Societate Iesu emissum explicatur his verbis. [Promitto si quando acciderit, ut hac ratione in Præsidem alicuius Ecclesiæ promouear, procura quam de animæ meæ salute, ac muneris mihi impositi administratione gerere debeo, me eo numero, ac loco habiturum Præpositum Societatis Generalem, ut numquam consilium audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quiuis alius de Societate quem ad id ipse sibi substituerit dare mihi dignabitur. Consilijis vero huiusmodi ita me paritum semper esse promitto, si ea meliora esse quam quæ mihi in mentem venerint, iudicabo.] Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 18. num. 61. Intelligitur autem hoc votum non tantum circa administrationem reddituum, & aliarum rerum ad prædictam dignitatem pertinentium, sed etiam circa spirituales propriæ personæ progressum. Hoc enim totum includi videtur verbis adductis. Sanchez num. 63. Non tamen videtur ex vi huius voti necessarium petere tale consilium, sed solum ut in verbis allatis exprimitur, audire illud, & sequi &c. Qualiter autem promoti ad dignitatem extra Religionem non subijciantur Superioribus illis dictum est tom. 1. cap. 17. num. 2.

16 Circa votum Clericorum Regularium minorum, videlicet non petendi Prælaturam extra Religionem id solum videtur notandum pro obligatione ipsius, attendendum esse tum ad verba quibus votum emittitur, tum ad usum, & praxim Religionis inter probiores, & doctiores, tum ad particulares Constitutiones, & statuta illius. Forfan etiam ad imitationem Societatis hoc votum emittitur, & ita pari ratione respectiue de ipso loquendum. Vide dicenda cap. 13. post num. 4.

17 Demum votum illud Clericorum Regularium ministrantium infirmis, videlicet, de perenni ministerio ægrotantibus exhibendo, explicandum videtur iuxta normam approbatam à Clem. VIII. in Bulla *Superna dispositione* anno 1600. inter Bullas huius Pontificis num. 75. vbi ponitur forma professionis ipsorum quæ quoad præsens votum est, *perpetuo inseruiendi pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit, secundum formam viuendi contentam in litteris Apostolicis Religionis, & eius Constitutionibus.* Cum autem in Constitutionibus ab eodem Pontifice in dicta Bulla approbatis modus inseruiendi tam spiritualiter, quam corporaliter illis præscribatur, ad illum obseruandum tenentur sub mortali, vel veniali, iuxta quantitatem materiæ, & communem acceptionem Religionis, iuxta dicta tom. 1. cap. 7.

18 Emittunt etiam isti Religiosi quatuor alia vota simplicia videlicet numquam agendi, vel assentiendi ut mutetur, vel alteretur modus ipsi præscriptus inseruiendi ægrotis, numquam dandi operam, aut consentiendi, ut administrationem reddituum, aut Nofocomiorum dominium habeant, non procurandi prælaturas in Religione, aut extra, & manifestandi ambientes illas. Quorum tria similia sunt ijs quæ Societatis Religiosi emittunt, de quibus supra dixi. Aliud vero secundum Generales regulas metiri debet, attendendum ad formalia verba, quibus emittitur, tum ad modum, quo eius obseruancia inter probiores, & doctiores sumitur. Pro hac autem obligatione manifestandi ambitiosos deseruire possunt dicta to. 1. c. 19. n. 34. & c. 27. n. 19.

19 Decorati sunt ab Ecclesia multis, varijsque privilegijs huiusmodi Clericorum Regularium Ordines. Primò enim Theatini approbati sunt à Clemente VII. in Bulla *Exponis nobis* anno 1524. cum facultate Præpositum eligendi,

alios ad Religionem recipiendi, ne non statuta edendi, & corrigendi, ac privilegijs, exemptionibus, immunitatibus Canonicorum Lateranensium donati. Extrat Bulla in 1. tomo Bullarj Laertij Cherubini inter Constitutiones Clementis VII. num. 11. Item idem Pontifex in alia Bulla *Dudum pro parte* in eodem tomo 1. Bullarj inter Constitutum. ipstus num. 38. alia privilegia eidem concessit, videlicet Præpositis ipsorum, ut cum Clericis subditis occupatis prædicationi verbi Dei, audientia confessionum, & Theologiæ, ac Canonum studijs, aut infirmitate, vel infirmorum curatione impeditis, possent dispensare in officio diuino recitando, certum psalmodum, & orationum numerum solum dicendo. De quo privilegio dixi to. 1. c. 12. num. 32. Item super ieiunijs etiam quadragesimalibus, licet in hoc non videam specialem gratiam, propter dicta to. 1. c. 18. num. 55. Insuper omnia privilegia omnium ordinum Fratrum tam Mendicantium, quam non Mendicantium concessa, & concedenda illis communicauit. Postea Pius V. in Bulla *Ad immarcescibilem* an. 1567. plura ipsorum privilegia confirmans, alia etiam elargitus est, & inter ea quod ad processiones cogi non possent instar aliorum qui in strictiori clausura viuunt. De quo dixi to. 1. c. 1. num. 47. & in hoc 2. tom. cap. 1. num. 50. Declaratum etiam dicitur à Sac. Congregat. Concilij quod ipsorum Religio quamdiu bona stabilia non possidet, non comprehenditur decreto de non alienandis bonis Regularium, de quo tom. 1. cap. 10. num. 2. Sed cum in illo decreto non solum prohibeatur alienatio bonorum stabilium, sed etiam mobilium prætorum, si prædicta declaratio extenditur ad bona mobilia prætorum, specialem gratiam continet, si autem solum ad stabilia, cum illi ipsa non possideant, nihil gratiæ continere videtur. Dicitur etiam à Sac. Congregatione approbatam istorum Patrum consuetudinem de non accipiendo pluuiali à principio Vesperatum, sed solum à Capitulo, sed non illam de non faciendocommemorationem de Patrono Ecclesiæ. De illis Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 3. art. 14. & Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares, Theatini.*

20 Clerici Regulares Societatis Iesu, seu Patres Iesuitæ, approbati primum fuerunt à Paulo III. in Constitut. *Regimini* anno 1540. in 1. tomo Bullar. inter Constitutum. huius Pontificis num. 25. Deinde à Iulio III. in Constitut. *Exposcit debitum.* Amplissimis privilegijs decorati sunt à Paulo III. anno 1545. in Bulla *Cum inter cunctas* in Bullario Rodriguez tom. 2. inter Bullas huius Pontificis num. 7. videlicet circa facultatem concionandi in quibusvis Ecclesijs, locis, ac plateis communibus, seu publicis, de qua vide dicta tom. 1. cap. 20. num. 5. Sed aduerte hanc facultatem solum concedi deputatis ad id munus per Generalem pro tempore existentem non autem deputatis per alios prælatos. Circa facultatem audiendi confessiones. De qua eodem tom. 1. cap. 19. num. 2. dictum est non subsistere nisi præmissa approbatione Ordinarij, & sic etiam declaratum dicitur à Sacra Congregatione Concilij. Barbosa in *collectan. Bullar. verbo Clerici Regulares Societatis Iesu.* Circa facultatem absoluedi ab omnibus casibus, exceptis contentis in Bulla Cænæ Domini. De qua etiam dicto c. 19. à num. 15. dixi, qualiter moderata sit ijs temporibus. Item circa facultatem commutandi vota, de quo dixi eodem c. 19. num. 23. Præterea circa facultatem dicendi Missas ante diem, circa tamen diurnam lucem, & infra horam post meridiem. De qua etiam to. 1. c. 21. num. 2. dixi, & nunc dico reuocatam propter decretum Sacre Congregationis ibi adductum si tamen aliquid privilegijs contineat, prout dicunt aliqui de simili concessione illis à Gregor. XIII. facta de qua infra, hanc autem concessionem non facit Pontifex Paulus absolute nisi quando, & quoties stante legitimo impedimento, moderno, & pro tempore existenti Præposito vestro, id necessarium, vel alias in Domino expedire visum fuerit. Maximè idem Pontifex Paulus III. in Bulla *Lacet debitum* in 1. tomo Bullar. Laertij inter Bullas huius Pontificis num. 48. & in Bullario Rodriguez tom. 2. Bulla 8. diuersa privilegia, & indulta S. Ignatio Loyola eo tempore Generali, suisque successoribus, ac alijs eiusdem Religionis alumnis concessit. Postea Pius V. in Bulla *Dum inde fesse* anno 1571. in 2. tomo Bullar. Laertij num. 131. & in Bullar. Rodriguez to. 2. num. 5. declarauit Societatem Iesu, seu

seu ipsorum Ordinem unum ex Mendicantibus esse, eorumque gratijs, & privilegijs concessis, & concedendis perfrui. Item Gregor. XIII. precipuus huius Religionis promotor in Bulla *quacumque* anno 1576. in 2. tomo Bullar. num. 36. ipsos exempt ab onere accedendi ad processiones, & in Bulla *Saluatoris* eodem anno, & in eodem 2. tomo, num. 39. ubique Ecclesias, & domos edificare permisit, non obstante privilegio alijs Ordinibus concessis, & concedendo quod propè eorum loca noua Monasteria construere queant. A solutione, & præstatione decimarum, & onerum illos etiam exempt Pontifex Gregor. in Bulla *Pastoralis officij* in 2. tomo Bullar. num. 51. Aduertit tamen Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici Regular. Societatis Iesu*. Leonem XI. modificasse hanc concessionem circa decimas prout de Iure, & Gregorius XV. reduxisse ad terminos Constitutionis Gregor. XIII. ac tandem SS. Dominum Nostrium Urbanum VIII. Constitutionem Leonis seruari voluisse nisi quatenus de Iure, vel consuetudine exempti reperiretur. Item idem Gregor. XIII. in Bulla *Aequum reputamus* inter Constitutione ipsius num. 1. & in 2. tomo Bullar. Rodriguez num. 18. amplissimam facultatem illis concessit circa Iudices. Conseruatores, de qua latè in hoc 2. to. c. 10. dicitur. Item in Bulla *Vnigeniti Dei &c.* in 2. tomo Bullar. Rodriguez num. 19. facultatem illis tribuit medendi citra aduersionem, & incisionem per seipos faciendam, de suorum Superiorum licentia, quando Medici seculares commodè haberi non possunt. De quo dixi to. 1. cap. 9. num. 15. Sed aduerte ibi errorem, non enim debes legere *citra aduersionem, & combustionem*, vt ibidem ex Sanchez transcripti, sed *citra aduersionem, & incisionem*, vt habet Bulla. Item in Bulla *Apostolica Sedis* in 2. tomo Bullar. Rodriguez n. 20. facultatem eisdem concessit alienandi bona ipsorum. Sed tu vide decreta Sacre Congregationis Concilij, & adducta tom. 1. cap. 10. n. 2. & sequentibus, & adducenda hoc 2. tom. cap. 19. Præterea in Bulla *Quantam vnica* in 2. tomo Bullar. Rodriguez n. 22. facultatem illis tribuit celebrandi per horam ante auroram, & infra horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa, de licentia Generalis, vel cuiuslibet alterius ad id ab eo deputati. Hoc tamen privilegium, quoad id quod habet de facultate celebrandi infra horam post meridiem aliqua causa legitima subeunte, parum, aut nihil continere privilegij habet Rodrig. tom. 1. q. Regul. quest. 43. art. 2. Insuper in alia Bulla *Exponi nobis* in Bullario Rodriguez tom. 2. num. 23. facultatem aperienti litteras sacre penitentiariæ illis concessit. De quo privilegio tom. 1. cap. 19. n. 28. egi. Præterea in Bulla *Cum alias* in 1. tomo Bullar. Rodriguez num. 24. & in alia *Exponi nobis* in eodem tom. 2. num. 27. circa transitum ipsorum ad alias Religiones, qualiter, vel quomodo permiffum disponit Pontifex. Vide dicta tom. 1. cap. 22. Ad hæc in Bulla *Pium, & vtile* in dicto Bullario Rodriguez num. 25. facultatem eisdem concessit suscipiendi Ordines etiam extra tempora, & non seruatis interstitijs, nec quibusdam alijs. Quam concessionem alijs Religiosis habentibus communicationem in privilegijs cum illis prohibet communicari. Vide dicta tom. 1. cap. 14. n. 19. Nota etiam decretum S. Congregationis *ibid.* num. 12. adductum quatenus videtur contrarium huic Privilegio. Demum idem Gregorius XIII. in Bulla *Vigore privilegij* in eodem tomo 2. Bullar. Rodriguez num. 28. declarauit facultatem concessam à Paulo III. prædicandi verbum Dei illis qui à Generali Proposito deputati fuerint, intelligendam esse etiam si illi nondum ad sacros Ordines promoti essent. Hæc tamen concessionem privilegium non esse aduertit Rodriguez in matg. huius Bullæ eo quod iure communi id licitum sit, vt habet Nauarrus *Consil. lib. 1. consil. 2. de temporib. Ordinandor.* num. 1. & idem Rodriguez to. 2. *Summa verb. Predicatores.*

21 Similiter à SS. Congregationib. Eminentiss. DD. Cardinalium exempti sunt ab obligationibus communibus aliorum: etenim exempti sunt à decreto Concilij Tridentinæ sessione 25. de Regul. cap. 16. non solum quoad emittendam professionem, sed etiam quoad obligationes, & renunciationes, adeo vt hæc etiam ab eorum nouitijs quoadcunque, & sine cuiusvis licentia factæ nullitati dicti decreti minime subiaceant. Sic enim dicit à Congregatione Con-

cilij declaratum Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares Societatis Iesu*. Quia tamen hanc declarationem non vidi ideo nequeo circa illam iudicium ferre. Excepti etiam dicuntur à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium sub die 25. April. 1586. ab obligatione ferendi superpellicum dum audiunt confessiones. Barbofa vt supra. Insuper tam ipsi, quam alij Clerici Regulares Theatini, S. Pauli decollati, Somaschi, & Ministrantes infirmis exempti sunt à Clemente VIII. in decretis pro reformatione Regularium ab obligatione non recipiendi nouitios nisi in Conuentibus à Sede Apostolica designandis. Comprehenduntur tamen in decreto S. Congregationis Concilij sub SS. D. N. Urbano de non recipiendis Conuentibus nisi in eis saltem duodecim sustentati commodè possint. Sic enim fuit declaratum ab eadem S. Congregatione super decretis de celebratione Missarum dub. 18. De his, & alijs Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares Societatis Iesu*.

22 Clerici Regulares S. Pauli decollati approbati fuerunt à Clemente VII. in Bulla *Vota* inter Constitutiones huius Pontificis tom. 1. Bullar. Laertij, num. 37. Quatenus illis concessit facultatem emittendi tria vota, & à Paulo III. in Constit. *Dudum* in eodem tomo 1. Bullar. Laertij num. 5. cum aliquibus ordinationibus, & concessione privilegiorum Canonicorum Regularium Lateranensium, & facultate etiam Sacramenta administrandi, ac eorum Superiori vt posset dispensare in officij diuini recitatione cum Socijs infirmitate grauatjs, aut circa infirmorum curationem impeditis, cum certis conditionibus in dicta Bulla designatis. Præscriptus est illis modus transeundi ad alias Religiones à Gregor. XIII. in Constit. 48. in specula 2. tomo Bullar. Non coguntur accedere ad processiones ex Sixto V. in Constit. 5. *Rationi congruit*. Insuper Paul. V. in Constit. *Ecclesie militantis* in 3. tomo Bullar. num. 64. facultatem illis concessit vbique noua Monasteria recipiendi, seruatis factorum canonum, & Conc. Trident. decretis, de sola licentia Ordinatorum, nullo aliarum personarum requisito consensu. Sed hæc concessio vacat his temporibus propter dicta to. 1. c. 9. num. 34. Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares S. Pauli*.

23 Clerici Regulares de Somascha nuncupati sub Paulo III. sub nomine Societatis ad erigenda Hospitalia pro subuentione pauperum orphanorum, & mulierum conuertitarum approbati, postea sub Pio V. vt patet ex Constit. ipsius to. 2. Bullar. num. 78. facultatem emittenda tria vota, & bona etiam stabilia recipiendi, & possidendi habuerunt. Deinde Sixtus V. in Bulla *Aequum reputamus* in 2. tomo Bullar. inter Bullas ipsius num. 4. litteras Gregor. XIII. prædecessoris, quæ ob eius obitum expeditæ non fuerant confirmans, eis plura privilegia concessit, videlicet exemptionem ab omni iurisdictione quorumcumque iudicum Ecclesiasticorum, & secularium, facultatem celebrandi, & audiendi confessiones fidelium, & quod die professionis emissæ absolui possent ab aliquo dictæ Congregationis Presbytero, ab omnibus peccatis, & censuris, etiam referuatis in Bulla Cænæ Domini. Videtur tamen hoc privilegium vacare propter annuam publicationem huius Bullæ, iuxta dicta to. 1. c. 18. n. 38. Prohibuit etiam illis Pontifex iste transitum ad alium ordinem etiam arctiorem, Capuccinorum, & Carthusianorum Ordinibus exceptis. Vide dicta to. 1. c. 22. Postea Clem. 8. in Bulla *Decet ex benignitate* in 3. tomo Bullar. num. 22. privilegia à prædecessoribus illis concessa confirmauit, & ulterius concessit Præposito Generali huius Congregationis, vt cum voto consiliatorum à Capitulo generali deputatorum, posset dispensare super defectu natalium cum subditis ad Ordines, & officia. Quod est magnum privilegium. Demum Paulus V. in Bulla *Ex quo diuina* in 3. tomo Bullar. num. 36. magnam privilegiorum Mendicantium communicationem cum certis tamen limitationibus illis tribuit, & in alia Bulla *Ex iniuncto nobis* in Appendic. ad 3. tomo Bullar. num. 8. alias 96. Congregationem Clericorum doctrinæ Christianæ in Ciuitate Auenionis institutam ipsi vnici. De his, & alijs Barbofa in *Collect. Bullar. verb. Clerici Regulares Somascha*.

24 Clerici Regulares ministrantes infirmis approbati sunt à Sixto V. in Constit. *Ex omnibus* in 2. tomo Bullar. num. 25. ubi etiam licentiam illis concessit elemosynas colli-



- colligendi. Maxime à Gregor. XIV. in Constitutione illius, qui anno 1591. edita approbationem Regulæ obtinuerunt, sub Sedis Apostolicæ protectione suscepti sunt, privilegijs aliorum Ordinum ipsis communicatis, cum ampla facultate circa absolutionem subditorum Superioribus concessa, de qua 10.1. cap. 18. num. 35. dictum manet. Deinde Clemens VIII. in Bulla *Superna* anno 1600. edita inter Bullas huius Pontificis num. 75. Regulam illorum reformavit iuxta formam ab ipsis stabilitam. Et Paulus V. in Bulla *Romanum* anno 1606. num. 20. ipsis prohibuit transitum ad alias Religionem etiam Carthusiensem sine Sedis Apostolicæ licentia. Ac demum Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. in Bulla *Sacro sanctæ* anno 1623. in 4. tomo Bullar. num. 10. circa illos statuit, quod professi ad Sacerdotium destinati in domibus Nouitiatuum, vel alijs distinctis ex illarum perpetuis redditibus vivere possent. Ac in alia Bulla *Romanus Pontifex* anno 1628. quæ est num. 85. modum illis præscripsit circa electionem Præfecti Generalis, Consultorum, & Arbitri Congregationis. Rodriguez tom. 1. quæst. Regul. quæst. 3. artic. 15. Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares ministrantes Infirmis*.
25. Clerici Regulares minores gaudent privilegijs Clericorum Regularium Theatinorum, ex Gregorij XIV. concessione in *Constitut. Romanus* anno 1591. in 2. tomo Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 2. Et ex Sixto V. in Bulla *Sacra Religio* anno 1588. eodem 2. tomo Bullar. inter Bullas Sixti num. 81. non solum Congregationis approbationem, sed etiam facultatem habuerunt statuta pro eius bono regimine condendi, tria vota emittendi, alios ad Religionem recipiendi, officium secundum Rom. Eccles. usum recitandi, Sacramenta ministrandi, & domos construendi, quæ qualiter intelligenda sint ex dictis, & dicendis constabit. Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici Regulares minores*. Aduertit etiam Laertius Cherubinus in annotationibus ad prædictam Bullam Sixti V. emittente hos Patres etiam quartum votum de non petendo prælaturam extra Religionem. Pro quo vide cap. 13. post num. 4.
26. Præterea Clerici Regulares Congregationis Matris Dei Lucæ sub Gregor. XV. de consilio S. Congregationis Cardinalium in Religiosos approbati fuere. Varijs etiam primùm à Clem. VIII. gratijs, & privilegijs honestati sunt. Quæ refert Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Cleric. Congregationis Matris Dei Lucæ*. Specialiter ab eodem Gregor. XV. in Bulla *Ad vberes* sub die 4. Ianuarij 1623. habent omnia, & singula privilegia, immunitates, libertates, facultates, exceptiones, & alias gratias, ac indulta tam spiritualia, quam temporalia concessa alijs Congregationibus Clericorum Regularium Mendicantium (non tamen Societatis Iesu) necnon Ecclesijs, & locis Regularibus quibuscumque, etiam per viam communicationis &c. Huius Religionis fundator fuit Ioannes Leonardus Diocesis Lucensis multis virtutibus, signisque Sanctitatis clarus, ut propterea Gregor. XV. de ipsius vita confici processum, ut posset in Beatorum numerum adscribi, iusserit.
27. Tandem Clerici Regulares Scholarum piarum nuncupati, quorum institutum est, ut colligitur ex Paulo V. in Bulla *Ad ea* anno 1617. edita in 4. tomo Bullar. num. 3. gratis, & nullo stipendio, mercede, salario, aut honorario, pueros in primis elementis, grammatica, computo, ac præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis, erudire bonis, atque pijs operibus imbueret, ac Christiano more educatè, à Gregor. XV. in Bulla *Ad vberes fructus* anno 1622. edita in 4. tomo Bullar. num. 14. privilegijs Mendicantium decorati fuerunt, & postea à Sanctissim. D. Noster Urbano VIII. exempti à processionibus, & alijs actibus publicis. Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Clerici pauperes Congreg. Matris Dei Scholarum piarum*.

## SVMMARIUM CAP. V.

- Militares, seu milites regulares qui vocentur. n. 1.  
Tria hominum genera in eis reperiuntur. ibid.  
Clerici professorum Ordinum sunt veri, & indubitati Religiosi. n. 2.  
Idem de Monialibus Cruciatjs. ibid.  
Aliquid notabile ab huiusmodi Clericis ludo lucrantes te-

- nentur ad restitutionem. num. 3.  
An Conuersi illorum sint verè Religiosi. n. 4.  
Milites S. Ioannis verè religiosi sunt. n. 5.  
Alij etiam Milites, qui trsa vota emittunt sunt verè religiosi. n. 6.  
Pro solempne votum militum S. Ioannis dissoluitur matrimonium ratum. n. 7.  
Secus de voto aliorum militum. ibid.  
Per vota religionis S. Ioannis dissoluitur matrimonium sequens. n. 8.  
Secus per vota aliorum. ibid.  
An vota istorum sint simpliciter solempnia. n. 9.  
In quo consistat eorum obedientia, paupertas, & castitas. num. 10.  
Venericos actus exercentes quomodo peccent. n. 11.  
Ratione voti obedientie ad quid obligentur. n. 12.  
Ad quid ratione voti paupertatis. n. 13.  
Sunt persona Ecclesiastica. n. 14.  
Status eorum venit in Iure sub nomine Regule, & religionis approbate. n. 15.  
Simonia committitur in venditione, vel emptione habitum militiarum. n. 16.  
Non comprehenduntur decreto Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 15. n. 17.  
De militibus tamen S. Ioannis dicitur oppositum declaratum. ibid.  
Et quod comprehendantur sub prohibitione de non accedendo ad Monasteria monialium. ibid.  
An comprehendantur decreto eiusdem Concilij sess. 6. cap. 3. num. 18.  
Milites S. Ioannis eximuntur à contributione pro seminarijs. n. 19.  
Comprehenduntur tamen decreto eiusdem Concilij sess. 25. cap. 19. ibid.  
Eximuntur omnes huiusmodi milites sacris Ordinibus non initiati à constitutione Pij V. de agitationibus taurorum ibidem.  
Secus de clericis horum Ordinum dicendum. ibid.  
Excluduntur milites isti à constitutione Clem. VIII. de largitione munerum. n. 20.  
Non comprehenduntur Religiosorum nomine quoties in institutione maioratum apponitur clausula exclusiva religiosorum. n. 21.  
Quid dicendum de militibus S. Ioannis. ibid.  
Milites commendatarij non sunt dicendi habere titulum reddituum annuorum. n. 22.  
Habent illos in administrationem, & commendam. ibid.  
Et quoad usum equiparantur ijs, qui habent dominium, vel quasi. ibid.  
Idem dicendum de bonis patrimonialibus. n. 23.  
Non sunt domini prædictorum. n. 24.  
Iura reddituum, quæ commendatarijs competunt non sunt beneficia Ecclesiastica. n. 25.  
Secus de illis, quæ Clericis ob ministerium Ecclesiasticum conferuntur. ibid.  
Sed neque illa sunt simpliciter beneficia Ecclesiastica. ibidem.  
An commenda sint materia simonia. n. 26.  
Quomodo peccet qui illas vendiderit. ibid.  
An ad id requiratur assensus Sedis Apostolicæ. ibid.  
An possint fructus, & redditus huiusmodi commendarum iura conscientia percipi ab ijs, qui actu non militanti, sed otiose viuunt. n. 27.  
Quomodocumque si carent dominio istorum. n. 28.  
Solum habent usum in ordinem ad licita, & honesta. ibid.  
Quid si ea ludo, aut alio modo inutili perdant? ibid.  
Quantum ludere possint. ibid.  
An possint donare concubinis. ibid.  
An ipsæ teneantur ad restitutionem eorum quæ acceperunt. ibidem.  
An possint hi Milites instituere maioratus. n. 29.  
Peccant aliquid expedientes contra voluntatem suorum Superiorum. n. 30.  
Maxime peccabunt contra paupertatem si tempore visitationis infideliter se gesserint. n. 31.  
Clerici harum Militiarum, & Moniales ad officium datus, num. tenentur. n. 32.

Secus

Secus de ipsis Militibus dicendum. *ibid.*  
 Tenentur tamen certas Orationes recitare. *ibid.*  
 Sub qua culpa. *ibid.*  
 An possint de bonis que habent testari. n. 33.  
 Quid de Clericis horum Ordinum. n. 34.  
 Commendatarijs perpetuis ipsorum quamquam competant. num. 35.  
 Tenentur de redditibus commendarum elemosynas facere. num. 36.  
 Tenentur etiam habitum suarum Religionum semper portare. num. 37.  
 An sub censura. *ibid.*  
 Gaudent privilegio canonis. num. 38.  
 Item privilegio fori. num. 39.  
 Quid verò de Nouitijs, & ijs, qui in ordine S. Ioannis portant mediam Crucem. *ibid.*  
 Item immunitate à gabellis. num. 40.  
 An filij Militum S. Ioannis, & militum aliorum Ordinum extra Matrimonium sint illegitimi. num. 41.  
 Per ipsorum professionem non vacant beneficia, aut pensiones. num. 42.  
 An sint capaces eorum beneficiorum, & pensionum, quibus alij Religiosi capaces non sunt. n. 43.  
 An emittentes votum ingrediendi Religionem satisfaciunt assumpto habitu istorum militum, maxime S. Ioannis. num. 44.  
 Quid de transitu ad hos Ordines. *ibid.*  
 An confiteri possint hi milites Confessario non approbato. num. 45.  
 Apostasie crimen incurrunt Religionem deserendo. n. 46.  
 An possint transire ad alias Religionem. n. 47.  
 Non peccant accedentes ad Sacramenta penitentie, & communionis ense, & pugione accincti si de hoc sit consuetudo. n. 48.  
 An quomodo, & à quibus visitari debeant Ecclesie horum Ordinum. n. 49.  
 Que munera possint exercere Piores Ecclesiarum illorum. n. 50.  
 De Monialibus ipsorum quid dicendum, maxime quoad clausuram. n. 51.  
 Milites S. Ioannis quibus privilegijs gaudeant. n. 52.  
 Quid declaratum sit circa illos. n. 53.  
 Milites S. Iacobi de Spatha quibus gaudeant privilegijs. num. 54.  
 Item Milites S. Iacobi de Alcantara, & S. Marie de Calatrava. n. 55.  
 Item Milites S. Benedicti de Anis. n. 56.  
 Item Milites S. Lazari. n. 57.  
 Item Milites S. Stephani. n. 58.  
 Quid de Militibus S. Spiritus. n. 59.  
 De ordine militari B. Marie de Monte Carmelo. n. 60.  
 Quibus privilegijs, & indulgentijs possint. *ibid.*  
 De Ordine militiae Conceptionis B. Marie Virginis, eiusque privilegijs. n. 61.

## De Regularium Militarium Iuribus, & obligationibus. Cap. V.

**M**ilitares Regulares ij vocantur qui tribus Religionis votis adstricti ad militandum contra infideles sunt instituti, & obligati. Quales sunt Ordinum S. Iacobi, S. Ioannis, Calatrava, Alcantara &c. Inter quos tria hominum genera reperiuntur. Alij sunt viri nobiles qui tanquam quidam Sacri milites instar Machabæorum pro fide, ac lege Christi cum Turcis, & Sarracenis fortiter dimicant. Alij sunt Clerici, qui ad diuina ministeria obeunda recepti in ipsorum Ordinum Domibus in Choro cantant diuinas laudes, Missas dicunt, Confessiones audiunt, & solent Ecclesijs ipsis Ordinibus subiectis præfici. Alij vero sunt, qui admodum Conuersorum Religionum Mendicantium, seu Monachalium, tum Clericis, tum Militibus in obsequijs domesticis inseruiunt. Azorius *to. 1. instit. moral. lib. 13. c. 3. §. primo queritur.* Sunt quoque alij Ordines Militares, qui tantum duo vota Religiosa emittere videntur, videlicet, obedientie, & castitatis coniugalis, quales sunt S. Mauritij, & S. Stephani, de quibus etiam dicendum est.

- 2 Et quidem loquendo de Clericis Professis horum militarium Ordinum, certum, & indubitatum est, eos esse vere, & simpliciter Religiosos. Eo quod castitatem simpliciter vna cum paupertate, & obedientia solemniter sub Regula, vel formula ab Ecclesia approbata profitentur. Rodriguez *to. 1. q. Regul. q. 1. art. 6.* Azorius *to. 1. instit. moral. lib. 13. c. 3. §. sciendum.* Idem dico de Monialibus Cruciatibus horum Ordinum. Propter eandem rationem. Rodriguez *ut supra.* De Nouitijs autem tam virorum quam fœminarum Philosophandum eodem modo, ac de Nouitijs viris, seu fœminis aliarum Religionum, de quibus *tom. 1. c. 24. & 25.* diximus.
- 3 Vnde male Alcozer. *lib. de ludo c. 39.* affirmat quod si prædicti extra claustra viucentes aliquid ludo amittant non teneri ad restitutionem id lucrantes. Cum enim isti Clerici sint veri, & indubitati Religiosi non possunt ludo perdere aliquid nisi de licentia suorum Superiorum, quæ non est præsumenda nisi in aliqua re moderata, iuxta harum Religionum vsus. Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 8. n. 38.*
- 4 Loquendo etiam de illis qui ad modum Conuersorum Religionum Mendicantium, & Monachalium, Clericis, & militibus inseruiunt, dicendum est, quod si aliqui illorum tria vota sicut Clerici, vel milites ipsi profiteantur sub Regula approbata, vt veri Religiosi censendi sunt, sicut de ipsis Clericis diximus, & de militibus decimus. Si autem prædicta vota non emittant, nec sub Regula viuant, nullatenus Religiosi censendi erunt. Huiusmodi videntur esse Fratres Ordinis D. Ioannis portant mediam Crucem, albam, qui vt merè saculares reputantur, viuunt enim sine Regula, & cum suis bonis, & vxoribus, & propterea isti nec privilegio fori gaudent, neque à tributi sunt exempti. Rodriguez *to. 2. q. Regul. q. 62. art. 18.* Bobadilla *in politica to. 1. lib. 2. can. 18. n. 233.* Licet alij putent etiam istos fori privilegio gaudere, eo quod militant sub Religione habente hoc privilegium. Aloysius Riccius *in pract. to. 4. resol. 177. num. 3.* Vide Dianam *Tractat. 1. de immunit. Ecclesiast. resol. 51.*
- 5 De Militibus verò S. Ioannis pro comperto est veros Religiosos esse ex vi suæ institutionis. Quia habent verum, & totale votum castitatis, verum etiam votum paupertatis, cum sint incapaces dominij, imò & vsus sine superiorum facultate, & verum votum obedientie etiam in re tam ardua, & difficili, qualis est aggredi quæcumque pericula belli propter fidei defensionem. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 1. art. 6.* Suarez *4. to. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 4. num. 5.* [Vnde ipsis Declaratum video à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium 10. Maij 1641. verè exemptos esse à iurisdictione Ordinarij.]
- 6 De alijs porò Militibus horum Militarium Ordinum quamuis multi negent esse veros Religiosos, nihilominus communior, & probabilior sententia docet oppositum. Supponitur autem eos tria vota Religionis, obedientiam scilicet castitatem, & paupertatem vouere. Qui enim solum duo ex istis, videlicet obedientiam, & castitatem promittunt, quales videntur esse Milites S. Mauritij, & S. Stephani, vt inferius *num. 57. & 58.* dicitur, absdubie verè Religiosi non sunt. De alijs autem id probatur. Primò, quia ita supponi videtur in Bullis Pontificijs quas refert Didacus de Motta in speciali opere de hac re, *lib. 1. c. 2.* Secundò, quia emittunt vota obedientie, castitatis, & paupertatis quatenus conducunt ad finem qui est vitam exponere pro fidei, & Ecclesie defensione. Tertiò, quia status illorum est status perfectionis, cum non sit status vitæ ordinariæ, sed obseruantie consiliorum Euangelij cum traditione perpetua in obsequium Dei, & ad prædictum finem. Nauarrus *confil. 11. de Regularibus quod incipit, quidam eruditissimus.* Suarez *tomo 4. de Relig. tractat. 9. lib. 1. cap. 4. num. 9.* & alij.
- 7 Hinc per solemne votum Religionis quod faciunt milites S. Ioannis dissoluitur matrimonium ratum non consummatum præcedens, quia re vera est solemne votum religionis approbatæ, atque ita gaudere debet privilegijs talis. Nauarrus *conf. 1. de Conuers. coniug.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 6. §. quarto queritur.* Loquendo autem de votis quod alij Equites militarium Ordinum faciunt, non dissoluitur per illa Matrimonium ratum. Impossibile enim est, vt Matrimonij vinculum dissoluatur per illud votum.

- tum quod simul stare potest cum Matrimonio, quale est horum Equitum, Suarez 4. *tomo de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 4. num. 28.*
- 8 Similiter licet per vota Religionis S. Ioannis dirimatur Matrimonium subsequens, cum verè sit votum solemne, & omnimodè castitatis, per vota tamen aliorum militariū Ordinum non dirimitur. Motta *lib. 2. c. 2. §. 19. n. 18.* Diana *tract. 2. de Dub. Regul. resolut. 30.*
- 9 Propterea quidam etsi appellet solemne votum Ordinis S. Ioannis, vota tamen aliorum Ordinum militarium non appellat simpliciter solemnia, sed solum quoad aliqua, videlicet quoad perpetuitatem Suarez 4. *tomo de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 4. num. 29.* De quo non multum curandum, dummodo talia vota sufficientia dicantur ad constituendam veram Religionem, iuxta dicta *num. 6.*
- 10 Consistit autem generaliter loquendo, & præcendendo à particularib. obligationibus horum Ordinum, eorum obedientia, in hoc quoad debeant obedire Magistris, & Superioribus in ijs, quæ ad externa opera vitæ actiue spectant & ad militiam ordinantur. Paupertas, quod non habeant dominium omnino liberum bonorum quæ possident, sed dependens à voluntate, & licentia suæ Religionis. Castitas autem in militibus S. Ioannis in omnimoda abstinencia à venereis etiam per actum conjugalem, in alijs verò militibus in abstinencia ab eisdem venereis extra Matrimonium, & etiam in Matrimonio quando, & eo modo qui fuerit necessarius ad finem illorum, qui est defensio fidei, & Ecclesiæ in bello, & ipsis præceptus à Superioribus, Suarez 4. *tomo de Relig. tract. 9. lib. 1. c. 4. num. 16.* De varijs modis quibus professionem emittunt milites tractat Azorius *10. 1. lib. 13. c. 5.*
- 11 Hinc consequenter tam milites S. Ioannis quomodo-cumque venereos actus exercentes quam aliorum Ordinum Milites extra Matrimonium peccantes tenentur confiteri prædictam circumstantiam voti castitatis emissi. Eorum namque peccata carnis duplici constant malitia specie diuersa, scilicet contra castitatem, vel temperantiam, & contra virtutem Religionis, seu votum, quæ est sacrilegij. Ayala *in libello Ordinis S. Iacobi.* Rodriguez *tomo 1. quest. Regular. quest. 13. artic. 2.* Diana *tractat. 2. de Dub. Regul. resolut. 30.*
- 12 Ratione etiam voti obedientie, quod emittunt, videntur obligari ad non disponendum de suis personis, nisi de licentia expressa, vel saltem implicita suorum Superiorum, & Magistrorum videlicet &c. cum ratione talis voti quodammodo non sint sui, sed Religionis. Vnde non licet illis se homagio, confederatione, aut iuramento astringere alicui personæ, obligare se alicui feudo, maxime iuramento præstito, loquendo de feudo per quod obligentur ad aliquod seruitium reale, siue personale, quod dedecet ipsorum personas, implicare se bellis Christianorum, sine Superiorum licentia &c. Rodriguez *tomo 2. quest. Regul. quest. 71. artic. 2.*
- 13 Ad quid autem teneantur ratione voti paupertatis, quod etiam emittunt, & quæ possint facere non obstante prædicto voto, in sequentibus dicitur.
- 14 Sunt etiam simpliciter dicendi Ecclesiasticæ personæ, cum sint veri Religiosi, vt diximus. Nauartus *in tract. de redditibus Eccles. q. 1. monit. 55. & quest. 3. monit. 27. & 29. & consil. 20. & 23. de Regularib.* Et esto Religiosi non essent adhuc dici posse videtur esse personas Ecclesiasticas, cum sint speciali modo Deo dicatæ, & sub Regula Religiosa viuentes. Quæ ratio etiam probat idem de illis militibus, qui non tria, sed tantum duo vota emittunt.
- 15 Item eorum status venit in Iure sub nomine Regulæ, & Religionis approbatæ. Tum quia id videntur probare testimonio Pontificum eos approbantium, tum etiam quia professio in his Ordinibus valida est, ergo Religio ipsa approbata in Iure, cum ex cap. vlt. de Relig. Domib. Omnis professio facta in Religione non approbata non est valida. Suarez *tomo quarto de Religio. tractat. 9. lib. 1. capit. 4. num. 27.*
- 16 Vnde simoniæ peccatum committitur in venditione, vel emptione habituum horum Ordinum. Tum quia sunt veræ Religiones, vt diximus, tum quia esto tales non essent nihilominus habitus ipsi dant ius ad multa privilegia Ecclesiastica, ac per consequens habent annexionem cum re spirituali. Azor. *tomo 1. moral. lib. 13. c. 6. §. 6. At verior.* Nihilominus, si pecunia vel aliquid aliud daretur pro prædictorum Ordinum habitu, non vt pretium, sed alio titulo non esset ibi simonia, quæ solum committitur dum datur, vel promittitur temporale pro spirituali tanquam pretium illius. Diana *tract. 2. de Dub. Regular. 64.* Quid verò dicendum de Commendis quæ huiusmodi militibus dari solent, an scilicet sint, vel non materia simoniæ constabit inferius *num. 26.*
- 17 Non comprehenduntur in decreto Concil. Trident. *sess. 25. de Regularib. cap. 15.* vbi statuitur, vt in quacumque Religione tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante 16. annum, nec in minori tempore quam post annum approbationis. Ratio est, quia etsi verba Concilij generalia sint, nihilominus Sacra Congregatio Cardinalium declarauit non comprehendere Ordines Regulares militares, absdubiè quia respectu illorum talis obseruancia necessaria, aut accomodata non est. Azorius *10. 1. instit. moral. lib. 13. c. 4. §. 2. queritur.* Suarez *10. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 4.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. miles Regularis 2.* Dicitur tamen milites S. Ioannis Hierosolymitani comprehendendi in prædicto decreto ex peculiari ipsorum statuto, & declaratione S. Congregationis. Armendariz *lib. 7. de Relig. num. 16.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. milites S. Ioannis Hierosolymitani.* Vbi etiam de illis refert idem Barbosa declaratum esse ab eadem S. Congregatione comprehendendi decretis Concilij, etiam vbi de eis non fit expressa mentio, nisi specialiter privilegijs post Concilium muniantur. De qua declaratione, vel saltem de ipsius intelligentia multum dubito, cum isti milites S. Ioannis valde privilegiati sint, & exempti, vt colligitur ex Pio IV. *in Bulla Romani interest.* quæ est 29. inter Bullas huius Pontificis in 2. *tomo Bullar.* Dicitur etiam declaratum à Sacr. Congregat. Episcop. & Regular. præfatos milites S. Ioannis comprehendendi sub decreto, quo Regularibus prohibetur accessus ad Monasteria Monialium, Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Eques Hierosolymitanus.*
- 18 Nec etiam comprehenduntur in decreto eiusdem Concilij *sess. 6. cap. 3.* vbi habetur, quod nemo secularis Clericus vel Regularis cuiusuis privilegij prætextu tutus censetur, quominus si deliquerit extra Monasterium degens, ab Ordinario loci visitari, puniri & corrigi valeat. Quoniam pœna, & odia iure, vel statuto contra Religiosos constituta non trahuntur ad eos. Vnde Pontifices sæpius illos expressè à communibus statutis odiosis excipiendos declararunt, vt constabit inferius de Gregor. XIII. in statuto de spectatoribus agitationis taurorum & de Clem. VIII. in prohibitione de largitione munerum. Azorius *tomo 1. lib. 13. cap. 4.*
- 19 Specialiter milites S. Ioannis excipiuntur à Concil. Trident. *sess. 23. cap. 18.* ne teneantur contribuere pro seminarijs. Rodriguez *10. 1. q. Regul. q. 1. art. 6.* Comprehenduntur tamen decreto eiusdem Concilij *sess. 25. cap. 19.* vbi agitur de Regularibus præcedentibus se per metum ingressos religionem, aut per vim, vt refert ex declaratione S. Congregationis Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Eques Hierosolymitanus, & verbo milites S. Ioannis Hierosolymitani,* citans etiam Armendariz, Similiter Gregor. XIII. exempt omnes huiusmodi milites sacris Ordinibus non initiatos à Constitutione Pij V. & pœnis in ea contentis contra eos qui agitionibus taurorum assistunt, vt dictum est *tomo 1. c. 10. num. 7.* & docet Rodriguez *tomo 3. q. Regul. q. 68. art. 2.* Nec comprehenduntur in Constitutione Clementis VIII. de qua *ibidem.* Et enim prædictam Constitutionem Pij V. Monachos, & Fratres, ac cuiuscumque Ordinis, & instituti Regulares comprehendere voluerit, tamen huiusmodi odij, nisi exprimentur. Rodriguez *vt supra art. 2.* Includuntur tamen in hac prohibitione Clerici horum Ordinum militarium sicut omnes alij Regulares, cum communibus legibus aliorum Regularium comprehendantur. Rodriguez *vt supra.*
- 20 Excluduntur etiam à Clemente VIII. in constitutione de largitione munerum Regularibus interdicta, vt patet illis verbis (non tamen militie) & ita tenet Diana *tract. de pauperi. Religios. resolut. 23.* Imò ex eo quod Pontifex in hac Constitutione omnes Religiosos comprehendat excipiat autem hos milites, colligitur eos esse veros Religiosos, iuxta

- iuxta dicta supra num. 6. cum exceptio firmet regulam in contrarium. Diana *ibidem*.
- 21 Nec etiam comprehenduntur Religiosorum nomine, quoties in institutione maioratum apponitur clausula exclusiua Religiosorum. Etsi enim Religiosi sint viuunt tamen seculari modo, imò splendide, & paupertas quam profitentur est amplissima, nec in eis procedunt rationes, quæ in alijs Religiosis, & ita capaces sunt obtinendi maioratus. Molina *tom. 3. de iust. disp. 623. num. 5.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 15. num. 5. 47. & 49.* Quod intelligi nisi Constitutiones Ordinum obtinet, & quoad milites S. Ioannis, nisi in institutione maioratus apposita sit aliqua clausula, qua denotetur possessorem illius debere ducere uxorem, quia hoc repugnat his militibus Maioratum ergo institutores rectè, & prudenter in ipsa institutione adijcere solent clausulas, quibus id explicetur. Molina *de Hispanor. primogen. lib. 1. c. 13. num. 98. & 99.*
- 22 Cum autem ratione voti paupertatis quod emittunt dominij incapaces sint, ideo milites Commendatarij reddituum annuorum, quos habent, non sunt dicendi habere titulum propriè loquendo, nam appellatione tituli in hac parte intelligitur dominium, vel quasi dominium. Habent ergo prædicta in administrationem, & commendam. Propter hanc enim causam Commendatarij vocantur. Quoad usum tamen æquiparantur ijs, qui dominium, vel quasi dominium, id est titulum habent, quia scilicet illis bonis fruuntur Superiorum permittit, soluendo aliquam pensionem Religioni, vel saltem aliqua faciendo quod denotetur usum illorum bonorum à voluntate Superiorum pendere. Azorius *tom. 1. lib. 13. c. 4.*
- 23 Idem, & propter easdem rationes dicendum de bonis patrimonialibus, quæ scilicet hæreditate, aut propria operâ, aut donatione acquisierint milites isti, siue ante professionem, siue post illam, eorum scilicet non habere proprietatem, aut dominium, sed solum usum ad voluntatem Superiorum. Nauarrus *comment. 2. de Regularib. num. 56. & apolog. ad lib. de redditib. quest. 3. monito 12.* Morta *tract. de confirmat. Ordin. milit. S. Iacobi lib. 2. cap. 2. & in lib. instrum. ut Commendatarij tendant ad perfect. cap. 4. §. 4. num. 49.*
- 24 Neque audiendi sunt quidam etsi alias docti qui admittunt huiusmodi Commendatarios (eos scilicet quibus permittitur esse contrahere Matrimonium) esse veros dominos prædictorum bonorum. Molina *tom. 1. de iust. disput. 141.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 8. num. 28.* Hi enim Theologi dum mites, & suaves esse volunt in huiusmodi milites, acres ramen, & acerbi sunt in illos, eis tollentes veram rationem Religiosorum, impossibile enim est veram rationem Religiosorum cum proprietate, & dominio præsertim expedito componere. Vnum ergo de duobus affirmare debent, vel prædictos milites Religiosos non esse, quod non est dicendum, ut constat ex dictis, vel dicendum eos non habere bonorum suorum proprietatem, aut dominium, saltem liberum, & expeditum, quia hoc est de essentia veri Religiosi. Alias solum Religiosos de nomine, & eorum, quorum vana est, & ludrica Religio eos appellare liceret.
- 25 Iura etiam annuorum reddituum, quæ huiusmodi equitibus commendata ad vitam conferuntur, & Commendæ vocantur non sunt verè, & simpliciter beneficia Ecclesiastica. Ratio est, quia etsi ex decimis Ecclesiasticis colligantur, & personis Ecclesiasticis dentur, & à Magistro Ordinis, nihilominus non dantur ob munus aliquod Ecclesiasticum, seu administrationem sacram, sed ob militiam in qua se debent exercere, ac proinde non sunt propriè beneficia Ecclesiastica. Præsertim quia beneficia Ecclesiastica habent annexam obligationem officij diuini persoluendi, tonsuram, & Clerici vestem portandi, quod deficit in huiusmodi Equitibus. Mandosius *comment. super regul. 3. Cancellar. quest. 11. num. 4.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 3.* Iura autem reddituum qui in huiusmodi militariibus ordinibus Clericis conferuntur ob ministerium Ecclesiasticum, quo ipsi Clerici inseruiant Ordinum Ecclesiasticis sunt vera beneficia Regularia. Cum nihil illis ad rationem beneficij necessarium deficiat. Azorius *ut supra.* Nihilominus adhuc illa non sunt dicenda simpliciter beneficia Ecclesiastica, quia non sunt perpetua, sed amabilia, & dependentia à voluntate Superiorum. Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 29. à num. 104.* Vide dicenda *cap. 18. num. 6.*

- 26 Ex quo fit quod etsi Commendæ Clericales, illæ scilicet, quæ dantur propter spiritualem administrationem, vel spirituale ministerium, curam videlicet animarum sint materia simoniæ, ita ut si vendantur, vel emantur simonia committatur, Commendæ verò aliæ quæ huiusmodi militibus dantur non propter spiritualem administrationem, aut functionem, sed titulo mere laico, scilicet ob militiam gerendam, ut subsidia videlicet, vel stipendium ipsius, non sint materia simoniæ, cum sint res temporales. Suarez *tom. 1. de simonia c. 27.* Bonacina *de simonia quest. 4.* Nihilominus si vendantur siue à Rege, Principe, vel Magistro Ordinis, qui illas distribuunt, graue peccatum committitur. Tum quia prædicti non sunt Domini, sed dispensatores illarum, tum quia sic dabuntur indignis quod est intrinsecè malum, ut potè contra finem institutionis illarum. Suarez, & Bonacina *ut supra.* Cum autem sint bona Ecclesiastica videtur casu quo aliquando vendantur, vendi, aut alienari non posse sine assensu Sedis Apostolicæ, propter Extrauag. *Ambitiosa*, ubi bonorum Ecclesiasticorum alienationes prohibentur. Couarruu. *2. var. cap. 16. num. 3.* Riccius *in prax. fori Ecclesiast. decis. 76. & 79.* Bonacina *de alienat. bonor. Ecclesiast. disp. 2. q. unica punct. 2. num. 13.*
- 27 An verò huiusmodi fructus aut redditus, quos habent isti milites Commendati possint tuta conscientia percipere, actu non militantes, nec arma capientes, sed otiosè, vel vitiosè in Curijs Princip. & vrbibus degentes meritò dubitant plures. Multi volunt eos non posse tales fructus, aut redditus tuta conscientia recipere. Quia ipsis sunt concessi, ut contra Sarracenos, & alios Ecclesiæ hostes præliantur, & quod datur ob aliquam causam, ea non subsistente, nihil valet. Alijs autem dicta opinio duriuscula videtur, & fundamentum ipsius infirmum, eo quod licet prædicta bona militibus istis dentur causa militiæ, sed non ea conditione, & lege, ut actu militent. Ad hoc inclinare videtur. Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. c. 4. §. septimo queritur.* Verum tamen mihi videtur huius decisionem pendere, tum ex statutis horum Ordinum, tum ex modo quo ipsi prædicta bona conferuntur. Si enim, vel ex prædictis statutis, vel ex modo quo ipsis dicta bona conceduntur habetur eos teneri actu militare, ut illis potiantur, sine dubio non possunt actu non militantes, sed otiosè, vel vitiosè si ne vilo militiæ exercitio viucentes illis potiti. Si autem ex statutis Ordinum vel modo quo prædicta bona ipsis conceduntur, nihil tale habeatur, etsi non teneantur actu militare, tenentur tamen esse in præparatione animi ad militandum quoties ipsis iniunctum fuerit, vel occasio, aut necessitas postulerit. Alias omnino nugatoriè, & vanè militum nomine, & præmio gaudere possent.
- 28 Sed siue actu militent, siue non huiusmodi Equites, prædictorum bonorum, & quorumcumque aliorum sibi ex patrimonio, vel alio modo competentium dominio carent, ratione voti paupertatis quod emiserunt, ut dictum est, unde solum habent usum illorum in ordine ad licita, & honesta non tanquam suorum, sed tanquam sibi commissorum, ac commendatorum, nutu, & voluntatè Superiorum prout alij Religiosi, quia hoc solum permittit votum paupertatis. Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 4. §. octauo queritur & §. nono queritur.* Rodriguez *tom. 2. q. Regul. quest. 58. art. 5.* Nauarrus *lib. de redditibus q. 1. num. 95. & 96. & quest. 3. num. 30. & 31. & Apolog. ad lib. de redditib. num. 6.* Quidquid dicat in contrarium Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 8. num. 29.* Vnde si fructus, aut redditus huiusmodi ludendo, aut alio vano inutilli, seu futili modo impendendo perdant, non solum peccant grauius, vel leuiter, iuxta capacitatem materiæ sicut alij Religiosi contra votum paupertatis, sed etiam ij, in quos ipsi prædicta bona transferunt ad restitutionem tenentur, ut docent aliqui apud Azorium *ut supra §. decimo queritur*, quia talia bona non sunt ipsis concessa nisi in ordine ad honestos, & licitos vsus, nec voluntas Superiorum est, aut potest esse, ut in vanos, & inutiles ea expendant. Verum est huiusmodi Equitibus militatibus, tum ratione nobilitatis, tum ratione finis Religionis militaris qui non est strictam obseruantiam seruare, sed militiam pro Christo quando opus fuerit sectari, licere sapius ludere ludis honestis aliquam pecuniæ quantitatem, & facere aliquas, & plures expensas quæ alijs Religiosis non licent, quod,

quod, iuxta prudentis arbitrium, tum ex usu inter timoratos, tum ex concessu Prælatorum metiendum est. Donare tamen concubinis non possunt, ita ut illorum donatio etiam iuramento firmata, sit irrita, ut docent multi, quos sequitur. Rodriguez *to. 1. q. Regular. q. 27. art. 12. in fine.* Cæterum probabiliter, ut credo, excusari possunt à restitutione faciendâ eorum quæ ab illis acceperunt, tam prædictæ concubinæ, quam alij cum quibus illicitè inserunt, eo quod Religiones istæ usu, & praxi nihil de istis rebus malè donatis curare videantur, ita ut eas quasi remittere censendæ sint.

39 Hinc etiam valdè probabile est posse hos milites etiam Commendatarios, siue de bonis patrimonialibus, siue de redditibus Commendarum maioratus instituere non secus atque alios seculares si hoc illis specialiter non sit prohibitum. Non quidem quia prædictorum bonorum dominium habeant, ut malè quidam putant, sed quia Religiones istæ militares, & Prælati (supremi ipsarum) hoc videntur permittere. Molina *to. 3. de iust. disput. 604. fin.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 8. num. 31.*

30 Peccabant tamen mortaliter contra votum paupertatis, si in his, aut alijs vñibus expendant prædicta bona contra suorum Superiorum beneplacitum. Hoc enim ad minus est necessarium pro voto paupertatis, quod emiserunt. Isla *in Confessionario in interrogationibus circa votum.* Motta *in lib. instructionis vt Commendatarij tendant ad perfectionem, & Sanchez lib. 7. in decalog. c. 8. num. 35.*

31 Peccabant etiam mortaliter contra votum paupertatis, si tempore, & occasione quibus Religiones ipsæ, ipsorum Prælati, vel visitatores, iusserint, non presentauerint inuentaria rerum, quas possident, aut in eis conficiendis infideliter se gesserint aliqua occultando, quia paupertas ab eis promissa hoc ad minus requirit. Isla *in Regula Commendatariorum D. Jacobi in præmio, & in confessionario in interrogationibus circa votum.* Quod tamen bene intelligit Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 7. num. 34.* Quando notabilis esset mora in inuentario conficiendo, & quando occultatio esset rei notabilis, alias solum peccatum veniale committunt, magis, vel minus leue, iuxta maiorem, vel minorem grauitatem materiæ.

32 Ex alumnis horum militarium Ordinum tenentur ad Officium diuinum, seu horas Canonicas Clerici in sacris Constituti, & Moniales, iuxta dicta *tom. 1. cap. 12. num. 2. & 3. & c. 25. num. 13.* De clericis autem non in sacris constitutis, sed ad Chori seruitium deputatis Philosophandum videtur eodem modo, ac de alijs Religiosis, iuxta dicta eodem *cap. 12. num. 3.* Milites autem horum Ordinum, non sunt obligati ad Officium diuinum, quia etsi sint Religiosi, iuxta dicta, non tamen sunt addicti Choro, cultui diuino, aut Ecclesiasticis ministerijs, sed militiæ. Azorius *to. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 4. §. quinto queritur.* Suarez *to. 2. de Relig. lib. 4. de horis canonicis cap. 19.* Quod etiam verum puro de militibus commendatis, seu Commendatarijs horum Ordinum, cum nec ratione Religionis militaris, ad id obligentur, ut dictum est, nec ratione Ordinis sacri, cum illo careant, nec ratione beneficii Ecclesiastici, cum Commenda beneficium Ecclesiasticum non sit, nec consuetudinis, quæ non extat, ut credo. Quod dixerim contra Bonacinam *de horis canonicis disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 3.* Clerici autem horum Ordinum militarium beneficia Regularia quantumuis manualia habentes ad Officium diuinum tenentur, tum ratione Ordinis sacri, tum ratione beneficii. Bonacina *ibidem num. 2.* Imò milites ipsi tenentur recitare eas Orationes, quas loco Horarum Canonicarum Regula ipsi præscribit. Isla *super Regulam Commendat. D. Jacobi cap. 6.* Qui licet dicat hanc obligationem esse sub mortali, alij tamen id negant. Nauarrus *cap. quando cap. 7. num. 23.* Sanchez *2. tom. conf. moral. lib. 7. c. 2. dub. 5.* Consulenda sunt tum verba Regulæ, tum dicta *to. 1. c. 7. de obligatione Regularium, ratione Regulæ sui Ordinis.*

33 Probabile est posse huiusmodi Equites Ordinum militarium de suorum reddituum fructibus, & de alijs bonis ipsorum testari, si usu, consuetudine, vel Constitutionibus particularibus non sit illis hoc interdictum, sed permissum. Ratio est, quia etsi ratione voti paupertatis id non ipsis liceret, si tamen talis usus, consuetudo, aut Constitutio hoc illis prohibens non existat, videtur illis à Religione permit-

ti, ac per consequens licitè fieri. Nec obstat Constitutio Pij V. *Sacro sanctum* anno 1568. edita, quæ est inter Constitutiones huius Pontificis 2. to Bullar. 73. quia in ea solum reuocat omnes, & quascumque licentias, seu facultates testandi his Equitibus concessas, non tamen Ordinis Constitutiones, vel usum, aut consuetudinem legitime præscriptas. Azorius *tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 5.* Adde Gregor. XIII. reuocasse prædictam Constitutionem Pij V. concedendo illis facultatem testandi, iuxta pristinam eorum consuetudinem. Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 8. num. 30.* Vide dicenda infra à num. 54.

34 Clericos etiam horum Ordinum Militarium extra claustra viuentes de licentia Superiorum posse testari cum quibusdam conditionibus, asserunt Isla *in Reg. horum Commendatariorum cap. 20.* Motta *in lib. instruct. vt Commendatarij tendant ad perfectionem cap. 4. §. 4. num. 52.* Cum tamen isti simpliciter veri, & indubitati sint Religiosi, testari autem prohibitum Religiosis sit, iuxta dicta *tom. 1. c. 9. num. 19.* ideo ad priuilegia Constitutiones, & legitimas eorum consuetudines attendere oportet Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 8. n. 37.*

35 Commendatarijs perpetuis Ordinum militarium competunt ea quæ veris Prælati competere possunt. Rodriguez *tom. 1. quest. Regular. quest. 27. artic. 12.* Quod intellige quantum ad dispositionem reddituum suarum Commendarum, seruato iure Ordinis, & voto paupertatis, non tamen possunt alienare, nec locare nisi seruariis seruandis. [Hinc etiam declarauit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium 6. Iulij 1640. porro Cisterciens. quod gubernatio ipsorum spectaretur ad eorum Superiores; non verò commendatarijs.]

36 Tenentur de redditibus Commendarum eleemosynas elargiri, & suarum Ecclesiarum necessitatibus succurrere eo quod prædicti redditus sunt bona Ecclesiastica ex decimis, vel primitijs Ecclesiasticis deducta, etsi illis applicata pro bello contra infideles gerendo, atque adeo dum tale bellum non instat tenentur pauperibus, & Ecclesiarum indigentijs subuenire, alias defraudatores, & usurpatores erunt bonorum Ecclesiasticorum. Marrynus de Ayala *in Compend. Ordin. milit. D. Jacobi Rodriguez to. 2. q. Regul. q. 75. art. 5.* Specialiter de Commendatarijs quibus commissa sunt, vel commenda Hospitalia, vel Hospitalitas sic scribunt graues Auctores. *Notandum est illud quod traditur à Rebuffo, scilicet aduersus Commendatarios Hospitalitas (inquit) debita non seruatur, sed tota amittitur nam quoties quisque commendatarius, Hospitalem se exhibeat, aliorum sit iudicium, quæ tamen plurimum est commenda vt Glossæ, & Doctores scribunt. Hodie quidem Commendatarij tantum absunt ab hac Hospitalitate, vt que possunt à pauperibus eripiant, unde quia Hospitalitas decessit successu iudicio fisci, Decimarum, & aliorum onerum prestatio, vt in sacris Canonibus habetur, hoc tollit fisci quod non accipit Christus.* Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 22. §. undecimo queritur.* Rodriguez *tom. 2. quest. Regul. q. 84. art. 2.*

37 Tenentur etiam habitum suatum Religionum semper portare. Tum propter particulares ipsarum Constitutiones, tum etiam quia non est certum comprehensos non esse in lege communi *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6. vbi excommunicatione maiori innodantur Religiosi habitum suæ Religionis temere dimittentes, de qua diximus tomo 1. cap. 13.* Cum enim sint verè Religiosi dubitari iure potest an in prædicta lege comprehendantur, etsi ex alia parte cum ipsi quoad odia, & rigores nomine Religiosorum non veniant, probabile satis sit non comprehendi. Pro his etiam militibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus extant duæ Constitutiones Sixti V. in 2. tomo Bullar. *num. 92.* circa habitum quem portare debent. Rodriguez *tom. 2. quest. Regul. quest. 76. art. 2.* Declaratum autem est à S. Congregatione Militem Regularem si fuerit Canonicus non posse supra habitum Canonicalem deferre Crucem Ordinis militaris. Batbosa *in Collectan. Bullar. verb. miles Regularis 2. & verbo Canonicus Protonotarius.*

38 Gaudent priuilegio canonis, ita ut illos percuciens in excommunicationem lætæ sententiæ *can. si quis* cum sint verè Religiosi, & personæ Ecclesiasticæ. Garzia *de Benefic.*

1. par. c. 4. Diana *Tract. de immunit. Ecclesiast. resol. 72.* Portellus in *Dub. Regul. verbo manus violentæ n. 7.* Nec id negari potest nisi ab opinantibus non esse verè Religiosos. Vnde etiam videtur extendendum hoc priuilegium ad Nouitios eorum, cum etiam tempore Nouitatus personæ Ecclesiasticæ sint, & in favorabilibus Nouitij æquiparentur professis iuxta dicta *to. 1. c. 3. n. 16.*
- 39 Pariter etiam fori priuilegio gaudent hi milites, propter easdem rationes, vt post multos Auctores tenet Barbosa de *Offic. & potest. Episcop. alleg. 12. num. 45.* Quorum aliqui etiam hoc extendunt ad Nouitios. Vide Mottam de *Confirmat. Ord. D. Iacobi lib. 2. cap. 1. §. 9.* Dianam *Tract. de immunit. Ecclesiast. resol. 72. & tract. de paupert. Religios. resol. 27.* Quid verò dicendum de Equite Hierosolymitano, qui percussit aliquem Clericum, qualiter scilicet Episcopus se gerere debeat circa illum, habetur ex declaratione S. Congregat. apud Aldanum in *Compend. Canon. resolut. lib. 2. tit. 3. n. 3.* & Barbosa in *Collect. Bullar. verb. Eques Hierosolymitanus.* Quid etiam dicendum de ijs qui in Ordine S. Ioannis mediam Crucem portant, constat ex dictis supra num. 4.
- 40 Idem etiam affirmandum de immunitate à gabellis, esse scilicet prædictos Milites ab illis immunes. Propter dicta, nempe quia sunt verè Religiosi, vel saltem Ecclesiasticæ personæ. Flores de Mena *lib. 2. quest. 21. num. 205.* Diana in *Tract. de immunit. Ecclesiasticæ resolut. 49.* Barbosa de *Offic. & potest. Episcop. allegat. 14.* qui etiam num. 15. id priuilegium extendendum dicit ad vxores viduas horum Militum.
- 41 Eorum filij, videlicet quomodocumque habiti à Militibus S. Ioannis, & ab alijs Militibus Ordinum extra matrimonium, sunt illegitimi, cum sint filij religiosorum, & ita habetur in *l. 11. Tauri Rodrigu. tom. 1. quest. Regular. quest. 13. art. 2.* Vnde consequenter dicendum filios horum militum ante matrimonium habitos etiam si ex copula cum soluta non esse naturales, cum sint sacrilegi contra votum castitatis, nec legitimi per subsequens matrimonium, propter eandem rationem. Rodrig. *ibid.* Diana *tract. 2. de Dub. Regul. resol. 30.*
- 42 Per ipsorum professionem non vacant beneficia aut pensiones quæ antea habebant. Ratio est, quia *cap. Beneficium de Regularibus in 6.* decernens beneficia (idem dico de pensionibus) vacare per professionem Religiosorum, cum sit odiosum non videtur intelligendum de huiusmodi Militibus, qui etsi vt dictum sit essentialiter Religiosi sint, modum tamen Religiosorum non seruant: propterea enim à similibus odijs, vt dictum est, eximuntur Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 29. n. 5.* & 9. aliter tamen loquens de Militibus S. Ioannis, sed mihi videtur æquales esse quoad hoc omnes hos milites, propter rationem allatam, nisi pro ipsis sit aliqua specialiter.
- 43 Probabile etiam est capaces esse eorum beneficiorum, & pensionum quibus alij Religiosi, iuxta dicta *cap. 2.* capaces non sunt. Tum quia non comprehenduntur in odiosis spectantibus ad Regulares, tum quia, etsi Religiosi sint modum tamen religiosorum non tenent, cum non omnino mutent statum, & redditus quasi proprios obtineant. Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 103.* & fauet Azor. *tom. 1. instit. mor. lib. 13. cap. 3. q. 2. ad finem.* Vide tamen declarationem S. Congregat. adducendam infra num. 54. Et nota dictis non obstare quod sæpius à Sede Apostolica concedatur aliquibus militibus horum Ordinum facultas ad habendum pensiones, vt dicitur infra num. 58. & 60 hoc enim fieri potuit ob maiorem securitatem conscientie.
- 44 Quamuis autem veri Religiosi sint, vt dictum manet, nihilominus illi qui votum emisissent ingrediendi Religionem, non determinando religionem, non satisfaciunt assumpto habitu istorum militum, Nam eorum religio in genere religionis adeo laxa est, vt potius modum viuendi sæcularem habeat, illi autem qui religionem ingredi promittunt, intendunt profiteri statum arctiorem, & Cœnobiticum intra claustra, & magis separatam à fastu, & curis sæcularibus. Corduba in *Summ. quest. 148.* Sanchez *lib. 4. de præceptis decalog. cap. 16. n. 11. & 12.* Qui etiam bene addunt eos qui emisissent tale votum sufficienter satisfacere ingrediendo Religionem Clericorum horum
- Summa Lexana. Tom. 11.*
- Ordinum Militarium, sicut & Canonicorum Regularium, cum illi veram vitam Regularem in Cœnobijs instar aliorum Religiosorum ducant. Adde non esse improbabile quod qui votum emisissent Religionis nullam determinando, satisfaciatur voto, ingrediendo Religionem S. Ioannis, quia illa inter militares, est strictior, vt potè, cum milites illius votum simpliciter castitatis emittant, & non solum coniugalem, vt alij Ordines Militares. Atagon. *2. 2. q. 88. artic. 11.* Diana *tract. 16. Miscellan. resolut. 38.* Declaratum autem dicitur à Sac. Congregatione, per licentias claustralibus concessas ad ingrediendum quamcumque Religionem non licere transire ad non claustrales, quales sunt Militares, & Hospitalarij. Quaranta in *Summ. Bullar. ver. Monasteria, & Conuentus vers. quoad transitum.*
- 45 Licet aliqui credant hos milites gaudere priuilegio aliorum Regularium, de quo *to. 1. c. 18. n. 27.* quod scilicet possint confiteri peccata sua Confessario etiam non approbato ab Ordinario (Ioannes Sanctius in *selectis disput. 49. num. 10.* cui annuere videtur Diana *tract. 2. de Dub. Regul. resolut. 30.*) Nihilominus quia in hoc attendenda est consuetudo tam ea quæ fuit inter hos milites ante Conc. Tridentin. quam post illud, & hæc fit in contrarium, vt ipse Diana testatur, nullatenus assentiendum est huic sententiæ, sed vt falsa reiicienda.
- 46 Apostasia crimen incurrit si Religionem quam professi sunt derelinquant. Motta *lib. 2. c. 1. §. 6. n. 5.* Diana *tract. 2. de Dub. Regular. res. 30.* Quando autem sint Apostata dicendi constat ex dictis *tom. 1. cap. 16.*
- 47 Possunt etiam transire de Religione in quo sunt ad aliã, sed dicunt id fieri debere cum licentia magni Magistri Religionis. Motta *lib. 2. cap. 1. §. 6.* Diana *Tract. 2. de Dub. Regular. resolut. 30.* Verumtamen attendenda sunt quoad hoc tum Iura, & priuilegia particularium Religionum militarium, tum circa conditiones huius transitus ea quæ dicta sunt *tom. 1. cap. 22.*
- 48 Non peccant isti Milites accedentes ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Communionis ense, & pugione accincti, si hoc sit consuetudine introductum in eorum Religionibus, talis enim consuetudo nihil habet indecentiæ,posito quod status quem profitentur est, preparatos esse ad bellum gerendum pro fide Catholica quod rectè ense, & pugione denotatur. Ioannes Sancius in *selectis disp. 45. n. 3.* Diana *Tract. 2. de Dub. Regul. resol. 30.*
- 49 Quoad visitationem Ecclesiarum Ordinum Militarium applicanda videtur doctrina tradita *tom. 1. cap. 11. num. 7. & 9.* quod scilicet Episcopi, aut alij locorum Ordinarij nullam habeant facultatem visitandi Ecclesias, aut Monasteria quibus non imminet cura animarum, bene tamen illa, vel illas, quibus talis imminet cura, in eis quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, propter ibidem adducta ex Concil. Tridentin. & declarationibus Sac. Congregationis. Quibus iungitur Constitutio Pij V. pro Ecclesijs Militum S. Ioannis Hierosolymitani. Barbosa de *Offic. & potest. Episcop. alleg. 74. num. 26.* Accedit etiam alia declaratio Sac. Congregationis apud eundem Barbosa in *Collect. Bullar. verb. excommunicatio*, in qua declaratur posse Episcopum excommunicare Fratrem Capellanum Religionis Hierosolymitanæ, qui cum administraffet redditus Parochialis sæcularis, & citatus ab Episcopo ad reddendam rationem, noluit comparere. Vide etiam aliam declarationem Sac. Congregat. Regular. apud eundem Barbosa *vt sup. verb. visitare Episcopus quando possit & cap. 2.* Quia tamen aliquæ Ecclesiæ istorum Ordinum dicuntur esse nullius Diœcesis, & Magistri illorum in illis habere iurisdictionem non solum Episcopalem, sed etiam temporalem (de quo Rodrig. *tom. 1. quest. Regul. q. 36. art. 3. & 4.*) ac per consequens non includi in decretis Conc. Tridentini, ideo consulenda sunt tum priuilegia illorum, tum vsus, & praxis. Constitutio autem Gregor. XV. quæ huiusmodi priuilegijs aduerfari videtur pro Hispaniæ Regnis suspensa est, iuxta dicta *to. 1. cap. 19. n. 35.* De priuilegijs autem ipsorum dicitur infra à num. 52.
- 50 Priores Ecclesiarum Ordinū Militariū dicuntur posse exercere munera aliqua Episcopalia, scilicet Benedicere ornamenta, & concedere Reuerendas sæcularibus suorum
- M Prio.

- Prioratum. Rodriguez *tomo 1. q. 36. art. 6. Vide tamen dicta tom. 1. c. 14. num. 13. & c. 18. num. 57.*
- 51 De Monialibus horum Ordinum Militarium eodem modo Philosophandum, ac de alijs, iuxta dicta *tomo 1. cap. 25. Specialiter quoad obligationem obseruandae clausurae absque dubio ea ligari (quidquid immerito quidam dubitant) constat ex Tridentin. sess. 25. cap. 22. illis verbis. Quarumcumque sanctimonialium, etiamsi illa sub gubernio militarum, etiam Hierosolymitanae uiuant, & quocumque nomine appellentur, & ex Constitutione Circa pastoralis; Pij V. illis verbis; Cuiuscumque Ordinis, vel militarium, etiamsi Hierosolymitanae sint; verbum enim illud etiam Hierosolymitanae in utroque decreto positum significat a fortiori comprehendit. Moniales aliarum militarium. Nauarius *Comment. 4. num. 44. vers. 5. nota de Regularibus. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 10.* Etiam si, dato casu, ante Concilium, & Pium V. consuetudo fuisset clausuram non obseruare, Quia Concilium dicta sess. 25. cap. 22. iubet obseruari decreta illius sessionis inter, quae vnum est de huiusmodi clausura, non obstantibus etiam consuetudinibus immemorabilibus, & Pius V. in sua illa Constitutio. Circa pastoralis praescribit eandem clausuram, etiam si nec unquam in earum Monasterijs, seu Domibus etiam ab immemorabili tempore ea seruata fuerit. Nauarius *ut supra num. 4. versic. octauo nota, Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 44. art. 2. & Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 15. num. 12.**
- 52 Gaudent praeterea huiusmodi milites Ordines varijs priuilegijs a Sede Apostolica concessis. Specialiter milites S. Ioannis Hierosolymitani ab Anastasio I V. in Bulla *Christiana* in 1. tomo Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num. 2.* sub Sedis Apostolicae protectione suscepti priuilegijs quoque bona etiam stabilia possidendi, Hospitalia construendi, Decimas non soluendi, tempore generalis interdicti celebrandi, & alijs, decorati sunt. Deinde Pius I V. in Bulla *Circumspecta* *tomo 2. Bullar. num. 9.* priuilegia ab antiquioribus Pontificibus illis concessa confirmans alia de nouo concessit. Exempti etiam sunt ab eodem Pio I V. in Bulla *Romani interest* *num. 20.* a Constitutione illa de bonis ex illicita negotiatione acquisitis, ut dictum est *tomo 1. cap. 10. n. 5.* Item SS. D. N. Urban. VIII. in Constitutione *Vniuersalis Ecclesiae* *4. tomo Bullar. num. 15.* priuilegia, iudicia, facultates, & exemptiones illis concessa a Romanis Pontificibus praedecessoribus confirmavit, & approbavit. A visitatione Episcoporum exempta sunt eorum Ecclesiae ex priuilegio Summorum Pontificum, praeterquam si sint curatae, ut declarauit Sac. Congregatio Concilij apud Armendariz *in addit. ad recapit. legum Nauarcae lib. 1. tit. 6. de visitat. lib. 5. §. 2. num. 6.* & Barbofam *in Collectan. Bullar. verb. milites S. Ioannis.* Insuper ubi habent iurisdictionem spiritualem, & temporalem non possunt Ordinarij se interponere ad visitandum, ex declaratione S. Congregationis, testibus eodem Armendariz *lib. 2. §. 2. num. 94.* & eodem Barbofa *ut supra verb. Eques Hierosolymitanus.* Insuper ex decreto Sac. Congregationis Concilij confirmato a SS. D. N. Urbano VIII. in Bulla *Exponi nobis* *tomo 4. Bullar. num. 78.* Constitutio Gregor. X V. de conseruatoribus, de qua late *cap. 10.* non afficit hos Equites Hierosolymitanos, nisi quoad Iudices conseruatores, eidemque Religioni ad huc ius eiusmodi Iudices conseruatores eligendi competit. Extat etiam Bulla Pij V. in Bullario Rodriguez *tomo 2. num. 24.* ubi priuilegia, & exemptiones huius Religionis confirmantur, & declarantur, & alia Gregorij XIII. in eodem *tomo 2. Bullar. Rodriguez num. 14.* circa idem intentum, & alia Sixti V. in eodem Bull. *num. 18.* de eadem re.
- 53 Specialiter ex declarationibus S. Congregationis, quas affert Barbofa *in Collectan. Bullar. verb. Fratres S. Ioannis Hierosolymitani*, huius Religionis Fratres, siue eorum Vicarij in Parochialibus Religioni vnitis, & ab ea dependentibus non tenentur, neque compelli possunt ad contributionem seminatij, solutionem Cathedralicis, Synodaticis, siue charitatiui subsidij. Tenentur tamen ad processiones accedere, & capellani ipsorum, qui administrant redditus Parochiae saecularis citati ab Episcopo in visitatione ad reddendam rationem, si non compareant possunt ab Episcopo

excommunicati. Refertur etiam ab eodem Barbofa ibidem *verbo Vicarius perpetuus Parochialis*, & *verbo Vicarius amouibilis* 9. declaratum esse a Sac. Congregatione Vicarios etiam amouibiles Ecclesiarum Parochialium vnitarum, & dependentium a Religione Hierosolymitana posse ab Episcopo examinari, & approbari, simpliciter scilicet, non autem ad tempus, nec posse eos pro libito subicere nouo examini, nisi superueniente rationabili causa, & suspicione ignorantiae. Refert etiam idem auctor dicto *verbo fratres S. Ioannis Hierosolymitani* *ut supra Pium V.* in Bulla *Circumspecta* anno 1561. concessisse praedictis Fratribus Capellani Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitanis quod possent a quocumque Catholico Antistite sub Romani Sedis obedientia constituto sacros Ordines etiam extra tempora a Iure statuta, tribus diebus festiuis suscipere, & in quibuscumque tam saecularium, quam Regularium Ecclesijs absque alicuius licentia etiam Altari portatili celebrare. Verumtamen haec Bulla non est Pij V. sed Pij IV. & cum contineat priuilegium contrarium Concil. Trident. & Bullae ipsius Pij IV. reuocatoriae priuilegiorum Concilij contrarium ideo caute procedendum, etiam si a posterioribus Pontificibus hoc, & alia priuilegia huius Religionis confirmata dicantur, cum Pontifices non confirmare soleant dicta priuilegia, nisi quatenus contraria non fuerint dicto Concilio.

- 54 Milites S. Iacobi vulgo de Spatha, instante Catholico Monarcha Philippo II. a Gregor. XIII. in Bulla *Romani Pontificis* *num. 30.* obtinuerunt, ut non obstante Constitutione Pij V. qua illis sublata erant licentiae, & facultates ad restandum, nihilominus testari possent ex vi praedictarum facultatum. Declaratum etiam dicitur a Sac. Congregatione non emittentes inter illos omnia tria vota substantialia Religionis minime incapaces esse Beneficiorum saecularium siue simplicium, siue Curatorum, nec etiam pensionum. Garzia *in additionib. ad suum tractatum de benefic. part. 1. cap. 4. num. 22.* Barbofa *in Collect. Bullar. verb. milites S. Iacobi de Spatha.* De alijs etiam, qui praedicta tria vota emittunt idem etiam probabile esse, dictum est *supra num. 43.*
- 55 Milites praeterea S. Iacobi de Alcantara, & Sanctae Mariae de Calatrava fruuntur gratijs, & priuilegijs ordinis Gisterciensis. Illi quidem ex priuilegio Leonis X. Constitut. 44. *tomo 1. Bullar.* isti autem ex Iulio II. Constitut. 16. in eodem *tomo 1. Bullar.* Insuper ex Gregor. XIII. in Constitut. *Romani Pontificis* eodem modo, ac milites S. Iacobi de Spatha obtinuerunt posse uti licentijs, & facultatibus ad restandum per Pium V. reuocatas.
- 56 Milites item S. Benedicti de Anis in Regno Portugalliae perfruuntur omnibus priuilegijs concessis, & concedendis Militibus S. Iacobi de Spatha, de Calatrava, & Alcantara, ex Gregor. XIII. in Constitut. *Ex Apostolica* *num. 32.* De his Rodriguez *tom. 1. q. Reg. in fine.*
- 57 Milites S. Lazari multis, magnisque priuilegijs, & gratijs decorati sunt a Pio I V. in Bulla *Inier assiduas* *n. 94.* quae tamen postea Pius V. successor declarauit, reformauit, seu reuocauit in Bulla *Scuti bonus* *n. 28.* Huic porro militiae alia sub S. Mauritij nomine vnita est a Greg. XIII. in Bulla *Pro commissa* *n. 7.* cui etiam priuilegia quaedam concedit in Bulla *Christiani populi* *num. 6.* Ex ea autem habetur hos milites S. Mauritij solum duo vota, castitatis scilicet conjugalis, & obedientiae emittere, ac perinde veros Religiosos non esse.
- 58 Ordinis quoque militaris S. Stephani Milites charitate, castitatem conjugalem, & obedientiam expresse promittunt, ut constat ex Bulla Pij IV. *His qua* *to. 2. Bullar. n. 60.* Cum autem ibi nihil habeatur de voto paupertatis, ideo videtur essentialiter Religiosos non esse, quantum ob professionem Regulae S. Benedicti Religiosi in dicta Bulla a Pontifice appellantur. Varijs etiam priuilegijs, videlicet exemptionis a iurisdictione ordinariorum, disponendi de acquisitis, dummodo quinta illorum partem Conuentui relinquunt, retinendi, & transferendi pensiones usque ad certam quantitatem, & alijs ab eodem Pio IV. in dicta Bulla decorati sunt.
- 59 Pro militibus etiam S. Spiritus in Regno Galliae extraneae Constitutiones Pauli V. inter Constitutiones ipsius *num. 42. & 44.* in quarum vna Pontifex dispensat in duobus statutis huius ordinis voto, & iuramento firmatis, altero de

ro de Communionis S. Eucharistiæ faciendæ die Congregationis generalis dicti Ordinis, & admissionis ad habitum alieuius, altero de exteris non admittendis in milites; in alia verò facultatem Henrico I V. Regi concedit statuta pro illius prospero regimine necessaria, & vtilia edendi, corrigendi, & immutandi. Nihil tamen de priuilegijs huic militari Ordini concessis ibi inuenio.

60 Ordo tamen militaris sub titulo, habitu, & Regula Ordinis nostri B. Mariæ de Monte Carmelo ab eodem Paulo V. in Bulla *Romanus Pontifex num. 41.* institutus postulante eodem Henrico I V. Galliarum Rege, priuilegia plura ab ipso Pontifice habet, videlicet facultatem pensiones habendi, exemptionem ab impositionibus, & grauariis, ac superioritate quorumcumque Ordinariorum, & gratiam indulgentiæ plenariæ tam in die, quam in ordine recepti fuerint Milites, quam singulis annis die 16. Iulij, qua festum B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo solemniter celebratur, ac in articulo mortis. Quas indulgentias non contineri sub generali reuocatione, indulgentiarum ab eodem Paulo V. facta constat, tum quia illa reuocatio facta fuit anno 1606. hæc autem concessio anno 1607. vel 1608. tum quia prædicta reuocatione solum videtur comprehendi indulgentiæ concessæ alijs Ordinibus non militaribus.

61 Demum sub SS. D. N. Urbano VIII. Ordo militiæ Christianæ sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, & Regula S. Francisci institutus, plura etiam ab ipso priuilegia concessa habet, videlicet exemptionis ab Ordinariorum iurisdictione, facultatis ad habendum pensiones certæ quantitatis pecuniæ, potestatis condendi statuta, & indulgentiarum. Constat hæc, & alia ad hanc militiam pertinentia ex duabus constitutionibus eiusdem Urbani in 4. tom. Bull. num. 11.

### SUMMARIUM CAP. VI.

- Regulares Hospitalarij qui sint. n. 1.  
 Plures Religiones habent, & habuerunt Hospitalia. *ibid.*  
 Veri Religiosi sunt omnes si emittant tria vota essentialia. num. 2.  
 Qui ea emittant. *ibid.*  
 Aliqui etiam quartum votum faciunt. n. 3.  
 Gaudent varijs priuilegijs à Sede Apostolica. n. 4.  
 Cruciferi quibus gaudent. *ibid.*  
 Fratres S. Antonij Viennensis. *ibid.*  
 S. Spiritus in Saxia. *ibid.*  
 Fratres B. Ioannis de Deo. *ibid.*  
 Prouident aliqui ipsorum aliqua beneficia. n. 5.  
 Hospitalia regularia subire debent conditiones Beneficij regularis. n. 6.  
 Quæ illis præcipiantur in Concil. Vienn. & à Clem. V. numero 7. & 8.  
 Quæ à Conc. Trid. num. 9. & 10.  
 An Hospitalia Regularia exempta sint ab Ordinariorum iurisdictione. n. 11.  
 Quid circa ipsa declaratum. *ibid.*  
 Quoad regularem obseruantiam eorum qui Hospitalibus assistunt, non subiunguntur Ordinarijs. n. 12.  
 Quid determinatum sit pro Fratribus B. Ioannis de Deo. num. 13.  
 Quid etiam pro habitu ab ipsis deferendo. n. 14.  
 An sint vel non materia simoniæ Administrationes, seu Rectoria Hospitalium. n. 15.  
 Bona ipsorum an alienari possint sine solemnitate requisita. num. 16.  
 An Rectores Hospitalium gaudeant priuilegio fori. n. 17.  
 Quid de Rectoribus Hospitalium non Regularium. *ibid.*  
 An ad illos transire possint aliæ Religiones. n. 18.

### De Regularibus Hospitalarijs, eorumque Iuribus, priuilegijs, & obligationibus. Cap. VI.

**R**egulares Hospitalarij ij sunt in præsentem, quorum Ordines super Hospitalitatem fundati sunt, vel sal-

Summa Lezana Tom. II.

tem Hospitalia habent, & in eis curam infirmorum, vel Peregrinorum exercent, eos charitatiuè medicando, vel suscipiendo, quales sunt Cruciferi, Fratres S. Antonij Viennensis, S. Spiritus in Saxia, S. Ioannis de Deo &c. de quibus sigillatim hoc capite dicendum. Miranda in *Manual. Prælat. tomo 1. quæst. 4. artic. 14.* Obiter etiam de alijs, qui etsi inter Mendicantes, Monachales, seu militares computentur, Hospitalium tamen quorundam curam habent, hæc enim ratione de illis modo agendum. Inter quos etiam recensentur Fratres Ordinis SS. Trinitatis, quibus Hospitalitas competere videtur ex Regula, cum in ea, quam ab Innocentio III. acceperunt in Bulla *Operante* anno 1198. in 1. tomo Bullar. num. 1. bonorum suorum partem operibus misericordiarum applicandam præcipiatur. Hinc plura habent Hospitalia. Ordinis etiam grauiissimi Prædicatorum Fratres Hospitalia habuisse constat ex Bullis Martini V. & Bonifacij VIII. quas refert Rodriguez *tomo 2. quæst. Regul. quæst. 62. art. 3.* aliorum etiam Ordinum Fratres Hospitalia habere pro comperto est.

2 De ijs id primò certum, & indubitatum, verè, & essentialiter Religiosos esse, si emittant saltem tria vota essentialia Religionis, videlicet obedientiam, castitatem, & paupertatem, prout Mendicantes, Monachos, & Canonicos Regulares emittere superioribus capitibus dictum est. Horum enim trium votorum emissio statim Religiosam constituit, iuxta sapius dicta tam in primo, quam in hoc secundo tomo Summæ. Illa autem emittere Cruciferos supponit Pius V. in Bulla *Nihil in Ecclesia* anno 1568. edita, in 2. tomo Bullar. num. 59. Fratres S. Antonij Viennensis Bonifac. VIII. in Bulla *Sane inter dilectos* anno 3. sui Pontificatus, & Fratres S. Spiritus in Saxia Innoc. III. in Bulla *Inter opera* in 1. tomo Bullar. num. 7. Ac demum Fratres B. Ioannis de Deo Paul. V. in Bulla *Romanus Pontifex* anno 1611. edita in 3. tomo Bullar. num. 69. vbi tria vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, & quartum seruiendi infirmis emittentes, verè, & propriè Religiosos, & Regulares esse, ac pro talibus habendos declarauit.

3 Emittunt etiam aliqui ipsorum videlicet Fratres B. Ioannis de Deo ex Clement. VIII. in Bulla *Romanus Pontifex* anno 1566. in 3. tomo Bullar. num. 44. & Paulo V. in Bulla superius relata, votum inseruiendi infirmis. Sin autem ex voto, siue ex Regula, vel Constitutionibus particularibus, tam hi, quam alij dicto ministerio, vel simili de Peregrinorum susceptione incumbant, iuxta regulas generales, de quibus *tomo 1. cap. 7. & 8.* dictum est, quanta sit obligatio ad id faciendum, pensari debet.

4 Gaudent varijs priuilegijs à Sede Apostolica illis concessis, etenim Cruciferi ab Urbano III. anno 1187. in Bulla *Cum Antecessor* in 1. tomo Bullar. exemptionem, & fabricandi Cæmeteria, ac Oratoria habuerunt. Deinde Gregot. XIV. in Bulla *Romanus Pontifex* 2. tomo Bullar. num. 13. priuilegia alias illis concessa confirmauit, ac omnia, & singula priuilegia Mendicantium, & non Mendicantium Ordinum concessit. Similiter Fratres S. Antonij Viennensis à Sanctiss. D. N. Urbano VIII. anno 1624. omnium Regularium Mendicantium, & non Mendicantium priuilegiorum communicatio concessa est, teste Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Fratres S. Antonij Viennensis*. Item Fratres S. Spiritus in Saxia à Sixto IV. in Bulla *Religionis zelus* anno 1483. in 2. tomo Bullar. numero 22. sub Sancti Petri protectione suscepti ab omni Ordinariorum iurisdictione exempti, & priuilegijs monachorum Sanctæ Iustinae decorati sunt. Fratres autem Beati Ioannis de Deo exempti sunt ab Ordinariorum iurisdictione per Paulum Quintum Constitutione *Romanus* 1619. Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Fratres B. Ioannis Dei*.

5 Habent aliqui ipsorum facultatem prouidendi non solum Hospitalia Religionis, sed etiam beneficia aliqua Regulari illi annexa. Id enim supponitur de Cruciferis à Pio V. in Bulla *Nihil in Ecclesia*, de qua supra num. 2. quibus tamen Pontifex ipse præscribit modum, & formam id faciendi. De Fratribus etiam S. Antonij Viennensis id etiam supponi videtur à Summis Pontificibus Greg. XV. &

M 2 Urbano



Urbano VIII. in Constitutionibus relatis à Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Fratres S. Antonij Viennens.* & de Fratibus S. Spiritus in Saxia ex Sixto IV. in *Bulla. Est vniversis* in 7. tōtio Bullar. inter Bullas huius Pontificis *num. 12.* & vt dicitur ex Paulo IV. Pio IV. Pio V. De huiusmodi autem Regularium beneficiorum naturam conditionibus, & alia ad ipsa spectantibus, lege dicenda *capit. 18.*

6 Huiusmodi autem Hospitalia Regularia Regularibus concessa subire debent conditiones beneficij Regularis, maximè quoad amouibilitatem, & inconstantem naturam ipsorum, ita scilicet vt ijs quibus conceduntur amoueri possint à Superioribus Religionis, iuxta dicenda *cap. 18.* Hoc enim necessarium est, tum propter vota paupertatis, & obedientiæ, quæ emittunt Religiosi, etiam Hospitalarij, tum propter naturam beneficiorum Regularium, quibus assimilantur. *Rodriguez tomo 2. questio. Regul. quest. 84. artic. 1.*

7 Præ oculis habenda semper est Hospitalarijs Regularibus, Hospitalium præcipuè Rectoribus Constitutio *Clem. V. seu Concilij Viennensis* quæ incipit *Quia contingit lib. 3. Clement. de Religiosis domibus cap. 2.* vbi sic habetur. *Quia contingit interdum quod Xenodochiorum, Leprosariorum, Eleemosynariorum, seu Hospitalium Rectores locorum ipsorum cura postposita, bona res, & iura ipsorum interdum ab occupatorum, & usurpatorum manibus excutere negligant, quinimo ea collabi, & deperdi, domos, & ædificia ruinis deformari permittunt, & non attento quod loca ipsa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerunt, vt pauperes infectique lepra recipientur inibi, & ex prouentibus sustentarentur illorum, id tenuunt inhumaniter facere: prouentus eisdem in vsus suos damnabiliter conuertentes: cum tamen ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant non ad alium (salua quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) conuerti. Nos autem incuriam, & abusum huiusmodi detestantes hoc sacro Concilio approbant, sancimus, vt ijs ad quos id de iure, vel statuto in ipsorum fundatione locorum apposito, aut ex consuetudine præscripta legitime, vel priuilegio Sedis Apostolicæ pertinet, loca ipsa studeant in prædictis omnibus salubriter reformare, ac occupata, deperdita, & alienata indebitè in statum reduci debitum faciant, & ad ipsarum miserabilium personarum receptionem, & sustentationem debitam iuxta facultates, & prouentus locorum ipsorum Rectores prædictos compellere non omittant. In quo si forte commiserint negligentiam, vel defectum, Ordinarijs locorum iniungimus, vt etiam si pia loca prædicta exemptionis priuilegio munita consistant: per se ipsos, vel alios impleant omnia præmissa, & singula, & Rectores eisdem, vtique non exemptos proptia, exemptos verò, & alios priuilegiatos Apostolica ad id auctoritate compellant, contradictores cuiuscumque status, aut conditionis existant, ac præbentes eisdem circa præmissa consilium, auxilium, vel fauorem, per censuram Ecclesiasticam, & alijs iuribus remedijs compescendo, nullum tamen per hoc exemptionibus, seu priuilegijs ipsis, quoad alia præiudicium generando. Hæc in dicta Constitutione.*

8 Subdit alia Concilium, quæ quia solum pro Hospitalibus secularibus dicta videntur, vt notat *Glossa in hac Clement. verb. præmissa,* & *Rodriguez tomo 2. questio. Regul. quest. 84. artic. 1.* ideo prætermittuntur. Sequentia tamen ad Regulares Hospitalarios diriguntur. *Premissa vero ad Hospitalia militarium Ordinum, aut Religiosorum etiam aliorum extendi minime volumus: quorum tamen Hospitalium Rectoribus in sanctæ Obedientiæ virtute mandamus, vt in illis secundum suorum Ordinum consuetudinem, & antiquas obseruantias prouidere pauperibus, & Hospitalitatem debitam in illis tenere procurent: ad quod per Superiores eorum, arcta districtione cogantur, statuta, aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in præmissis.* *Rodriguez vt supra §. notandum est.*

9 Notanda etiam sunt verba Concilij Trident. *sess. 7. cap. 15.* quibus etiam prædicta Clementina innovatur, videlicet: *Curent Ordinarij, vt Hospitalia quæcumque à suis administratoribus quocumque illi nomine censentur, etiam quomodolibet exemptis fideliter, & diligenter gubernentur,*

*Constitutionibus Concilij Viennensis, quæ incipit, Quia contingit,* forma seruata, quam quidem Constitutionem eadem Sancta Synodus innovandam duxit, & innovat cum derogationibus in ea contentis. Et etiam *sess. 22. cap. 8.* vbi hæc habentur. *Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à iure concessis, omnium piarum dispositionum tam in vltima voluntate, quam inter viuos, sint executores: habeant Ius visitandi Hospitalia, Collegia quæcumque, ac confraternitates laicorum etiam quas scholas, siue quocumque alio nomine vocant, non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia. Eleemosinas Montis pietatis, siue Charitatis, & pia loca omnia quomodocumque nuncupentur, etiam si prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis priuilegio sint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, iuxta Sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, priuilegio, aut statuto. Et eadem *sess. cap. 9. vbi sic.* Administratores tam Ecclesiastici quam laici fabricæ cuiusvis Ecclesiæ etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosynæ Montis pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & priuilegijs: quibuscumque in contrarium sublati, nisi secus forte in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut priuilegio, aut ex constitutione aliqua loci, alijs ad id deputatis ratio reddenda esset: tunc cum ijs adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes debitis administratoribus minime suffragentur. Hæc Concilium.*

10 Et similiter *sess. 25. capit. 8.* vbi post commendatam Hospitalitatem omnibus beneficiarijs tam secularibus, quam Regularibus subiungit. *[Illis verò qui Hospitalia vulgo nuncupata, seu alia pia loca ad Peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumque vsum præcipuè instituta in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesijs suis vnita obtinent, vel si Ecclesiæ Parochiales hospitalib. forte vnite, aut in Hospitalia erectæ, eorumque patronis in administrationem concessæ sint; præcipit omnino, vt impostum illis onus, officium, ne administrant, atque Hospitalitatem quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta Constitutionem Concilij Viennensis, alias in hac eadem Synodo sub fel. record. Paulo III. innovatam, quæ incipit. Quia contingit. Quod si Hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum, genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco vbi sunt dicta Hospitalia, similes personæ, aut per pauca reperiantur, mandat adhuc vt fructus illorum in alium pium vsum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior conuertantur, prout Ordinario cum duobus Capitulo, qui rerum vsu peritiores sint, per ipsum diligendis, magis expediri visum fuerit, nisi aliter forte, etiam in hunc euentum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expresse, quo casu, quod ordinatum fuit, obseruari curet Episcopus, aut si id non possit, ipse, prout supra, utiliter prouideat. Itaque si prædicti omnes & singuli cuiuscumque Ordinis, & Religionis, & dignitatis etiam si laici fuerint qui administrationem Hospitalium habent, non tamen Regularibus subiecti, vbi viget Regularis Obseruantia ab Ordinario moniti, Hospitalitatis munus, adhibitis omnibus ad quæ tenentur, necessarijs, re ipsa obire cessauerint; non solum per Ecclesiasticas censuras, & alia Iuris remedia ad id compelli possint: sed etiam Hospitalis ipsius administratione, curamque perpetuò priuari possint; alijsque eorum loco ab ijs ad quos spectabit substituantur. Et prædicti nihilominus, etiam ad fructuum restitutionem quos contra ipsorum Hospitalium institutionem perciperunt, quæ nulla eis remissione, aut compositione indulgentur, in foro conscientie teneantur, nec administratio, seu gubernatio huiusmodi locorum vni, & eidem personæ ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum repetatur, non obstante, quo-*  
ad om.

ad omnia supradicta, quacumque vñione, & exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu privilegijs, aut indultis quibuscumque. Super qua Rodriguez, vt supra sic habet: Vnde Prælati Regulares debent curare, vt in Hospitalitate non is habeatur delectus personarum, vt diuites potissimum inuidentur, qui cum scenore reddant quod acceperunt. Sed cum Regularium personarum domus nemini quantum per facultates licuerit clausas esse deceat, profecto illis maximè parere debent qui Dei voce, Sanctorum Patrum cohortationibus, exemplis, Sacrorum Conciliorum præcepto, & auctoritate nobis commendati sunt. Quia in re ne vlla fraus fieri possint, in eatur aliqua ratio Prælati Regulari probanda, qua ei constare possit, in quas personas fructus illi erogati fuerint. Quos autem compererit Prælati, vel iniquè distribuendo, vel in suorum commodum conuertendo, vel inutilibus, & superuacaneis sumptibus faciendis male in administratione versari, eos pro modo culpæ puniat, & ad restitutionem legitime compellat, & ab officio etiam si ei videbitur amoueatur. J. Hæc ibi.

11 Ex quo fit quod quamuis Hospitalia Regularium propter privilegia quorundam ex ipsis exempta essent omnino ab Ordinarij iurisdictione, sicut & alia loca ipsorum, modo tamen post Concilium Tridentinum standum est prædictis decretis ipsius, pro quo etiam Armendariz in *addit. ad recopilationem legum Navarrae lib. 1. tit. 6. de visitat. & Barb. in Collect. Bullar. verbo Hospitalarius*, has referunt, declarationes Sacræ Congregationis Concilij. Prima, Hospitalia omnia, & pia loca quocumque nomine nuncupentur, etiam si sint priuata laicorum, potest Episcopus visitare corrigere, & reformare in casibus à iure concessis, scilicet ob negligentiam, vel ob dilapidationem bonorum, vtque testatoris voluntas seruetur. Secunda, Hospitalia aliquod visitare volenti si opponatur exceptio quod sub immediata Regum protectione existat, non ad sæcularum Iudicem, sed ad Episcopum talis exceptionis cognitio, & definitio pertinet. Tertia, Hospitalium sub immediata Regum protectione existentium nomine non comprehenduntur, nisi ea quæ expressè reperiuntur sub immediata Regum protectione. Quarta, Hospitalia etiam vnitam quibus Ecclesiæ sunt, vbi assidue diuina Officia celebrantur, & bona eorum non sunt distincta, debent ab Ordinarijs visitari. Quinta, Hospitalia, & cætera loca pia visitat Episcopus vigore Concilij sess. 22. cap. 8. de reform. Sexta, Hospitalis computa, stante consuetudine, Episcopus vnà cum Magistro prædicti hospitalis recognoscere tenetur. Aliam etiam eiusdem Sacræ Congregationis declarationem, refert Barbosa super Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. qua constat declaratum fuisse Episcopum Abulensem posse visitare quoddam Hospitalia de Olmedo, non obstante quod administratio illius ad religiosos S. Hieronymi spectabat. Vide etiam alias Sacræ Congregationis declarationes apud eundem Barbosam in *Collectan. Bullar. verb. Administratores circa obligationem*, quam habent administratores hospitalium ad reddendam rationem Episcopis.

12 Quoad regularem tamen obseruantiam eorum Regularium qui hospitalibus assistunt, non subiiciuntur Ordinarijs. Ideo enim declaratum fuisse videtur ab eadem Sac. Congregatione hospitalia administrata à Fratribus S. Ioannis de Deo non esse exempta à iurisdictione Ordinarij, nisi solum quoad regularem obseruantiam. Barbosa in *Collect. Bullar. verbo Hospitalarius*.

13 Pro prædictis autem Fratribus B. Ioannis de Deo extat decretum Sacræ Congreg. Episcop. & Regular. quo decernitur, non posse per Ciuitates, & oppida deferre pallium, sed in itinere dumtaxat, cum pileo nigro, dummodo palliū huiusmodi sit coloris habitus cum bauato nigri colotis, & latitudinis sex digitorum, eique sporta semper feratur. Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Fratres Beati Ioannis de Deo*.

14 Pro habitu etiam ab ipsis deferendo extant decreta Summorum Pontificum Pij V. Sixti V. Gregor. XIV. S. Congreg. & executoria quædam in Hispaniæ supremo Consilio Matriti obtrata, de quibus Rodriguez tom. 1. q. Regul. q. 76. art. 4.

15 Hospitalium administrationes, siue Rectoriæ si habeant spirituales functiones, curam scilicet animarum, Sacra-  
*Summa Lezana. Tom. II.*

mentorum administrationem, &c. materia sunt simoniæ, & si vendantur, aut emanent peccatum simoniæ committitur. Quia sunt res spirituales. Si autem tantum habeant temporales functiones, curam videlicet infirmorum, vel gubernationem œconomicam domus, vel familiaris, quamuis non sint materia simoniæ iuris naturalis, aut diuini, cum nullam spiritualem functionem includant, vt supponitur, videtur tamen esse materia simoniæ iuris Ecclesiastici, ex cap. *Saluator 1. quest. 3.* vbi videtur prohiberi venditio officij administratoris rerum Ecclesiasticarum, qualia sunt bona hospitalium Religiosorum, de quibus in præfenti. Suarez tomo 1. de Religio. lib. 4. de Simonia cap. 27. à num. 11.

16 Bona hospitalia pertinentium ad Regulares alienari non possunt, nisi loquendo de bonis mobilibus non pretiosis, & eo modo, quo dictum est tomo 1. cap. 10. à num. 1. & in hoc 2. tomo cap. 19. à num. 54. Sunt etenim bona Ecclesiastica, & Regularium, vnde de illis eodem modo Philosophandum est, ac de alijs bonis Regularium. Imò & bona cuiuscumque hospitalis auctoritate Episcopi fundati, & erecti alienari nequeunt sine solemnitate à iure requisita. Sunt enim, vel censentur esse Bona Ecclesiastica piorum locorum. Quaranta in *Summ. Bullar. verb. Alienatio num. 28. & 41.* Bonacina de *contractib. disput. 3. q. 8. punct. 4. num. 21.*

17 Rectores hospitalium Regularium imò etiam aliorum hospitalium auctoritate Ordinarij rectorum gaudent privilegio fori, non solum si illi Regulares sint, sed etiam si tales non fuerint, quia censentur personæ Ecclesiasticæ, sicut, & ipsa hospitalia Ecclesiastica sunt. Barbosa de *offic. & potest. Episcopi alleg. 12. num. 40.* Diana *Tractat. 1. de immunit. Ecclesiast. resol. 66.*

18 Declaratum est à Sac. Congregatione apud Quarantam in *Summ. Bullar. verb. Monasteria, & Conuentus S. quoad transitum*, & Barbosam in *Collectan. Bullar. verb. Clausuales*, non licere Regularibus Clausualibus transire ad non Clausuales hospitalarios ex vi licentiarum generalium transeundi ad quamlibet Religionem. Si tamen Hospitalarij fuerint claustrales credo non comprehendí hoc decreto, quod solum loqui videtur de non claustralibus.

SVMMARIVM CAP. VII.

- Eremita nomen vnde sumptum. n. 1.*
- Tria personarum genera comprehendit. ibid.*
- Quia tria vota substantia Religionis non emittunt, Religiosi non sunt. n. 2.*
- Possunt tamen analogicè, & aliquo modo Religiosi nuncupari. ibid.*
- Vnde nec sunt inhabiles ad Matrimonium. n. 3.*
- Nec modus viuendi illorum irritat Matrimonium. ibidem.*
- Testamentum condere possunt. ibid.*
- An sint discendi persona Ecclesiastica. n. 4.*
- An gaudeant privilegio fori. n. 5.*
- An privilegio Canonis. n. 6.*
- An exemptione à gabellis. n. 7.*
- Qui sint illi de quibus declaratum est à S. Congregatione non esse tollerandos ab Ordinarijs. n. 8.*
- Modus viuendi quorundam istorum expositus est multis periculis. ibid.*
- Qui votum vite Eremitica promiserunt an validum sit eorum votum. n. 9.*
- Qui, & quando tenentur illud adimplere. ibid.*
- Vita Eremitica commendata est iure communi. ibid.*
- Quid ad hoc requiratur. ibid.*

De Eremitis, eorumque obligationibus, & privilegijs.  
Cap. VII.

1 Eremitarum nomen quod ab Eremo, seu solitudine sumptum est (idem enim est Eremita, ac Eremiticola)

tria personarum genera in presenti denotare potest. Primum Religiosorum qui vel propter vitam Eremiticam, quam in prima sui institutione gesserunt, vel quia etiam modo in locis desertis degunt, Eremitæ vocantur, quales sunt non solum Carmelitæ, qui Eremitæ Montis Carmeli ob talis Montis habitationem in Bullis Põnicum nuncupantur, & modo aliqui ipsorum (Patres videlicet Discalceati) magna cum populi Christiani ædificatione in quibusdam Eremitis commorantur, Augustiniani, qui etiam Eremitæ dicuntur, Camaldulenses, Eremitæ S. Hieronymi B. Petri de Pisis, Montis Senatorij, & alij huiusmodi. Secundum, eorum qui etsi tria vota substantialia Religionis non emittant, tamen sub speciali obedientia alicuius Superioris Ecclesiastici v. g. Episcopi, ex voto, vel pacto alicui Ecclesiæ, Eremitorio, vel loco sacro deputati deserviunt, vel in communitate, vel separatim. Tertium, eorum qui neque sub obedientia speciali alicuius Superioris Ecclesiastici, neque ex professione alicuius Regulæ, vel Religionis institutione, sed ex mera voluntate in Eremitis, aut locis desertis morantur. De hoc secundo, & tertio genere Eremitarum loquimur in presenti, eo quod aliquam speciemus Religiosorum formam seruent, nam de primo cum verè Religiosi sint sub Monachis, vel Mendicantibus comprehensû, satis est dictum in superioribus. Syluester verb. *Eremitæ*, Suarez 4. *tomo de Religio. tractat. 9. lib. 1. cap. 2.*

- 2 Non sunt prædicti Eremitæ verè, & propriè Religiosi. Cum tria vota Religiosi substantialia non emittant, nec proficiantur aliquam Regulam approbatam, vel dato quod castitatem, aut aliquod genus paupertatis, vel obedientiæ promittant, id est mere priuatè, & non solemniter, sed per modum voti simplicis. Suarez 4. *tomo de Religio. tract. 9. lib. 1. cap. 2.* Possunt tamen secundum, quid, analogicè, & lato modo Religiosi nuncupari si aliquod, vel aliqua ex votis essentialibus Religionis emittant quatenus imperfectè, & incompletè rationem status Religiosi participant. Idem Suarez *tomo 3. de Relig. lib. 2. cap. 2. num. 18.*
- 3 Unde etiam nec sunt inhabiles ad Matrimonium contrahendum, nec modus ille viuendi irritat Matrimonium ratum: cum hæc sint solum priuilegia votorum solemnium, quæ in Religione approbata emittuntur. Si tamen votum simplex castitatis emiserunt, illicitè Matrimonium contrahent, sicut generaliter per votum simplex castitatis non dirimitur, sed impeditur Matrimonij contractus. *Cotnexo tomo 2. in 3. part. tract. 6. de impedim. Adarim. dub. 40.* Hinc etiam testamentum condere possunt, seu testari, cum non sint Religiosi, nec tribus substantialibus voti Religionis ligati. Syluester verb. *testament. 1. quest. 3.* Molina *tomo 1. de iust. disp. 141. colum. 1.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 8. num. 40.*
- 4 Eremitæ tertij generis assignati non sunt dicendi personæ Ecclesiasticæ, nisi alias sint sacris initiati, cum nec Religiosi, nec Clerici sint, nec specialiter Deo dicati, aut alicui ministerio Ecclesiastico addicti. Rodriguez *tomo 2. quest. Regular. quest. 62. art. 20.* & *tomo 3. quest. 74. art. 11.* Eremitas autem secundi generis existimò inter personas Ecclesiasticas numerari debere, cum sub obedientia speciali Superioris Ecclesiastici specialiter Deo dicati, & ministerio Ecclesiastico destinati viuant, vt propterea ad aliquibus, infra *num. 6.* referendis priuilegio etiam Canonis perfrui dicantur. Layman *in Theolog. mor. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4.* Laurentus de Franchis *in controuers. Episc. & Regul. in quest. 9. 41.* vbi etiam idem videtur dicere de Eremitis secundi generis.
- 5 Nec gaudent priuilegio fori, sed subiecti manent potestati secularis prædicti Eremitæ tertij generis, nisi forsitan in sacris constituti sint, propter dicta supra, quia scilicet non sunt personæ Ecclesiasticæ, aut sub obedientia Ecclesiastici Superioris, aut Deo specialiter dicati, vel alicui ministerio Ecclesiastico addicti viuant. Rodriguez *tomo 2. 9. Regul. quest. 62. art. 20.* Eremitas autem secundi generis probabile est, propter oppositam rationem, priuilegio fori gaudere, sicut etiam priuilegio Canonis, vt infra dicitur. Fauret Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 12. num. 43.* Laurentus de Franchis *num. preced. relatus.*
- 6 Eodem etiam modo de priuilegio Canonis Philosophari

potest, ita scilicet, vt Eremitæ tertij generis assignati illo non fruatur, nec illos percutientes in sententiam excommunicationis incidant, nisi forsitan in sacris constituti fuerint. Eremitas autem secundi generis prædicto priuilegio potiri. Ratio est ex dictis, quia isti, & non illi sunt personæ Ecclesiasticæ Deo specialiter dicatæ, & Ecclesiastico obsequio addicti. Suarez *tom. 5. in 3. par. disput. 22. sess. 1. num. 22.* Nauarrus *in Manual. cap. 22. num. 79.* Layman *in Theolog. moral. lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4.*

- 7 Pari modo de exemptione à gabellis, collectis, & tributis videtur dicendum, ita vt Eremitæ secundi generis, sicut priuilegio Canonis, & fori potiuntur eo quod sint personæ Ecclesiasticæ, sic etiam propter eandem rationem, exemptione hac à gabellis, & tributis gaudeant, Eremitæ autem tertij generis, propter oppositam rationem, non fruuntur hac exemptione. Fauret Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 12. num. 42. & 43.*
- 8 Ex quo fit declarationem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium quam affert Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Eremita* qua dicitur, Eremitas tam sceminas quam viros Eremiticam vitam ducentes non esse tolerandos ab Ordinarijs, intelligi debere de Eremitis tertij generis, eorum namque modus viuendi multis periculis expositus est, & inter eos multi reperri sunt sceleratè viuentes. Eremitæ autem secundi generis, cum eorum viuendi modus laudabilis sit, & honestus non videntur comprehendere hoc decreto. Vide dicenda *num. seq.*
- 9 Ex quo etiam fit quod illi qui voto promiserunt vitam Eremiticam gerere, si de vita quam gerunt Eremitæ secundi generis intelligatur, votum validum est, & obligatorium, cum sit de re honesta, & laudabili. Si autem de vita quam gerunt Eremitæ tertij generis intelligatur, votum videtur nullum, quia est de re non solum periculosissima sed etiam quæ videtur ab Ecclesia reprobata, vt patet ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium adducto. Fauret quidem quod si aliquis in orationis, & aliarum virtutum exercitio satis versatus amore vitæ solitaria, & contemplationis in ipsa exercenda tale votum emisisset, accedente Ordinarij consensu, tenetur illud adimplere. Quia in tali persona modus ille viuendi melior esset, & accedente consensu Ordinarij videretur permissus. Sanchez *lib. 4. operis moral. cap. 16. num. 10.* Præsertim quia vita Eremitica commendata videtur iure communi, vt patet *16. q. 1. cap. qui verè*, vbi sic: *Qui verè, pureque solitariam eligunt vitam, digni sunt conuenienti honore.* Videtur tamen ad hoc requiri viuete sub obedientia Episcopi, vel Ordinarij, vt colligitur ex *11. quest. 3. cap. si autem, & ex dist. 93. cap. nulla ratione.* Vide Laurentum de Franchis *in Contron. Episcop. & Regular. in quest. 941.*

#### SVMMARIUM CAP. VIII.

- Conuersi, Laici, Donati, Oblati, seu Commissi qui sint. *num. 1.*
- Qui tria vota substantialia emittunt sunt verè Religiosi. *num. 2.*
- Qui ea non emittunt, etiamsi vnum, vel duo, non sunt verè Religiosi. *num. 3.*
- Requiritur etiam quod tria vota sub approbata regula emittant. *num. 4.*
- Dicuntur personæ Ecclesiasticæ simpliciter, vel aliquo modo, iuxta ipsorum conditionem. *num. 5.*
- An gaudeant priuilegio canonis. *num. 6.*
- An priuilegio fori. *num. 7.*
- An exemptione à gabellis, & tributis, & qua conditiones ad id requirantur. *num. 8.*
- Qui sint illi qui non sunt verè Religiosi. *num. 9.*
- Vxorati an possint esse oblato. *num. 10.*
- Quid exigatur vt fruamur priuilegijs fori, & immunitatis à gabellis. *num. 11.*
- An sint capaces proprii. *num. 12.*
- Conditiones ad eos ex Conc. Trid. requisita. *num. 13.*
- Cui acquirant. *num. 14.*
- Qui censentur bona etiam futura Monasterio dedidisse. *num. 15.*
- An possint testari. *num. 16.*

- Ad quem deveniant bona Oblati gravati onere quod transeant ad aliquem tertium si sine filijs decesserint. n. 17.*  
*An possint ad Prælatias, seu dignitates Ordinum assumi. num. 18.*  
*Quid si statuta Religionis id permittant. ibid.*  
*An possint esse socij, aut discreti, habere vocem activam. num. 19.*  
*Que officia possunt habere. n. 20.*  
*An possint ad alias Religiones transire. n. 21.*  
*An debeant permitti ad sacros Ordines promovendi. n. 22.*  
*Quid si aliquis oppositum fecerit. ibid.*  
*Tenenentur ad certas Orationes recitandas. n. 23.*  
*Decreta Clem. VIII. & Urban. VIII. pro ipsorum receptione, educatione, &c. num. 24.*  
*Quomodo intelligenda. ibid.*  
*Non possint Conuersi recipi, aut professionem emittere nisi in Conuentibus approbatis à Sac. Congregat. n. 25.*  
*Quid si aliqui contra formam prædicti decreti fuerint recepti, aut professi. ibid.*  
*Pœna contra transgressores. n. 26.*  
*Gratia concessa per S.S. D.N. Urbanum Carmelitis. n. 27.*  
*Quomodo intelligenda prædicta decreta. n. 28.*  
*Circa fœminas Oblatas, seu Donatas, quid declaratum. num. 29.*  
*Quibus privilegij gaudeant Conuersi. n. 30.*  
*Quibus gaudeant Oblati, seu Donati maxime Carmelitarum. ibid.*  
*Quid de aliorum Ordinum Oblatis, & Donatis. n. 31.*  
*Quid de fœminis, seu Nouitijs. ibid.*  
*Quomodo intelligatur privilegium Gregor. IX. pro Oblatis Carthusiensium, & Sixti Quarti pro Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini. n. 32.*  
*Concessio Calixti III. pro Conuersis. n. 33.*  
*Item alia Leonis X. ibid.*  
*An valeant hoc tempore. ibid.*  
*Concessio Sixti Quarti pro Conuersis Augustinianis. ibid.*  
*An iure communi possint Conuersi tangere sacra vasa, & vestes, &c. num. 34.*  
*Concessio pro Conuersis Bigamis, aut homicidis. n. 35.*  
*Quid de illa sentiendum. ibid.*

## De Conuersis, Laicis, Oblatis, Donatis, seu Commissis Regularibus, eorumque Iuribus, Obligationibus, & privilegij. Cap. VIII.

- C**onuersi siue Laici illi dicuntur, qui se, & sua Religione obrulerunt, habitu mutato, professione emissâ, extra Chorum tamen, & obsequijs humilioribus Monasteriorum sunt addicti. Oblati verò, seu Donati, aut Commissi, qui etiam apud nostros vocantur Semifratres, ij sunt qui se, & sua dicarunt Monasterio, habitu tamen non mutato saltem simpliciter. Abbas in cap. non est de Regul. Rodriguez tomo 3. quest. Regul. quest. 21. art. 1. Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 7. num. 9. Rursus huiusmodi Oblati, seu Donati in aliquibus Religionibus, seu locis, tria vota essentialia Religionis emittunt, in alijs verò non nisi duo tantum, vnum, vel nullum. Ij etiam, qui professionem emittunt aliquando id faciunt expleto anno Nouitiatus, vt inter nostros in Prouincijs Hispaniarum, aliquando non nisi post multum tempus ad arbitrium Superiorum, vt in Congregatione RR. PP. Discalceatorum Ordinis nostri, inter quod ad professionem solemnem post sex annos, & ad simplicem post duos admittuntur. Ex 2. par. Constitut. cap. 3. num. 2. & 5. De omnibus ijs sigillatim est modo dicendum.
- 1** Et primò certum tam Conuersos, seu Laicos, quam Oblatos, Donatos, seu Commissos, esse, & fore verè censendos Religiosos, si tria vota Religionis essentialia, obedientiam scilicet castitatem, & paupertatem promittant, horum enim votorum emissio essentialiam Religiosus status constituit, vt saepe visum est tam in hoc quam in 1. tomo huius Summæ. Specialiter cum Gregor. XIII. anno 1575. pro Congregatione S. Benedicti Vallisoletani de Summa Lezana. Tom. II.

clarauerit eos qui in præfata Congregatione sub habitu Donatorum tria prædicta vota emittunt esse verè Religiosos. Rodrigu. tomo 3. quest. Regul. quest. 69. art. 8. & quest. 52. art. 7.

- 3** Sic etiam secundò certum eos ex prædictis qui tria prædicta Religionis vota non emittunt, etiam si vnum, aut duo emittant vota, habitum ordinis deferant, & sub obedientia sint Prælatorum illius, verè Religiosos non esse, cum in eo quod est essentialia statui Religioso deficiant. Id enim constat ex toto operis huius discursu.
- 4** Nec sufficit ad hoc quod prædicti Conuersi, Laici, Oblati, Donatis, &c. sint, & dicantur verè Religiosi quod prædicta tria vota emittant, nisi etiam promittant illa sub Regula aliqua, & Religione approbata, iuxta dicta tomo 1. cap. 2. num. 1. & colligitur ex cap. unico de voto, & voti redempt. in 6. Vnde si aliquis voueret hoc modo: Promitto obedientiam castitatem, & paupertatem, nisi adderet secundum regulam huius, vel illius Ordinis &c. non esset verè Religiosus. Nauarrus lib. 3. consil. tit. de Regul. consil. 49. Rodriguez tomo 3. quest. Regul. quest. 21. art. 1. & quest. 78. art. 2. in fine. Vbi supponit aliquarum Religionum Oblatos ita profiteri, quod mihi incertum est.
- 5** Nihilominus tam prædicti Conuersi, Laici, Oblati, Donati, seu Commissi veram professionem dicto modo emittentes quam alij qui non eam emittunt, si tamen se, & sua Religioni perpetuo offerant, & in Monasterijs viuunt habitu aliquo mutato sunt dicendi personæ Ecclesiasticæ. Et quidem loquendo de prioribus res est indubitata, cum illi sint verè Religiosi, Religiosi autem Ecclesiasticæ personæ sint. Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 12. num. 38. & alij quos citat. De posterioribus autem id constat quia sunt personæ Deo dicatæ, & deuotæ, habitu, & habitatione Religiosis similes, multaque de ipsis participantes. Couarrubias in capit. Alma mater 2. par. §. 2. num. 8. Rodriguez tomo 2. quest. Regul. questio. 123. artic. 1. & tomo 3. quest. 1. art. 8. Si autem huiusmodi Oblati in Monasterijs non viuunt, aut habitum aliquo modo non mutant, solum secundum quid, & largo modo personæ Ecclesiasticæ dici poterunt, cum censeantur personæ Deo simpliciter dicatæ. Glossa verbo mutato habitu, & alij Canonistæ quos sequitur Rodriguez vt supra.
- 6** Hinc non solum prædicti Conuersi, Laici, Oblati, seu Donati qui veram professionem emittunt (cum sint verè Religiosi) sed etiam ij qui, vt dictum est, se, & sua Monasterio tradiderunt, & in ipso viuunt, habitu aliquo mutato gaudent priuilegio Canonis Si quis suadente, ita vt illos percutientes in excommunicationem incidant. Sunt enim vt dictum est personæ Ecclesiasticæ. Quod fecus videtur dicendum de ijs qui in domo sua manent. Hostiensis in cap. non est dubium de sent. excommunic. Rodriguez tomo 3. quest. Regul. q. 21. art. 4.
- 7** Idem dico, & propter eandem rationem, de priuilegio fori, ita scilicet vt eo potiantur non solum ij qui verè professionem emittunt, sed & illi quoque, qui etsi illam non emittant, se tamen & sua Monasterio tradiderunt, & in eo viuunt habitu saltem aliquo mutato. Barbosa de offic. & potest. Episc. alleg. 12. num. 39. & alij apud ipsum. Vide tamen conditiones à S. Congregatione ad hoc requisitas de quibus infra num. seq.
- 8** Pariter etiam de exemptione à gabellis, & tributis secularibus exempti sunt Conuersi, & Oblati prædicti qui veram professionem trium votorum emittunt, cum sint verè Religiosi, & Ecclesiasticæ personæ. Flores de Mena variar. lib. 2. quest. 21. num. 194. Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 12. num. 38. Illi etiam Oblati qui etsi veram professionem non emittant, se tamen & sua Monasterio tradiderunt, & in eo degunt habitu aliquo modo mutato vt dictum est, cum sint vere personæ Ecclesiasticæ, iuxta superius dicta, etiam gaudent eodem priuilegio. Vt autem tam ipso, quam priuilegio fori potiantur animaduertendæ sunt declarationis Sacræ Congregationis Concilij circa hoc, quas referuntur Aldan. in Compend. Canon. resol. lib. 1. titul. 10. num. 14. & 15. Barbosa in Collectan. Bullar. verb. Oblati. Prima est, Oblati alicuius Religionis priuilegio, ac exemptione ita demum debent potiri, si in forma iuris valida perpetuo, irreuocabilitet, plenè, & cum effectu se ipsos, & bona sua omnia præsentia, & futura, nullat

- protus, quamuis minima eorum portione neque in proprietatem, neque in usufructum sibi reseruata Religioni obtulerint, & habitum aequaliter mutauerint. Quod si omnia praedicta simul non concurrant, neque fori priuilegio, neque immunitate à secularibus exactionibus frui possit, ut in sequentibus casibus. Primò, cum quis obtulit personam cum reseruatiōe honorum. Secundò, cum obtulit personam nulla bonorum facta mentione, quippe quæ non includuntur in simplici oblatione personæ. Tertio, cum obtulit personam, & aliquam tantum partem bonorum, quamuis maiorem. Quarto, cum obtulit bona omnia praesentia, & personam reseruato usufructu. Quintò, cum obtulit personam, & bona omnia, praesentia tantum. Sextò, cum obtulit personam, & bona omnia, praesentia, & futura, sed postea à Superiore Religionis aliquam eorum partem quamuis minimam, in emphyteusim recepit. Septimò, cum obtulit bona, vel omnia, vel partem eorum absque personam, quo casu persona offerens fori priuilegio non gaudet, sed bona in Religione cum effectu translata sunt immunitate à secularibus, dummodo offerens usufructum eorum sibi non retineat, eo namque casu bona immunitate non sunt, etiam quoad proprietatem. His tamen omnibus casibus quibus Oblati à priuilegio, & exemptione à iure communi excluduntur, seruanda est cuiusque Religionis consuetudo cuius vigore ipsi tale ius priuilegij, vel exemptionis acquisiuerint. Secunda, Oblati, qui omnia supra dicta adimpleuerint fori priuilegio, & supra dicta exemptione gaudent, siue ante, siue post de licentia Superioris Religionis Matrimonium contraxerint. Tertia, Oblati etiam quoad delicta ante oblationem commissa fori priuilegio gaudent, & à iurisdictione Iudicis laici liberati sunt; puniri debent à Iudice Ecclesiastico, si modo absque fraude, id est, non animo effugiendi secularis Iudicis punitionem, se, & sua obtulerint; quod si fraus subit possunt à Iudice laico puniri poena confiscationis bonorum, & alia pecuniaria, sed non corporali, illique remanent subiecti, quoad causam, & bona, sed non quoad personam; debet tamen Iudex Ecclesiasticus, si delicti qualitas id exposcat, tradere tales in fraudem Oblatos Iudici seculari corporaliter puniendos. Aldana, & Barbosa, ut supra.
- 9 Ex huiusmodi autem declarationibus habetur primò id quod supra num. 1. dictum est, esse scilicet aliquos ex huiusmodi Oblatis, seu Donatis qui non sunt verè Religiosi, nec tria vota essentialia Religionis emittunt, si quidem supponitur à Sacra Congregatione aliquos illorum proprium habere, & vxorem ducere posse, quæ repugnant verè Religioso.
- 10 Sequitur secundò posse vxoratos admitti in Oblatos Religionum professionem non emittentes, imò post oblationem, factam posse de licentia Superioris Religionis Matrimonium contrahere. Intelligit tamen si forte votum castitatis non emiserunt. Ita enim supponitur in secunda declaratione adducta. De quo Couarrubias in cap. Alma mater 2. part. §. num. 8. Rodriguez to. 3. q. Regul. q. 1. art. 8. & alij apud ipsum.
- 11 Sequitur tertio quod ad fruendum priuilegio fori, & immunitatis à gabellis, & secularibus exactionibus requiritur, ut oblatio praedictorum sit perpetua, & irrevocabilis, prout habetur in prima declaratione adducta. Estque id iuri communi conforme capit. per exemptionem de priuileg. lib. 6. cap. cum plantare §. ultim. cap. tuarum. Ut ex communi Doctorum assert Rodriguez tomo 3. quest. Regul. quest. 1. art. 8.
- 12 Sequitur quartò, quod licet tam Conuersi quam Oblati veram professionem emittentes capaces non sint proprii cum sint veri Religiosi, quibus repugnat proprium habere, iuxta dicta tom. 1. cap. 6. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 34. num. 1. Illi tamen Oblati, seu Donati qui professionem non emittunt, proprii capaces sunt, ut supponitur in prima declaratione S. Congregationis supra adducta. Sanchez ut supra. Priuantur tamen ab eadem S. Congreg. priuilegio fori, & immunitate à gabellis, & exactionibus secularibus, ut in dicta declaratione habetur.
- 13 Quia verò in Concil. Trident. sess. 24. cap. 11. priuilegia, & exemptiones Oblatis concessa, vel concedenda limitantur solum ad eos qui intra septa Monasteriorum, & sub eorum Obedientia viuunt, ideo ad hoc quod praedicti,
- Oblati his priuilegijs fruuntur praedicta conditio necessaria est.
- 14 Similiter licet praedicti tam conuersi, quam Oblati, seu Donati qui professionem trium votorum faciunt non adquirent sibi, sed Religioni, cum quidquid Religiosus acquirat Monasterio acquirat, iuxta dicta tom. 1. cap. 6. nihilominus alij Oblati, seu Donati, qui professionem non emittunt sibi acquirere possunt, quando scilicet non tradiderunt Religioni siue Monasterio nisi solum bona praesentia, non futura, & in eorum bona legitimi ipsorum heredes succedunt, in ea videlicet quæ Monasterio non obtulerunt. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 34. num. 1. Priuantur tamen à Sacra Congregatione verbis adductis num. 8. priuilegio fori, & immunitate à gabellis, & exactionibus secularibus.
- 15 Oblati qui tantum simpliciter bona sua Monasterio dedicauerunt non censentur dedicasse bona futura, quia in simplici dedicatione bonorum non comprehenduntur, nisi praesentia. Tapia Auth. ingressi verb. sua cap. 10. num. 14. Sanchez lib. 7. in decalog. c. 34. num. 1.
- 16 Quamuis tam conuersi, quam Oblati, seu Donati qui veram professionem trium votorum faciunt non possunt testari, quia isti sunt veri Religiosi, quibus testari est prohibitum, iuxta dicta tom. 1. cap. 9. Nauarrus comment. 2. num. 45. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 8. num. 41. & communiter omnes. Oblati autem, seu Donati non emittentes professionem, si aliqua bona sibi reseruauerunt de illis testari possunt, cum sint veri Domini ipsorum, secus autem si se, & omnia sua praesentia, & futura Monasterio tradiderunt, cum isti nihil habeant proprium, de quo testari possunt. Rodriguez tomo 3. quest. Regular. quest. 69. art. 8. Nec video quomodo Sanchez, ut supra num. 42. oppositum dicere possit.
- 17 Si aliquis fiat Oblatus (ex ijs, qui, ut dictum est, veram professionem non emittunt) grauatus eo onere ut illius bona transeant ad aliquem tertium si sine filijs decesserit, talia bona non veniunt ad Monasterium. Tum quia adhuc facta tali oblatione potest vxorem ducere, & habere filios, tum quia esto id non esset, priuilegium tamen authent. de Sanctiss. Episcop. §. sed & hoc praesentibus ibi deciditur, tali grauato proficiente Religionem illa bona pertinere ad Monasterium, solum loquitur de Religiosis. Angelus verb. heres num. 16. Tabiena quest. 12. num. 13. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 16. num. 28. Quid autem sit dicendum si talis Oblatus veram professionem emisisset, constabit ex dicendis c. ult. num. 28.
- 18 Non possunt praefati Conuersi, seu Oblati quamuis professionem in Religionibus emisissent ad Praelatas, seu dignitates illarum assumi, seu eligi. Quia ad hæc munera non possunt assumi nisi in Sacris constituti, iuxta dicta tom. 1. cap. 18. num. 5. & capit. 1. de atat. & qualitat. & Concil. Trident. sess. 24. capit. 12. Vnde merito Minores, inter quos praedicti ad dicta munera assumebantur hunc usum reliquerunt in Capitulo quodam Generali, praesente, ut dicitur Gregor. IX. Casarubius in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Laici Fratres. Si tamen casu aliquo, siue in hac, siue in alia Religione ad praelatas aliquis conuersus assumatur, de illo Philosophandum eodem modo, ac de Abbatissis dictum est tom. 1. cap. 26. quod scilicet exercere non posse actus veræ iurisdictionis spiritualis, cuius capax non est laicus, ut sunt imponere censuras suis subditis, dispensare in votis illorum, aut illa commutare, bene tamen imponere illis praecipua etiam obligantia ad culpam, iuxta grauitatem, vel leuitatem materiae, cogere ad obseruantiam Regulae, vel Constitutionum, punire illos propter transgressionem, irritare vota &c. quia hæc pertinent ad potestatem dominatiuam cuius capax est laicus & Conuersus. Suarez 4. tomo de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3. num. 20. Cornexo tomo 2. in 3. part. tract. 5. de excommunicat. disp. 2. dub. 5.
- 19 Nec possunt in Religionibus praedicti Conuersi, Laici, aut Oblati quantumuis professi, esse socij, aut discreti pro Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus, seu esse Definidores, aut illa munera exercere, quibus annexum est habere vocem actiuam, aut passiuam pro electionibus Praetorij, qualia sunt esse, socios, seu assistentes Generalium, vel Prouincialium. Ratio sumitur ex Clem. ut ij qui, de atat. & qual.

qual. ac ex Cōc. Trid. sess. 22. c. 4. vbi habetur, nullam habere vocem in Capitulis nisi in Subdiaconatus Ordine ad minus constitutus sit, etiam si hoc sibi ab alijs libere concedatur. Cum ergo prædicta munera importent facultatem habendi vocem in Capitulis pro electionibus Prælatorum non poterunt competere Laicis Conuersis, seu Oblatis prædictis. Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 15. art. 2. Vide dicta tom. 1. cap. 15. n. 3. & 4. Pro electionibus autem aliorum Officialium Conuentuum facilius tolerari potest consuetudo si legitimè præscripta sit in aliquibus Religionibus quod prædicti ad illas vocentur, & in illis habeant vocem.

20. Possunt nihilominus prædicti Laici, Conuersi, Oblati &c. habere in Religionibus officia alia manualia, quibus nec competit cura animarum, nec est annexum habere vocem actiuam, vel passiuam pro electionibus Prælatorum, vt sunt esse Procuratores Monasteriorum, Sacristas, Oeconomos, &cet. Cum enim hæc nullo iure prohibeatur illis concedi, aut præcipiatur solùm in Sacris constitutis conferri, ideo si particularia statuta Religionum non contradicant poterunt ipsis concedi. An verò Laici, vel Conuersi Sacristæ munus gerentes possint tangere Sacra Vasa, corporalia, aut vestes dicitur inferius num. 33. & 34.

21. Conuersi, Laici, seu Oblati, &c. professi possunt ad alias Religiones transire, sicut, & alij Religiosi, iuxta dicta tom. 1. cap. 22. & cum conditionibus ibidem assignatis. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. n. 1. De Oblatis autem, seu Donatis non emittentibus professionem trium votorum, sed se, & suo Monasterio donantibus aliqui dicunt non posse hunc transitum facere, quia sunt quasi serui Monasteriorum quibus se donarunt. Verum tamen sicut fundamentum eorum est falsum, sic & doctrina. Nec enim sunt serui Monasteriorum, sed pij, & deuoti oblatores sui, & suorum bonorum ad pias actiones exercendas, & quamuis hoc faciant per pactum, seu donationem irrevocabilem, habet tamen illam conditionem tacite imbitam nisi ad meliorem, seu strictiorem Religionis frugem se recipere voluerint, sicut idem contingere dicitur in quacumque obligatione cum homine facta. Suarez, vt supra num. 2. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 9. Addit etiam Suar. posse ad quacumque Religionem ipsos transire, cum enim verè Religiosi non sint, quæcumque Religio erit perfectior statu quem habent.

22. Non debent permitti Conuersi, seu Oblati etiam professi ad sacros Ordines promoueri, tum vt sequantur suam vocationem, iuxta præscriptum Apostoli 1. Corinthior. 7. tum vt auferatur anîa, vel occasio ambitionis, quæ vt plurimum ad talem promotionem desiderandam eos solet impellere. Vnde in decretis Clementis Octaui pro institutione Nouitiorum in Monasterijs designatis, vel designandis, quæ etiam approbata sunt à Sacra Congregatione Concilij sub SS. D. N. Urbano, & habentur simul cum decretis de Apostatis, & eiectionibus dicitur. *Qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis non possint.* [Vnde à S. Congregatione Regularium 10. Februarij 1634. permessa fuit translatio cuiusdam conuersi ad statum Clericalem solùm pro casu quo in statu laicali non fecisset professionem tacitam, vel expressam.] Credo etiam circa hoc omnes Religiones laudabilia statuta habere. Casu autem quo aliquis Conuersus tonsura Clericali fecerit se tonsurari, aut ad Sacros Ordines sine legitima facultate promoueri, his omnibus iure priuandus est. Tum quia inobediens, & rebellis non debet esse potioris conditionis quam obediens, ac per consequens iste non debet esse potioris conditionis, quam alij quicquid, & obediens Conuersi, qui sua professione contenti talia non ambiunt. Tum quia in eo in quo quis deliquit, in eo debet puniri, cū ergo iste peccauerit Ordinibus male susceptis, prædicto modo debet puniri. De quo Casarubius in Compen. priuil. Mendic. verb. *Laici Fratres.* Rodriguez to. 2. quest. Regul. quest. 123. artic. 7. In eo etiam casu talis Conuersus illegitimè ordinatus cui non permittitur tonsura Clericali, vt aut exercere Ordines susceptos non tenetur ad Officiū diuinum more Clericorum recitandum, iuxta dicta tom. 1. cap. 12. n. 4. cum solùm ad illud teneantur Religiosi Choro addicti, aut pro Ordinatis admissi. Casarubius vt supra, [Addo vlt-

rius congruenter satis dici conuersum hunc ordinatum non debere permitti Canonicum officium persolvere. Peyrinis tom. 2. de Prælato q. 3. cap. 7. num. 27. post alios, quos refert. Casu verò quo conuersus ad statum Clericorum transeat siue licitè, siue illicitè id factum fuerit, non requiritur reiteratio Nouitiatus proportionati Clericatu, vt expressè tenet Tamburinus de Iure Abbat. tom. 4. disput. 6. quest. 17. num. 8. conformiter ad doctrinam Rodriguez, Suarez, Sanchez, Bartholomæi à S. Fausto, & Peyrinis asserentium non requiri pro legitimo anno Nouitiatus quod Nouitios experiatur omnes asperitates Religionis, nisi solùm in genere manendo sub obedientia Prælati pro eo anno.]

23. Tenentur conuersi, Laici, Oblati, seu Donati ad certas orationes Pater noster, & Ave Maria, iuxta institutum Regulæ, vel constitutionum suorum Ordinum, iuxta dicta tom. 1. cap. 12. num. 4. Quanta autem, aut qualis sit obligatio illas recitandi, qualeuè peccatum illas omittere, ex dictis eodem tom. 1. cap. 7. & 8. vbi agitur de obligationibus Religiosorum ratione Regulæ & constitutionum pensari debet.

24. Pro receptione, educatione, seu institutione conuersorum, Oblatorum, seu Donatorum qui professionem veram trium votorum emittunt, animaduertendæ sunt Institutiones Clem. VIII. approbatæ à Sacra Congregatione Concilij sub SS. D. N. Urbano VIII. & habentur cum decretis eiusdem S. Congregationis de Apostatis & eiectionibus, quæ sunt huiusmodi, præter alias ibi assignatas pro omnibus Nouitijs, siue Clericis, siue Conuersis. Prima, si quis annum 25. excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expertus inuentus fuerit, in Conuersorum tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria numerum referatur: ipsi autem Conuersi non recipiantur ante 20. ætatis suæ annum; & nisi saltem præcipua doctrinæ Christianæ capita nouerint. Secunda quia quarundam Religionum mos est nedum Conuersos ad professionem admittendos, verum, & Oblatos, vt vocant, recipere circa ipsorum Oblatorum receptionem vnaquæque Religio suas peculiare Constitutiones, specialiaque instituta obseruare teneatur. Tertia, cum autem, licet Clericorum bene instruendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen religiosa instructio sit prætermittenda, quin potius æquanimitè amplexandæ, quandoquidem satis exploratum est istorum etiam, cum Regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & conuentuum, iuxta cuiusque Ordinis statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debent, à quo non tantum circa corporalia obsequia probandi & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod vt commodius fiat ad Capitula & spirituales conciones, quæ per Magistros Nouitijs fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesijs statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officijs actualiter occupati fuerint. Tempore verò probationis elapso, ij tantum qui non solùm religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti nouo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annum, quoad clericos decimum sextum, quo verò ad conuersos vigesimum primum excefferint) ad professionem admittantur. Sed qui ad conuersorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint. Superior cuiuslibet conuentus in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur, illamque Nouitius professus propria manu, & duo testes qui præsentibus fuerint subscribant. Conuersus verò litterarum ignarus professus in eorundem testium qui se subscripserint præsentia, propria manu signum Crucis, apponat, asserueturque liber, & custodiat in Archivio, vbi scripturæ ad Monasterium, seu conuentum pertinentes

tes reponi consueuerunt. Circa quæ decreta, seu Institutiones illud generaliter animaduertendum duxi, illa non videri obligare nisi solum pro conuentibus designatis, seu designandis à Sede Apostolica pro Nouitiatibus, vt patet, tum ex titulo illis præfixo, tum ex §. 1. & 2. vbi videtur solum sermonem esse de prædictis conuentibus. Quare cum decretum Clem. VIII. de non recipiendis Nouitijs nisi solum pro conuentibus designatis, non obliget nisi in Italia, & in insulis adiacentibus, solum ibi obseruandæ erunt prædictæ Institutiones. Similiter cum ab obseruatione talis decreti Clem. VIII. excipiantur Carthusiani, Minores strictioris obseruantia, Capuccini S. Francisci, Reformati S. Dominici, Discalceati Carmelitarum, Fulienfes, Eremitæ Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ, Clerici Regulares Theatini, Societatis Iesu, S. Pauli decollati, Somaschi, & Ministri infirmorum, ideo etiam exempti videntur ab obligatione harum Institutionum cum illæ, vt dixi, solum pro Conuentibus à Sede Apostolica designatis, seu designandis pro Nouitiatibus editæ videantur.

25 Non possunt Conuersi, etiam si imperfectum habitum, aut sine capuccio gerant in Religionibus quibuscumque siue Mendicantibus, siue non Mendicantibus (præter assignatas num. præcedenti) in Italia & Insulis adiacentibus recipi nisi in Conuentibus assignatis pro Nouitiatibus à Sede Apostolica, & receptiones, ac professiones illorum extra dictos Conuentus factæ irritæ sunt, & nullæ iuxta dicta ro. 1. cap. 24. num. 23. Quia tamen vt ibidem n. 24. dictum SS. D. N. Urbanus VIII. pro remedio illorum qui illegitimè, & inualidè professionem fecerant non habito Nouitiatu in prædictis locis designatis. Motu proprio prouidit, vt de nouo ad professionem admitterentur, & cum huius rei occasione multi professi ad sæculum redire vellent, nouissimè Sacra Congregatio Concilij anno 1636. huic malo prouidere volens statuit. Quod si aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti, & professi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam respectiue illos eicere, voluerint, eadem Sanctitas sua decreuit, vt tam ipsi professi quam Superiores respectiue teneantur Iura, quæ sibi fauere visa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex speciali etiam suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa prouidebit Inhiben. propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prælatibus inferioribus iurisdictionem exercentibus, ac quibuscumque Iudicibus Ordinarijs, & delegatis etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, Sedisque Apostolicæ Nuncijs, ne in posterum in hoc quoquomodo se ingerant absque speciali eiusdem Sanctitatis commissione, sub pœna ipso facto incurrenda, quoad Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, & Primates interditi ab ingressu Ecclesiæ, quoad Abbates, Prælatos inferiores, ac alios Iudices prædictos excommunicationis latæ sententiæ, quo verò ad Nuncios, & ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos indignationis suæ Sanctitatis, & pœnarum arbitrio eiusdem imponendarum. Hæc ibi.

26 Item ibidem pro maiori cautela contra delinquentes statuit, ac decreuit quod si iidem, vt supra, recepti, & professi iuribus suis minimè deductis coram Sacra Congregatione Concilij, & sine illius expressa licentiâ è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eicere ausi fuerint, ipsi recepti, & professi, tanquam Apostatæ puniantur, & pro talibus habeantur, nec non contra eosdem, iuxta formam decreti de Regularibus Apostatis, & eiectis, eiusdem Sanctitatis suæ iussu ab eadem S. Congregatione sub die XXI. Septembris 1634. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint pœnam suspensionis à diuinis; nec non priuationis omnium Officiorum quæ tunc obtinebant, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda vocifque actiua, & passiuæ ipso facto absque alia declaratione incurrant. Hæc ibi. Circa quæ decreta id maximè notandum, quod licet stando in rigore illorum verborum recepti, & professi per ea non videantur comprehendi nisi solum, qui in locis, seu Conuentibus non designatis pro Nouitiatibus recepti, aut professi fuerint, non verò ij qui etiam recepti, & professi fuerint in dictis locis, seu Con-

uentibus designatis, nihilominus cursum Nouitiatus peregerunt in alijs locis non designatis (quod idem dico de decretis Clem. VIII. adductis tom. 1. cap. 24. n. 23. quia in eis, stando in rigore verborum solum videtur prohiberi admissio ad habitum, receptio seu professio in Conuentibus non designatis, non verò Nouitiatum agere, aut habere, ita vt qui in Conuentu deputato fuit receptus, & professus, etiam si in non deputato Nouitiatum peregerit, validè professus videatur) attendendo tamè ad Motum proprium SS. D. N. Urban. VIII. quod dicto cap. 24. n. 24. attulimus, & per quod explicantur dicta decreta Clem. VIII. dicendum tam per ipsum, quam per decreta prædicta comprehendendi non solum eos, qui recepti, & professi fuerint in locis non designatis, sed etiam illos, qui in talibus locis non designatis Nouitiatum peregerunt, etiam si alias in locis designatis recepti, & professi fuerint. Quod constat tum ex illis verbis dicto num. 24. relatis *Annum probationis in Monasterijs, seu domibus Regularium ad id designatis minime fecerunt*, tum ex alijs, quæ sunt in principio illius Motus proprii, quibus suam, & Clem. VIII. mentem declarat, quæ sunt huiusmodi. *Cum itaque sicut accepimus quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium professores ad habitum Regularem recepti, probationis annum in Monasterijs, seu domibus Regularibus ad id designatis, vel ab Apostol. Sede approbati minime fecerint, proindeque iuxta Constit. sel. record. Clement. Pape VIII. prædecessoris nostri desuper editam professio per eos deinde emissa inualida existat. Nos Religiosos prædictos &c.* Tum denique ex titulo præfixo ipsi Motui proprio, qui est, *super professionibus per Regulares emissis, non factis in locis designatis Nouitiatu.* Quare dicendum est, iuxta mentem tum SS. D. N. Urbani, tum Clem. VIII. eos, qui in locis non designatis Nouitiatum peregerunt, etiam si in eisdem habitum susceperint, aut professionem emiserint, dictis decretis comprehendi.

27 Non obstante etiam tali decreto de non admittendis ad professionem Nouitijs etiam Conuersis, nisi in locis à Sede Apostolica designatis pro nostro Ordine obtentum à SS. D. N. Urbano per Breue speciale an. 1634. negotio prius commisso S. Congregationi Regulari, & Eminentissimo Cardinali Ginetto, vt alij Conuentus designarentur videlicet, In Prouincia S. Alberti in Sicilia Conuentus Placiæ, Melati, Sicli, Siracusæ, Mazatini; In Prouincia Romana Conuentus Transpontinæ, S. Martini in Montibus, Præneste, Velitarum, Roncilionis, in Prouincia Lombardiæ Conuentus Mediolani, Cremonæ, Nouariæ, Montis Cacerij, Nouarum; In Prouincia Venetiæ Conuentus Vicentiæ, Roboteti, Dezensani; In Prouincia Thuscianæ, Conuentus Pisatum, Prati, Montis Politiani, Etoporij; In Prouincia Romandiolæ, Conuentus Anconæ, Casenæ, Arimini, Senogallia; In Prouincia Neapolis, Capuæ, Nuceriæ, Apuliæ, Beneuenti, Salerni, Auerfæ; In Prouincia Apuliæ Conuentus Licij, Bitunti, Netti, Baruli, Monopolis; In Prouincia S. Angeli in Sicilia, Conuentus Marsale, Alcani, S. Nicolai de Bononia, Calatanixete, Racalbuti; In Prouincia Calabriae Conuentus Cosentiæ, Rhegij, Caroleorum, Catanzarij; In Prouincia Aprutij Conuentus Terami, Oetone, Bilantis; In Grancijs Conuentus Neapolis, Conuentus Summæ, Surrenti, & Concordiæ. In quibus possint recipi, & admitti ad habitum, & expleto probationis anno ad professionem Fratres Conuersi, seu Laici, seruata forma decreti Sanctiss. D. N. super receptione, & educatione Nouitiarum vltimo loci editi, nec non felicis record. Sixti V. ac aliarum Constitutionum Apostolicarum, & decretorum pariter similis memoriæ Clementis VIII. Institutionumque generalium super receptione, & educatione eiusdem Clementis, nec non sanct. mem. Pauli V. auctoritate editarum. Hæc ibi.

28 Cum autem in supradictis omnibus decretis solum fiat sermo de ijs qui professionem emissuri sunt, ideo quod attinet ad Conuersos, Oblatos, seu Donatos, solum intelligenda erunt de illis qui vt diximus veram professionem trium votorum emittunt, non de Oblatis, seu Donatis, qui se, & suam Religionem tradunt nulla facta professione, quare nulla est lex, vel prohibitio quo minus isti Oblati, seu Donati qui professionem non emittunt ad Religionem admitti

mitti possit, etiam in Monasterijs, vbi non sunt prædicti Nouitij à Sede Apostolica approbati.

29 De fœminis illis, quæ in Monasterijs Monialium Oblatæ, seu Donatæ nuncupantur eodem modo loquendum videtur, ac de viris Oblatis, seu Donatis, respectiue tamen ad eorum sexum. Præter ea autem quæ de ipsis dicta sunt *tom. 1. cap. 25. num. 17.* notandæ sunt aliquæ declarationes Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium quas refert Barbosa in Collectan. Bullar. verbo *Conuersæ*. Prima, Conuersas non habent regulariter Moniales Sanctæ Claræ. Secunda, Conuersæ quæ ad Monasteriorum pauperum subleuamem ad conquæritandas elemosynas mittuntur, 45. ætatis annum excedant, & extra clausuram minimè pernoctent, nisi in casu necessitatis, & tunc hospitio excipiuntur in ædibus proximorum consanguineorum, aut aliarum piarum matronarum. Tertia, Conuersæ Moniales ad quæstuum mitti possunt, si aliter Moniales sustentari non possint, dummodo ad minus 40. ætatis annum excedant, non sint pulchræ, nec modo aliquo extra Monasterij clausuram pernoctent, & in illis Monasterijs quæ nisi dictas Conuersas ad quæstuum mittunt, manuteneri non possunt, deinceps puellis Monasticum habitum non tradi, nec educationis causa illæ in eis introduci possunt absque Sedis Apostolicæ speciali licentia. Quarta, Conuersæ non debent permitti vt exeant, aut videri se sinant ad effectum claudendi, vel aperiendi, ianuam Monasterij sed id munus alteri extra clausuram degenti committatur. Quinta, Conuersa supernumeraria debet prædicta qualitatibus necessarijs capitulariter, vortisque secretis Monialium admitti, & dotem duplicatam soluere à Conuersis persolui solitam, ac tempore debito professionem emittere. Barbosa vt supra. Pro istis etiam fœminis Oblatis, seu Conuersis vide Rodriguez *to. 1. quest. Regul. quest. 44. artic. 4.*

30 Gaudent prædicti Conuersi Priuilegijs suarum Religionum, iuxta dicta *tom. 1. cap. 3. num. 18.* vbi etiam idem dictum est de Oblatis professionem emittentibus, quia sunt verè Religiosi specialiter tamen Gregor. IX. in Bulla *Quoties à nobis*, quæ habetur in 1. tom. Bullar. Laertij inter Bullas huius Pontificis *num. 3.* Oblatis Carthusianorum concessit vt eisdem libertatibus, & immunitatibus gauderent quibus ipsi Fratres gaudebant. Deinde Sixtus IV. in Bulla *Dum attentata*, quæ est Mare magnum Carmelitarum eorum Oblatis copiosam concessionem fecit omnium priuilegiorum Fratrum concessorum illis verbis. *Et no Oblati, & Oblata eiusdem Ordinis suorum iure deuotionis ad Ordinem ipsum frustrentur effectum, omnia, & singula circa Fratres, & Sorores, & Mantellatas, seu Pinzocheras nuncupatas personas prædictas in presentibus litteris statuta concessa, & ordinata, aut illis, & Fratribus prædictis in eorum commodum, & fauorem indulta, ad eandem dicto Ordini nunc, & pro tempore Oblatas, & commissas vtriusque sexus personas eisdem scientia, & motu, & auctoritate extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere debere proinde ac si pro eisdem Oblatis, & Commissis personis, & circa illas emanassent decernimus, volumus, & ordinamus.* Vide pro usu huius priuilegij dicta *tom. 1. cap. 21. num. 19. & 20.* & in hoc 2. to. cap. 1. num. 21. vbi constabit an sit vel non reuocatum. Similiter pro tempore interdicti hanc illis concessionem fecit. *Et quia ex concessione continetur dictorum Innocentij IV. Alexandri IV. & Greg. XI. prædecessorum quod liceat eis cum interdictum generale terra fuerit, dummodo causam non dederint interdicto, clausis, ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce Missas, & alia diuina officia celebrare; eorumdem Fratrum deuotioni non plenè consulitur, concessionem eandem extendendo eisdem Fratribus, vt liceat eis habere Altare portatile cum debita reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc conuenientibus, & honestis præterquam in Ecclesijs ab Ordinarij obedientia non exemptis, quoties id eis contigerit interdici, possint Missas & alia diuina Officia in quorumcumque presentia celebrare, & interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis mantellatas, & Pinzocheras, ac Oblatas Commissasque personas, & ipsorum Fratrum, ac Monasteriorum Monialium Ordinis prædicti Procuratores, Aduocatos prædictos, & negotia gredientes*

vtriusque sexus admittere præfatis scientia, motu, & auctoritate indulgemus. Pro quo priuilegio seu usu ipsius, & an sit reuocatum, vide dicta *tom. 1. cap. 21. num. 14. 19. & 20.* Præterea idem Sixtus IV. in Bulla *Dum fructus vberes*, quæ etiam est Mare magnum Eremitarum S. Augustini, Oblatis eiusdem Ordinis ferè similia videtur concessisse. Meminerunt autem vtriusque concessionis Casarubius in *Compend. priuilegior. Mendicant. verbo Oblati Fratrum*, & Rodriguez *tom. 3. quest. Regul. quest. 21. art. 3.* Meminit etiam vterque alterius concessionis Eugenij IV. circa absolutionem istorum, quam tamen omitto, quia viuæ vocis oraculo fuit facta, & per consequens ijs temporibus inutilis, vt sæpe dixi, nisi de nouo concedatur.

31 Quia tamen Leo X. in Constit. *Dudum* quæ est in 1. to. Bullar. Laertij *n. 32.* omnia priuilegia Conuersis, & Oblatis Ordinum Mendicantium concessa communia esse voluit omnibus prædictis cuiuscumque prædictorum Ordinum Conuersis, & Oblatis. Ideo his priuilegijs concessis Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum S. Augustini gaudent possunt ratione communicationis Priuilegiorum Oblati Prædicatorum, & Minorum, vt in specie de Oblatis Minorum habet Casarub. in *Compend. priuilegior. Mendicant. verbo Oblati Fratrum, vel Monialium num. 3.* quod idem credo de Oblatis fœminis, cum illæ etiam nominentur à Sixto in priuilegio pro Carmelitis *num. preced.* adducto. Imò etiam idem videtur dicendum de Nouitijs, tam Oblatorum, quam Oblatarum (professionem videlicet trium votorum emittentium) saltem in multis Religionibus, & quoad ea quæ spectant ad bonum spirituale animæ: præfertim cum Nouitijs in fauorabilibus pro veris Religiosis habeantur. Vide dicta *1. 1. cap. 24. præsertim num. 8.*

32 Dubitati tamen potest an priuilegia illa Gregor. IX. pro Oblatis Carthusiensium, & Sixti IV. pro Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini intelligantur solum de Oblatis illis, qui professionem trium votorum emittunt, an verò etiam de illis, qui sine tali professione se, & sua Monasterijs obtulerunt modo superius *num. 27.* dicto. Et quidem cum priuilegium Gregorij IX. expressè loquatur solum de Oblatis qui trium votorum professionem emittunt in Ordine Carthusiensium, vt patet ex ipsa Bulla, ideo non potest extendi ad eos qui talia vota non faciunt. Cum autem priuilegia Sixti IV. indistinctè loquantur de Oblatis Carmelitarum, & Eremitarum S. Augustini non determinando pro illis qui professionem emittunt, vel non emittunt, imò comparent illos cum Tertiarijs Fratribus de Pœnitentia, seu Pinzocheris, qui neque tria prædicta vota emittunt, ideo probabile est ad vtrumque genus Oblatorum extendi. Verum tamen quia adhuc inter istos qui veram professionem trium votorum non faciunt, possunt esse aliqui qui non seruent conditiones à Sacra Congregatione Concilij supra *num. 8.* assignatas, quia scilicet non omnino bona sua Monasterijs obtulerint, alij verò qui illas seruent, ideo prædicta priuilegia extendenda solum credo ad hos posteros, non ad illos. Nam eo ipso quod Sacra Congregatio solum istos potiri vult priuilegio fori, & immunitatis à sæcularibus exactiõibus, etiam velle videtur eos solum potiri posse alijs priuilegijs Religionibus concessis, ac eos solum esse verè, & simpliciter Donatos, seu Oblatos. Etsi hoc non sit omnino certum, cum Sixtus IV. in prædictis priuilegijs vniuersaliter loquatur de Oblatis, seu Donatis, & posset dici Sacram Congregationem solum excludere prædictos à priuilegio fori, & immunitatis ab exactiõibus sæcularibus, non ab alijs priuilegijs maximè concernentibus animæ vtilitatem. Pro usu tamen horum priuilegiorum, & an sint, vel non reuocata vide, vt dixi, *to. 1. c. 22. num. 14. 19. & 20. & in hoc 2. to. cap. 1. num. 21.*

33 Concessit Calixtus III. Conuersis Fratrum Minorum, vt possent tangere Calices, & lauare corporalia, & alia Ecclesiastica, cum expedierit. Item Leo X. concessit eisdem Conuersis socijs Generalium, vel Prouincialium, vt eo tantum tempore quo socij sunt, & extra loca, & Conuentus cum inferuiunt Missis prædictis Prælati possint proprijs manibus tractare vasa sacri ministerij scilicet Calices, & corporalia explicando, & plicando post Missam sicut Clerici in factis constituti. In conuentibus autem vbi sunt alij Fratres id concedere reculauit. Casarubius



- in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. Laici Fratres* n. 1. & 2. *Rodriguez tom. 2. quest. Regul. q. 127. artic. 2.* Portellus in *Dub. Regular. verbo Laici Fratres* n. 1. Verumtamen cum ista concessiones sint viue vocis oracula, vt Casarubius notat, ijs temporibus post reuocationem similibus concessionum factam à SS. D. N. Urbano VIII. nullæ sunt, nisi de nouo concedantur, vt sæpe dictum est. Extrat tamen alia concessio Sixti IV. pro Fratibus professis Cõuersis Ordinis S. Augustini Congregationis Lombardiæ quæ illis concessit quod dum Sacristiæ curam gererent, scilicet, dum Sacristarum officium exercerent possent tangere Calices, Patenas, & Purificatoria, cum necesse esset. Quæ concessio, quamuis neque per Bullam, neque per Breue facta sit, quia tamen ab ipso Papa videtur subscripta, ideo non apparet viue vocis oraculum, ac per consequens hoc tempore subsistere. Eam refert Confettius in *Collectanea luterarum Apostolicarum inter priuilegia Sixti Quarti* num. 9.
- 34 Pro quo notandum quod, secluso priuilegio, sacra vasa, & vestes dum in eis continetur Corpus, vel Sanguis Christi, tangi, præterquam à Sacerdote, vel Diacono, graue peccatum est. *Ex cap. non oportet d. 23. Palud. in 4. dist. 13. q. 1. art. 4. Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 81. sect. 8.* Tangere autem illa cum in eis non continetur Corpus, aut Sanguis Christi, etiam est illicitum *ex cap. in sancta dist. 1. de Consecrat. cap. sacras, alisque iuribus dist. 23.* Huius tamen præcepti transgressio, secluso contemptu, solum est venialis, quia pro leui irreuerentia communiter æstimatur. Suarez *vt supra.* Imò si rationabilis causa, vel moralis necessitas adsit, nulla erit culpa id facere. Sotus in *4. dist. 13. quest. 2. art. 3. Layman. in Theolog. moral. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 18. & 19.* Ad tollendos tamen scrupulos solet ad id peti licentia à Sac. Congregatione Rituum, vt patet ex Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. licentia.*
- 35 Affertur etiam alia concessio facta Laicis Fratibus etiam olim homicidis, & bigamis, vt possent ministrare Sacerdotibus celebrantibus, etiam vestiti superpelliceo lineo. Ita Portellus in *Dub. Regular. verbo Laici Fratres* n. 2. *ex Compend. D. Hieron. Hisp. verb. Laici Fratres* §. 2. Verumtamen scire non potui an hæc concessio sit viue vocis oraculum, & per consequens his temporibus inualida, aut non. Deinde dico, cum irregularitas non priuèt exercitio Ordinum, nisi vt ordines sunt, id est, eo modo, quo à Clericis exerceri solent, vt habet Cornexo *tom. 2. tract. de irregularit. disput. 5. dub. 4.* ideo quicumque irregulares, etsi homicidæ, & bigami possunt ministrare Sacerdotibus celebrantibus non eo modo quo Clerici, sed vt Laici. Quia verò ministrare cum superpelliceo lineo indicare videtur id fieri ad modum Clericorum, ideo forsitan obrepta est talis concessio. Cuius tamen qualitatem, vt dixi, ignoro.

### SVMMARIVM. CAP. IX.

- Eminentissimorum, DD. Cardinalium prærogatiua maxima.* num. 1.
- Ipsorum varia epitheta.* ibid.
- Prouincijs, Regnis, Nationibus, & Religionibus Protectores assignantur.* ibid.
- Dati sunt Religionibus ad earum defensionem.* num. 2.
- Visio S. Francisci circa illos.* ibid.
- Ipsorum auctoritas varia pro varietate temporum.* num. 3.
- An sint iudicandi vt veri Prelati Religiosorum.* num. 4.
- Quid circa hoc decreuit Gregor. XI.* ibid.
- Possunt DD. Protectores dici aliquo modo Superiores Ordinum quibus præficiuntur.* n. 5.
- Sunt Commissary Apostolici, Vicarij, Delegati, & Locumtenentes Papæ in his que pertinent ad bonum regimen, & gubernium Religionum.* ibid.
- Maximo honore, amore, & reuerentia prosequendi à Religiosis quos protegent.* num. 6.
- Illis iure credendum cum dicunt se habere viue vocis oraculum à Papa.* num. 7.
- Quando, & quomodo fides adhibenda Cardinalibus in Iure.* ibid.

- Eorum præcipuum munus est Superiorum auctoritatem conseruare.* num. 8.
- Non debent se immiscere quando Superiores sui Officij debito satisfecerint.* ibid.
- Possunt suam auctoritatem interponere quando à Superioribus Ordinum requisit fuerint.* num. 9.
- Pro conseruatione scilicet auctoritatis Superiorum, coerceda subditorum pernicacia, aut introducenda vita regulari.* ibid.
- Possunt etiam suam auctoritatem in negotijs Ordinum interponere quando id necessarium fore cognouerint.* n. 10.
- Ad conseruandum tamen auctoritatem Superiorum, Ordinesque protegendos.* ibid.
- Momentur adhibere in negotijs Ordinum loco Notarij aliquem ex Regularibus ipsorum.* num. 11.
- Quibus facultatibus utantur.* num. 12.
- Protector Carmelitarum amplissimam facultatem habet.* num. 13.
- Etiam Protectores aliorum Mendicantium ea facultate uti possunt.* num. 14.
- Sunt Protectores Mendicantium conseruatores illorum pro omnibus causis que contingere possunt.* ibid.
- Quandos, aut quomodo admittere possint appellationes Fratrum.* num. 15.
- Faciendæ sunt huiusmodi appellationes gradatim.* n. 16.
- An ex DD. Protectoribus appellari possit ad Sacram Congregationem Regularium.* num. 17.
- An possit licentiam concedere Fratibus veniendi Romam.* num. 18.
- An Protectores Mendicantium procedere possint contra asserentes confessos Mendicantibus iterum teneri confiteri Rectori Parochiali.* num. 19.
- An contra illos qui negauerint illis elemosynam non esse faciendam.* ibid.
- An hæc potius pertineant ad DD. Inquisitores.* ibid.
- Auctoritas Protectorum videtur delegabilis in casibus necessitatis quibus ipsi personaliter assistere non possunt.* num. 20.
- Si autem huiusmodi cause concernerent visitationem, vel reformationem Religiosorum Religiosis eiusdem Ordinis delegandæ sunt.* ibid.
- Qualiter beneficia à DD. Protectoribus collata compensari debeant.* num. 21.

## De Dominis Cardinalibus Regularium Protectoribus, eorumque facultatibus, iuribus, & priuilegijs. Cap. IX.

- E**minentiss. DD. Cardinalium prærogatiua maxima est in Ecclesia Dei, vt potè qui summæ dignitatis, videlicet Pontificiæ, Collaterales sunt, & Coadiutores. S. Bernardus *lib. 4. de considerat. Cardines Orbis*. Ioann. de Lignan. in *tract. de bello pag. 9. Pars corporis Pape*. Gigas *de pens. quest. 7. num. 12. & 13. Principes terre*. Canonista in *cap. Pastoralis* 12. q. 1. *Columna Ecclesie*. Marcus Mantuan. *lib. de Con. n. 64. Lumina Ecclesie*. Idem Mantua *ibid. Stelle Ecclesie*. Alban. Cardinal. *lib. de Cardinalium quest. 8. Ecclesie Senatores*. Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 4. cap. 3. quest. 20. Reges, vel pro Regibus habendi*. Paris de Puteo in *tract. de Syndic. in §. an si Index* n. 2. Vnde vatij, & honorificentissimis titulis nuncupati nouissimè à SS. D. N. Urbano titulo *Eminentissimorum* decorati sunt. Quemadmodum autem ex ecclesiæ Hierarchia administratorij illi Spiritus nedum hominibus, sed & Regnis, & Prouincijs Tutelares à Deo conceduntur, vt docent S. Basilius *lib. 4. contra Ennomium*, Theodoretus *orat. 10. in Dauelem*, Nazianzenus *orat. 2. de Theologia*, & alij, sic etiam ex terrestri, & Ecclesiastica Hierarchia Cardinales à Papa, prouincijs, Regnis, Nationibus, & Religionibus protectores assignantur.
2. Dati ergo sunt Religionibus à Summis Pontificibus ad earum defensionem, conseruationem, dilationem, tutelam, & protectionem, vt vel ex nomine ipso Protectorum

rum conspiciunt, contra aduersantes precipue. Peirinis de *subdito Religioso tom. 1. de obedientia q. 1. cap. 18. §. 21. & 2.* Quod bello confirmat S. Francisci Minorum Patriarcha celestis visio qua monitus à Deo est petere sui Ordinis Cardinalem Protectorem à Papa Honorio III. *Vidit enim in somnis gallinam pullos plurimos sub alis congregare, à super valantibus milibus defendere volentem, nec tamen amnes potuisse, pluresque proinde patuisse rapine, magna vero alterius volucris sub alis pericula subterfugisse.* Expergestus autem vir Sanctus dum somnij interpretationem peteret à Domino eam ita accepit, *ut intellexeret se per gallinam, Discipulos per pullos, & Cardinalem in Protectorem assumendum per volucrum magnarum alarum demonstrari.* Sic Lucas Vadingus in *annalib. Minor. ann. 1217. num. 2. ex legenda trium Sociorum.* Hoc autem munus rectè in eodem Ordine Minorum primus obiit Cardinalis Hugolinus, postea Pontifex Greg. IX. qui super Minores Constitutus factus est, quasi vnus ex eis, nihil ram curans, quàm ve à molestijs, & iniurijs vbique terrarum defenderentur, ab Ecclesiarum Prælatibus fouerentur, amicè reciperentur, & per vniuersas Orbis Prouincias ad omnium salutem distenderentur, Vadingus *ut supra num. 8.*

3. Ipsorum auctoritas varia pro varietate temporum, iuxta Pontificum decreta, ipsorum DD. Card. affectum, seu conditionem, rerumque indigentiam fuit, aliquando amplior, aliquando strictior. Prædictus enim Cardinalis Hugolinus primus Minorum Protector quasi summam in Ordinem potestatem exercuit tempore Honorij III. postea tamen Pontifex factus, & Gregorius IX. vocatus eam valdè restrinxit, prout etiam fecit Greg. XI. in Bulla inferiori referenda, quod, & postea approbarunt Sixtus IV. & Iulius II. Item Urbanus IV. amplissimam auctoritatem Protectoribus concessit, illis immediatè Moniales subiciens quam etiam postea moderati sunt Martinus V. & Iulius II. De quo Casarubius in *Compend. priuileg. Mendicant. verbo. Protector Ordinis.* Rodriguez *tom. 3. quest. Regular. quest. 43. art. 1. & 2.* His autem temporibus standum est tum consuetudini legitime præscriptæ, tum varijs decretis Summorum Pontificum, & Sacrarum Congregationum, quibus eorum auctoritas aliquando declaratur, tum præcipue litteris quibus Summus Pontifex hoc munus Protectorum eisdem DD. Cardinalibus tribuit, & secundum illa iudicandum in præsentem.

4. Primo ergo videtur dicendum prædictos DD. Cardinales Ordinum Protectores non esse vocandos Prælatos Religiosorum stricto modo, quales sunt Priores, Prouinciales, & Generales, & alij similibus nominibus vocati. Colligitur ex Bulla Gregorij IX. vbi Cardinali protectori Ordinis Minorum districtè inhibuit ne se intromitteret in rebus pertinentibus ad officia, & gubernationem, seu correctionem Fratrum dicti Ordinis nisi in certis casibus, & quod Fratres prædicti ad protectorem tanquam ad prælatum pro licentijs, vel alijs similibus gratijs recurrentes punirentur. Casarubius in *Compend. priuileg. Mendicant. num. 1.* Secundò ex Gregor. XI. in Bulla *Cunctos Christi*, quæ habetur in 1. to. Bullarum Cherubini inter Bullas Gregorij *num. 4.* quam etiam approbavit, & inseruit Sixtus IV. in alia Bulla *Sacra Minorum* in Bull. Rodrig. *tom. 1. in Sixto IV. num. 5.* in qua etiam prædictis DD. protectoribus prohibuit statuta Ordinis corrigere, dispensare, seu immutare, prælatos, seu Officiales ponere, aut deponere ad lecturam, vel gradum aliquos promouere, aut ab eisdem remouere, de loco ad locum aliquem Fratrem mutare, aut licentiam aliquo eundi impartiri, quemquam punire, aut à pœna liberare, res Ordinis alicui concedere, aut concessas amouere, de rebus, aut correctione Fratrum, nisi in quibusdam casibus, se aliquatenus intromittere, quæ omnia indicant eos non esse veros Ordinum prælatos, stricto modo loquendo, quia si tales essent, prædicta negari ipsis non deberent. Nec obstat has limitationes solum pro Protectoribus Ordinis Minorum factas fuisse non pro alijs Ordinum protectoribus. Non solum quia cum prædictæ limitationes factæ sint à Summis Pontificibus in gratiam, & fauorem Minorum, vt ex ipsis Bullis constat, & Mendicantes omnes communicatione gratiarum, & priuilegiorum potiantur, saltem omnes Mendi-

cantes, & quicumque alij eorum priuilegijs fruentes, hæc etiam gratia sui debent. Sed etiam quia, vt bene Laertius Cherub. 1. tom. Bull. inter Bullas Greg. XI. *num. 4.* notauit, aliorum Ordinum protectores maiores his facultates non habent. Tertio id etiam constat ex litteris protectionis sub Paulo V. & SS. D. N. Urbano alijs DD. Protectoribus concessis, de quibus infra, in quibus non nisi ad determinatos casus eorum auctoritatem, & potestatem extendi declaratur. Id denique quarto constat quia is solum stricto modo dicitur Prælatum qui habet ordinariam iurisdictionem in subditos, vt docet Abbas *cap. decernimus de iudicij sum. 16. & cap. tua nos de cleric. agrotante.*

5. Possunt nihilominus prædicti DD. Protectores dici Superiores Ordinum quibus præficiuntur, & largo modo Prælati quatenus sunt Commissarij Apostolici, Vicarij delegati, & Locumtenentes Papæ in his quæ pertinent ad bonum regimen, & gubernium Religionum modo inferius explicando, pro conseruanda scilicet prælatorum auctoritate, & quando ab ipsis requisiti fuerint, vel ipsi Domini Protectores id necesse esse cognouerint, iuxta inferius dicenda. Omnis enim habens curam animarum aliorum, et si delegatam, dici potest Prælatum. Glossa in *cap. tua nos de cleric. agrotante.* Syluester in *summ. verb. Prælat. num. 1.* [Vnde video Sacram Congregationem Episcoporum & Regularium 22. Februarij 1636. præcepisse Siluesterinis, vt ordinationes D. Protectoris proponerentur in Capitulo Generali, & quod si sine iusta causa illæ quæ spectarent ad bonum regimen Religionis non acceptarentur, eadem S. Congr. de remedio opportuno prouidura esset.]

6. Propterea maximo honore, amore, & reuerentia prosequendi sunt à Religiosis quos protegunt, vt potè qui ipsorum tutelæ, patrocinio, & conseruationi à Papa destinati sunt. Hinc in litteris protectionis sub SS. D. N. Urbano concessis sic habetur. *Mandantes propterea Priori Generali, ac alijs superioribus, necnon vniuersis Religiosis personis quibuscumque dicti Ordinis in virtute S. Obedientiæ, vt te in eorum Protectorem iuxta tenorem præsentium recipientes, ea qua debent reuerentia prosequantur.*

7. Hinc illis iure credendum, & fides adhibenda quando dicunt se habere viuæ vocis oraculum à Papa. Hoc enim conueniens est muneri quod gerunt, & eorum dignitati, ac auctoritati. Maxime, quia in causis Cardinalibus commissis, & demandatis, eorum dicto fides adhibetur. Cardin. Alban. *tract. de Cardin. q. 42.* ex Lupo, Baldo, Saliceto, Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 4. cap. 3. dub. 20.* Præsertim tertio quia alijs etiam Cardinalibus de stylo Curia credendum est, vt tradit Tuschus *v. Cardinalis conclus. 103. n. 22.* De quo Nauarrus *lib. 1. consil. de offic. Iud. delegat. cons. 9. num. 7.* Fatinac. *2. p. decis. p. 1. decis. 339.* Bellemera *conclus. 635.* Mascard. *de probat. conclus. 269.* Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 3. Gregor. XIII. num. 4.* Quod limitant plures nisi sit in præiudicium tertij. Abbas *par. 2. consil. 18. num. 2. & cap. quod super de fid. instrum. num. 5. & cap. sicut nobis de sent. excommunicat. in 6.* Tuschus *ut supra num. 3.* Glossa in *cap. sicut nobis de sent. excommunicat. verbo alio modo.* & alij. Nec obstant dicta *tom. 1. cap. 3. num. 21.* videlicet, quod quamuis Gregor. XV. per suam constitutionem *Romanus Pontifex* anno 1622. reuocauerit omnia viuæ vocis oracula præterquam à DD. Cardinalibus firmata, nihilominus SS. D. N. Urbanus anno 1631. omnia prædicta viuæ vocis oracula etiam à Cardinalibus firmata cassauit, & abrogauit. Nam in primis hæc reuocatio oraculorum viuæ vocis solum est de illis quæ priuilegia, facultates, licentias, & gratias continent, non de alijs, vt eodem loco dictum est. Quare respectu aliorum integra manet auctoritas Cardinalium, & illis fides adhibenda. Deinde, in prædictis litteris solum est sermo de gratijs, indulgentijs, & priuilegijs viuæ vocis oraculo à Sede Apostolica præteritis temporibus concessis, non de ijs, quæ in posterum, & in futurum à Summis Pontificibus concedi possunt. Quare saltem respectu istorum procedit tradita doctrina, quod videlicet credendum sit DD. Cardinalibus, præsertim Ordinum Protectoribus, cum dixerint se habere viuæ vocis oraculum à Sanctissimo.

8. Eorum præcipuum munus in eo situm est, vt Superiorum

rum Ordinum auctoritatem conseruare curent, adeo vt in negotijs eorundem Religiosorum se non debeant immiscere, quando Superiores ipsorum (sui officij) debito satisfecerint, ac gubernio, & regimini subditorum sufficienter incumbuerint. Sic enim habetur in litteris protectionis sub Paulo V. quas affert Laertius Cherubinus 3. tom. Bull. in Paulo V. n. 53. alias 34. & sub SS. D. N. Urbano. [ Voluntas autem, ac tibi in virtute S. Obedientiae mandamus, vt Superiorum dicti Ordinis auctoritatem quantum fieri poterit conseruare cares, & propterea cum ipsi Superiores eorum officij debito satisfecerint, ac gubernio, & regimini subditorum sufficienter incumbuerint, tu in negotijs eorundem Religiosorum te non immisceas. ] Ex quo à contrario elici videtur, quod cum praedictis DD. Cardinalibus certo constiterit Ordinum Superiores sui Officij debito non satisfacere, aut gubernio, & regimini subditorum sufficienter non incumbere, posse se in negotijs Religiosorum immiscere.

- 9 Possunt similiter suam auctoritatem interponere quando à Superioribus Ordinum requisiti fuerint. Sic enim habetur in praedictis litteris protectionis sub Paulo V. & Sanctis. D. N. Urbano. Quod intelligo pro conseruatione auctoritatis, & iurisdictionis Praelatorum, iuxta dicta, & pro reprimenda, aut coercenda subditorum pernicacia, aut, superbia erga praelatos, aut pro introducenda in Monasterijs vera vitae Regularis obseruantia, eradican-disque, aut submouendis abusibus contrarijs reformationi.
- 10 Item possunt suam auctoritatem in negotijs Ordinum interponere, etiam à Superioribus non requisiti, quando id necessarium fore cognouerint. Sic enim habetur in dictis litteris protectionis sub Paulo V. & SS. D. N. Urbano: quo etiam facultas valde ampla ipsis concedi videatur, limitanda tamen iuxta supradicta, & finem muneris protectoris, qui est conseruare auctoritatem superiorum ordinum, ipsosque Ordines defendere, conseruare, & protegere.
- 11 Monentur tamen praedicti DD. Protectores, vt quoties in negotijs Ordinum se immiscuerint, siue à Superioribus requisiti, siue quia id videtur ipsis esse necessarium, per se ipsos, quoad fieri poterit, id facere curent adhibito ad scribendum quando opus fuerit in eisdem negotijs, seu causis loco notarij aliquo ex Regularibus dictorum Ordinum. Sic enim habetur in litteris protectoris relatis sub Paul. V. & SS. D. N. Urbano. Quod iure praescribunt Summi Pontifices boni nominis Religiosorum zelatores, ne si praedicti DD. Protectores in causis, & negotijs Regularium generandis, aut scribendis familiaribus proprijs, aut alijs secularibus pro Notarijs, Secretarijs, aut Scribis vtantur bona fama Religiosorum denigretur, & Sacri Regulares Ordines apud seculares vilipendantur.
- 12 Conceditur etiam praedictis DD. protectoribus in dictis litteris sub Paulo V. & SS. D. N. Urb. concessis vti omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, ac quibus alij Protectores vti sunt, ac vti quomodolibet potuerunt, seu etiam debuerunt. Quae auctoritas, & facultas licet limitanda sit iuxta dicta, & contenta in praedictis litteris, scilicet pro conseruanda auctoritate superiorum Religionis, & in casu quod ab ipsis requisiti fuerint, vel ipsi protectores cognouerint id esse necessarium, nihilominus postulat, vt explicemus ad quae extendi possit iure, vel consuetudine.
- 13 Et primo Cardinalis Protector Ordin. Carmelit. amplissimam facultatem habet circa publicationem priuilegiorum eiusdem Ordinis quae habentur in Mari magno, & defensionem eorundem Fratrum, in quibuscumque causis, & contra quoscumque quantumcumque qualificados, vt patet illis verbis Sixti IV. in Bulla *Dum attenta*, quae est Mare magnum Carmelitarum, & extat authentice apud ipsos, & Rodriguez tom. 1. Bullar. inter Bullas Sixti IV. num. 37. illis verbis: [ Et nihilominus dicti Ordinis Protectori qui pro tempore erit, & cuiuslibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiae Canonico, per vniuersum Orbem qui desuper praedicti Ordinis Gloriosissimae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae de Monte Carmeli Priores, & Fratres, ac illorum, seu ad commodum eorum Romanae Ecclesiae syndicos desuper requisitus fuerit per Apostolica

scripta in solidum mandamus quatenus per se, vel alium, seu alios praemissa, vbi, & quando opus fuerit solemniter publicantes, ac eisdem Fratrum Gloriosissimae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae de Monte Carmeli Ordini, illiusque domibus, & professoribus in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant eos pacifica possessione, vel quasi priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentes eos, seu testamentorum executores, & haeredes praedictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores praedictos, aut quoscumque alios indebitè molestari, aut eis grauamina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, ac etiam summariè, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, contra quoscumque cuiuscumque qualitatis, vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, aut Episcopali, aut mundana forent dignitate, & exemptione muniti in quibuscumque causis per eos mouendis, quacumque ratione, vel causa quae excogitari posset eis ministrare iustitiae complementum: exequentes quod per eos fuerit ordinatum, & illos quos censuras, & poenas praedictas incurrisse constiterit illis irretitos esse declarent, & faciant, & mandent interdictos suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, & ab omnibus actibus euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processibus illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggtauare procurent. Contradictores auctoritate Apostolica, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus praedicti Bonifacij VIII. quibus cauetur ne quis extra suam Ciuitatem, & Diocesim nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vnam diem à fine suae Diocesis ad iudicium euocetur, seu ne Iudices à Sede Apostolica deputati extra Ciuitatem, & Diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alij, vel alij vices suas committere praesumant, & de duabus dietis in Concilio generali, necnon quae incipit Super Cathedram Bonifacij praefati, & dudum Vienn. Concilij, ac recolenda memoriae Calixti Papae III. etiam praedecessoris nostri litteris, alijsque Apostolicis ac etiam in Prouincialibus, & Synodalibus Concilij editis specialibus, & generalibus, &c.

- 14 Circa quae id primo notandum quod quamuis praedicta facultas solum protectori Carmelitarum concedatur, nec similis reperitur in alijs litteris, seu Bullis Mare magnum appellatis aliorum Mendicantium, nihilominus etiam protectores aliorum Ordinum Mendicantium, propter communicationem priuilegiorum, dicta facultate vti possunt. Secundo in praedicta concessione protectores constitui Conseruatores Ordinis pro omnibus causis quae Ordini contingere possunt, vt patet illis verbis, in quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione, vel causa quae excogitari posset eis, ministrare iustitiae complementum. Et ideo quae cap. 10. dicuntur de facultatibus conseruatorum Religionum etiam suo modo applicari debent ad protectorem. Imò etiam probabile mihi est, quod quamuis auctoritas, & facultas aliorum Iudicum conseruatorum restricta valde, & limitata sit his temporibus propter decretum Sacrae Congregationis Concilij sub Greg. XIII. & constitut. Clem. VIII. & Greg. XV. de quibus cap. 10. auctoritati tamen protectori concessae in ijs litteris nullatenus per illa derogetur, ac proinde in sua vi manete. Ratio est, quia per praefatum decretum Sacrae Congregationis, & constitutiones Clem. VIII. & Gregor. XV. solum limitatur facultas, & auctoritas concessa Iudicibus conseruatoribus modo communi, & ordinario à Religiosis designatis, aut deputatis in vim litterarum conseruatoriarum, seu priuilegiorum ipsorum, non illa quae à Papa immediatè sine vlla designatione, deputatione, aut instantia Religionis, protectori conceditur, qualis est ista in praesenti. Praesertim quia cum Cardinalis protector persona sit specialissima nota digna, cum agitur de limitanda ipsius auctoritate, specialis de ipso mentio fieri deberet, quae non fit in praedictis decreto, & constitutionibus. Unde in constitutione Gregorij XV. poena suspensionis ponitur conseruatoribus limites suae auctoritatis excedentibus, quam tamen non incurrere Cardinales nisi de ipsis specialis mentio fiat tradunt Cardinales Alban. de Cardinalatu quest. 42.

- quest. 42. ex Ioan. Andr. Azor. tom. 2. institut. moral. lib. 4. cap. 3. quest. 20.
15. Possunt etiam prædicti DD. Protectores admittere appellationes Fratrum, qui à suis Superioribus grauati ad illos recurrunt, iuxta dicta tom. 1. cap. 9. num. 4. Ratio est, quia à Sede Apostolica concessa est Religiosis huiusmodi appellatio, ac per consequens ipsis DD. Protectoribus conceditur eam admittere. Primo enim Gregor. XIII. in Bulla *Quoniam nostro* apud Confettiam in *Collectan. litter. Apostolic. & privileg. in Greg. XIII. num. 1.* & apud Cherub. in 2. tom. Bullar. Gregor. XIII. n. 27. expressè concedit Fratribus Minoribus de Obseruantia, quod si à Prælatiis suis grauati prætendant ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos, siue Romanum Pontificem, successorem nostrum supremum in Ecclesia Dei Iudicem, sicut antiquitus semper consuetum fuit recursum habeant. Insuper Sixtus V. in Bulla, seu Constitut. *Ad Roman. spectat* in 2. tom. Bullar. sub n. 71. id supponit dum de Regularibus Romam venientibus, sub prætextu grauaminum dicit: *In alma vero Vrbe nostra Religiosi aduena & peregrini de grauaminibus sibi illatis conquirentes nullibi sine huiusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt nisi prius ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotijs Regularium à nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, ubi ipsi auditis pro rerum, & personarum qualitate quid agendum sit statuatur.* Clarius à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium declaratum id est, prout ex Confettio in *Summa privileg. Maris magni* tit. 6. de foro competenti his verbis habetur, [Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causari non ad immediatè sui Ordinis Superiores, sed à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem prout cuiusque Religionis constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt, potius quam recurrant ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contempnunt, & ipsi in dies audaciores euadunt placuit Sac. Regularium Congregationi ex ord. Sanctitatis suæ statuere, vt si quis Regularium in posterum temerè, leuiter ex causa hanc almam Vrbe, seu Curiam absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermittenda adire præsumperit, ad suos eosdem Superiores seueriori pœna plectendus remittatur.] Maxime pro Carmelitis id declarauit Clem. VIII. in Bulla 110. in 3. tom. Bullar. illis verbis. *Si se à Prælatiis grauati prætendant ad Priorem Generalem ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Viceprotectorem in Romana Curia, vel ad Nos siue Romanum Pontificem pro tempore existentem supremum in Ecclesia Dei Iudicem sicut antiquitus semper facere consueuerunt, recursum habeant.* Et idem Pontifex in Bulla *Quoniam noster* ann. 1604. edita, & pro Seruitis in alia Bulla eiusdem initijs anno 1593. eisdem verbis. Sorb. 122. *Compend. priuileg. Mendicant. verbo appellare*, & Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Religiosus prope finem*. Qualiter autem, aut quomodo permissa sit Regularibus huiusmodi appellatio dicto tom. 1. cap. 9. n. 4. manet dictum.
16. Circa quæ illud aduertendum appellationem hanc ad D. Cardinalem Protectorem faciendam esse gradatim, id est, à Priore, Guardiano, seu immediato Prælato ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, tum quia id est iuri conforme, tum quia ita colligitur ex declaratione S. Congregationis ex Confettio adducta num. præcedenti, quod etiam refert Sorbus in *Compend. priuileg. Mendicant. verbo appellare*, & Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Religiosus prope finem*. Qualiter autem, aut quomodo permissa sit Regularibus huiusmodi appellatio dicto tom. 1. cap. 9. n. 4. manet dictum.
17. Dubie autem questionis est an ex Protectore appellari possit ad S. Congregationem Regularium, cum enim Protector Iudex sit à Papa constitutus in causis Regularium suæ protectionis, videtur quod ex ipso non admittatur appellatio nisi ad Papam. Verumtamen probabilius apparet contrarium, scilicet à Domino Protectore appellari posse ad S. Congregationem Regularium. Ratio est, non solum quia ita dicitur declaratum à S. Congregatione

- prout refert Sorbus in *Compend. priuileg. Mendic. verb. appellare*, sed etiam quia Tribunal S. Congregationis institutum est à Sixto V. ad prædictorum Regularium causas nomine Papæ definiendas, & terminandas. Quare quemadmodum ex Protectore ad Papam appellari potest, sic ad eandem S. Congregationem, quæ eundem Papam repræsentat. Fauet Thomas de Iesu de *visitat. Regular. tr. 3. c. 17. n. 3. & 7.* & pro eo affert declarationem S. Congreg. Regul. Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Religiosus*.
18. Possunt præterea præfati DD. Protectores concedere licentiam veniendi Romam Fratribus suæ protectionis. Ita enim concessit Clem. VIII. in decretis pro reformatione Regularium in 3. tomo Bullar. n. 60. quæ etiam edita sunt iussu Pauli V. anno 1607. & confirmata à S. Congregatione Concilij sub SS. D. N. Urbano in decretis de Apostatis, & eiectis, ibi [Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint. Si quis autem siue huiusmodi facultate Romam venire præsumperit, vocè actiua, & passiuæ biennio priuatus existat, subiturum, etiam alias arbitratus Superiorum infligendas pœnas, quæ item omnia aduersus eos qui supradictos admitterint, & receperint sine vlla exceptione locum habeant. Vbi etiam adiungitur postea, Decretum illud quo Fratres Romam petere cum Generalis, Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas sua extendi ad Prouincialem decreuit, itaut Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ dumtaxat facultatem cuiusmodi facere valeat, declarauitque pœnam priuationis vocis actiua, & passiuæ contra facientibus infligendam, Sanctitati suæ referuatam esse interdictione omnino eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultatem illam moderandi, ac relaxandi.] Decet autem DD. Protectores, vt hac facultate nisi in casu raro, & Fratres ab ipsis facultatem Romam veniendi postulantes ad Generales remittere, qui ob notitiam quam de Fratribus sui habent melius discernere poterunt an conueniens sit talè facultatem ipsis elargiri.
19. Item possunt DD. Protectores Carmelitarum, & aliorum Mendicantium procedere contra asserentes quod confessi Mendicantibus, iterum eadem peccata Rectoris Parochialis Ecclesiæ teneantur confiteri, veluti contra de hæresi suspectos, & contra prædictos Ecclesiarum Rectores, & Ordinarios, qui propter processus, lites, & controuersias inter ipsos, & Fratres Mendicantes exortos, inhibitionem fecerint elemosynarum illis faciendarum, sicut contra hæreticos. Ita enim habetur ex Sixto IV. in Bulla *Dum attenda*, quæ est Mare magnum Carmelitarum, & extat in 1. tomo Bullar. Rodriguez inter Bullas Sixti IV. num. 37. Hæc tamen intelligenda veniunt ex vi prædictis Priuilegijs Sixti IV. Si enim in commissione Inquisitorum similes causæ illis sint applicatæ cum reuocatione priuilegiorum Mendicantium ad Inquisitores prædictos pertinebit de ijs iudicare.
20. Auctoritas quam habent Domini Protectores videtur delegabilis in casibus necessitatis, quibus ipsi personaliter assistere non possunt. Colligitur ex litteris protectionis sub Paulo V. & SS. Domino Nostro Urbano VIII. illis verbis: [Quando autem ab ipsis Superioribus requisitus fueris, vt in eisdem negotijs auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoueris, vt eandem auctoritatem in eisdem negotijs exerceas, tunc id liberè facere possis, sed quoad poteris per te ipsum hoc facere cures.] Expendo enim *quoad poteris per te ipsum*, quo sanè denotatur per alium, vel alios id facere posse. Et ratio est, quia, vel prædicta auctoritas est ordinaria, vel delegata, si ordinaria, delegabilis est, quia omnis iurisdictio ordinaria est delegabilis si autem sit solum delegata, quia illam habent solum per nominationem, vel delegationem à Papa factam cum sit non ad causam determinatam, sed ad vniuersitatem causarum, scilicet, toties, quoties fuerint à Superioribus requisiti, vel id cognouerint ipsi esse necessarium, absdubiè delegabilis etiam erit, quia delegati ad vniuersitatem causarum subdelegare possunt, vt tradunt Glossa in *cap. cum causam de appellat.* Syluester *verbo delegatus* n. 12. In quo id solum aduertendum quod si huiusmodi causæ concernerent visitationem, vel reformationem alicuius Prouinciæ, vel Monasterij tunc non possunt DD. protectores

rectores suas vices delegare alijs quam eiusdem Ordinis Religiosis. Primò quia visitator, seu reformator aliquorum Religiosorum debet esse instructus in Regula ipsorum, vt colligitur ex cap. Officij de elect. Concil. Trident. sess. 25. cap. 21. de reformat. & Clem. 1. de elect. Secundò, quia sic araretur in boue, & asino contra id quod habetur Deuteron. 22. & expendit Glossa in dicto cap. Officij de elect. verbo incontinenti. Tertio, ex privilegio Innocent. VIII. pro Cisterciensibus. Rodriguez tom. 3. quest. Regul. q. 77. art. 9. Peirinis tom. 1. de subdito Religioso q. 1. de obedientia c. 18. §. 2. vbi plura ad intentum.

21 Quamuis autem in beneficiorum compensationem, quæ à DD. Protectoribus Regulares suscipiunt, defensionis scilicet, conseruationis, protectionis, & tutelæ, sacrificia, orationes, & opera satisfactoria pro ipsis offerre Deo debeant, gratitudinis, & obseruantia debita causa vt iure propterea in Ordine nostro quotidie in Oratione quadam, quæ post Completorium dicitur pro ipsis totus Ordo Dominum deprecetur. Verumtamen Clem. VIII. in Constitutione de largitione munerum strictè, & sub grauissimis pœnis prohibet Regularibus aliqua ipsis donare, aut pro ipsis excipiendis aliquas pecunias erogare, & illis etiam talia recipere, præcipiens quoque vt quæ receperint, siue ab aliquo Religioso particulari, siue à prelato, siue à Conuentu, aut toto Ordine sua non faciant, sed ad restitutionem illorum in vtroque foro teneantur; adeo vt restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientia absolui possint. Quæ quidem etsi cum grano salis, & epicheia accipienda sunt, maximè quia prædicta Constitutio non multum vsu recepta est, laudabilis tamen est modestia plurium prædictorum DD. Protectorum qui eam quasi ad vnguem obseruant, & à proprijs familiaribus obseruari faciunt, vt sic enim Religiosis proprietatis, & ambitionis occasio omnino præcluditur.

#### SVMMARIVM CAP. X.

Conservator quis sit, aut dicatur. num. 1.  
Est Index delegatus à Papa datus ad defendendum aliquos contra manifestas iniurias iudiciali non vtens indagine. ibid.  
Aliquando dantur specialiter contra raptores, & prædones. num. 2.  
In presenti autem ad defensionem Regularium. ibidem.  
Habet plurimi Regulares facultatem nominandi, seu designandi illos. num. 3.  
Privilegium Sixti IV. pro Carmelitis. ibid.  
Privilegium Pij V. pro Prædicatoribus. num. 4.  
An sit reuocatum. ibid.  
Privilegium Iulij II. & Clemen. V. II. pro Minimis. n. 5.  
Privilegium Greg. XIII. pro Iesuitis. ibid.  
Conservatores Religionum non sunt ablati per Concil. Trident. num. 6.  
Quis sit Index ex Trid. sess. 7. cap. 14. num. 7.  
Quid de ipsis Conservatoribus sentiendum. num. 8.  
Possunt ex privilegijs eligi ad id munus quacumque persona in dignitate Ecclesiastica constituta. num. 9.  
Qui sunt illi, qui habent talem dignitatem. num. 10.  
Episcopi, & eorum Superiores eligi possent ex vi dictorum privilegiorum. num. 11.  
Etiam DD. Cardinales. num. 12.  
Maximè Protectores Ordinis Carmel. ibid.  
Vicarij Generales Episcoporum quoque. n. 13.  
Item Prelati, seu Superiores etiam immediati Regularium. num. 14.  
Quid tamen de Guardianis Ordinis Minorum. ibid.  
Quid declaratum à Sacra Congregatione pro Superioribus Regularium. ibid.  
De alijs, qui nomine dignitatis comprehenduntur. n. 15.  
An Canonici etiam. num. 16.  
An personatus habentes. num. 17.  
Tenentur Conservatores electi acceptare tale munus. n. 18.  
Designato vno Conservatore pro vna causa non potest alius pro ea nominari. num. 19.  
Nec habere pro Conservatore eum qui est sub eius iurisdictione, Regibus, & Reginis exceptis. num. 21.  
Conservatores solum possunt iure communi contra manife-

stas iniurias, & violentias procedere. num. 22.  
Quæ dicatur manifesta iniuria, aut violentia. ibid.  
Per privilegia tamen amplior facultas conceditur conservatoribus. ibid.  
An sit hoc tempore id derogatum. ibid.  
An extendatur hoc etiam ad iniurias non solum illas, sed etiam quæ probabiliter inferende timentur. n. 23.  
An ad ea, quæ iudicalem requirunt indaginem. n. 24.  
An sint ex privilegijs Iudices Ordinarij. n. 25.  
An possint Subdelegatos creare. num. 26.  
Quo loco possint exercere suam iurisdictionem. n. 27.  
An possint procedere contra Clericos, & Laicos. num. 28.  
De quibus causis cognoscere possint. n. 29.  
An quando sunt res, vel etiam actores. n. 30.  
An possint cogere Apostatas, & subtrahentes se à iugo Ordinum. num. 31.  
Procedantne criminaliter, civiliter, vel mixtè. num. 32.  
Possuntne vii censuris. num. 33.  
Conservatorum auctoritas an impedi possit ab Ordinarijs, Legatis à latere. num. 34.  
Coarctata est à Sacra Congregatione Concilij iussu Gregorij XIII. facultas Regularium ad eligendum conservatores. num. 35.  
A Clem. VIII. etiam in constitutione Sanctissimus. n. 36.  
Maximè à Gregor. XV. in Constit. etiam Sanctissimus. num. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. & 46.  
Quomodo declarata est prædicta moderatio à Sac. Congregatione. num. 47.  
Quid Leo X. in Conc. Lateranensi statuerit. n. 48.  
Quid tenendum est his temporibus. n. 49.  
Elegendi in conservatores debent esse in dignitate Ecclesiastica constituti. n. 50.  
Quid si illam primò habuerunt. ibid.  
Vel personatus obtinentes. n. 51.  
Canonici Ecclesiarum Cathedralium. n. 52.  
Præcipue tamen ad hoc quod eligantur debent esse prius electi in Iudices Synodales in Concilijs Provincialibus, aut Diocesanis. num. 53. & 54.  
Quas qualitates habere debent hi Iudices. num. 54.  
Quamplures Iudices Synodales designandi. n. 55.  
Quid si aliquis ex illis moriatur. n. 56.  
Quousque duret Iudicis Synodalis officium. ibid.  
Quid si absentetur. ibid.  
An conservatores possint suam auctoritatem delegare. num. 57.  
Possint facere citationes, & denuntiationes per alios. ibid.  
Quid tenebantur Regulares facere post edictam Constit. Greg. num. 58.  
An eo tempore elapso possint etiam conservatores eligere. ibidem.  
Non possunt semel legitime electi durante quinquennio amoueri. num. 59.  
Nisi ex causa approbata à Sede Apostolica, vel Ordinarijs. ibid.  
Quomodo auctoritas conservatorum hoc tempore sit coarctata. num. 60.  
Non possunt hoc tempore procedere cum Regulares sunt actores in causis civilibus. num. 61.  
Nec possunt procedere nisi in manifestis iniurijs, seu violentijs. num. 62.  
Quare debet apparere primum iniurias, seu violentiam esse manifestam. ibid.  
Quid si de hoc dubitent. ibid.  
Nec possunt procedere iudiciali indagine. num. 64.  
Intra quem terminum, seu spatium loci. n. 64.  
An procedere possint ad defensionem seruitorum, seu familiarium. num. 65.  
Quid de Procuratoribus, & Syndicis Minorum. n. 66.  
Quid de defensione honorum. num. 67.  
Pro defensione privilegiorum. num. 68.  
Controversie inter conservatores, & Ordinarios quomodo decidenda. num. 69.  
Conservatores excedentes limites sue iurisdictionis qualiter puniantur. num. 70.  
Pars quæ id procuraverit excommunicatione incurrit. n. 71.  
Impedientes, vel molestantes conservatores quam pœnam incurrant. num. 72.

Non est prohibitum Regularibus petere Iudicem à Principibus secularibus. n. 73.

Concurrentibus quibusdam conditionibus. ibid.

Potest conservator recusari ut suspectus. num. 74.

Appellari potest ab eius sententia. num. 75.

Quomodo munera ab eis non accipienda, & expensæ vitandæ. num. 76.

Quid de Assessoribus, Notarijs, & illis personis, quæ vocantur à Conservatoribus ad testimonium perhibendum. n. 77.

De Conservatorum privilegijs. num. 78.

Quid declaratum à S. Congregatione circa electionem Conservatorum. num. 75.

## De Conservatoribus Religionum, seu Regularium personarum. Cap. X.

**C**onservator secundum Ius commune est Iudex delegatus à Papa ad defendendos aliquos contra manifestas iniurias, iudiciali non utens indagine. Ita habetur in cap. stat. n. 1. de offic. Iudic. deleg. in 6. Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 35. quest. 1. Sorbus in Compend. privileg. Mendicant. verb. Conservator. vers. sunt autem. Dicitur Iudex delegatus, quia Conservator non est Ordinarius, cum iurisdic-tio illi concessa non competat ratione officij, sed delegationis. Molina de iustit. tom. 6. disp. 29. num. 1. Barbosa de offic. & potest. Episcopi alleg. 76. num. 2. Cum quibus adverte id esse intelligendum nisi in Bulla conservatoria expressè concedatur, ut conservator sit Iudex Ordinarius. Dicitur à Papa datus, quia solum Papæ est hos Iudices Conservatores designare. Rodriguez tom. 1. quest. Regular. quest. 65. artic. 2. Peirinis tom. 2. privileg. Minim. in Constitut. Gregorij XV. §. 1. num. 7. Dicitur ad defendendos aliquos contra manifestas iniurias, quia hic est finis per se intentus à iure communi in institutione Conservatorum, & propterea Defensores etiam vocantur. Sorbus ut supra. Dicitur verò iudiciali non utens indagine ad denotandum modum quo debet procedere talis Iudex Conservator in iure communi stando, de quo dicitur in sequentibus Peirinis ut supra §. 6. num. 40.

**2** Quamvis autem secundum Ius commune conservator solum sit Iudex, ut dictum est, ad defendendos aliquos contra manifestas iniurias, nihilominus aliquando datur specialiter, ut defendat aliquos contra raptos, & prædones aliquando etiam specialiter contra eos qui aliquorum privilegia infringant. Innocentius cap. stat. n. 1. de offic. deleg. in 6. Erasmus ChoKier in tract. de iurisdic. Ordin. in exempt. p. 1. quest. 39. num. 1. Aliquando autem, ut in præsentia materia, item specialiter ad tuendos Regulares ab iniurijs illis illatis, eorum iura, bona, & privilegia defendendo. Sorbus ut supra §. tamen Conservator. Peirinis ut supra §. 1. n. 2. Conservatores ergo prout in præsentia illi dicentur qui dati sunt Regularibus, ut eorum iura, bona, & privilegia ab iniurijs defendant.

**3** Habent enim plurimi Regulares à Summis Pontificibus facultatem nominandi, & designandi Conservatores, qui ipsorum privilegia publicent, ac eisdem efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione privilegiorum gaudere, non permittentibus per quoscumque indebitè molestari. Sic enim concessit Sixtus IV. quatuor Ordinibus Mendicantium. Casarubius in Compend. privileg. Mendic. verbo conservatores Ordin. num. 1. Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 65. artic. 3. Verba autem nostri Maris magni, seu eiusdem Sixti IV. Bullæ quibus etiam quid alijs Mendicantibus concessum sit habetur, post relata privilegia, & indulta Ordini concessa sunt huiusmodi, [Et nihilominus dicti Ordinis Protectori qui pro tempore erit, & cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico, per univesam Orbem qui desuper prædicti Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Priores, & Fratres, ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ syndicos desuper requisitus fuerit, per Apostolica scripta in solidum mandamus quatenus per se, vel alium, seu alios præmissa, ubi Summa Lexana. Tom. II.

& quando opus fuerit solemniter publicantes, ac eisdem Fratrum Gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli Ordini, illiusque domibus, & professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant eos pacifica possessione, vel quasi privilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere, non permittentibus eos, seu testamentorum executores, & hæredes prædictos contra illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, aut quoscumque alios indebitè molestari, aut eis graua mina, iniurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, ac etiam summarie, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, contra quoscumque cuiuscumque qualitatibus, vel conditionibus existant, & quacumque Ecclesiastica etiam Patriarchali, Archiepiscopali, aut Episcopali, aut mundana fore dignitate, & exemptione muniti in quibuscumque causis per eos mouendis, quacumque ratione, vel causa quæ excogitari possit eis ministrent iustitiæ complementum: exequentes quod per eos fuerit ordinatum, & illos quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit illis irritos esse declarent, ac faciant, & mandent interdictos suspensos, & excommunicatos publice nunciari, & ab omnibus archibus euitari, ac legitimis super his habendis seruatis processibus illos quoties opus fuerit iteratis vicibus aggrauare procurent. Contradictores auctoritate Apostolica, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus prædicti Bonifacij VIII. &c.]

**4** Specialiter etiam Patres Dominicani à Pio V. in Bulla Ad hoc nos Deus, quæ est inter Bullas huius Pontificis sub num. 41. privilegium habent, quo Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac alijs personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, necnon Metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, & eorundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, Officialibus, seu Vicarijs hæc scribit. [Et ut Fratres, & Moniales à præmissis, molestijs, & perturbationibus subleuati, quietius Altissimo famulari, & vberiores fructus quotidie in agro Domini, pro Christianæ Religionis defensione, & ampliatione perferre possint, tam vos omnes, & singulos supradictos quam quascumque alias personas in dignitate Ecclesiastica vbilibet, & in quibusuis mundi partibus constitutas, quoscumque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales, necnon Canonicos Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum per eisdem Fratres, seu Moniales, ac dicti Ordinis Fratrum Predicatorum Superiores, & domorum Priores, ac eorum singulos pro tempore eligendos, in eorum, & dictorum eorundem privilegiorum, indulgentiarum, cõcessionum, & gratiarum, & singulorum aliorum præmissorum Conservatores, & Iudices vnicos, qui quamdiu dictum officium exercueritis, & ipsi exercuerint à nemine quo minus illud exerceatis, & exerceant sub aliquo prætextu, ac sub excommunicationis, siue suspensionis à diuinis latæ sententiæ, quam eo ipso incurrete volumus, & declaramus respectiue pœna impediri vel molestari possitis, & possint dicta auctoritate deputamus. Ita quod vos, seu alij quicunq; sic electi sub excommunicationis, seu suspensionis latæ sententiæ pœna huiusmodi, quam statim quod munus, siue officium Conservatoris huiusmodi, acceptare, & debite, ac plenariè exequi neglexeritis, & neglexerint absque alterius declarationis ministerio incurtere volumus, nec ab aliquo quam à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolui posse, eisdem Priores, Superiores, & Fratres, ac Moniales, etiam tertij habitus oblatos, & alios præfatos, ac eorum singulis aduersus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus Agentibus, Seruatoribus, & familiaribus in præmissis, & eorundem aliquo, molestias, siue perturbaciones aliquas, seu iniurias, graua mina, vel damna in personis, rebus, & bonis, seu exigendo ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera defedere, persequere, legendum videtur præseruare, ac omnem eorū iurisdictionem exercere. Necnon sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas contra rebelles, & inobedientes cum effectu promulgare, ac omnibus facultatibus Conservatoribus dicti Ordinis Fratrum Predicatorum, illiusque Fratribus, & personis per quascumque litteras Apostolicas, quomodolibet

concessas, ut, ac priuilegia Superioribus, Prioribus, & Fratribus, ac Monialibus presatis pro tempore concessa eis obseruari facere debeatis, & debeant. Circa quam Constitutionem nota, quod licet videatur reuocata à Gregorio XIII. in Bulla *In tanta*, quæ est 9. inter Constitutiones Gregorij, vt expressè asserit Lauretus de Franchis in *Controuersijs Episcop. & Regular. sup. dictam Bullam Gregorij pag. mibi 14.* cum ibi reuocet Pontifex quascumque Constitutiones à Pio V. editas in fauorem quorumcumque Regularium etiam Mendicantium, nihilominus quia forsan hæc reuocatio à Gregorio facta solum est accipienda quoad ea, quæ contra Concilium Tridentinum concesserat Pius, iuxta dicta cap. 1. num. 16. vel saltem non alio modo est recepta, ideo hanc concessionem Pij V. quoad Iudices Conseruatores non omittendam dixi.

5 Item Iulius II. Minimis concessit in Bulla *Alias venerabilem* anno 1507. edita, quæ est apud Peirinis tom. 1. priuileg. *Minim. inter Const. Iulij II. num. 4. Quod Fratres dicti Ordinis Conseruatores. Minorum etiam Canonicos Cathedralium Ecclesiarum, & Officiales, ac Vicarios ipsorum sibi eligere, & quod tales in Conseruatores taliter per eos electi, ex nunc per nos depuati censeantur, possint que contradictores quoscumque excommunicare, & censuras iteratis vicibus, aggravare, ac loca quæcumque Ecclesiastico subicere interdito, ac omnia alia que possunt Conseruatores, ab alijs Fratribus aliorum Ordinum, Mendicantium, iuxta priuilegia eis super hoc concessa, electi.* Et Clemens VIII. in Bulla *Conquestionem* anno 1524. edita, apud eundem Peirinis tom. 1. priuileg. *Minim. inter Constitutiones Clementis VIII. num. 1.* magnam etiam concessionem eisdem Minimis fecit. De alijs etiam Priuilegijs circa hoc Religionibus concessis, Barbosa *de offic. & potest. Episcopi allegat. 106. num. 52.* Ac tandem Gregorius XIII. in Bulla *Aequum reputantes*, quæ est inter Bullas huius Pontificis in 2. to. Bullar. num. 1. amplam valde circa hoc Societati Iesu concessionem fecit, de qua minutim plura in sequentibus dicetur aduertendo Religionibus habentes communicationem priuilegiorum omnium aliorum Ordinum sui priuilegij Societatis quamuis tempore posterior ipsi sit, iuxta dicta tom. 1. cap. 3. num. 17. Imò specialiter Religionibus non habentes Conseruatores posse illos eligere, si habeant communicationem priuilegiorum cum alijs Conseruatores habentibus declaratum dicitur à Sac. Congregatione: Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Conseruator.*

6 Nec conseruatores Religionum, aut ipsorum priuilegia per Concil. Trid. ablata sunt. Constat enim Concilium *sess. 7. c. 14.* supponere quod Regulares extra Monasterium degentes, etiam in partibus Iudicem habeant, conueniri debeant in ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum coram Ordinarijs, in alijs tamen locis coram Iudice (Conseruatorem intellige secundum quosdam) si illum habuerint. Clarius *sess. 14. c. 5.* vbi cum magnam limitationem adhibuisset circa conseruatores, & eorum facultatem, postea declarat se non loqui de locis, aut personis Regularibus. Similiter cum *sess. 14. cap. 20.* voluisset causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prima instantia coram Ordinarijs locorum cognoscendas, nihilominus S. Congregatio Concilij declarauit non propterea sublatos esse conseruatores, Peirinis tom. 2. priuileg. *Minim. in const. 5. Greg. XV. §. 1. num. 4.* Barb. *de offic. & potest. Episcopi allegat. 106. num. 42. & 43.* & alij apud ipsos.

7 Dixi autem per Iudicem de quo sermo est in Conc. Trident. *sess. 7. cap. 14.* intelligi (secundum quosdam) conseruatorem quia re vera conformis textui est ibi non loqui Concilium de Iudice conseruatore, sed de alio Iudice Apostolico designato pro Religiosis extra claustra degentibus, ac proinde ex mente Concilij Regulares extra claustra degentes conueniri debere coram Ordinarijs in causis ibi designatis. Rodriguez tom. 1. *quest. Regul. quest. 65. artic. 13. §. secundo est notandum.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi allegat. 106. num. 43.* Vide dicta tom. 1. cap. 11. num. 10.

8 Ex hatum igitur Religionum priuilegijs inferri potest doctrina circa materiam horum conseruatorum, earum-

dem, & aliarum, quæ cum ipsis communicationem priuilegiorum habent. In qua primum dicitur de eo quod tum iure communi, tum ex priuilegij Regularium conseruatoribus ipsi competit. Postea verò de eo in quo moderatio facta est maxime post Gregor. XV. Constitutionem *Santissimus* de qua infra.

9 Primo igitur circa qualitatem horum in Iudices conseruatores eligendorum constat ex prædictis priuilegijs posse tale munus exercere quancumque personam in Ecclesiastica dignitate constitutam. Sic enim habetur in prædicta Bulla Sixti IV. verbis allatis num. 3. & in Bulla Pij V. verbis relatis num. 1. ac Clement. VII. pro Minimis, ac demum Gregor. XIII. pro Iesuitis. Qualiter autem hoc non sufficiat post Constit. Gregor. XV. editam inferius dicitur.

10 Cum autem iuxta dicenda cap. 13. num. 2. dignitas sit administratio (intelligere rerum Ecclesiasticarum) cum iurisdictione, in hoc enim distinguitur à personarum, quod personatus, vt ibidem dicitur, est præ eminentia, seu præcedentia sine iurisdictione. Ideo omnes illi qui talem administrationem cum iurisdictione habuerint eligi poterunt in Conseruatores. Moneta *de conseruatorib. cap. 5. q. 7. n. 8.* Peirinis tom. 8. priuileg. *Minim. in const. 5. Gregor. XV. §. 2. num. 8.*

11 Ex quo sequitur Episcopos, & ipsorum Superiores, scilicet Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, & etiam Abbates posse eligi ex vi prædictorum priuilegiorum Religionum in Iudices Conseruatores, non solum quia sunt personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sed etiam, quia ad illos dirigitur aliqua ex prædictis litteris conseruatorijs, videlicet illæ Clem. VII. pro Minimis, & Pij Quinti pro Dominicis, in litteris autem Gregor. XIII. pro Iesuitis expressè fit mentio de Episcopis, & Archiepiscopis. Moneta *de conseruatorib. cap. 5. quest. 6. num. 79. & 80.* [Ad etiam quod attinet ad Episcopos constat ex quadam declaratione Sacre Congregationis Episcoporum & Regularium pro 2. Decembris 1642. quam vidi, & de ijs omnibus id tenet Tamburinus de Iure Abbatum tom. 3. *disp. 17. quest. 1. num. 11.*]

12 Imò etiam DD. Cardinales ex vi prædictorum priuilegiorum in Iudices Conseruatores eligi possunt. Quia etsi expressè non nominentur in illis, cum tamen maximam habeant dignitatem necesse est inter dignitates habentes comprehendere. Moneta *de conseruatoribus cap. 5. quest. 3. à num. 23.* Peirinis tom. 2. priuileg. *Minim. in const. 5. Gregor. XV. §. 2. numer. 12.* Imò Cardinales Protectores Carmelitarum, & eorum, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent, sunt ipsorum conseruatores Ordinarijs, iuxta dicta cap. præced. numer. 12. & 14.

13 Sequitur etiam Vicarios Generales Episcoporum posse esse ex vi iuris communis, & prædictorum priuilegiorum Iudices conseruatores, cum sint personæ in dignitate constitutæ, & ad illos dirigantur litteræ conseruatoriæ Clem. VII. relatæ pro Minimis, dum dicitur: *Necnon eorumdem Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, seu Vicarijs in spiritualibus Generalibus*, patet etiam nominentur in litteris Pij Quinti pro Dominicis dum dicitur: *Et quoscumque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales*, ac in Bulla Gregor. XIII. pro Iesuitis. Rodriguez tom. 1. *quest. Regular. quest. 65. artic. 3.* & alij apud Barbotam *de offic. & potest. Episcopi allegat. 106. numer. 13.* Esto autem hoc non esset verum ex vi iuris communis, vt plures auctores apud ipsum Barbotam relati satis probabiliter defendunt, ex vi tamen priuilegiorum, quæ adducta sunt, id est certum.

14 Similiter ex vi iuris communis, & prædictorum priuilegiorum, eligi possunt in Conseruatores Regularium Prælati, seu Superiores etiam immediati ipsorum Regularium, v.g. Priores, Guardiani, &c. Ratio est, quia etiam illi sunt personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, eorum enim munus est dignitas, iuxta dicenda cap. 13. num. 2. Accedit quod prædictæ litteræ conseruatoriæ Clementis VIII. pro Minimis dirigitur etiam ad Priores, quo etiam videntur denotari Superiores immediati conuentuum religiosorum. Rodriguez tom. 1. *quest. Regul.*

- Regul. quest. 65. art. 3. Peirinis tom. 2. privileg. Minor. in constitut. 5. Gregor. XV. §. 2. n. 11.* [Tamburinus *sup. q. 4.* addens ad id non requirit licentiam alterius superioris, nec utilitatem aliam Monasterij, præter eam quæ est communis omnium Regularium quod ipsorum conservatores potius sint Regulares, quam sæculares.] Dixi tamen ex vi iuris communis, & prædictorum privilegiorum, primò quia forsan Guardianis, seu Prælati Minorum id est prohibitum à Clemente V. in Clement. *Exiit de Paradiso*, ut tractat Rodrigu. *ibid.* Secundò quia à Sacra Congregatione Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositorum Archiepiscopo Turritano interroganti an Regulares vnius Conuentus, Monasterij, vel domus aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemvis alium quavis dignitate Regulari fulgentem in suum Conservatorem eligere, vel deputare possent, responsum est, non posse. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 15.* (Vbi nota falsò referri hanc declarationem ab eodem Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Conservator*, ut credo errore Typographi.) Gauantus in *Manual. Episcoporum verbo Conservatores*. Erasmus CoKier *de iurisdic. Ordinarior. in ex empt. par. 1. q. 39. num. 5.* Video tamen Abbati Ordinis Oliuetani concessum esse à Sac. Congregatione posse eligi in conservatorem si Episcopus in Synodo eum deputavit Iudicem synodalem. Barb. in *Collec. Bullar. verb. Abbas Oliuetanus 6. & v. conservator.*
- 15 Infertur etiam Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, præpositum, & Decanum Ecclesiarum, imò etiam Vicecancellarium Papæ, Camerarium, Summum Pœnitentiarium, Clericos Cameræ, Auditorem Curie causarum dictæ Cameræ, Auditores Rotæ, Referendarios, & Protonotarios eligi posse, tum iure communi, tum ratione prædictorum privilegiorum, in conservatores, si quidem hi omnes habent dignitatem Ecclesiasticam. Moneta *de Conservatoribus cap. 5. quest. 7.* Peirinis *tomo secundo privileg. Minim. in constitut. Gregor. XV. §. 2. num. 15. & 17.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi allegat. 106. num. 3.*
- 16 Canonici etiam saltem, ex vi prædictorum privilegiorum eligi possunt in conservatores, esto canonicatus nec indignitas, nec personatus esset, de quo alias. Nam in prædicta Bulla Sixti IV. pro Carmelitis verbis supra num. 3. relatis dicitur: *Et Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesie Canonico, &c.* & Bulla Clement. VII. pro Minimis dirigitur etiam ad Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, quod idem habetur in Bullis Pij V. pro Dominicis, & Greg. XIII. pro Iesuitis. Rodrig. *tom. 1. quest. Regular. quest. 65. art. 2.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi alleg. 106. n. 11.* De quibus autem canonicis id sit intelligendum, maximè post constitutiones Clement. VIII. & Greg. XV. ex dicendis n. 52. constabit.
- 17 Quamvis autem in dignitate Ecclesiastica constituti eligi valeant in conservatores Religionum, tum iure communi, tum propter privilegia adducta, personatus autem, seu personatus habentes non videtur posse eligi in conservatores à Regularibus ex privilegijs ipsorum. Ratio est, quia etsi iure communi *cap. ultim. de offic. et potest. Iudic. delegat. in 6.* id fieri possit, nullum tamen ex privilegijs adductis, nec alia, quæ viderim mentionem de ipsis facit, quo denotari videtur excludi ab hoc munere à Summis Pontificibus respectu Regularium. Quid tamen dicendum sit post tempora Clement. VIII. & Gregor. XV. dicetur inferius. [Illi etiam Regulares, qui Superiores, Vicarij, seu Priores Claustrales vocantur, qui videlicet in suis Monasterijs habent supra se alium superiorem localem, cum non sint personæ in dignitate constitutæ eligi nequeunt in conservatores. Tamburinus *supra quest. 4. num. 7.* ex Rodriguez, Miranda, Passarello, Moneta, & Peirinis.]
- 18 Tenentur conservatores electi à Regularibus acceptare tale munus non solum ex charitate ad evitandas iniurias, & violentias illis illatas, seu inferendas, sed etiam ex speciali mandato Summorum Pontificum, qui id ipsis præcipiunt, & aliquando sub grauibus pœnis. Etenim Iulius II. id præcipit sub pœna excommunicationis personis requisitis à Fratribus Minoribus. Similiter Leo X. in fau-

rem Mendicantium districtè id præcipit conservatoribus ab ipsis requisitis. Clarius Pius V. in conservatoria Dominicanorum relata conservatoribus ab ipsis electis, idem præcipit sub excommunicationis, & suspensionis latæ sententiæ pœna, soli Papæ reservata. Quare rei erunt peccati mortalis, nisi aliqua graui causa excusentur, non acceptantes tales conservatorias. Rodriguez *tom. 1. quest. Regular. quest. 65. artic. 4.* Peirinis *tom. 1. priuil. Minim. in Constit. 4. Iulij II. n. 30.* Nota tamen conservatorias has litteras Pij V. pro Dominicis non esse certæ auctoritatis propter dicta supra num. 4.

- 19 Designato autem vno conservatore pro vna causa non potest pro ea alius nominari, quia iam talis persona nominata auctoritatem habet ad illam causam à Sede Apostolica; & propterea non potest illa priuari (intellige sine graui ratione de nouo vrgenti.) Rodriguez *tom. 1. quest. Regular. quest. 65. artic. 5.* Nauarrus *lib. 1. consil. de Offic. Iudic. delegati.*
- 20 Licet aliqui credant conservatoris officium extingui, & expirare per obitum concedentis, quoad negotia non cepta Chokier *de iurisdic. Ordinar. in exempt. p. 1. quest. 39. n. 14.* Barbosa *de offic. et potest. Episcop. allegat. 106. num. 50.* In Religionibus tamen, ad earum privilegia attendendo, non cessat munus conservatorum ob mortem Papæ concedentis, quia eliguntur virtute concessionis factæ Religioni, quæ est perpetua, vnde tale privilegium est reale, non personale, & ita vsus obtinuit. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. quest. 65. art. 6.* Miranda in *Man. tom. 2. quest. 47. artic. 6.* Nota tamen etiam quoad hoc derogata videri privilegia Religionum his temporibus post constitutionem Greg. XV. de qua inferius, eo quod per illam innouetur Constitutio Bonif. VIII. quæ incipit. *Hac Constitutione seu cap. fin. de offic. & potest. Iudic. delegati in 6.* vbi habetur [officium quorumcumque conservatorum quoad non cepta negotia per obitum concedentis, expirare.] Nihilominus tamen dici potest in hoc cap. solum esse sermonem de Conservatorijs personalibus concessis priuatis personis, non de realibus concessis Religionibus, hæc enim censentur perpetuæ, (Miranda *ut supra*) ac per consequens non esse hoc reuocatum per dictam constitutionem Gregor. XV. præsertim quia in illa supponitur Regulares sibi eligere, seu assumere Conservatores, & præcipitur vt durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari non possint, nulla facta mentione de obitu Papæ concedentis privilegia ad tales electiones faciendas.
- 21 Nemo potest iure communi esse conservator sui conservatoris, nec habere pro conservatore eum qui est sub eius iurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, vel temporali. Regibus, & Reginis exceptis. Ita enim deciditur expressè in *dict. cap. ultim. de offic. et potest. delegat. in 6.* Erasmus Chokier *de iurisdic. Ordinar. in exempt. p. 1. quest. 39. num. 3.* Barbosa *de offic. et potest. Episcop. allegat. 105. num. 14.* Vnde mirum mihi est in Hispania (vbi absque vilius nationis iniuria sapientissimi vigent Doctores) vidisse quosdam Prælatos Regulares qui ad inuicem munus conservatorum exercebant. Etsi enim privilegia admittant electionem cuiuscumque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, intelligi tamen id debet, iuxta conditiones à iure communi requisitas, quarum vna est quod vnus non sit Conservator sui Conservatoris.
- 22 Prædicti Conservatores attento iure communi, & seclusis particularibus privilegijs solum possunt procedere contra manifestas iniurias, & violentias. Ita enim deciditur *cap. 1. et ultim. de offic. et potest. delegat. in 6.* Dicitur autem manifesta iniuria illa, quæ per facti euentiam ita notoria est, vt examinatione non egeat, vel si egeat, probari tamen potest clarè, & certitudinaliter per multos testes, ita vt negari non possit. Tuschul. v. manifestum conclus. 71. n. 7. Ioann. Monach. *cap. 1. num. 3. de iudic. deleg. Violentia verò dicitur, iniuria cum vi, & impetu personis, vel rebus facta.* De qua, & quod quintuplex sit vide Menoc. in prælud. de recuperand. possess. à n. 38. Vide etiam Tuschum v. vis, & violentia conclus. 214. Nihilominus amplior, & extensior facultas conceditur conservatoribus Religionum per privilegia adducta. Verbis enim Sixti IV. pro Carmelitis adductis mandat ipsis conservatoribus ne permittant eos indebitè molestari, aut eis



- grauamina, iniurias atque damna inferri, seu quomodo libet irroga. Similiter in Bulla Conseruatoria Clementis VII. pro Minimis dicitur. *Ne permittatis eosdem super libertatibus, priuilegijs, indultis rebus, & bonis predictis, ab eisdem, & quibuslibet alijs indebitè molestari, vel eis grauamina, vel damna, seu iniurias irrogari, aut coram quibuscumque Iudicibus Ordinarijs, vel delegatis, etiam Apostolicis, quavis occasione, vel causa etiam criminali eosdem Fratres trahi, &c.* Item in Bulla Pij V. pro Dominicanis supra etiam relata (etsi eam certæ auctoritatis non esse dictum sit supra num. 4.) predictis Conseruatoribus præcipitur vt eos defendant aduersus inferentes eis molestias sine perturbationes aliquas, seu iniurias, grauamina, vel damna in personis, rebus, & bonis, &c. In Bulla etiam Greg. XIII. pro Iesuitis relata amplissima facultas eisdem Conseruatoribus conceditur, videlicet de quibuslibet molestijs, iniurijs, damnis nunc presentibus, & futuris. Ex quibus habetur eos posse cognoscere de omnibus causis tam manifestis, quam non manifestis. Farinacius 2. part. decis. 616. num. 3. & 4. Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 5. Greg. XV. §. 6. n. 34. & 48. Constabit autem ex dicendis n. 62. qualiter id his temporibus moderatum sit.
22. Extenditur hoc ad iniurias non solum illatas, sed etiam ad illas, quæ probabiliter inferendæ timentur. Quia defensoris munus vtrasque respicit. Et ita in priuilegio illo Sixti IV. pro Carmelitis vniuersaliter, & indefinitè dicitur non permittendum eos indebitè molestari, aut eis grauamina inferri quod tam de futuris, quam de præteritis iniurijs verificatur. Clarius in conseruatoria Clem. VII. pro Minim. est sermo de damnis presentibus, & futuris. Quod idem habetur in conseruatoria Gregor. XIII. pro Iesuitis. Molina tom. 6. disp. 29. num. 2. Miranda tom. 2. Manual. Prelat. q. 47. artic. 7. Vnde potest conseruator si videat aliquos paratos cum armis ad damnificandum aliquod Monasterium in illos excommunicationem ferre, vt desistant. Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 34. q. 7. Barbosa de offic. & potest. at. Episcop. allegat. 106. num. 34.
24. Similiter quamuis predicti conseruatores stando in iure communi non possint cognoscere de ijs quæ iudicalem requirunt indaginem (idest quæ requirunt causæ cognitionem, & examinationem propter eius dubietatem. Glossa in cap. 1. referendo) vt habetur expressè cap. 1. & ultim. de offic. & potest. iudic. delegat. in 6. vt propterea dicto capit. ultim. poena suspensionis per annum puniantur, qui oppositum fecerint, & colligitur ex dictis: si enim ius commune solum permittit quod conseruatores iudicent de manifestis iniurijs, & violentijs, cum manifestum non indigeat iudiciali indagine, seu examinatione, ideo consequenter non permittit illos cognoscere de ijs quæ iudicalem requirunt indaginem, quia hæc non sunt manifesta, sed dubia. Nihilominus ex priuilegijs aliquorum Regularium maior, & amplior auctoritas aliquibus conseruatoribus conceditur. Specialiter ex illo Clem. VII. pro Minimis vbi dicitur debere illos facere iustitiæ complementum prædictis Minimis in illis videlicet, quæ iudicalem requirunt indaginem summarie, simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, in alijs vero prout qualitas eorum exegerit. Similiaque habentur in Bulla conseruatoria Iesuitarum à Greg. XIII. data de qua supra num. 5. Vbi manifestè supponit conseruatores procedere posse iudiciali indagine, & quocumque alio modo necessario. Nec incongruè idem etiam elicitur ex illis verbis Sixti IV. pro Carmelitis relatis n. 3. ac etiam summarie, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij. Verbum enim illud ac etiam denotatè videtur conseruatoribus tribui facultatem procedendi in defensione Carmelitarum prout qualitas causæ exegerit, ac etiam de plano &c. Esto autem hæc verba alium habere possent sensum, tamen propter communicationem priuilegiorum qua gaudent predicti Carmelitæ concessione. Clem. VII. & Gregor. XIII. vti valent. Sorbus in compend. priuileg. Mendicant. verbo Conseruatores §. tamen Conseruator. Quo modo autem etiam circa hæc moderata sit conseruatorum iurisdictio his temporibus infra num. 63. dicitur.
25. Pariter etiam quamuis communi iure conseruatores sint solum Iudices delegati iuxta dicta supra num. 1. ex priuilegijs tamen aliquorum Regularium sunt Iudices Ordinarij. Primò, quia in repetita Bulla Greg. XIII. pro Iesuitis tales expressè vocantur. Secundò, quia in predictis priuilegijs conceditur conseruatoribus facultas ad delegandum suam auctoritatem, ille autem qui delegare potest Ordinarius vel quasi est. Id vero patet in illis verbis Sixti IV. pro Carmelitis in Bulla sæpius relata per se, vel alium vel alios. Et in Bulla Clem. VII. pro Minimis illis verbis, per vos, vel alium, seu alios. Ac in conseruatoria Greg. XIII. pro Iesuitis verbis illis, per se, vel alium, seu alios. Tertiò quia aliqui saltem illorum dantur ad vniuersitatem causarum. Iudex autem ad vniuersitatem causarum designatus Ordinarius est, iuxta dicenda capit. 13. numer. 16. At verò Iudices conseruatores aliquorum Regularium ad vniuersitatem causarum designatos esse, constat ex illis verbis Sixti Quarti pro Carmelitis in quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione, vel causa qua excogitari possit eis ministrantibus iustitiæ complementum. Idem etiam colligitur ex conseruatoria Clem. VII. pro Minimis, & Pij V. pro Dominicanis, ac Gregor. XIII. pro Iesuitis. Moneta de conseruatoribus capit. 1. num. 11. & cap. 7. num. 40. Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 106. num. 2. & 3. Vnde non erit necesse quod in citationibus inserant litteras Conseruatorias, sed sufficit instar aliorum Iudicum Ordinarium, quod de eis constat in actis Notarij Curie Ordinarij. Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constitu. 5. Gregor. XV. §. 1. num. 2.
26. Præterea, quod ex dictis sequitur, quamuis conseruatores secundum ius commune Subdelegatos creare non possint, conseruatores tamen quorundam Regularium, quorum priuilegia num. præced. sunt relata, & aliorum, qui cum ipsis communicationem in priuilegijs habent, Subconseruatores instituere possunt. Tum ex dictis priuilegijs, tum ex eo quod, vt ibidem dictum est, sunt Ordinarij. Vnde in cap. final. de offic. & potest. iudic. delegat. in 6. expressè dicitur. *Vices suas nulli alij committere possint, nisi hoc eis competierit ex beneficio litterarum.* Moneta de Conseruatoribus cap. 7. quest. 2. num. 58. Rodriguez tom. 1. quest. Regular. quest. 65. art. 10. Huiusmodi autem Subconseruatores debent habere omnes conditiones pro Conseruatoribus requisitas. Ita enim colligitur ex cap. statutum §. in nullo de rescript. in 6. Glossa ibidem verb. designatis, & Glossa in cap. fin. de offic. & potest. iudic. delegat. in 6. verbo superius, vbi inquit, *subdelegatus talis esse debet, cui possit delegari.* Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constitu. 5. Gregor. XV. §. 2. num. 5. [Nota tamen me vidisse declarationem Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium pro 2. Decembris 1642. qua declarauit non potuisse conseruatorem PP. Cælestinorum eligisse pro sui absentia quendam Subconseruatorem. Sed quia non constat an id declaratum sit à Sacra Congregatione propterea quod ille Subconseruator non habuerit predictas conditiones, aut quia PP. Cælestini non poriantur tali priuilegio, ideo dum de eiusdem Sacre Congregationis mente non constiterit, sustineri debet sententia quam adduximus, scilicet, Conseruatores quorundam Regularium posse Subdelegatos constituere. Prout tenent non solum Authores relati, sed etiam Miranda, Sorbus, & Pasfartellus, quos refert & sequitur Tamburinus supra quest. 1. num. 6.]
27. Insuper licet stando in eodem iure communi conseruatores nequeant suum munus exercere, nisi intra Ciuitates, seu Dioceses in quibus deputati fuerint. Quia ita habetur in c. ult. de offic. & potest. iudic. delegat. in 6. nihilominus ex dicta conseruatoria Gregor. XIII. pro Iesuitis, & Clem. VII. pro Minimis colligitur posse extra dictas Ciuitates, & Dioceses contra delinquentes procedere. Ponitur autem in eis terminus, dummodò id non sit vltra tres dietas Sorbus in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Conseruatores Ordinis Sacre Conseruator. Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Const. 5. Gregor. XV. §. 6. num. 48. Est autem vna dieta iter vnus diei, idest, viginti miliaria. Portellus in Dub. Regular. verb. conseruatores num. 5. A quo autem spatio computandæ sunt istæ dietæ, vide Rodriguez to. 1. questionum Regular. quest. 65. artic. 7. Qualiter etiam hoc limitatum sit Constit. Gregor. XV. inferius num. 64. dicitur.

28. Neque solum possunt in prædictis causis conseruatores contra Clericos procedere, sed etiam contra laicos. Verba enim illa Sixti IV. *cuiuscumque qualitatis, & conditionis, & illa Clementis VII. ab eisdem, & quibuslibet alijs*; ac illa Gregor. XIII. *à quibuscumque personis tam Regularibus, quam Ecclesiasticis*. valde vniuersalia sunt, etiam laicos comprehendunt. Rodriguez tom. 1. *quest. Regular. quest. 65. artic. 11.* Miranda tom. 2. *quest. 47. artic. 7. conclus. 3.*
29. Item possunt ex vi prædictorum priuilegiarum cognoscere de omnibus causis tam criminalibus, quam mixtis, atque ciuilibus. Propter vniuersalitatē illorum verborum Sixti IV. pro Carmelitis, *In quibuscumque causis per eos mouendis, & quacumque ratione, vel causa, & illorum Clement. VII. pro Minimis, de quibuslibet molestijs, iniurijs, &c. ac illorum Greg. XIII. pro Iesuitis, vt in quibuscumque causis tam ciuilibus, quam criminalibus, ac mixtis*. Rodriguez tom. 1. *quest. Regul. q. 65. art. 12.* Peirinis tom. 2. *privileg. Minim. in Constit. 5. Gregor. XV. §. 6. n. 48.* An verò hoc limitatum, & coarctatum sit quoad debita ciuilia dicitur infra n. 61. & de alijs limitationibus n. 60. & sequentibus.
30. Insuper possunt conseruatores cognoscere de prædictis causis, siue Regulares sint rei, vel actores etiam stando in iure communi. Nam in *c. fin. de offic. & potest. iudic. delegat. in 6.* expresse præcipitur conseruatoribus, *ne aliquos ultra vnā dietam à sine diocesana eorumdem trahere presumat*, in quo supponitur posse trahere intra vnā dietam. Verbum autē trahere proprium est actoris reum ad iudicium trahentis. Ioannes Andreas *dict. cap. fin. n. 2.* Moneta *de Conseruatorib. cap. 7. quest. 6. n. 378.* Posse autem defendere eos quando sunt rei manifestum est apud omnes, & constat ex dicendis. Ex priuilegijs autem posse cognoscere dictos conseruatores de causis Regularium vtroque modo constat ex conseruatoria Greg. XIII. pro Iesuitis (qua concessione tam ipsi, quam alij qui cum ipsis communicant in priuilegijs fruuntur) illis verbis, *etiam in eis, in quibus actores, vel conuenti rei forent*. Qualiter autem hæc limitata sint post Constitutionem Greg. XV. infra dicitur à num. 60.
31. Possunt quoque Apostatas, & subtrahentes se ab obedientia Ordinis, censuris Ecclesiasticis ad Religionem reuocare, propter conseruatoriam Clem. VII. pro dictis Minimis, vbi id habetur. Item articulum ab alijs inchoatum prosequi. Ita enim habetur in conseruatoria Clem. VII. pro Minimis, & Gregor. XIII. pro Iesuitis. Citare per edictum vbi tutus non patet accessus ad personaliter citandum. Ex prædictis conseruatorijs Clem. VII. pro Minimis, & Greg. XIII. pro Iesuitis. Peirinis tom. 2. *privileg. Minim. in Constit. 5. Gregor. XV. §. 6. n. 48.* Hæc tamen regulanda iuxta dicenda inferius circa Constitut. Clem. VIII. & Gregor. XV. ac decreta S. Congregationis.
32. Circa modum autem quo Conseruatores procedere debeant, an scilicet criminaliter, ciuilitate, vel mixtè, dicendum videtur iure communi non posse procedere criminaliter, aut mixtè, sed solum ciuilitate. Ratio est, quia procedere criminaliter est cognoscere de delicto propter vtilitatem publicam, & mixtè est cognoscere de illo tum propter vtilitatem publicam, tum propter priuatam, procedere verò ciuilitate est cognoscere de delicto propter priuatam vtilitatem. Nauarr. in *Rubric. de iudicijs n. 31.* Moneta *de Conseruatorib. cap. 7. q. 2. à num. 208.* Cum autem conseruatores instituantur propter priuatam eorum vtilitatem quibus assignantur ad defensionem, ideo solum videtur posse procedere, saltem iure communi, ciuilitate, non criminaliter, aut mixtè. Moneta *vt sup. n. 253. & 267.* Peirinis tom. 2. *privileg. Minim. in Constit. 5. Gregor. XV. §. 6. n. 43. & 44.* An verò stando in vi priuilegiarum Ordinum possint alio modo procedere, attendendum est ad verba formalia conseruatoriarum, in eis autem quas mihi videre permittum est nihil reperi, quo colligi possit eos alio modo quam ciuilitate posse procedere. Verbum enim illud, *inuo-cato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis*, quod in multis huiusmodi conseruatorijs reperitur non cogit, vt dicamus oppositum, cum sufficienter exponi possit de auxilio necessario intra limites modi procedendi ciuilitate.
33. Pro prædictis verò causis etiam ciuilitate tractandis, poterunt censuris Ecclesiasticis vti. Iure quidem communi ex *cap. sanè el. 2. de potest. iudic. deleg. & supponitur in cap. auctoritate, de priuileg. in 6.* & etiam, quia quoties mandatur alicui negotium, mandatur etiam id sine quo illud impleri non potest, præsertim quia frustra datur iurisdictio, quæ non est cum coactiua coniuncta. Azor. tom. 2. *lib. 5. cap. 35. q. 10.* Moneta *de Conseruatoribus cap. 7. num. 279.* Iure quoque speciali, propter priuilegia Conseruatoria Religionum, vt patet in Bulla Sixti pro Carmelitis. Clem. VII. pro Minimis, Pij V. pro Dominicanis, & Greg. XIII. pro Iesuitis. Cum autem contra Episcopos procedent adhibere debent diligentiam, vt modestè, patienter, & reuerenter se gerant, vt colligitur ex dicto *cap. sanè Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 5. Gregor. XV. §. 6. n. 45.*
34. Conseruatorum auctoritas tanta est, vt impediri non possit ab Ordinarijs, nec à Legatis de latere in eorum iurisdictione, sed in causis eisdem commissis maiores sint prædictis Ordinarijs, & Legatis. Ita enim videtur colligi ex *c. 2. de potest. iudic. deleg. in 6. & tradit Sanch. 10. 2. Consil. moral. lib. 6. c. 9. dub. 6. n. 4.* post Ancharanum, Ruinum, & Mandosium ab eo relatos. Quare contra prædictos, & etiam Nuncios Apostolicos, tueri se poterunt Regulares per suos Conseruatores, si ad hoc se extenderint eorum Conseruatoria, & iuxta limitationes afferendas.
35. Quamuis autem hæc quæ dicta sunt vera sint spectando, vel ius commune loquens de Conseruatoribus, vel iura particularia Religionum, iuxta priuilegia illis concessa, nihilominus variè postea à Sede Apostolica alterata, immutata, vel reuocata fuerunt. Primò enim Sacra Congregatio Concilij iussu Gregorij XIII. vt dictum est in *to. 1. c. 3. num. 11.* declarauit quod Regulares in Ciuitatibus Italiae existentes sibi Conseruatores eligerent coram quibus conuenirentur, ac semel electos non nisi in Capitulis Prouincialibus mutarent, eorumque nomina intra mensem à die electionis Episcopis locorum Ordinarijs indicarent, alioquin coram ipsis Ordinarijs conueniri possent. Quaranta in Summ. Bullar. verb. *Priuilegia Regular.* Quibus limitata est, & coarctata facultas Regularium in Italia existentium ad eligendum Conseruatores, ita scilicet vt semel electos non nisi in Capitulis prædictis mutarent, astrictique essent ad indicandum intra mensem nomina ipsorum Ordinarijs, quod si non fecissent possent, coram ipsis Ordinarijs conueniri. Limitata etiam videbatur in hac declaratione auctoritas ipsorum Conseruatorum, quatenus in illa supponi videtur eos solum eligendos pro causis in quibus Regulares sunt rei *Coram quibus conuenirentur*, non autem quando sunt actores.
36. Postea tamen Clem. VIII. in Constitutione *Sanct. 1592.* quæ habetur in *3. to. Bull. inter Constitutiones huius Pontificis num. 3.* & apud Erasmus CoKier in *tract. de iuris d. Ordinar. in exemp. p. 1. q. 39. num. 5.* & apud Barbosam *de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 54.* in primis reuocauit, & declarauit nullas, omnes, & quascumque Iudicum conseruatorum deputationes qui qualitates non haberent requisitas à Bonifac. VIII. in const. quæ incipit, *Statutum*, & habetur in *cap. 11. de rescrip. in 6.* vbi sic habet idem Bonifacius, *Sancimus igitur vt nullis nisi dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonice cause auctoritate litterarum Sedis Apostolicae, vel legatorum eiusdem de cetero committantur.* Deinde declarauit prædictos conseruatores debere esse electos, & designatos in Concilijs Prouincialibus, aut Diocesanis, iuxta decretum Concilij Tridentini. Quod est dicere, necessarium esse quod hi qui eliguntur in conseruatores, electi prius, & designati sint in prædictis Concilijs. Quo sensu intelligendum est id quod dixi *tom. 1. cap. 3. num. 11.* Decretum autem Concilij Tridentini de quo hic loquitur Pontifex est *sess. 25. cap. 10. de reformatione vbi statuit S. Synodus in singulis Concilijs Prouincialibus, aut Diocesanis, aliquot personas quæ qualitates habeant, iuxta Constitut. Bonifac. VIII. quæ incipit, Statutum, & alioquin ad id aptas designari, vt præter Ordinarios locorum, ijs etiam post hac causa Ecclesiastica, ac spiri-tuales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur.* Hæc Concilium.

Pontifex autem vult, vt ex huiusmodi personis eligantur Conservatores pro Regularibus. Quoad negotia tamen incepta, vel quoad ea, in quibus illæ Conservatoriæ, seu Conservatoriæ deputationes suum sortitæ erant effectum, seu executionem, nihil innouavit Pontifex. Voluit tamen vt Conservatoriæ per Sedem Apostolicam in posterum concedendæ solum ad Conservatores, & Iudices qui qualitates à Bonifacio VIII. requisitas habuerint, & in præfatis Concilijs electi, & designati sint, & non alijs dirigantur, aliter verò expeditæ litteræ nullius sint roboris, & momenti. Hæc Clem. VIII. in dicta Constitutione. Per quam quid derogatum sit iuri communi, & priuilegijs Regularium circa Conservatores inferius videbitur post Gregor. XV. Constitutionem.

37 Prædictus enim Gregor. XV. in Constitutione *Sanctissimus* anno 1621. edita quæ habetur in 4. tomo Bullar. inter Constitutiones huius Pontificis, num. 9. & apud Peirinis 10. 2. priuileg. *Minim. inter constit. huius Papa n. 5.* & apud Barbosam *de offic. & potest. Episcop. n. 55.* vestigijs Clem. VIII. in hærendo in primis reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes Iudicum Conservatorum electiones vsq; ad id tempus factas, illis verbis. Sanctissimus in Christo P. & D. N. D. Gregorius diuina prouidentia Papa X. V. ex certis rationabilibus causis animum suum mouen. & de voto venerab. Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Trid. Interpretum, partim felicitis recordationis Clem. Papæ VIII. prædecessoris sui vestigijs inherendo reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascumque Iudicum Conservatorum electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim litterarum Conservatoriæ, iuxta formam in quintetno Cancellariæ descriptam, quam in vim quorumcumque priuilegiorum perpetuè, vel ad tempus nondum elapsum Apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocumque iure, vel titulo hæctenus factas pro quibuscumque Conuentibus, Capitulis, Militijs, etiam S. Ioannis Hierosolymit. Congregationibus, Collegijs, Ordinibus, Monasterijs, Hospitalibus, aut alijs quibuscumque prijs tam sæcularibus, quam cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu instituti, vel Societatis Regularibus locis, quantumuis exemptis, etiam de necessitate exprimentis, seu illorum personis cuiusvis qualitatis, seu conditionis existant.

38 Deinde qualitates pro futuris Conservatoribus sic designauit. In futurum verò Sanctitas sua, hac generali, & perpetuè valitura Constit. statuit, & decreuit, vt Iudices Conservatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, & descriptas in Const. similis record. Bonif. Papæ VIII. etiã prædecessoris sui, quæ incipit, *Statutum*, ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel Personarum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Concilijs Prouincialibus, aut Diæcesanis iuxta decretum Concilij prædicti Iudices electi, seu designati sint. Quodque deinceps litteræ Conservatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ, supra scriptis tantum dirigantur, etsi quæ litteræ aliter expeditæ, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

39 Postea penas contra eligentes Conservatores secus quam iuxta formam præscriptam sic assignat. Et nihilominus qui secus quam iuxta formam superius præscriptam Conservatores huiusmodi cū effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis vt auct fuerint Regulares quidē voce actiua, & passiva sint ipso iure priuati, adeo vt habilitatem a nemine præterquam à Romano Pontifice consequi valeant. Reliqui verò alijs penis arbitrio Sanctitatis suæ coercentur, & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorumque personæ, ac bona careant conservatore ad annum, ita vt illorum causæ interea coram locorum Ordinarijs dumtaxat cognosci, ac definiti debeant.

40 Admonitos præterea volens locorum Ordinarios, vt in Synodis eligant quamplures personas aptas ad id munus, de eo, & quid faciendum sit si aliquis interim ex designatis mori contigerit sic definit. Cæterum, vt latius pateat conservatorum huiusmodi deligendorum facultas, Sancti-

tas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus, aut Diæcesanis, quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constit. eiusdem Bonif. prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituatur Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diæcesanam Synodum.

41 Qualiter autem Regulares se gerere debeant post electos Conservatores, & quid illis interdicitur, sic describit Pontifex. Insuper Sanctitas sua, in hærendo hac in parte decreto similis recordationis Gregor. XIII. etiam prædecessoris sui, statuit, & ordinauit, vt Regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in Vrbe præsentis Constit. inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere conservatores, iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum, infra tempus huiusmodi penes acta Curie Ordinariarum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapso, quandiu conservatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinarijs conueniantur. Quodque conservatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout iisdem Regularibus, & alijs supra dictis libuerit, approbata, durante quinquennio à die deputationis amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.

42 Circa auctoritatem verò prædictorum Conservatorum & ipsius limitationem, & coarctationem hæc decernit. Ad hæc statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac personæ supra scriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, ita vt memora. conservatores in causis in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed ijs tantum in quibus rei extiterint. Neque extra ciuitates, seu Diæceses in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere præsumant.

43 Qualiter etiam lites, & controuersie inter Conservatores, & Ordinarios exoriendæ dirimi debeant sic præscribit. Si qua verò inter Iudices conservatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.

44 Pro penis autem Conservatorum in suo officio excedentium, & inuouatione alterius Constitutionis eiusdem Bonifac. VIII. sic habet. Quod si qui conservatores siue in hac parte, siue alias quomodolibet suos limites excefferint per annum ab officio conservatoris huiusmodi suspensi sint, & pars quæ hoc fieri procurauerit sententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifac. prædecessoris, quæ incipit, *Hæc Constitutione*, quam Sanctitas sua in his omnibus, quæ præsentis Constitutione non aduersantur, innouauit, & innouat.

45 Qualiter quoque, & cum quibus Conditionibus possint Regulares à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus Iudices alios habere sic decernit. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus Regulares, & alij supra dicti, in casibus à iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet, vt Regulares, & alij prædicti sint actores, non autem rei; vt que agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel alias à iurisdictione sæculari exemptum; atque vt causa, in qua Iudex deputatur, fuerit piosana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem, laicus, vt præfertur eligendus, Iudex competens existat.

46 Demum derogat contrarijs, priuilegia omnia in contrarium tollit, & omnes litteras conservatorias ad formam præsentis Constitutionis reducit, vt videre est locis relatis.

47 Post hanc Constitutionem editam, cum dura videretur maxime quoad illam clausulam in qua ordinabatur, vt Regulares

- gulares coram prædictis conseruatoribus conueniri, aut trahi deberent, ipsi autem non possent alios trahere, aut conuenire, ita vt memorati conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuissent, nullam prorsus iurisdictionem haberent, sed in ijs tantum in quibus rei extitissent, ad Sacram Congregationem Concilij recurrerunt dubitando, *An per hæc verba sublata sit facultas quæ habent conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniurijs, & violentijs que illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, & proprijs bonis frui, aut uti impediuntur.* Ad quod eadem Sacra Congregatio anno 1624. respondit. Eiusmodi verbis minimè sublatam esse facultatem quam habent conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs, ac violentijs, dummodo obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innoc. IV. & Bonifac. VIII. relatis in c. 1. & fin. de offic. delegati in 6. Habetur hæc decisio in 4. tom. Bullar. inter Constit. Greg. XV. post nonam, & apud Peirinis, & Barbofam relatos.
- 48 Prætermitto Leonem X. in Concilio Lateranensi aliquotier suorum prædecessorum circa Conseruatores Regularium priuilegia moderasse, dum in Bulla *Dum in ira* anno 1516. edita declarauit Conseruatores pro tempore Regularibus à Sede Apostolica deputandos, doctrina, & probitate præstantes, & in Ecclesiastica dignitate constitutos esse debere, & coram eis nullum trahi posse ultra duas dietas à loco suæ solitæ habitationis. Hoc inquam prætermitto, quia totum hoc magis declaratum est in prædictis Clem. VIII. Greg. XV. & S. Congregationis decretis, & ideo illis standum.
- 49 Ex huiusmodi autem tum Summorum Pontificum Clem. VIII. & Gregorij XV. tum Sacrarum S. Congregationum decretis elici potest quid his temporibus tenendum sit circa huiusmodi Conseruatores, & qualiter moderanda, vel intelligenda ea quæ superius dicta sunt illis competere iure communi, & propter priuilegia Regularium, ac quomodo faciendæ in posterum electiones talium Conseruatorum, cum antea factæ irritæ, & nullæ declarentur.
- 50 Primò enim quoad qualitates personæ eligendæ in Iudicem Conseruatorem sicut iure communi, & propter priuilegia Religionum dictum est supra n. 9. posse etiam quicumque personam in dignitate Ecclesiastica constitutam eligi, sic etiam modo post prædicta deæta est dicendum. Etenim Constitutio Bonifac. VIII. quæ incipit, *Statutum* de qua Clemens VIII. & Gregor. XV. in prædictis Constitutionibus id exprimunt. Videtur autem requiri, vt prædicti actus habeant talem dignitatem; si enim illam dimiserint non sunt ad id munus eligibiles. Massobius de *Synod. Dioces. cap. 3. dub. 12.* Peirinis *to. 2. priuileg. Minim. in Constit. 5. Gregor. XV. §. 2. n. 20.*
- 51 Quamuis autem supra *num. 17.* dictum sit obtinentes Personatum non posse eligi in conseruatores vi priuilegiorum Religionum, ex vi tamen Constitutionum Bonifac. VIII. Clem. VIII. & Gregor. XV. eligi possunt vt constat ex ipsis, in quibus expresse nominantur *Personatum obtinentes*.
- 52 Similiter quamuis Canonici Ecclesiarum Collegiatarum forsitan possent olim propter aliqua Regularium priuilegia in conseruatores eligi, modo tamen post prædictas Constitutiones Clem. VIII. & Greg. XV. id fieri non potest, sed necesse est tales Canonicos Ecclesiarum Cathedralium existere, quia ita habetur in dicto *c. statutum*, & constitutionibus Clementis, & Gregorij. Vide *Monetam de conseruatoribus c. 5. q. 8. à n. 118.* Peirinis *to. 2. priuileg. Minim. in Constit. 5. Greg. XV. §. 2. n. 10.* Barbofa de *offic. & potest. Episc. alleg. 106. n. 12.* de quo etiam infra dicitur.
- 53 Præcipuè tamen post Constitutiones prædictas Clem. & Greg. ad hoc quod aliqui eligantur in conseruatores requiritur quod prius fuerint electi in Iudices (vt vocant) Synodales in Concilijs Prouincialibus, aut Diæcesanis. Ita enim decernitur à Clem. VIII. & Greg. XV. in prædictis constitutionibus. Quia verò in illis mæcio fit de Conc. Tridentino, norandum hoc Concilium sess. 25. de reformatione c. 10. hæc statuere. [Quoniam ob maliciosam petitionem suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem personarum notitia quibus causæ mandantur, vsque
- adeo haberi non potest, hincque interdum Iudicibus non vndequaque idoneis, causæ in partibus delegantur: statuit Sancta Synodus, in singulis Concilijs Prouincialibus, aut Diæcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, iuxta Constitutionem Bonif. VIII. quæ incipit, *Statutum*, & alioquin ad id aptas designati, vt præter Ordinarios locorum ijs etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, & spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur, & si aliquem interim ex designatis mori contingerit: substituatur Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diæcesanam Synodum: ita vt habeat quæque Diæcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac vt supra qualificatas; quibus huiusmodi causæ à quolibet legato, vel nuncio, atque etiam à Sede Apost. committantur.
- 54 Huic ergo Concilij decreto innitentes Clemens VIII. & Gregor. XV. Pontifices statuerunt in præfatis Constitutionibus, nullum eligi posse in Conseruatorem Regularium, nisi aliquem ex prædictis Iudicibus in Concilijs Prouincialibus, aut Diæcesanis designatis. Voluit autem Concilium, vt prædicti habeant qualitates pro conseruatoribus requisitas à Bonif. VIII. in *Constit. Statutum*, quæ adductæ sunt n. 36. & præterea quod sint personæ alioquin aptæ, id est secundum scientiam, ætatem, & mores, iuxta *cap. cum in cunctis de elect. Peirinis tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 5. Gregorij XV. §. 2. n. 18.* Cum autem in dicto cap. seu *Constit. Statutum* solum admittantur Canonici Ecclesiarum Cathedralium, manifestius fit id quod supra dictum est, quod scilicet Canonici Ecclesiarum Collegiatarum his temporibus eligi non possint in conseruatores, cum nec possint eligi in Iudices Synodales, prout etiam declaratum dicitur à S. Congregatione Massobius de *Synod. diæces. c. 4.* & Peirinis *to. 2. priuileg. Min. in Constit. 5. Greg. XV. §. 2. n. 19.*
- 55 Qui tamen contingens est, vt propter paucitatem Iudicum Synodalem in Concilijs Prouincialibus, aut Diæcesanis designatorum, & multitudinem Religionum in ea Diæcesi consistentium, illi non possint attendere negotijs dictarum, religionum, & propterea participogantur aliquod detrimentum, seu iacturam, ideo Pontifex verbis relatis *num. 40.* admonitos esse vult Ordinarios, vt in *Synodis Prouincialibus, aut Diæcesanis quamplures personas exhibentibus qualitates in prædicta Constitutione Bonifacij contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent.* Nec incongruè dici potest verbum illud *Admonitos* voluit denotare præceptum, tum propter grauitatem negotij, tum quia videtur per illud significare obligationem saltem ex charitate, & vt credo, ex iustitia, ad id faciendum. Peirinis *to. 2. priuileg. Minim. in Constit. 5. Greg. XV. §. 4. n. 22.*
- 56 Ad maiorem etiam cautelam ordinat Pontifex, vt si aliquem ex designatis Iudicibus mori contingerit, substituatur Ordinarius cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diæcesanam Synodum. Ex quo habetur primò huiusmodi Iudicum Synodalem Officium vsque ad aliam futuram Synodum durare. Ita enim colligi videtur, tum ex decreto Concilij, tum ex huiusmodi constitutione. Secundò, quòd si Iudex Synodalis non moriatur, sed per longum tempus abfentetur, idem faciendum esse ac si mortuus esset, prout dicitur declaratum à S. Congr. De quibus, & alijs concernentibus Peirinis *tom. 2. priuileg. Minim. in Constit. 5. Greg. XV. §. 4. num. 22.*
- 57 Deinde cum in hac constitutione Gregorij verbis relatis *n. 38.* manifestè distinguatur inter conseruatores principales, & subrogatos & *n. 44.* innouetur constitutio Bonifac. VIII. quæ incipit, *Hac constitutione* quæ est in *cap. fin. de offic. & potest. Iudic. delegat. in 6.* vbi expresse habetur, posse eos conseruatores, quibus hoc eis competierit, ex beneficio litterarum, vices suas alijs committere, ideo Conseruatores Regularium quibus ex priuilegijs competit alijs suas vices delegate, id facere etiam possunt post Constitutionem istam Gregor. XV. cum in illa nihil quoad hoc derogetur. Quidquid in contrarium dicat Laurerius de Franchis in controuers. Episcoporum, & Regul. supra hanc Constitutionem Gregor. pag. mihi 177. Aduerte tamen, iure communi, & secluso quocumque priuilegio licite Conuersatori citationes, & sententiarum denun-

- ciationes per alios facere. Ita enim habetur in prædicto *cap. fin. de offic. & potest. iudic. deleg. in 6.* Barbosa post alios *de offic. & potest. Episc. alleg. 106. num. 45.*
58. Post editam huiusmodi Constitutionem tenebantur Regulares in Italia infra duos menses, extra Italiam verò infra sex eligere sibi Conservatores, iuxta formam in illa descriptam, eiusque electionis instrumentum infra idem tempus penes acta Curiae Ordinariorum exhibere, alioquin eo termino elapso, quandiu Conservatores iuxta prædictam formam elegerint, coram ipsis Ordinarijs convenirentur. Ita enim decernitur in prædicta Constitutione verbis relatis *num. 41.* in hærendo decreto S. Congregationis sub Gregor. XIII. de quo *num. 35.* Hoc autem abs dubio statum à Papa fuit, ut certò constare posset de Conservatore à Regularibus electo, tum ad tollendas fraudes, quæ in hoc possent accidere. Peirinis *tom. 2. priuil. Minim. in Constit. 5. Gregorij XV. §. 5. num. 31.* Postea nihilominus declaratum est à S. Congreg. Regulares, qui in tempore eis à Gregor. XV. præfixo Conservatores eligere non curaverunt, dicto tempore elapso quodcumque eis liberit, eos eligere posse. Barbosa in *Collectan. Bullarj verbo Regulares primo.*
59. Non possunt Regulares semel legitime deputatos Conservatores amovere, durante quinquennio à die deputationis, nisi ex causa approbata à Sede Apostolica, vel Ordinarijs. Ita enim decernitur in prædicta Constitutione verbis relatis. *n. 41.* Dixi legitime deputatos, quia non legitime deputatos mutare poterunt. Causa autem amotionis poterit esse negligentia, impotentia, inimicitia, vel similis. Peirinis *to. 2. priuil. Minim. in Constit. 5. Greg. XV. §. 5. n. 32.*
60. Loquendo autem de auctoritate, seu iurisdictione huiusmodi iudicium Conservatorum Regularium in multis videtur coarctata per decreta relata Summorum Pontificum, & SS. Congregationum. Cum enim iuxta dicta supra numeris 22. 23. 24. 29. & 30. possent cognoscere de omnibus causis, tam civilibus, quam criminalibus, seu mixtis, tam in eis, in quibus rei, quam in quibus actores Regulares erant, & de quibuscumque iniurijs, molestijs, violentijs tam manifestis, quam non manifestis sine iudiciali indagine, vel cum illa, prout causa requireret, modo tamen, iuxta præscriptum Constit. Gregor. XV. solum possunt cognoscere de illis causis in quibus Regulares sunt rei, non actores, & iuxta præscriptum prædictæ S. Congreg. etiam in his in quibus actores fuerint, quoad iniurias tantum manifestas, & violentias, secundum formam *cap. fin. de offic. & potest. iud. deleg. in 6.* quod incipit, *Hac Constitutione*, & innovatur à Greg. XV. in eis quæ Constitutioni ipsius non aduersatur.
61. Ex quo sequitur primò nõ posse procedere hoc tempore Conservatores Regularium cum ipsi Regulares sunt actores in causis civilibus eorum qui aliquam pecuniæ summam, vel aliquam rem ipsis debent ex locationibus, legatis, testamentis, &c. petentes ut eam solvant. Ratio est, quia exceptio illa posita à Greg. XV. in prædicta Constitutione, sed alios convenire, aut trahere non possunt, seu illa, ita ut memorati Conservatores in causis in quibus Regulares actores fuerint nullam prorsus iurisdictionem habeant, nullum alium congruentiorem sensum potest habere præter istum. Cum enim Sac. Congregatio ut visum est decreverit non esse per hæc verba sublatam facultatem quam habebant conservatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs, seu violentijs, &c. quo illos posse, ut actores agere coram Conservatoribus suis permittit, ne dicatur glossam esse contrariam textui, dicendum videtur Gregorium in sua Constitutione solum negasse Conservatoribus facultatem procedendi in huiusmodi causis civilibus debitorum quando Regulares sunt actores non tamen in alijs causis. Maxime quia hoc est conforme tum iuri communi quo statuitur, quod *actor sequatur forum rei*, tum Concil. Trid. *sess. 14. c. 5.* Moneta *de Conservator. c. 7. §. 6. num. 343.* Peirinis *tom. 2. priuil. Minim. in Constit. 5. Greg. XV. §. 6. num. 50.* [Nota tamen quod si in solutione prædictorum debitorum manifesta iniuria, seu violentia fiat ipsis Regularibus, prout sæpe contingere poterit, poterunt dicti Conservatores contra tales debitores procedere. Ratio est, quia ut constat ex verbis Sacre Congregationis adductis *supra num. 47.* Conservatores possunt defendere Regulares & alios à manifestis iniurijs, & violentijs quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiciuntur, & proprijs bonis frui, aut uti impediuntur, quod contingit quando debitor non solvit id quod tenetur, quia tunc impedit ne creditor fruatur, aut utatur proprijs bonis. Et ita hanc partem defendunt uterque Rodriguez, Potrellus, & Ioannes de Cruce, quos refert & sequitur Diana *3. p. tr. 1. ref. 20.* licet aliqui ipsorum videre non potuerint Constitutionem Gregorij XV. relatum.]
62. Sequitur secundo nec posse procedere hoc tempore prædictos Conservatores, siue in civilibus, siue in criminalibus, siue quando Regulares sunt rei, siue quando actores nisi in manifestis iniurijs, & violentijs, ita enim habetur in præfata Constitutione Gregorij adiuncta declaratione S. Congregationis, & similiter Constitutione Bonifacij VIII. quæ incipit *Hac Constitutione*, & est *cap. fin. de offic. & potest. iudic. deleg. in 6.* quæ per prædictam Constitutionem Gregorij innovatur, & in qua id expresse habetur. Quare necessarium est ad effectum, ut procedere valeat conservator, quod ante omnia appareat, iniuriam seu violentiam fuisse manifestam, & notoriam, ubicumque enim iurisdictione competit alicui respectu certæ qualitatis, debet ante omnia eidem de illa qualitate constare. Miranda *2. tom. quest. 47. art. 8.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 18.* Si autem Conservator dubitet de illa notorij qualitate, vel clarè de ea non appareat, poterit ante omnia examinare summarie an violentia, seu iniuria de qua agitur, notoria sit, & super eam probationes recipere ad fundandam suam iurisdictionem, itaut si inveniatur eam notoriam, procedat, alias se incompetentem pronunciet. Barbosa *ibid. num. 20.* vbi etiam sequentibus numeris alia affert ad intentum. Generaliter etiam conservator potest eam adhibere indaginem quæ in notorijs adhiberi solet, & debetur. Quia cum committitur iurisdictione committitur quoque id sine quo illa exerceri non potest. Moneta *de Conservatorib. c. 7. quest. 3. num. 90. & 93.* Molina *tom. 6. disput. 29. num. 2.*
63. Ex quo etiam sequitur tertio, nec posse hoc tempore Conservatores in causis Regularium maxime cum ipsi Regulares actores fuerint iudiciali indagine procedere. Ratio est, tum quia in manifestis de quibus solum, ut dictum est, iudicare possunt prædicti Conservatores, non requiritur, aut admittitur iudicialis indago, tum quia Sac. Congregatio in decreto adducto *n. 47.* dum admittit Regulares, ut actores agere posse coram suis Conservatoribus, subdit, *Dummodo observent formam præscriptam Constitutionibus Innoc. IV. & Bonifac. VIII. relatis in cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.* Constat autem in prædicto *cap. 1.* quod est Constitutio Innoc. IV. prohiberi expresse ne conservatores ad illa quæ iudicalem indaginem exigunt suam possint extendere potestatem.
64. Similiter loquendo de termino, seu spatio intra quod exerceri potest auctoritas Conservatorum, licet secundum præiudicia aliquarum Religionum, iuxta dicta supra *n. 27.* exerceri posset extra Civitates, & Dioceses, in quibus deputati fuissent, hoc tamen tempore nullatenus extra Civitates, seu Dioceses in quibus deputati sunt procedere possunt. Ita enim habetur in dicta Constitutione Greg. XV. verbis relatis *num. 42.* & in altera Constitutione Bonifac. VIII. quæ incipit *Hac constitutione*, & est *cap. fin. de offic. iudic. deleg. in 6.* quod innovatur dicta Constitutione Gregorij. Qualiter autem id sit intelligendum, vide Moneta *de conservatoribus cap. 7. §. 2. n. 61.* Peirinis *to. 2. priuil. Minim. in constit. 5. Gregor. XV. §. 6. n. 57.*
65. Videtur etiam posse procedere Conservatores ad id defensionem servitorum, seu familiarium aliquorum Religiosorum in manifestis iniurijs, seu violentijs, modo tamen assignato, seu iuxta præscriptum dictæ Constitutionis Greg. XV. & decreti S. Congregationis. Ita enim sumi videtur ex præiudicio Pij V. pro Dominicanis superius relato *n. 4.* illis verbis, *adversus inferentes eis, aut eorum Procuratoribus agentibus, servitoribus, & familiaribus in præmissis, & eorumdem aliquo molestias, iniurias, & gravamina &c.* Quod intellige nisi hæc Constitutio Pij V. concedenda sit reuocata à Greg. XIII. propter dicta ibidem. Quo casu iuua-

- re potest eiusdem Gregor. XIII. pro Iesuitis Bulla superius num. 6. relata, ubi etiam fit mentio de familiaribus ipsorum (Clerici tamen character insignitis.) Limitari videntur hæc priuilegia ex doctrina Concil. Trident. sess. 24. cap. 11. ad seruitores qui Monasterij actu seruiunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subq; eorum obedientia viuunt, vt ibi dicitur. Rodrigu. to. 1. q. Regul. q. 65. art. 17. Forfan dici possit huiusmodi concessiones, vt potest post Conciliū factas ipsi derogare. Vide etiam priuilegium Pij IV. pro Militibus Sancti Ioannis apud eundem Rodriguez, vt supra art. 12. & cautè procede in re satis incerta, & raro vtitata, maxime quia non video pro illa clarum priuilegium.
- 66 Specialiter etiam Procuratores, & Syndici Fratrum Minorum habent à Clement. VII. in Bulla Dum consideramus, apud Casatubium in Compend. priuileg. Mendic. verbo Procuratores Fratrum num. 13. & Rodriguez tom. 3. quest. Regular. q. 39. art. 4. priuilegium, [vt in quibusuis causis, & rebus ipsos Syndicum, & Procuratorem concernentibus, ciuilibus, criminalibus, & mixtis, non nisi coram Iudicibus Conseruatoribus domorum illarum quarum ipse Syndicus, & Procurator fuerit de iusticia respondere teneatur, &c. Inhibendo sub excommunicationis late sententiæ pœna vniuersis, & singulis Iudicibus Commissarijs Ecclesiasticis, & secularibus quacumque auctoritate fulgentibus ne de causis contra dictos Syndicos, & Procuratores, motis, & mouendis, directè, vel indirectè quouis quæsito colore, seu prætextu se intromittere quomodolibet audeant, &c.] Videtur tamen hoc intelligendum de causis spectantibus ad istos non vt singulares personæ sunt, sed quatenus Syndici, & Procuratores, & cum sit magnum priuilegium videndum, an sit, vel non consuetudine abrogatum. Portellus in Dub. Regul. verb. Syndicus Minorum num. 5.
- 67 Similiter procedere possunt Conseruatores Regulariū in manifestis tamen iniurijs, & violentijs, ac iuxta præscriptum Constitut. Gregor. XV. & S. Congregationis, ad defensionem quorumcumque bonorum mobilium, seu immobilium, iurium, seu possessionum Regularium sibi ad defensionem commissorum ex priuilegio Eugenij IV. pro Hieronymianis Monasterij S. Mariæ Guadalupæ, quod reuert Rodriguez tomo 1. q. Regular. q. 65. art. 12. & dicit exrensum esse ad omnia Ordinis D. Hieronymi Monasteria, Clem. VII. pro Minimis Pij V. pro Dominicanis, & Gregor. XIII. pro Iesuitis, de quibus supra. [Pro quo video Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium 1. Iunij 1635. declarasse in fauorem cuiusdam Archipresbyteri qui cum Conseruator esset Regularium, ipsorum bona defenderat.]
- 68 Maxime tamen pro defensione priuilegiolorum, seu indultorum eorumdem, iuxta præscriptum modum à Gregor. XV. & Sacræ Congregat. procedere possunt ex priuilegijs Sixti IV. pro Carmelitibus, Clem. XII. pro Minimis, & Gregor. XIII. pro Iesuitis, de quibus supra.
- 69 Controuersie ortæ inter conseruatores, & Ordinarios super competentia iurisdictionis per arbitros in forma iuris electos decidendæ, & interim in causa non procedendum. Sic enim habetur in præfata Constitut. Gregor. XV. verbis relatis num. 43. idemque statuitur in Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Peirinis 10. 2. priuileg. Minim. in Const. 5. Greg. XV. q. 7. num. 58.
- 70 Conseruatores limites sue iurisdictionis excedentes per annum sunt suspensi ab officio Conseruatoris. Ita enim habetur in prædicta Constitutione Gregor. XV. verbis relatis num. 44. conformiter ad prædictum c. fin. de offic. deleg. in 6. ubi declarantur suspensi per vnum annum ab officio. Moneta de Conseruatorib. cap. 7. q. 12. num. 60. Miranda in 2. tom. man. Prælat. q. 47. art. 9. Denotatur autem in prædicto cap. fin. requiri quod Sciēter de alijs, quam de manifestis iniurijs, & violentijs se intromiserint ad incurrendam talem suspensionem. Ex quo videtur sequi illam non incurri ab ijs qui ex ignorantia etiam crassa id fecerint, iuxta dicta to. 1. c. 10. num. 33. Licet autem in Constitutione Gregorij non apponatur illa particula, cum tamen in eo q. se remittat Pontifex ad formam Constitutionis Bonif. VIII. dicendum videtur quod iuxta eandem formam incurratur suspensio. Cum verò hæc suspensio sit temporalis, scilicet per vnum annum, eo transacto statim
- absque alia absolutione cessat, iuxta communia principia de suspensione. Suarez tomo 5. de censuris disp. 26. sect. 1. num. 14. Bonacina disp. 3. de suspensione punct. 3. num. 1.
- 71 Pars quæ procurauerit quod Iudices Conseruatores excedant limites suæ auctoritatis, excommunicationis sententiam incurrit, à qua non potest absolui, nisi ei, quem sic fatigauit indebitè, primo satisfaciatur in egraliter de expensis. Ita enim habetur in dicto cap. fin. de offic. indic. delegat. in 6. quod innouat Gregor. XV. Constit. relata. Vbi notandum hanc excommunicationem non incurri nisi à parte procurante, idest ab eo qui est pars in iudicio, reus scilicet, vel actor, non à tertia persona. Quia in textu dicitur, pars verò que hæc procurabit. Nauarrus in Manual. cap. 27. num. 125. Rodriguez tom. 1. q. Regul. q. 65. art. ult. Nec incurritur hæc excommunicatio ex sola procuracione, nisi sequatur effectus procuratus. Cum solum propter illum prohibeatur, & illo non posito non censetur consummata. Suarez 5. tom. in 3. par. disp. 23. sect. 4. num. 10. Barbosa de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 49. Ab ea autem ante compensationem expensarum nemo potest absolueri nisi solus Papa, post compensationem verò Episcopus poterit. Moneta de Conseruator. cap. 7. num. 591. Barbosa vt sup.
- 72 Impedientes, vel molestantes Conseruatores Regularium ne suum officium exercent incidere videntur in excommunicationem, seu suspensionem à diuinis late sententiæ, ex concessione Pij V. pro Dominicanis verbis relatis num. 4. Sed quia hæc Bulla dubiæ auctoritatis est propter dicta supra ibidem, ideo ad alia priuilegia Religionum, si quæ fuerint, attendendum est.
- 73 Non est prohibitum Regularibus in casibus à iure permisis petere Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus secularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet, vt ipsi sint actores, non rei, vtque agant contra laicum non contra Ecclesiasticum, aut alias à iurisdictione seculari exemptum, & vt causa sit profana, non Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem laicus eligendus Iudex competens existat. Ita enim decernitur in prædicta Constitut. Gregor. XV.
- 74 Potest Conseruator recusari vt suspectus, si causa de qua agit talis sit, in qua ipse valeat reum grauare, nam in his terminis, & similibus recusatio admittitur, etiam in notorijs, vt si v. gr. maiorem pœnam imponat delicto quàm iure mereatur. Panor. in cap. si quis contra Clericum de foro competenti num. 11. Farinac. 1. part. prax. crimin. q. 21. num. 130. Per arbitros autem in forma iuris electos super suspicione iudicandum est, iuxta doctrinam Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Barbosa de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 32. [Si verò Conseruatores exequantur pœnam à iure impositam, nequeunt vt suspecti recusari. Quia tunc se habent vt meri executores. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 5. cap. 34. quest. 11. Erasmus Cochier de iurisdic. Ordin. in exempt. par. 1. q. 39. num. 33. consequenter etiam quod ad Regulares proprius spectat, si præfati Conseruatores contra eos procedant limites suæ facultatis excedendo recusari possunt per text. in cap. si quis contra Clericum de foro competenti cap. Secundo requiris. §. 3. de appellat. Tambur. supra quest. 3.]
- 75 Potest etiam ab eiusdem sententia appellari, Tum quia ita praxi receptum est, tum quia etsi in notorijs non admittatur appellatio, quia tamen in infligenda pœna potest Conseruator excedere, & procedere in causa dubia, ideo admittitur appellatio. Farinac. in prax. crim. q. 21. num. 118. vsque ad 128. Barbosa de offic. & potest. Episcop. alleg. 106. num. 33. Appellandum autem est ad solum Papam, quia Conseruator est Iudex à Papa delegatus. Tuscus verbo Conseruatores concl. 760. num. 6. Ancharan. consil. 72. num. 1. Barbosa de offic. & potest. Episc. alleg. 106. num. 4. Quādo autem ab ipsius appellari potest, aut debet, vide Moneta de Conseruatorib. cap. 9. num. 180.
- 76 Circa munera ab huiusmodi Conseruatoribus non accipiendā, & expensas euitandas Bonif. 8. in Constitut. que incipit. Hac Constitutione, quæ est c. fin. de offic. & potest. indic. deleg. in 6. & innouatur in prædicta constit. Gregor. XV. præcipit obseruandum, quod ipse alias præceperat in alia constitutione Iudicibus deleg. quæ habetur in cap. statum

tutum de rescriptis in 6. §. insuper, ubi sic. [Insuper ut gratis] & cum omni puritate iudicium coram ipso procedat nullum munus, vel quicquid aliud nisi forsitan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi eam ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumat. Prouisurus attentè quod in ipsis expensis modum nequaquam excedat, nec plus ab vna parte, quam ab alia exigat, cum commune gerat negotium, vtriusque: quandoque (ubi causæ sibi commissæ utilitas, vel necessitas non exegerit) occasionem propter habendas expensas proficiscendi extra domicilium non assumat: sed & ubi notabiliter fuerint pauperes litigantes etiam nil proferat exigat ab eisdem.]

77 Circa assessores autem, & notarios prædictorum conseruatorum, & illas personas, quæ testimoniij causa vocantur ab eis idem Bonifac. VIII. in dicto cap. fin. quod in nouatur per Constitutionem Gregor. XV. præcipit obseruandum id quod ipse alias præceperat de Iudicibus delegatis in illa constitutione, seu cap. statutum de rescriptis in 6. ubi sic habetur, [Assessorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, nisi eo indigeat, quod conscientia relinquantur eiusdem, sibi nequaquam adiungat; alioqui de suo proprio prouidere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario, prouidè moderando ab eo faciat à partibus communiter prouideri. Notarium verò, vel Notarios in causa sibi commissâ scribentes qui ut plurimum in exigendo salario, metas rationis excedunt, (ut ad ipsius spectat officium) prouidenter trefrenet. Nec cum ipsis, aut cum assessore præfato lucrum participet vlllo modo. Si quid autem contra Constitutionem præsentem receperit ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum quibus restitutio faciendâ fuerit, remissione vllatenus profutura eidem. Proferendo quoque testimonio, (prætextu cuius, aliqui alios fraudulenter interdum à Iudicibus vocari procurant, ut eos laboribus, & expensis fatigent, aut retorqueant aliquid ab eisdem) nullum vllatenus conuocet, nisi quando conditio, & status causæ requirent. Sed nec tunc (nisi à producente) competentes vocato pro testimonio veniendo, & redeundo faciat ministrari expensas. Quicquid autem contra præmissa, vel eorum aliquod contigerit attentari, sit ipso iure irritum, & inane.]

78 Horum conseruatorum priuilegia sunt primum, quod omnium ieiuniorum, orationum, ac sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum, in Religione faciendorum, & recitandorum participes sint, & illis communicata sunt, & esse debent, sic enim concessit Iulius I. Conseruatoribus Minimorum in Bulla *Alias venerabilem* apud Peirinis *tom. 1. priuileg. Minimorum in Iulio II. Constitut. 4. Sorbus in Compend. priuileg. Mendicant. verbo Conseruatores Ordin. §. Clemens VII.* Secundum, quod Conseruatores per prædictos Minimos capitulariter pro tempore electi semel in vita, & in morte plenariam omnium peccatorum Indulgentiam consequuntur. [Ac quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitando, omnes, ac singulas Indulgentias quas diebus Indulgentiarum omnium Ecclesiarum dictæ Urbis, & extra illius muros pro stationibus deputatarum consequuntur Ecclesias Urbis, & extra muros huiusmodi visitantes planè, ac integre consequantur, & consequi possint, ac si indulgentiarum huiusmodi diebus Ecclesias Urbis, & extra muros huiusmodi, & earum quamlibet personaliter visitarent.] Sic enim concessit idem Iulius I. in alia Bulla apud eundem Peirinis *tom. 1. priuileg. Minimorum in Iulio II. num. 1.* Similiter Clemens VII. concessit modernis, & pro tempore Generali Minimorum, ut Conseruatoribus plenariam omnium suorum peccatorum Indulgentiarum semel dumtaxat singulo quoque triennio elargiri posset, ipsisque conseruatoribus, ut de licentia dicti Generalis eligere possent Confessarium idoneam eiusdem Ordinis qui eos ab omnibus casibus etiam Episcopalibus, & censuris Ecclesiasticis absolueret posset, penitentia salutari iniuncta. Ita habetur inter priuilegia Minimorum apud Peirinis. *tom. 1. inter Constitutiones Clem. VII. num. 9.* Sed quia hæc concessio non fuit nisi per viam vocis oraculum facta, ideo hoc tempore quo om-

nes tales concessiones reuocatae sunt à SS. D. N. Urbano, nihil valet. Si autem innouetur ab aliquo Pontifice Confessarius ille approbatus debet esse ab Ordinario, iuxta doctrinam Concilij *sess. 23. capit. 15.* Rursus quantum ad absolutionem à casibus Episcopalibus cauenda est transgressio decreti Sac. Congregationis sub Clem. VIII. & SS. D. N. Urbano, de quo *tom. 1. cap. 19. num. 17.* Vide Peirinis *tom. 1. priuileg. Minimorum in Constitut. 9. Clem. VII. §. 2.*  
79 Extat tandem decretum S. Congregationis Concilij, vel declaratio ab ipsa facta apud Barbotam in *Collectan. Bullar. verbo Conseruator*, ubi habetur debere Regulares conseruatores eligere in singulis Diocesis, in quibus Monasteria, Conuentus, seu domos Regulares habent. Cum autem hæc decisio S. Congregat. facta fuerit anno 1628. & 1633. videtur inferri per illam (si certa est) declarari Constitutionem Greg. XV. & quod non sufficiat vnus conseruator pro multis Diocesis.

## SUMMARIUM CAP. XI.

*Ius patronatus est potestas alicui concessa presentandi ad beneficium in aliqua Ecclesia. n. 1.*

*Patronus est ille qui habet tale ius. ibid.*

*Duplex est ius patronatus, Ecclesiasticum, & laicum. ib.*

*Quid vtrumque. ibid.*

*Ut aliquis sit Patronus aliquot conditiones sunt necessariae. num. 2.*

*Interveniente etiam auctoritate, & consensu Ordinarij. num. 3.*

*Quid autem si Ordinarius non consenserit. ibid.*

*Potest ius patronatus prescriptione acquiri. n. 4.*

*Non sic respectu electionis Prelatorum. ibid.*

*Est honorificum, utile, & onerosum. n. 5.*

*Ecclesia qua est iuris patronatus vniri non potest sine consensu Patroni. n. 6.*

*An sit materia simonia, & quomodo. n. 7.*

*Quid de actu istius iuris, scilicet presentatione ad beneficia. ibid.*

*Transire tamen potest cum re vendita. n. 8.*

*Dummodo ratione illius res carius non vendatur. ibid.*

*Non potest Patronus ius patronatus in alios transferre, nisi modo, & casibus à iure expressis. n. 9.*

*Tribus modis potest ex vno ad alium transire. n. 10.*

*An transeat in Monasterium si patronus fiat Religiosus. num. 11.*

*Qua Monasteria sint capacia. ibid.*

*An tunc debeat presentare Religiosus, vel potius Monasterium, vel Superior. ibid.*

*Nonitius Patronus per se ipsum debet id facere. n. 12.*

*Quid si Monachus fundaret, construeret, vel dotaret Ecclesiam. n. 13.*

*Quis debeat presentare, Superior, vel Monasterium. num. 14.*

*Presentatio beneficij facta à Religioso sine licentia Prelati an sit irrita. n. 15.*

*Quid quando Religiosus presentat ut procurator. n. 16.*

*Catholici Reges Hispaniarum Patroni sunt in illis partibus. n. 17.*

*Propterea in illis presentant. ibid.*

*An debeant presentare digniores. ibid.*

*An possit quis de bonis incertis fundare Ecclesiam referuando sibi ius patronatus. n. 18.*

*Quid dicendum de fundatoribus Capellarum. n. 19.*

*An habentes facultatem nominandi Capellanos sint patroni. ibid.*

*Tenantur Patroni ad beneficia presentare digniores. n. 20.*

*An idem de patronis laicis. ibid.*

*Presentare indignum semper est peccatum mortale. n. 21.*

*Quas penas incurrat sibi faciens. ibid.*

*Patroni an possint variare. n. 22.*

*Conditiones appositæ à fundatore iuris patronatus qualiter obseruanda. n. 23.*

*Insignia non auferenda. ibid.*

*Quid de alijs benefactoribus, qui solum ius sepulturae habent. ibid.*

*Conditiones appositæ contra ius naturale, vel diuinum non obseruanda. n. 24.*

Quid

- Quid sit ee sint contra ius posituum. *ibid.*  
 Num possint Patroni se ipsos presentare. n. 25.  
 An pater filium. *ibid.*  
 An quando plures sunt compatroni. *ibid.*  
 An possint exigere aliquod seruitium, vel tributum. n. 26.  
 Quid si consuetudo sit in contrarium. *ibid.*  
 An requiratur quod concordent omnes Patroni in presentando. n. 27.  
 Quid si dissentiant. *ibid.*  
 Presentantes aliquem Apostatam quam poenam incurrunt. num. 28.  
 Quando faciendus est concursus inter presentatos. n. 29.  
 Que declarata sint circa Patronus. n. 30.

## De Patronis Monasteriorum, seu Ecclesiarum Regularium, eorumque facultatibus. Cap. XI.

- 1 IUS Patronatus est potestas alicui concessa presentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum in Ecclesia pro eo quod eam fundauit, construxit, vel dotauit. Rodriguez *tom. 2. quest. Regul. quest. 122. art. 1.* Vnde Patronus erit ille qui habuerit tale ius, & Patronus Monasteriorum Regularium ille qui habuerit tale ius in Monasterijs, seu Ecclesijs Regularium, de quo in presentanti. Non enim loquimur de iure patronatus ciuili, scilicet, quod iure ciuili introductum fuit, & conuenit Patrono respectu liberti, seu honorum eius, sed de iure patronatus Canonico. Hoc autem ius patronatus est duplex, Ecclesiasticum scilicet, & laicum. Ius patronatus Ecclesiasticum est, quod competit personae Ecclesiae, vel ratione dignitatis, aut beneficii sui, puta, quia est Episcopus, Praepositus, Decanus, vel ratione foundationis, constructionis, vel dotationis a facta ex bonis Ecclesiasticis. Laicum est, quod conuenit, alicui, seu laicae, seu Ecclesiasticae personae, ratione foundationis, constructionis, vel dotationis ex bonis proprijs, siue patrimonialibus. Couarruuias *cap. 36. pract. 99. num. 2.* Layman *in Theolog. moral. lib. 2. tractat. 2. capit. 13. num. 4.*
- 2 Ad hoc quod aliquis sit Patronus, seu, ut habeat praedictum ius patronatus in praedictis Monasterijs, seu Ecclesijs Regularium requiritur primo quod illud adquisierit vno ex tribus modis supra assignatis, scilicet fundacione, constructione, vel dotacione. Franciscus Leo *in Thesaur. fori Eccles. par. 2. c. 6. num. 2.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 70. num. 1.* Fundacione quidem quando assignauit fundum vbi constructui deberet, *cap. nobis de iure patronatus.* Iulianus Viuianus *in praxi iuris patronatus par. 1. lib. 1. cap. 1. a num. 32.* Barbosa *ut supra num. 2.* Constructione, quando fecit expensas pro construenda de nouo Ecclesia. Azorius *instit. moral. par. 2. lib. 6. cap. 11. quest. 10.* Zerola *in praxi Episc. verbo Ius patronatus pag. 179.* Dotacione autem quando eam fundatam, & constructam dotauit sufficiente arbitrio Ordinarij. Viuian. *dist. part. 1. lib. 1. cap. 1. a num. 51.* Barbosa *ut supra a num. 9.* Hinc versus.
- Patronum faciunt dos, edificatio, fundus.  
 Rodriguez *tom. 2. quest. Regular. quest. 49. art. 7.* Layman *in Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 13. num. 1.* Dotans autem insufficienter ad arbitrium Ordinarij non acquirit ius patronatus, sed dicitur benefactor. Declaratio Sac. Congregat. apud Garziam *de Benefic. p. 5. cap. 9. num. 52.*
- 3 Ex praedictis tribus causis acquiritur ius patronatus, interueniente tamen auctoritate, & consensu, Ordinarij, & non aliter, *ex cap. nobis de iure patronat.* Iulianus Viuianus *part. 1. lib. 1. cap. 1. num. 24.* Barbosa *ut supra num. 20.* Ordinarij videlicet illius loci, in quo fundatur Ecclesia. Viuianus *num. 30.* Barbosa *num. 23.* Si autem suum consensum praestare noluerit, potest ad eum praestandum compelli a Superiiori, Archiepiscopo scilicet, vel Primato. Viuianus *in praxi iuris patronatus lib. 2. cap. 1. num. 19.* & *20. alias 22. in 2. edit.* Azorius *instit. moral. part. 2. lib. 9. c. 3. quest. 10.*
- 4 Potest item ius patronatus etiam a laicis praescriptione, vel consuetudine acquiri, *ex cap. querelam de elect. & ex*

*cap. generali 13.* Barbosa *ut supra num. 17.* post alios. Quod tamen limitandum videtur ut non verificetur respectu electionis Praelatorum, ita ut nulla consuetudine, aut praescriptione iuuari possit patronus ad habendum suffragium in aliqua electione Praelati Regularis. Ratio est, nam id est expressè contra Canones Ecclesiasticos, Ecclesiasticam utilitatem, & disciplinam Nauarr. *comment. 3. de Regular. num. 60.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 6. num. 19.* Quod sic confirmatur, nam Ius eligendi praelatum Regularem competit solum eis qui sunt de collegio, *cap. Quia propter de elect. & cap. ex eo,* siue ergo saecularis sit, siue etiam Clericus patronus non potest hoc ius habere. Suarez *ut supra num. 9.* Barbosa etiam *ut supra n. 19.*

5 Hoc ius patronatus habet multa ex iure Canonico ratione quorum honorificum, utile, & onerosum dicitur. Honorificum quidem, quia Patrono conuenientia obsequia praestari debent, & praesertim illi conceditur honorificus locus in sua Ecclesia. Vtile, quia si patronus ad egestatem deueniat, Ecclesia debet ei succurrere maiori cura, & obligatione quam alijs pauperibus, *cap. Quicumque,* cum sequentibus. Cui adiungitur saltem ex eo consuetudine Religionum, quod pro huiusmodi patronis tum viuus, tum defunctis Orationes, suffragia, & sacrificia fieri soleant, prout debent fieri adminus titulo gratitudinis, cum sint insignes benefactores Monasteriorum. Onerosum autem, qui patronus licite potest defendere suam Ecclesiam ne bona eius dilapidentur, modo praescripto in *cap. filijs 16. q. 7.* Quae omnia veluti ex natura rei sequuntur ex beneficio quod Patronus fecit Ecclesiae eam fundando, construendo, vel dotando. Innoc. *in cap. praeterea 2. de iure patronat.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 28. num. 1.* Layman *in Theolog. moral. lib. 4. tractat. 2. capit. 13. num. 8.*

6 Insuper Ecclesia quae est iuris patronatus, vniri non potest alij Ecclesiae sine consensu patroni. Quippe praedictum sit iuri presentandi quod habet in illa, cum vel tollitur omnino, vel minuitur, vel saltem notabiliter mutatur. Et ideo vt rata sit talis vnio requiritur consensus patroni. Constat *ex cap. suggestum de iure patronatus.* Nauar. *lib. 3. consil. in 1. edit. tit. de iure patronatus cons. 3. num. 2.* Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 28. q. 12.* Quod est verum siue patronus sit saecularis, siue Ecclesiasticus. Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 168.*

7 Quamuis autem ius patronatus ratione horum fauorum scilicet, honoris, utilitatis, & defensionis non sit materia Simoniae, cum sint res temporales. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia cap. 28. num. 3.* Nihilominus sumptum quatenus est ius presentandi ad Ecclesiastica beneficia in Ecclesia fundata, constructa, vel dotata, materia Simoniae est, ac subinde peccatum Simoniae illud vendere *ex cap. de iure, & ex cap. praeterea,* vbi id habetur expressè: est enim aliquid spirituale beneficium ad quod conferendum ordinatur. Suarez *ut supra num. 5.* Bonacina *de Simonia q. 411. num. 3.* Qui etiam satis probabiliter dicunt non solum committi Simoniam iure humano introductam in venditione Iuris patronatus, propter praedicta iura, sed etiam iuris diuini. Nam posita institutione Ecclesiae ius hoc est aliquid spirituale. Specificatur enim admodum potentia a suo objecto, quod est beneficium Ecclesiasticum, quod etiam est quid spirituale. Idem dicendum de actu illius iuris, scilicet praesentationem ad beneficium, materia esse Simoniae. Est enim spirituale, quia per ipsum res spiritualis, scilicet beneficium, confertur, & procedit a principio spirituali, scilicet iure patronatus. Redoanus *de Simonia 3. par. c. 13. a num. 22. & c. 14. per totum.* Suarez *ut supra num. 11.* Vnde presentans non potest ob praesentationem imponere aliquod onus praesentato ad quod alias non teneretur ut si obliget illum ad tuendum ius presentantis, & ad licem pro ipso praesequendam. Cum enim praesentatio sit res spiritualis gratis debet dari, non ob mercedem. Vgolpinus *Tab. 1. c. 49.* Suarez *ut supra n. 14.*

8 Sed quamuis ius patronatus vendi non possit, transire tamen potest cum re vendita, dummodo ratione illius res illa ceteris non vendatur. Ratio primae partis est, quia ius Canonicum quod hanc gratiam patrono fecit, ut praesentaret beneficia in Ecclesia propter fundacionem, constructionem, aut donationem ipsius, similiter illam concessit pro



- pro hæredibus, & successoribus, *c. ex litteris, cap. cum seculum de iure patron.* Ratio verò secundæ est, quia alias iam venderetur illo maiori pretio ipsum ius patronatus. Tabiena *verbo ius patronat. à num. 7.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 28. n. 12. & 13.*
- 9 Non potest Patronus ius patronatus in alios transferre nisi modo, & casibus à iure expressis. Ratio est, non solum quia in spiritualibus non possunt laici nisi quod eis à iure permittitur, sed etiam quia ipsa natura Iuris patronatus pendet ab institutione iuris Canonici, & ita ad nihil extendi potest, nisi quod illi à iure conceditur. Menochius *conf. 90. num. 79.* Suarez *tomo primo de Religio. lib. 4. de Simon. cap. 28. num. 15.*
- 10 Hinc tantum tribus modis, aut casibus potest ius patronatus ex vno ad alium transire. Quia in his tantum hæc facultas Patrono conceditur à iure. Primus est, hæreditario ad hæredes, siue necessario, siue voluntario, *cap. considerandum, & c. si plures 16. q. 7.* Secundus est, per liberalem donationem, quia vnusquisque potest in alium transferre ius suum, *c. Circa de iure patronat.* Requiritur autem ad hoc Episcopi consensus, nisi in casu quo donatio fiat loco Religioso, vt colligitur *ex c. vnico de iure patronat. in 6. & cap. illud.* Tertius est, quando transfertur ius patronatus cum re vendita, iuxta *cap. ex litteris, & cap. Cum seculum, de iure patronat.* De quibus, & alijs ad intentionem Suarez *to. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 28. à num. 15. & deinceps.*
- 11 Si ius patronatus conueniat alicui iure personæ si fiat Religiosus transit in Monasterium, quia Monasterium succedit in omnia iura Religiosi. Rodriguez *to. 2. q. Regul. quest. 122. art. 2. §. At contrarium.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 14. num. 2.* Si autem ius patronatus conueniat alicui non ratione personæ, sed ratione bonorum suorum quibus est annexum, tunc si fiat Religiosus tale ius pertinet ad quem pertinet bona, scilicet vel ad Monasterium, si est capax succedendi, vel ad illum ad quem bona illa transferuntur. Accessorium enim sequitur principale. Rodriguez *vt supra §. quantum ad primum.* Sanchez etiam *vt supra num. 5.* Quæ autem Monasteria capacia sint succedendi in bona Religiosi, maximè in ius patronatus dicitur capit. ultimo *num. 11. & 22.* Si verò ius patronatus conueniat alicui ita vt industria personæ sit electa ad tale munus, tunc si fiat Religiosus, etsi secundum decentiam, & æquitatem, Monasterium, seu Superior non debeant præsentare saltem sine consilio talis Religiosi, vt de se patet, tamen ius præsentandi non Religioso sed Monasterio, vel Superiori competit, quia Religiosus non habet velle, neque nolle, vt haberet in iure. Adeo vt si fundator iuris patronatus dixisset tale ius competere debere Petro ver. g. ita vt si fiat Religiosus nominet inuito Prælato, talis conditio reiici debeat, ac si non fuisset adiecta, quia scilicet est contra ius commune, vt Religiosus aliquid agat inuito Prælato, vt in simili dictum est *to. 1. c. 6. nu. 34.* Rodriguez *vt supra §. Quantum ad tertium.* Vide infra *num. 15.*
- 12 Nouitius autem patronus habens ius præsentandi ad aliquod beneficium per se ipsum debet id facere, cum simpliciter non sit Religiosus, nec suum ius in Monasterium transfulerit. Glossa *in c. Beneficium verbo conferendum in fin. Syluester verbo Religio 5. q. 11.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 4. num. 12.*
- 13 Si Monachus fundaret, construeret, vel dotaret Ecclesiam ius patronatus quod inde resultaret Monasterio suo acquireret. Ex generali regula, quod quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit. Lambertinus *de iure patronatus lib. 1. part. 1. quest. 8. art. 9. num. 7.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 14. num. 4.*
- 14 Quoties ius patronatus transit in Monasterium, neque solus Abbas, seu Superior præsentare potest, nisi hoc habeat ex præscripta consuetudine, vel priuilegio, sed id est totius Conuentus, cuius maior pars consentire debet, vt præsentatio legitima sit. Habetur *ex c. Nouit. & c. Quanto, & cap. ea noscitur de his que sunt à Prælato.* Lambertinus *de iure patronatus lib. 2. par. 1. q. 2. art. 12. num. 2. & 3.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 14. num. 7.* Quod si præsentatio fiat à solo Prælato absque maioris partis consensu, probabilis est irritam esse. Quia etsi *in c. ea noscitur* solum dicatur, Institutiones huiusmodi conuenit enacuari, quod solum denotat præsentationem esse irritandam, attamen in *cap. Nouit. de his que*
- sunt à Prælat.* absolute decernitur *carere robore firmitatis.* Lambertin. *vt supra num. 8.* Sanchez etiam *vt supra num. 8.*
- 15 Præsentatio beneficii facta à Religioso ratione iuris patronatus quod illi competebar dum esset sæcularis non solum est illicita, si fiat sine licentia Prælati, quia vt dictum est Religiosus non habet velle, vel nolle, sed etiam est inuvalida, quia per professionem ius patronatus iam non est suum, sed Monasterij. Lambertin. *de iure patronat. lib. 2. par. 1. quest. 2. artic. 11. num. ultim.* Sanchez *7. in decalog. capit. 14. num. 10.*
- 16 Quando autem præsentatio, vel electio non competit Religioso ratione iuris patronatus, sed ex eo quod constitutus est à vero patrono, aut veris electoribus procurator ad præsentandum, aut eligendum, tunc, etsi præsentatio, aut electio ab ipso facta sine licentia Prælati illicita sit, quia Religiosus, vt dictum manet, non habet velle, aut nolle, probabile tamen est validam esse, non solum quia nullo iure irritatur, sed etiam, quia cum tunc non faciat Religiosus nomine suo, sed vt procurator nomine alterius non consideratur ad validitatem actus persona ipsius Religiosi, sed illius qui illi suas vices commisit. Sanchez *7. in decalog. c. 14. à num. 11.*
- 17 Catholici Reges Hispaniarum patroni sunt in illis partibus Ecclesiarum Collegatarum sæcularium, & Regularium, multarum scilicet, & ita in illis præsentant Abbates, & alios Præpositos, ex concessione Adriani V. Nauarrus *in c. Nullam d. 18. quest. 2.* Rodriguez *to. 2. q. Regul. quest. 122. art. 4.* Præsentare tamen debent suæ Regiæ Maiestates dignos, iuxta *c. Monasterium 16. q. 1.* Nauarrus, & Rodriguez *ibidem.* An verò digniores debeant esse ij, qui præsentandi sunt, constabit ex *num. 20.*
- 18 Possit aliquem de bonis incertis, quæ pauperibus sunt restituenda fundare Ecclesiam reseruando sibi, suisque successoribus ius patronatus, etsi aliqui negent, alij probabiliter affirmant. Quia etsi illa bona non sint simpliciter ipsorum, cum possint tamen illa in pia opera distribuere, si ex eis fundent, vel dotent aliquam Ecclesiam sibi, & successoribus prædictum ius patronatus reseruando, nulli faciunt iniuriam. Henriquez *1. par. lib. 7. de Indulgentijs 33. num. 5.* Rodriguez *to. 2. q. Regul. q. 122. art. 5.*
- 19 Præter dictos patronos, habentes scilicet facultatem præsentandi in Ecclesijs à se fundatis, constructis, vel dotatis ad beneficia, sunt alij qui patroni etiam vocantur eo quod etiam aliquam Ecclesiam, Conuentum, vel Capellam Regularium fundarunt, construxerunt, vel dotarunt, & tamen prædictam facultatem præsentandi non habent, sed à principio foundationis, constructionis, vel donationis, Missarum aliquarum, vel officiorum diuinorum solemnia in dictis locis quotannis celebrari instituerunt. Et hi non proprie, prout in præsentati patroni dicuntur. Isti autem, qui facultatem habent nominandi Capellanos in aliqua Ecclesia vel Capella, ratione foundationis, constructionis, vel donationis proprius merentur nomen patronorum, maximè cū Capellaniæ Episcopi auctoritate instituta sint. Tales namque Capellaniæ, etsi amouibiles sint ad nutum Episcopi, vel patroni, hoc tamen non obstat quominus beneficia Ecclesiastica, vel quasi beneficia dicantur, ad instar beneficiorum Regularium, quæ etiam, vt dictum sæpius est, reuocabilia, & manualia sunt. De hoc Azorius *to. 1. instit. moral. lib. 10. c. 4. q. 4.* Suarez *to. 2. de Relig. lib. 4. de orat. c. 22. n. 11.* Layman. *in Theolog. moral. lib. 4. tract. 2. c. 4. num. 6.* [Pro quo nota quod huiusmodi Capellaniæ si in Monasterijs sint fundata, præsumuntur esse beneficia Regularia nisi aliàs per sæculares solita sint regi. Rebuffus *in praxi beneficiorum, in premio tit. quoduplex sit beneficium num. 6.* & Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 29. num. 29.* De ijs autem Capellanijis plura dico *4. tomo verb. Missa n. 43.*]
- 20 Tenentur patroni quicumque illi sint ad beneficia præsentare digniores. Colligitur ex Concil. Trident. *sess. 24. c. 18.* illis verbis: *Si verò iuris patronatus Ecclesiasticæ erit, ac institutio ad Episcopum, & non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatis indicabit, Episcopo præsentare teneatur.* Et ratio est, quia licet beneficia primo, & per se instituta sint in utilitatem Ecclesiæ, nihilominus sunt etiam præmia illorum, qui in Ecclesia virtute, & doctrina proficiunt, sicut ergo propter

preter hanc rationem electores ad beneficia tenentur eligere digniores, sic etiam Patroni presentantes, qui succedunt predictis electoribus. Molina lib. 2. de primogen. c. 5. num. 69. Aragon. 2. 2. q. 63. art. 2. & quest. 62. art. 2. Sanchez lib. 2. consil. moral. c. 1. dub. 5. Sunt autem aliqui, qui probabiliter credunt patronos laicos, eos scilicet, quibus competit ius patronatus ratione foundationis, constructionis, vel donationis factæ ex bonis proprijs, seu patrimonialibus satisfacere plerumque obligationi suæ, si libero presentandi iure præditi, solum dignos, & idoneos, non autem digniores presentent. Si quidem hac gratia, vel favore ab Ecclesiâ decorati videntur ob obsequia præstita ipsi fundatiõne, constructione, vel donatione, ut possint quos voluerint presentare, dummodo positivè cognoscant eos dignos, & idoneos esse, & periculum nullum Ecclesiâ subituram ex illorum provisione. Ita etiam videtur colligi ex loco Tridentini adducto ubi solum est sermo de patrono Ecclesiastico non de laico. Imò postea sermonem faciens de patrono laico dicit: *Si ius patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono presentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Quo denotare videtur Concilium posse patronum laicum presentate solummodo dignum, & idoneum, Garzias lib. 7. c. 16. num. 19. Rodriguez tom. 1. Summ. cap. 106. concl. 6. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. c. 15. num. 7. Addens bene aliam rationem esse de prælati, & patroni Ecclesiasticis, nam illis ex officio incumbit Ecclesiæ meliori modo prospicere, ac per consequens beneficia ex bonis Ecclesiasticis fundata, sine vlla personarum acceptione dignioribus conferre.

21 Presentare autem indignum, si dignus haberi potest, semper est mortale peccatum. Tum ex gravitate poenarum, quæ Canonico iure indigni electioni, & collationi decretæ sunt. cap. cum in cunctis de elect. c. grave nimis de præbend. Tum ex incommodis, quæ exinde Ecclesiæ accipere solent. Petrus Navarrus lib. 2. cap. 2. num. 119. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 15. num. 1. Pro poenis autem quas incurrunt patroni indignos presentantes, vide Sylvestrum in Sum. verb. ius patronatus q. 7. & Sanchez 10. 1. consil. moral. lib. 2. c. 1. dub. 6. à num. 15.

22 Patroni iuris patronatus laici possunt variare, id est, postquam vnum presentarunt, presentare etiam alterum, quo casu iudicio Episcopi relinquitur, uter eorum tamquam magis idoneus præferri debeat. Ita enim supponitur in capitulo quod autem de iure patronatus. In patronatu autem Ecclesiastico qui primo presentatus est, si idoneus sit, institui debet. Propter decisionem capitulo cum autem eadem tit. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 13. num. 6.

23 Conditiones appositæ à fundatoris Iuris patronatus, ob cultum scilicet diuinum, sui memoriam, commodum, vel honorem suæ familiæ nullatenus mutari possunt. Tum quia piæ, & honestæ voluntates defunctorum observari debent L. 1. C. de SS. Eccles. cap. ultima voluntas 13. q. 2. Tum etiam quia fundatorem erexisse ius patronatus illis conditionibus arguit inter ipsum, & præfectos Ecclesiæ illas admittentes intercessisse pactum de illis non alterandis, ac perinde contra iustitiam peccare aliter facientes. Vnde insignia fundatores posita in Ecclesiâ, vel Capella, quam fundavit, construxit, vel dotavit, sepulchrum pro se, & descendens, seu heredibus in ea positum, & similia nullatenus auferri possunt, etiam si familia extincta sit, ad conferendam memoriam fundatoris, & ne alij piji homines ab huiusmodi pijs operibus arceantur Lambertin. de iure patronat. q. 5. principali art. 4. Layman. in Theol. moral. lib. 4. tract. 2. c. 13. num. 14. & 15. Secus videtur dicendum de alijs benefactoribus, qui Ecclesiâ, vel Cappellam non fundarunt construxerunt, aut dotarunt, sed solum ibi ius sepulturæ sibi compararunt, & suis heredibus. Et si enim illis, & eorum heredibus inuitis alios ibi sepelire non liceat, quia talia sepulchra instar hospitia, & fundi ipsorum censentur, postquam tamen tota ipsorum progenies est extincta, probabile est posse ibi sepulturam alijs concedi. Tum quia sicuti morte vsufructuarij eiusque descendens redit vsufructus ad proprietarium, iuxta L. corruptione C. de vsufructu, ita etiam ius sepulturæ, mortuo benefactore, & eius heredibus, redeat ad Ecclesiâ. Tum etiam, quia

alioquin impedirentur alij quominus Ecclesiâ ornare, & beneficijs augere possint. Angelus in Sum. verb. sepultura num. 41. Armilla num. 24. Rodriguez tom. 3. quest. Regular. q. 58. art. 10. Declaratum tamen dicitur à S. Congregatione in causa RR. PP. Discalceatorum nostri Ordinis fundatorem alicuius Monasterij non posse hanc legem imponere Fratribus, ut in Collecta quæ pro Rege dicitur etiam ipsius fundatoris nomen exprimeretur, Barbosa in Collectan. Bullar. verb. fundatio.

24 Conditiones autem aliæ assignatæ à fundatore iuris patronatus, quæ fuerint contra ius naturale, aut diuinum, inuolidæ sunt, nec obseruandæ: cum naturale, & diuinum indispensabilia sint, nec vllò modo contra ea aliquid effici possit. Maior in 4. d. 24. q. 9. & q. 3. ad 4. Lambertinus de iure patronatus lib. 1. p. 1. q. 9. princip. art. 1. n. 37. & 38. Hinc si fundator poneret pro conditione quod ad beneficium admittatur indignus, talis conditio obseruanda non est, ut pote contra ius diuinum, & naturale. Aragon. 2. 2. q. 63. art. 2. Sotus 3. de iustit. q. 6. art. 2. ante 10. conclus. Si autem pro conditione poneret quod posset presentari dignus, omni-fo digniori, valida esset, & obseruanda, quia talis conditio non est contra ius naturale, aut diuinum in casu, quo beneficium fundatum est non ex bonis communibus Ecclesiæ (quia vt sic digniori dari deberet) sed ex bonis ipsius Patroni, seu fundatoris. Maior in 4. d. 24. q. 3. ad 4. Sanchez tom. 1. consil. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 10. num. 18. Similiter si appositæ conditio sit de non presentando nisi de sua familia, aut progenie, valida etiam erit, & obseruanda, cum non sit contra ius naturale, aut diuinum, eo quod fundatio talis beneficij non est ex bonis communibus Ecclesiæ, quæ omnibus debentur, sed de bonis particularibus, quæ potest quisque dare cui voluerit, Couarrubias Reg. peccatum 2. p. §. 7. num. 5. Sanchez vt supra num. 14. Semper tamen supponenda est dignitas personæ presentandæ, & ideo indignus quantumuis de illa familia presentari non potest, nec conditio de illo presentando valida erit, iuxta dicta, & præsertim, quia indignus semper est, aut presumitur Ecclesiæ nociuus. Nauar. Miscellan. 43. num. 76. Ledesma 2. par. 4. quest. 18. art. 2. Si autem conditiones appositæ à fundatore Iuris patronatus solum sint contra ius positium, pensandum est an Ordinarius, de cuius consensu fundatur, iuxta dicta supra num. 3. possit in prædictis conditionibus dispensare, vel non, si enim dispensare potest, censetur dispensasse, & ita validæ erunt, si autem non potest in eis dispensare, nec censetur dispensasse, nec ipsæ conditiones valere possunt. Vide Sanchez vt supra à num. 4.

25 Non possunt Patroni seipsos presentare ad beneficia curata. Ratio sumitur ex decisione cap. per nostras de iure patronat. ubi quamuis solum sit sermo de personatibus, tamen quia ratio textus, scilicet, quod nullus se ingerere debeat Ecclesiastica prælationis officijs etiam se extendi ad prædicta beneficia, ideo ad illa non se poterunt presentare patroni, et si alias idonei sint. Sylvester in Summ. verb. Ius patronatus q. 7. Angelus etiam in Summ. eodem verb. n. 19. Potest tamen pater patronus presentare filium alijs idoneum, nullo enim iure id prohibetur. Lambertinus de iure patronat. lib. 2. par. 1. q. 8. art. 12. plures referens, Sanchez tom. 1. consil. moral. lib. 2. c. 3. dub. 74. num. 4. Ad beneficia tamen simplicia potest se patronatus presentare, quia textus dicti cap. per nostras non loquitur de simplicibus beneficijs, nec ratio ipsius ad ea se extendit. Lambertinus vt supra art. 2. dicta q. 8. Sanchez etiam vt supra num. 16. Imò etiam quando plures fuerint compatroni potest vnus ipsorum ab alijs presentari ad beneficia etiam curata, quia iam cessat ratio dicti cap. per nostras cum talis non se ingerat. Lambert. d. q. 8. art. 5. Molina lib. 2. de primog. cap. 4. n. 61.

26 Nec possunt patroni vltra alimenta illis debita, si ad egestatem deveniant, iuxta dicta, supra num. 5. exigere aliquid feruitium, vel aliquid temporale, censum scilicet, vel tributum, nisi concurrant duæ conditiones, altera, quod in limine foundationis id sit appositum, & altera, vt interuenierit licentia Diocesani. Constat hoc ex cap. prætere a el 2. de iure patron. Lambertinus de iure patron. lib. 1. p. 1. q. 9. art. 1. num. 81. vsque ad 85. Sylvester in Summ. verb. ius patronatus quest. 3. Angelus ibidem num. 23. Limitatur tamen ab aliquibus, si consuetudo sit immemorabilis arguit quod in ipsa

- in ipsa fundatione sit factum legitime. Tum quia Concil. Trident. *sess. 25. cap. 9.* ubi id prohibet, solum reprobatur consuetudinem non immemorabilem, & *sess. 24. cap. 14.* ubi id etiam reprobatur, solum loquitur cum Episcopis, ipsi precipiens ut consuetudines in hoc non laudabiles rejiciant, & aboleant. Lambertinus *de iure patronat. lib. 3. q. 3. art. 16.* Sanchez *to. 1. conf. mor. lib. 2. cap. 3. dub. 52. num. 6. & 7.*
- 27 Quando sunt plures patroni eiusdem iuris patronatus, vel quia omnes simul fundarunt construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam, vel quia ad omnes aequè peruenit ius praesentandi ad beneficia, non requiritur quòd omnes concordent in vnum praesentandum. Sed eligi debet praesentatus à maiori parte ipsorum. Ita enim habetur *ex cap. quoniam in de iure patronat. Lambertin. de iure patron. lib. 2. part. 3. quest. 4. art. 1.* Syluest. *verbo ius patronatus quest. 12.* Quod sic est accipiendum. Si illi plures patroni praesentant non per modum Collegij, aut Communicatis, sed ut dicitur, ut singuli, satis est quòd maior pars ipsorum non simpliciter, sed respectu alterius compartis praesentent, id est, si sunt septem, & tres praesentant Petrum, duo Ioannem, & alij duo Franciscum, sufficiunt illi tres, quia licet non sint maior pars illius numeri absolute, sunt tamen maior pars respectu aliorum. Si autem praesentant per modum Collegij, vel vniuersitatis tunc requiritur maior pars absolute. Lambertinus *ut supra art. 2.* Syluest. *etiam ut supra q. 13.* Si verò patroni diuidant vota sua aequaliter, ita ut si sint quatuor, duo praesentent vnum, & duo alterum, datur optio instituenti, Episcopo scilicet, vel Praelato. Lambert. *ut supra quest. 5. art. 1.* Sanchez *tom. 1. consil. mor. lib. 2. c. 3. dub. 101.*
- 28 Patroni Beneficiorum Ecclesiasticorum, siue laici, siue Clerici, qui aliquem apostatam ad beneficium de eorum iure patronatus existens tunc vacans praesentauerint, iure praesentandi alios ad eadem beneficia pro ea vice priuantur & praesentationes sunt eo ipso irritae, & inanes. Ex Paulo IV. in Bulla *Postquam in 10. 1. Bullar. num. 14.*
- 29 Patroni laici si plures Clericos praesentauerint, concursus fieri debet inter ipsos praesentatos tantum, & ex idoneis ab examinatore approbatis idoneos ab Episcopo est eligendus. Ex declaratione Sac. Congregat. apud Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. glof. 6. num. 138.* Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. Patronat.* Idem dicendum respectu de praelato Regulari si ipsum quemadmodum ad Episcopum spectauerit eligere ad beneficia ex praesentatis à patronis laicis Monasterij.
- 30 Pro varijs declarationibus Sac. Congregationis circa ius patronatus videndi inter alios Garzia *de benefic. par. 5. cap. 9. & part. 12. cap. 2.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. glof. 18. num. 46.* & Barbosa *in Collectan. Bullar. verb. ius patronatus per totum verb. Patronus ac verb. Praesentatus.* [De Patronis Monasteriorum Regularium habentibus ius ad praesentandum in illis aliquam personam pro habitu Religionis suscipiendo, Philosophandum est, sicut in superioribus diximus respectu tamen ad praesentatum munus patroni. Si tamen casus esset quòd aliquis patronus praefatorum Monasteriorum praesentaret aliquam personam ut fieret Religiosa in dictis Monasterijs, & Religiosi, seu Religiosae illorum nolent illi dare suffragium pro receptione iuxta morem solitum Religionis, eo quòd persona illa non esset apta, aut idonea, tunc talis praesentatio inutilis est, & tenetur patronus aliam personam dignam praesentare. Tum quia patroni nequeunt praesentare indignos iuxta dicta *supra num. 21.* Tum etiam quia ius quòd habent patroni ad praesentandum aliquam personam ad aliquam Religionem non tollit ius quòd habet Religio ad examinandum, probandum, imò & reprobandum talem personam si idonea non fuerit ut constat à simili ex Concil. Trident. *sess. 25. capit. 9. de reform.* Portell. *in Respons. moral. tom. 2. casu 105.*
- Demum nota posse Praelatos Regulares assensum praebere ad acquisitionem iuris patronatus in eorum Ecclesijs, seruatis tamen conditionibus ad ius patronatus requisitis, de quibus in superioribus est dictum. Ita enim decum est à Rota *diuers. par. 2. dec. 85.* quam ad hoc intentum affecerunt Garzia *de benefic. par. 5. cap. 9. num. 71.* Barbosa *de officio & potest. Episcop. part. 3. allegat. 70. num. 31.* & Tamburinus *de iure Abbat. tom. 3. disp. 9. quest. 21.* Possunt etiam instituire in Ecclesijs, & Capellis sibi pleno iure subiectis praesentatos à patronis, Clem. 1. §. *Quidam praeterea, & §. Quidam de excessib. Praelat.* Erasmus Chochier *de iurisd. ordin. in exempt. par. 4. q. 80.* Tambur. *de iure Abbat. tom. 3. disp. 9. q. 22.* Secus dic de Ecclesijs seu Capellis ad ipsos non pleno iure subiectis: quia tunc institutio spectet etiam ad Episcopum. Tamburinus *supra ex Cochiero, Barbosa, & alijs.]*

## SVMMARIUM CAP. XII.

- Capitulum, Dieta, seu Congregatio Regularium quid sit. num. 1.
- Quotuplex sit. *ibid.*
- Cuiuscumque auctoritas consistit in maiori, & saniori parte. num. 2.
- Quae vocetur maior, & sanior pars. *ibid.*
- Non possunt Capitula statuere aliquid contra ius commune. num. 3.
- Possunt tamen ea omnia facere respectu, quae tota Religio, tota Prouincia, vel totus Conuentus. num. 4.
- Debent celebrari tempore, & loco statutis. n. 5.
- Qua hora. *ibid.*
- Capitulum Generale omnimodam habet auctoritatem. num. 6.
- Condere potest leges obligantes totam Religionem. *ibidem.*
- Quomodo comparetur cum Praeside, vel Generali. *ibid.*
- Non potest statuere aliquid contra ius commune. *ibid.*
- An possit illud declarare. *ibid.*
- Potest Generalem deponere, eligere, punire, & eius auctoritatem immutare. n. 7.
- An exercere omnes actus iurisdictionis quos Generalis. *ibidem.*
- Pertinet ad ipsum sex Patres eligere pro eiciendis incorrigibilibus. n. 8.
- An sine illis fieri possit electio. *ibid.*
- Non potest noua statuta supra Regulam imponere. n. 9.
- Potest tamen Regulam collapsam restituere ad eam obligando subditos. n. 10.
- Restringere, limitare, & tollere priuilegia. n. 11.
- Reseruare casus aliquos, iuxta decretum Clem. VIII. num. 12.
- Debent Capitula Generalia saepius celebrari. n. 13.
- Si tamen in eis agatur de reformatione Ordinum, non de alijs negotijs. *ibid.*
- Quid de Congregationibus intermedijs dicendum. n. 14.
- Intimari debent in quocumque Capitulo, seu Congregatione litterae Apostolicae ad S. Officium Inquisitionis spectantes. n. 15.
- Sub poenas. *ibid.*
- Gremiales Capitulorum quas debent habere conditiones. num. 16.
- Specialiter Socij quibus qualitatibus ornari esse debeant. num. 17.
- Capitula Prouincialia, seu Congregationes Prouinciales quando celebranda. n. 18.
- Quae facere possint. *ibid.*
- An eicere incorrigibiles. n. 19.
- Quam auctoritatem habent in Indijs. n. 20.
- An in Capitulis Prouincialibus, vel saltem Generalibus dispensari possit cum illegitimis. n. 21.
- Qualiter, aut quibus conditionibus. *ibid.*
- De Congregationibus Prouincialibus intermedijs. n. 22.
- De intimatione litterarum Apostolicarum ad S. Inquisitionem pertinentium faciendam in singulis Capitulis, seu Congregationibus sub poenis, &c. n. 23.
- De Capitulo Conuentuali, & eius auctoritate. n. 24.
- De alijs ad ipsum spectantibus. *ibid.*
- De electionibus quae fieri solent in capitulis. n. 25.
- Textus c. Quia propter de elect. n. 26.
- Quot conditiones requirantur ad electionem Praelatorum, iuxta dictum c. Quia propter. n. 27.
- Notanda circa illas. n. 28.
- De habilitate eligentium, seu suffragatorum. n. 29.
- Quid si inhabiles aliqui admittantur. *ibid.*
- An inhabilis eici debeat antequam talis sententialiter sit declaratus. n. 30.

Quid faciendum dum tempore electionis ad interrogatorem Praesidis opponitur alicui electori aliqua inhabilitas. *ibid.*

Peccat inhabilis in electione dans suffragium. *ibid.*

Speccat ad Praesidem Capituli dirigere ad electiones faciendas iuxta decreta Summorum Pontificum. n. 31.

An possit suadere electores de eligenda certa persona. num. 32.

In electionibus quae observanda iuxta decreta Summorum Pontificum. n. 33.

Debent esse secreta sine publicatione votorum etiam post electiones. n. 34.

Omnino libera a coactione, pactis, seu promissionibus. num. 35.

An illis debeant assistere Praesides magne auctoritatis. num. 36.

Non decet praesides eligi ad aliquod Officium. n. 37.

Quid debeant facere circa fugitivos, aut electos ab Ordine. num. 38.

De confirmatore, & eius munere. n. 39.

Electio non legitime facta confirmari non debet nec potest. num. 40.

Priusquam Ordinis praedicatorum circa hoc. n. 41.

Intra quod spatium temporis debeat electio confirmari. num. 42.

Electio illius qui requisitus ante electionem consensit illi antequam fieret, cassanda est. n. 43.

Quid de electione per sortes an irrita, vel irritanda. n. 44.

Quid quando sortes ipsam electionem praecesserunt. *ibid.*

Electio ex vi renunciationis facta antequam renunciatio acceptata fuisse a Superiore irrita est, nec confirmanda. num. 45.

Electio in qua est electus qui causam scandali praebiturus est annullari debet. n. 46.

Electio usurarij, aut publici aleatoris irrita dicitur. *ibid.*

Electio facta per abusum saecularis potestatis irrita est, nulla. num. 47.

Quae electio dicitur facta per talem abusum. *ibid.*

Potest electus sine nota ambicionis petere confirmationem. num. 48.

Quid si importune, & affectuose petat. *ibid.*

Decretum electionis mittendum ad Confirmatorem. num. 49.

Quid si postulatio, & quomodo differat ab electione. n. 50.

Quid ad illam requiratur. *ibid.*

Qui sunt habiles ut postulentur. *ibid.*

Quid effectus nascantur ex postulatione. n. 51.

An licitus sit modus creandi Praelatos per postulationem. num. 52.

Quid sit nominatio, & qualiter differat ab alijs modis creandi Praelatos. n. 53.

De praxi celebrandi capitula. n. 54.

Formula celebrandi capitula Prouincialia in Ordine Carmelitarum. n. 55.

## De Capitulis, Dietis, seu Congregationibus personarum Regularium, eorumque obligationibus, & privilegijs. Cap. XII.

Capitulum, Dieta, seu Congregatio Regularium prout ad praesens attinet est adunatio ipsum Regularium pro aliqua re, seu negotio ad Religionis ipsorum statum pertinenti. Diuiditur in Generale, Prouinciale, & Conuentuale. Generale Capitulum est pro negotijs totius Ordinis, Prouinciale pro negotijs Prouinciae, & Conuentuale pro negotijs conuentuum. Quibus accedunt Congregationes intermediae quae aliquando sunt Generales pro negotijs totius Religionis, & aliquando prouinciales solum pro negotijs vnus Prouinciae. De his sigillatim dicendum, primum scilicet de ijs quae Capitulo competunt etiam Regularium in communi, deinde de ijs quae Capitulo generali, tertio de ijs quae Capitulo prouinciali, ac quarto de ijs quae Capitulo conuentuali conueniunt. [In primis supponendum celebra-

tionem capitulorum, quantum est ex parte sua, valde congruentem esse Religionibus. Primum ut diligentius Reformationi attendatur. Secundum ut defectus corrigantur. Tertium ut legitimi Superiores ab illis qui ipsis subijci debent, eligantur. *cap. in singulis de stat. Monachor. Concil. Tridentin. sess. 15. c. 20. & 22. Tamburinus de iure Abbat. 10. 3. disp. 1. quaest. 1.]*

Cuiuscunque capituli auctoritas, & potestas consistit in maiori, & saniori parte, ita quod totum capitulum facere dicatur quod maior, & sanior ipsius pars fecerit. *ex c. Cum in cunctis de his quae sunt, & c. Syluester in Summa verbo capitulum num. 1. Rodriguez 10. 1. qu. Regul. quaest. 41. art. 1. afferens circa hoc in art. 2. priuilegia Clementis III. & Celest. III. pro Carthusiensibus. Quae regula in eo, quod ad Regulares attinet, deficit, quod quando maior pars capituli delinquit, & propterea est sua auctoritate priuata, tunc tota capituli potestas residet in minori parte, quae non delinquit, prout notat Panormitanus in c. 1. de his quae sunt, Syluester, & Rodriguez, ut supra, iuxta id etiam quod diximus 10. 5. c. 15. num. 6. Maior, & sanior pars ea vocatur quae innititur maiori rationi, & pietati. Syluester loc. cit. §. 1. queritur. Rodrig. 10. 3. q. Regul. q. 13. art. 9. Vnde videtur ad disquirendum quae sit maior, vel sanior pars, inquirere rationes, & motiua quae habuerunt suffragatores ad aliquid faciendum. Hoc tamen solum verum in gestis publicis capituli, in occultis tamen prout sunt electiones, cum Concilium Tridentinum. sess. 25. c. 6. praecipiat ut fiant secreto, & ut eligentium nomina numquam publicentur, consequenter prohibet disquisitionem quae antiquitus fiebat ad sciendum si sanior pars elegerit, ac perinde in electionibus maior pars erit sanior pars, iuxta dicta 10. 1. c. 15. n. 10. & habent Tabiena in Summa. verbo electio 1. num. 19. Castellinus de elect. Canon. prelat. c. 5. n. 49.*

Non possunt Capitula quaecumque illa sint statuere aliquid quod sit contra ius commune, vel Sacros Canones. Tum quia ita id habetur in c. quod super his tit. de maior. & obed. Tum quia cum quaecumque capitula inferiora sint Papae non poterunt aliquid statuere contra praedictum Ius commune, aut Canonicum, quod conditum est pro omnibus a Papa. Nauarrus 10. 1. consil. tit. de Constit. consil. 9. n. 14. Suarez de legibus lib. 4. c. 19. Castellinus de elect. Canon. prelat. c. 1. num. 3. Vide infra n. 6. [Et nota quod casu quo capitulum aliquod siue generale, siue prouinciale statuta aliqua conderet contra ius commune, illa eo ipso essent nulla, & irrita, nisi ex speciali priuilegio Sedis Apostolicae facta fuissent. Cum solum Sedes Apostolica possit Iuri communi derogare. Ita sumitur ex Panorm. & Decio in c. Si duobus de appellat. Duardo in Bulla Cane lib. 1. c. 1. q. 1. num. 2. & Tamburino de iure Abbat. 10. 3. disp. 7. quaest. 2. Et est decisum a Rota coram Ludouiso decis. 267. & alijs ab eo allegatis, & in dec. 107. n. 7. par. 2. diuersi. Secus vero dicendum si haec statuta confirmata essent a Papa. Nec sufficit a legato, ut voluit Gratianus disceptat. forens. c. 9. num. 10. in fin. & Tamburin. supra propter aliquas decisiones Rotae. Addit etiam ex praefata Rotae decisione coram Ludouiso, quod haec confirmatio Papae debet esse in forma speciali, non in forma communi.]

4 Possunt tamen ea omnia facere respectiue, quae tota Religio, tota Prouincia, vel totus Conuentus facere possunt. Ita scilicet ut capitula Generalia facere possint quae totus Ordo, Prouincialia, quae tota Prouincia, Conuentualia, quae Conuentus ipsi. Hoc enim conforme est tum iuri naturali cum Capitula generalia constent ex supremo capite, & praecipuis membri totius Religionis, Prouincialia ex Capite, & praecipuis membris Prouinciae, & Conuentualia ex Capite, & praecipuis membris Monasterij; tum iuri positiuo communi, tum speciali quorumcumque Ordinum.

5 Debent celebrari tempore, & loco a Regula, & constitutionibus Ordinum designatis. Pro quo vide dicta 10. 1. c. 15. num. 19. Quoad horam tamen, qua fieri debent, extant duae declarationes Sac. Congregationis, quae licet ad congregationes capitulares Ecclesiarum Cathedralium, vel collegiarum directae videantur, comprehendunt tamen ob identitatem rationis Capitula Regularium. Prima est Congregationes capitulares debent fieri per actus diuini Officij, & praesertim Missa maiori. Barbola in collect. Bullar.

*Bullar. verb. Congregationes capitulares.* Secunda est ferè ad idem, explicatiua tamen prioris. *Congregationes capitulares habenda non sunt eo tempore, quo diuina officia celebrantur, nisi causa ugens in aliud tempus differri non pateretur.* Barbosa *ibid.*

- 6 Capitulum generale in Religionibus, Dieta, seu Congregatio generalis omnimodam, & plenam auctoritatem habet. Tum ex iure communi quia repræsentat totam religionem, tum ex Priuilegijs Summorum Pontificum diuersis Religionibus concessis, præsertim Innocentij VIII. Cisterciensibus, Martini V. Eugenij IV. & Leonis X. Carmalulensibus, Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 41. artic. 2. Suarez 4. to. de Relig. tract. 10. lib. 19. c. 1.* Hinc primo condere potest leges, seu constitutiones totam Religionem obligantes, iuxta dicta *to. 1. c. 18. num. 90.* Cum enim hæc potestas sit in Religionibus absdubiè erit in capitulis, Dieta, seu congregationibus generalibus, quæ ut dixi ipsas Religiones repræsentant. Residet etiam hæc auctoritas in capitulo generali etiam ante electionem generalis, ut eo *cap. 18. num. 90.* diximus, quia Regulariter supponitur capitulum cum Præsidente, vel Vicario Generali, ac per consequens cum capite. Si autem casus esset quod capitulum acephalum, seu sine capite esset, Præsidente scilicet, aut Vicario, tunc nec totam Religionem repræsentaret, nec leges condere posset. Suarez *4. to. de Relig. tract. 8. li. 2. c. 8. num. 8.* Quando autem capitulum cum generali præsentis fit, si maior pars capituli concordet in lege ferenda, quamuis generalis dissentiat, præualet sententia capituli, & lex tenet, quia potestas adæquata est in capitulo, seu maiori illius parte, & generalis solum est vnus ex habentibus suffragium. In quo differt capitulum generale comparatum cum suo generali à concilio generali comparato ad Papam, nam cum generalis sit subditus capitulo, etiam si ipse nolit tenebit lex à capitulo facta, at verò cum Papa non sit subditus concilio generali, sed supra illud, non tenebit lex à concilio facta, Papa renuente. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 8. num. 4.* Legibus autem, siue statutis factis in capitulis generalibus parere debent omnes, etiam ipsi generales, non solum propter dicta *tom. 1. cap. 8. num. 21.* sed etiam quia ut modo dictum est generales sunt subditi capitulo generalis, & ita ipsi obedire tenentur. Suarez *4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 8. num. 18.* Non tamen possunt capitula generalia statuere aliquid contra ius commune, iuxta dicta de capitulis in communi supra *num. 3.* cum ius commune sit à Papa, & capitula omnia Regularium inferiora Papæ sint. Rodriguez *tom. 3. q. Regul. q. 17. art. 20. §. nec contra hoc obstat.* Peyrinis *to. 1. priuileg. Minim. in Constitut. Pyrrhi §. 4.* Possunt tamen constitutiones Iuris communis declarare, & innouare, & ubi pœna deficit apponere, vel augere. Quia hoc potius est adiuuare ius commune quod licitum esse dicitur *in c. 1. de nou. oper. nunciat.* Peirinis *ut supra.*
- 7 Potest item capitulum generale eligere generalem, ipsum deponere, punire, illius auctoritatem minuere, & augere. Hoc enim colligitur ex summa auctoritate capituli, & ex subiectione generali erga ipsum. Suarez *4. to. tract. 10. lib. 10. cap. 4.* Hinc etiam valdè probabile mihi est posse tempore quo durat, omnes actus iurisdictionis exercere quos generalis efficere potest, quod planè sequitur ex suprema potestate generalis capituli, & de congregatione generali Societatis Iesu docet idem Suarez *4. tom. de Relig. tract. 10. lib. 10. c. 4. num. 15.* licet ut idem Suarez *ibidem num. 16.* in usu huius potestatis debeat capitulum conformare se constitutionibus Ordinum. Idem etiam mihi probabile est de quacumque etiam facultate, seu auctoritate generalibus, ex priuilegijs competenti, posse scilicet illum exercere capitulum, cum sit superius ipso generali, & ut dixi *tom. 1. c. 18. num. 3.* si priuilegium conceditur prælato inferiori censetur etiam concessum Superiori. [ Electio autem generalis confirmatur à Summo Pontifice, vel specialiter, vel propter priuilegia Religionum, ut colligitur ex nostris constitutionibus *par. 4. cap. 6. num. 3.* & habet Sigismundus de Bononia *de elect. dub. 101. num. 3.* ]
- 8 Pertinet etiam ad capitulum, seu congregationem generalem eligere sex Patres ex grauioribus Religionis, de quorum consilio, & assensu eijci possint professi eijciendi à Religione, ita enim decernitur à Sacra Congregatione Concilij in decretis *de Apostatis, & electis sub SS. D. N.*

Vrbano VIII. anno 1624. editis, quæ habentur 4. tom. Bullar. inter constitutiones Urbani *num. 26.* & de quibus diximus *tom. 1. c. 23. num. 3.* Neque enim licet generali se solo professos incorrigibiles eijcere, ut habetur in prædictis decretis cum reuocatione quorumcumque priuilegiorum. Aduertit tamen Peirinis *to. 2. priuileg. Minim. in constit. 10. Vrbani. V. III. §. 4. num. 1.* quod cum difficile valdè existimatum fuisset generalem secum ducere semper prædictos ex Patres pro expulsionem faciendam quando casus occurrisset supplicatum esse Sac. Congregationi pro remedio, ipsamque respondisse, posse generalem, vel Visitatorem generalem in qualibet prouincia in qua id opus fuerit assumere sibi sex ex Diffinitoribus illius, de quorum consilio, & assensu posset prædictos incorrigibiles eijcere, ita etiam nos idem diximus *to. 1. cap. 23. num. 5.* Verumtamen cum ipse non afferat huiusmodi decretum declaratum, sed solum dicat id audiuisse à Religiosis fide dignis qui tamen falli possent, non videtur ipsi credendū, præsertim quia anno 1635. proximè præcedenti cum Constitutiones quadam cuiusdam grauis Religionis SS. D. N. pro approbatione Apostolica oblata essent, Eminentiss. quidam Cardinalis, & Reuer. alij Prælati quibus cura eas examinandi à sua Sanctit. commissa fuit, noluerunt similem explicationem admittere, aut approbare, quo suspecta valdè redditur declaratio illa Sac. Congreg. à Peirinis relata, & quæ habetur in nostris constitutionibus *par. 4. c. 21. §. 14.* nec ea uti nos posse credo, dum clarius de ea non constiterit. Rectè ergo in congregatione nostrorum PP. Discalceatorum Hispaniæ cautum est, ut huiusmodi expulsio non fiat nisi à Generali cum sex Diffinitoribus. Constitut. PP. Discalceat. *par. 3. c. 7. num. 11. & 13. adiuncto num. 1.*

- 9 Non potest capitulum etiam generale noua statuta arctiora quæ simpliciter sint supra Regulam Ordinis imponere. Quia ut dictum est *tom. 1. c. 4. num. 13.* votum Obedientiæ Religiosorum solum obligat illos ad ea quæ concernunt Regulam, siue explicitè, siue implicitè, quare ea quæ sunt simpliciter supra Regulam, cum illam non concernant (hoc enim est esse supra illam concernunt non sunt supra illam) non possunt præcipi à Prælati Religionum. Angelus *verb. Religiosus num. 29.* Syluester *verb. Religio. 6. q. 6.* Peirinis *to. 1. de subdito Religioso q. 1. de obedi. entia §. 1.* Excipit quando Regula præcipiat (ut dicitur de Regula Minorum, & constit. Societatis Iesu) obediendum esse Superioribus etiam si supra Regulam aliqua præcipiant. Eo enim casu id quod præcipitur est conforme Regulæ, iuxta dicta præd. *to. 1. c. 4. num. 13.*
- 10 Potest tamen generale capitulum Regulam iam collapsam, & relaxatam ad pristinum statum restituere obligando subditos ad obseruantiam illius sic restituta. Ratio est, quia hæc restitutio, seu redintegratio Regulæ concernit ipsam, nec est supra ipsam, imò maximè concernens ipsam, iuxta dicta *to. 1. c. 7. num. 19. & 20.* Syluester *verbo Religio 6. qu. 6.* Corduba *in exposit. Regula S. Francisci c. 10. quest. 2. punct. 6.* Peirinis *tom. 1. de Religioso subdito quest. 1. de obedientia §. 3.*
- 11 Auctoritatem etiam habet capitulum generale restringendi, & limitandi, imò etiam omnino tollendi in Religionem usum quorumcumque priuilegiorum Apostolicorum. Si enim, iuxta dicta *to. 1. c. 18. num. 56.* Prælati ipsi, generales maximè, id possunt facere, multò melius id etiam facere poterit capitulum generale quod est supra omnes Prælatos, præcipuè, quia horum priuilegiorum restrictio, moderatio, & ablatio conducere valdè potest ad Ordinis reformationem. Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. q. 17. art. 5.*
- 12 Possunt etiam capitula generalia natura discussione præmissa reseruare in Religionibus casus aliquos graues pro Religionis conseruatione, aut conscientia puritate. Ratio est, quia et si Clemens VIII. in decreto pro reformatione casuum anno 1593. prohibuerit ne Superiores Religionum possent alios casus reseruare præter quosdam specialiter relatos *to. 1. c. 18. num. 20.* tamen ipsemet Pontifex in eodem decreto permittit hanc facultatem, reseruandi alios præter dictos capitulis generalibus, & Prouincialibus, non quidem dando nouam potestatem capitulis ad id faciendum, sed non auferendo eam quam iure communi, vel iuxta sua priuilegia habebant. Suarez *4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 18. num. 15.*

13. Debent Capitula generalia sæpius celebrari, & licet in hoc seruari debeant constitutiones Ordinum maximè auctoritate Apostolica confirmatæ, stando tamen in iure communi videtur dicendum, generalia capitula celebrari debere de triennio in triennium, tum à simili de Concilijs Prouincialibus, quæ à Concilio Lateranensi *sess. 10. cap. 10.* & Trident. *sess. 24. cap. 2.* quolibet triennio præcipiuntur celebrari, tum vt crebrius quam fieri posset agatur de reformatione Ordinis, Regulæ obseruantia, morum correctione, & controuersiarum decisione, hic enim præcipuus est finis celebrandorum Generalium Comitiorum. Rodriguez *tomo tertio quest. Regul. quest. 47. artic. 2. & 3.* Vbi piè deplorat quod in capitulis generalibus, & prouincialibus omne tempus in electionibus, & prouisionibus Prælatorum, & Officialium expendatur, & parum in ijs quæ pertinent ad morum reformationem. Affirmans vltèrius Generales, & Prouinciales in hoc negligentes, non liberari à peccato mortali. Capitula autem generalia, in quibus parum, aut nihil de Ordinis reformatione agitur, sed alijs negotijs, prætensionibus scilicet Officiorum, graduum, & dignitatum, vix deberent celebrari. Neque enim pro eiusmodi rebus graues expensas fieri, aut longa itinera peragi conuenit Religiosis.
14. Ad generalia Capitula accedunt Congregationes aliquæ intermedia, quæ aliquo modo generales dici possunt, vel quia constant ex eisdem Gremialibus, vel saltem ex Definitoribus, seu Assistentibus generalibus. De ijs autem nihil particulare dici potest, nisi quod, cum secundum ordinum statuta habeant dictæ Congregationes eandem auctoritatem, ac generalia Capitula, eodem modo de illis Philosophandum est, si autem habeant minorem auctoritatem (quia maiorem habere non possunt) ex prædictis statutis pendet notitia eorum ad quæ se possunt extendere.
15. Debent in quocumque generali Capitulo, Congregatione, Dieta, seu Conuentu prælati Religionum monere suos subditos de iniuncta omnibus obseruantia, & executione litterarum Apostolicarum Constitutionum, & decretorum ad Sanctum Officium Inquisitionis pertinentium, prout habetur ex decreto SS. D. N. Urbani VII. I. in generali Congregatione S. R. Inquisitionis 24. April. 1633. Vbi prædictæ litteræ Apostolicæ Constitutiones, & decreta continentur. Quod præcipitur ipsis Superioribus sub pœna priuationis Officij ac vocis actiue, & passiuæ ipso facto incurrendæ, ac alijs arbitrio S. suæ infligendis pœnis. Vide *tomo 1. cap. 18. num. 100.*
16. Gremiales seu Capitulares Patres Capitulorum, seu Congregationum generalium, qui vt in plurimum solent esse capita Prouinciarum, Prouinciales scilicet, Procuratores, vel alij similibus nominib. vocati, eorumque Socij, seu Discreti debent habere conditiones assignatas *tomo 1. cap. 15. num. 4. & 5.* videlicet quod sint clerici in sacris constituti, liberi à censura, impedimento canonico, priuatione vocis, aut inhabilitate ad munus eligendi, non excommunicati maiori excommunicatione suspensi ab officio, interditi, aut irregulares. Nota tamen declaratum dici à Sac. Congregat. pro Minimis Regularem suspensum à diuinitis posse eligere, quia electio non pendet ab ordine, sed à regularitate. Barbosa in *Collectan. Bullar. verb. Regulares 1.* Item eligentes indignum priuantur potestate eligendi. *cap. cum in cunctis de elect.* Præterea illi, qui per abusum potestatis sæcularis aliquem elegerunt priuati sunt ea etiam vice potestate eligendi. *cap. quisquis de elect.* Syluester in *Summa verbo electio 1. quest. 4.* Qui autem dicantur elegisse per abusum sæcularis potestatis inferius declarabitur *num. 47.* dum de electionibus quæ confirmandæ non veniunt sermo erit.
17. Specialiter Socij, seu Discreti, qui simul cum Prouincialibus, aut Prouinciarum Superioribus Capitulorum generalium Gremiales sunt debent etiam prædictas conditiones habere. Item cum habere dignitates, vel personatus, quibus animarum cura non subest ad minus requiratur ætatem 22. annorum, vt docet Concilium Trident. *sess. 24. cap. 12.* huiusmodi autem Socij, seu Discreti personatus quidam sint, ideo prædicta ætas pro ipsis ad munus necessaria, maximè cum habeant vocem actiuam in electionibus, quæ ex eodem Trident. *sess. 22. cap. 4.* Ordinem

Summa Lexana. Tom. II.

- Subdiaconatus requirit qui ante prædictam ætatem non conceditur. Rodriguez *tomo 1. quest. Regul. quest. 15. art. 2.* Non possunt illegitimi non habita prius dispensatione eligi in Socios, seu Discretos pro Capitulis generalibus. Ratio est non solum quia sunt personatus, qui illegitimis concedi non possunt iuxta *cap. fin. de filijs presbyterorum*, sed etiam quia prædicti Socij, vel Discreti etiam debent habere vocem passiuam ad prælaturas, dignitates, & personatus Ordinis, quorum sunt incapaces illegitimi, iuxta *cap. 1. & fin. de filijs presbyterorum* Rodriguez *tomo 1. quest. Regular. quest. 13. art. 19.* Peitinis *tomo 1. privileg. Minima in Constitut. 2. July §. 29. num. 91.* Generaliter etiam prædicti Socij, seu Discreti eas habere debent conditiones ad id munus, quas singulorum Ordinum statuta requirunt, quæ cum sint diuersæ nequeunt omnes dilucidari, sufficiant ergo conditiones iure communi pro illis designatas recensere. [Nota tamen huiusmodi Socios Priorum, Guardianorum &c. in aliquibus Religionibus sublato esse, vel propter inconuenientia, quæ oriri solent in Conuentibus circa ipsorum electionem. Vnde Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium 5. Maij 1634. concessit Patribus Dominicanis Prouinciæ S. Catharinæ facultatem celebrandi Capitulum Prouinciale sine prædictis Socijs. Apud plures etiam Religiones huiusmodi socij eliguntur per sortes ex concessione Apostolica, prout fit in Congregatione Cisterciensium in Italia ex Gregorio XIII. & in Religione Canonicorum Regularium S. Saluatoris ex Sixto V. Sigismundus de Bononia *de elect. dub. 27. num. 5. & 6. & dub. 113. num. 2.* Qui modus eligendi socios mihi valdè placet si à Sede Apostolica approbatur, ad euitandum rumores qui in electionibus alijs contingere solent. Circa officium, seu munus horum sociorum consulenda sunt statuta Religionum, & Sigismundus *dicto dub. 113.*]
18. Capitula prouincialia, seu Congregat. Prouinciales, eodem modo celebranda sæpius sunt pro Ordinis reformatione, regulæ, ac regularium obseruantiarum perfectiori custodia, morum reformatione, ac controuersiarum decisione, sicut diximus de generalibus capitulis, iure quidem communi de triennio in triennium, iure tamen particularium Religionum, iuxta earum statuta, & constitutiones. Vnde pari modo de illis respectiue, ac de Capitulis, seu congregat. generalibus Philosophandum est. Possunt ergo condere leges, statuta, & decreta perpetuò duratura pro Prouincia, obligantia Fratres omnes Prouinciæ, Prouincialem quoque ipsam Prouincialem eligere, deponere, punire, ipsius auctoritatem minuere, & augere, omniaque facere, quæ ipse prouincialis facere posset. Quæcumque priuilegia etiam Apostolica Fratribus concessa, limitare, restringere, & etiam omnino tollere, reseruare casus aliquos propter graua crimina. Non tamen imponere noua statuta arctiora, quæ simpliciter sint supra Regulam. Nec præcipere, aut ordinare aliquid contra ius commune, bene tamen illud declarare, & innouare, ac pœnas adiungere. Quæ omnia à simili constant ex dictis de auctoritate capitulorum generalium.
19. Ejicere autem professos etiam incorrigibiles, aut designare Patres de quorum consilio eiciantur non est munus prouincialis capituli, nec ad hoc pertingit eius auctoritas. Etsi enim propter varia Religionum priuilegia id olim facere posset, modo tamen omnia prædicta priuilegia reuocata, & annullata sunt à Sac. Congreg. Concilij in decretis de Apostatis, & eiectionibus supra relatis, vbi totum hoc negotium remittitur soli Generali de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionibus eligendis in singulis capitulis, vel Congregat. generalibus, iuxta dicta supra *num. 8.*
20. Habent item capitula prouincialia Religionum in Indijs auctoritatem dandi licentiam suis Fratribus, vt officium Parochi exercent, Sacramenta ministrando &c. in quo etiam includitur facultas prædicandi, sepeliendi Indos, asportandi eorum corpora cruce alta, & habendi scholas puerorum. Sic. n. concessit Pius V. ad instantiam Philippi XI. Hispaniarum Regis. Rodriguez *tomo 1. quest. Regul. quest. 35. art. 1. & q. 41. art. 1.* Vbi etiam de alijs priuilegijs Capitulorum Prouincialium Mendicantium in illis Indiarum partibus, quæ non refero, quia dubium mihi est, an ea

ſunt

- sunt viuz vocis oraculo concessa, quia si talia sint nihil hoc tempore valent.
- 21 Possunt etiam generalis; & prouincialis cum capitulis generalibus, prouincialibus, seu intermedijs iuxta tenores priuilegiorum suis Ordinibus concessorum, si talia illis fuerint ante tempora Gregor. XIV. concessa, vsu recepta, nec reuocata, cum illegitimis dispensare ad honores, gradus, & dignitates obtinendas, cum illis tamen quos suffragantibus meritis dignos indicauerint. Ita enim concessit ipse Gregor. XIV. anno 1591. in Bulla *Circumspecta* in 2. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 3. Cum enim Sixtus V. Constitutione *Cum de omnibus* anno 1587. edita quam aliquatenus moderatus est sequenti anno alia Constitutione *ad Romanum* illegitimos ad gradus, honores, & dignitates inhabiles declarauerit, nec posse cum eis dispensari nisi à sola Sede Apostolica non obstantibus quibuscumque priuilegijs Religionibus concessis, postea Gregor. XIV. has Sixti Constitutiones modo dicto moderatus est, vt etiam dictum manet *tomo 1. cap. 18. num. 60.* Rodriguez *tomo 1. quest. Regular. quest. 13. artic. 6. & 9.* [Fauet Sigismundus de Bononia *de elect. dub. 76. num. 4.* vbi etiam *num. 5.* quid intelligatur nomine intermedij capituli.] Nomine autem capituli generalis, prouincialis, seu intermedij capituli probabile est non intelligi totum capituli corpus, seu omnes Gremiales, sed solum Definitorium, tum quia quod Definitorium agit à toto capitulo actum dicitur, tum quia cum dispensatio cum illegitimis negotium sit requiritur secretum cum eius reuelatio aliquando infamiam, & scandalum parturire soleat, credi oportet nomine capituli cum quo generalem, vel prouincialem dispensare posse eum illegitimus vult Pontifex, intelligi posse solum Definitorium. Rodriguez *tomo 1. quest. Regul. quest. 13. art. 9.* Electo autem aliquo illegitimo in Prælatum, vel similem officium in aliquo capitulo generali, prouinciali, vel intermedijs, si ibi sit generalis, vel prouincialis potentes illum habilitare, habilis, & dispensatus saltem in foro conscientie debet reputari ipsa electione, si eligentes sciant eum esse illegitimum. Ratio est, quia cum eligere illegitimum in Prælatum non præmissa dispensatione sit peccatum mortale credendum est electores cum illum eligunt, cum ipso dispensare in tali impedimento, ne dicamus ipsos peccasse mortaliter. Rodriguez *tomo 1. quest. Reg. q. 13. art. 6.* Port. *in dub. Regul. v. illegitimus num. 7.* In foro autem externo nec illegitimum istum manere dispensatum, nec electionem validam esse, tenent plures, propter differentiam quæ est inter Papam, & Prælatos inferiores, nam Papa præbens aliquid ei quem scit iure humano ad id inhabilem ipso facto sine expressione dispensationis censetur habilis, non sic Prælati inferiores. Nauarr. *in Man. cap. 25. num. 74.* Rodriguez *tomo 1. quest. Regul. quest. 13. art. 16.* Rem tamen aliorum iudicio relinquo, inclinor enim valde ad credendum prædictum illegitimum etiam in foro externo mansisse dispensatum tacita, & virtuali dispensatione, alias dicere cogemur in foro externo peccasse mortaliter electores qui eum scientes esse illegitimum in Prælatum elegerunt. Quomocumque autem dispensatio fiat cum illegitimo requiritur causa rationabilis, puta, quod sit nobilis, literatus, bonus Religiosus, vtilis Religioni &c. Tum ex verbis Gregor. XIV. adductis *suffragantibus meritis*, quo denotat sine meritis cum eo dispensari non posse, tum ex generali regula, quod ad dispensationem semper requiritur causa, vt dictum est *tomo 1.* Videtur etiam requiri quod ipse illegitimus explicet qualitatem illegitimitatis, si videlicet sit spurcius, naturalis, sacrilegus, incestuosus, quia istæ conditiones possunt faciliorem, & difficiliorem reddere dispensationem. Rodriguez *tomo 1. quest. Regul. quest. 13. art. 17.* Portel. *in dub. Regul. verbo illegitimus num. 11.* referens etiam Mirandam. An verò ipsi Prælati sine Capitulis prædictis possint cum illegitimis dispensare, vide dicta *tomo 1. cap. 18. num. 60.* & nota Portellum *in Dub. Regul. verbo illegitimus num. 9.* & 10. afferre aliqua priuilegia pro parte affirmatiua. Sed de illis partum curandum, tum quia forsitan sunt viuz vocis oracula quæ his temporibus nihil valent, tum quia esto non essent talia, reuocata sunt à Sixto V. in prædictis Constitutionibus, & moderata à Gregor. XIV. in Constitutione allata, quatenus solum permittit vsum illorum in Capitulis, &
- cum Capitulis, vt dictum est. Vide Rodriguez *tomo 1. quest. Regular. quest. 13. art. 6.*
- 22 De Congregationibus Prouincialibus intermedijs iudicandum est, ac de Congregationibus generalibus etiam intermedijs, & habent eandem, similem, maiorem, vel minorem auctoritatem, cū Prouincialibus capitulis, iuxta diuersorum Ordinū diuersa statuta, & Constitutiones.
- 23 Debent in quocumque Capitulo Prouinciali, Congregatione, Dieta, vel Conuentu Prælati Religionum mone re suos subditos de obseruantia, & executione litterarum Apostolicarum, & constitutionum, seu Decretorum ad S. Officium Inquisitionis pertinentium, sub penis supra *num. 15.* assignatis, prout habetur ex decreto SS. D. N. Urbani ibidem relato.
- 24 Capitulum etiam conuentuale, illud scilicet quod celebratur ab immediato Prælato Monasteriorum cum Fratribus illius eam auctoritatem, & potestatem habet, quam ipsi concedunt Constitutiones, & consuetudines Religionum. Iure tamen communi loquendo hæc competunt illi. Primò, confunditur cum nomine Conuentus, ita vt quandoque promiscuè nomenclentur, quamuis rigorosè loquendo Conuentus dicatur Religiosorum, Capitulum vero sæcularium. Cardin. *de reb. Eccles. non alien. & in Clem. 1. §. 1.* Ioan. Bertachinus *1. part. Repert. verb. Conuentus.* Ex quo inferitur posse id totum facere Capitulum conuentuale quod facit conuentus, præsertim cum constet ex nobiliori parte Monasterij. Deinde, Capitulum hoc congregare pertinet ad Superiorem, Priorem scilicet, vel digniorem, aut antiquiorem. Bertachinus *vt supra verb. Capitulum.* Potest fieri ex duobus vel tribus tantum Fratribus. Glossa *10. quest. 1. cap. 1. verb. Congregatio,* Bertachinus *vt supra verb. Collegium num. 70.* Sine Prioris sui consensu contrahere, vel aliud facere non potest. Ioan. Andr. *in cap. cum omnes de Const. Paulus de Castro in l. 1. §. in silij ff. ad Trebel.* Succedit Prælati in administratione, & est illius successor. Ioannes de Imola *super Clem. de procuratoribus num. 12.* Spectat ad Præsidentem Capituli Conuentualis legere, & exponere Regulam Ordinis etiam vulgari sermone propter iuniores. Ita enim supponitur in *Clement. ne in agro de statu Monachor. verbis adductis cap. 2. num. 31.* De alijs autem circumstantijs, loco scilicet, vel tempore celebrandi Capitulum hoc Conuentuale, qui possint vel non eidem interesse, culpis Fratrum in ipso disquirendis, & animaduertendis, tum ex dictis, & dicendis de Capitulis Generali, & Prouinciali, tum ex particularibus Religionum Regulis, Statutis, & Constitutionibus, seu etiam legitimis consuetudinibus ipsorum desumi potest quid dicendum.
- 25 Pro electionibus quæ regulariter fieri solent in Capitulis, seu Congregationibus Generalibus, Prouincialibus, seu localibus, attendenda sunt quæ *tomo 1. cap. 15.* dicta manent, quia tamen electiones per scrutinium quasi communes sunt in omnibus Religionibus maxime post Concil. Trident. & huiusmodi electionum conditiones assignatæ sunt *in capit. Quia propter de elect.* ideo accuratius illas iubet expendere, & quæ ex illis substantiales sunt enucleare. Maxime quia, quæ iure Pontificio decernuntur in Titulo *de electione, & electi potestate* circa electionem Canonice Prælatorum Ecclesiasticorum veniunt obseruanda in electionibus prælatorum Regularium. Suarez *tomo 4. de Reliz. tract. 8. lib. 2. c. 5. num. 1.* Castellinus *de elect. canon. Prælat. c. 1. num. 1.*
- 26 Textus autem dicti *c. quia propter de elect.* sic se habet. [Quia propter diuersas electionum formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta proueniunt, & magna pericula imminet Ecclesijs viduatis, statuimus, vt cum electio fuerit celebranda presentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secreto, & sigillatim vota cunctotum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicè in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo intetrecto, vt is collatione habita eligatur in quem omnes, vel maior, & sanior pars Capituli consenserit.]
- 27 Ex quo habetur ad electionem per Scrutinium de qua in præd. cap. *Quia propter* multa esse necessaria. Primum, quod fiat per congregatos in vnum, neque enim sufficit, vt quolibet in sua camera existente fiat electio. Colligitur ex illis

illis verbis *presentibus omnibus*. Secundum quod Scrutatores assumantur per Collegium, non enim debent se ingerere, quia sic redderentur suspecti. Colligitur ex illis verbis *Assumantur tres de Collegio*. Tertium, quod Scrutatores assumantur tres, & non pauciores. Quia in textu dicitur *Assumantur tres*. Quartum, ut dicti Scrutatores sint de Collegio. Id enim exprimitur in textu *de Collegio*. Quintum, ut singulorum electorum vota exquirantur secretè. Id enim etiam exprimitur illis verbis *Qui secreto, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant*. Sextum, ut inquisitio fiat *sigillatim*, ita scilicet ut non accedat suffragatoribus binis, aut ternis, sigillatim quia hoc verbum *sigillatim* habetur in textu. Septimum, ut vota omnium exquirantur. Id enim denota verbum illud textus *vota cunctorum*. Octavum, ut vota exquisita redigantur in scriptis publicis aut privatis. Hoc enim denotatur illis verbis, *& inscriptis redacta*. Nonum, ut vota scripta in communi, id est, in Capitulo publicentur. Sic enim dicitur in textu, *mox publicent in communi*. Decimum ut ista publicatio votorum fiat *mox*, id est, in continenti, nullo actu contrario interveniente post scripturam, & postquam vota fuerint redacta in scriptis, si quidem illa particula *mox* habetur in textu. Undecimum, quod facta vortum, & suffragiorum publicatione statim fiat collatio suffragiorum respectu numeri, meriti, & zeli, ad inquirendum quisnam haberet maiorem, atque saniores suffragiorum partem, quia dicitur in textu, *ut is collatione habita*. Duodecimum, ut dicta collatio fiat *mox* post suffragiorum publicationem, nullo actu extraneo intermisso, ut vult Glossa in d. cap. *Quia propter*. Tertiumdecimum, ut collatione facta fiat electio per unum nomine Capituli. Hoc enim indicatur in textu dum dicitur, *ut is collatione facta eligatur*. Quartumdecimum, ut electio supradicta statim post collationem fiat nullo actu extraneo interveniente. Sic enim videntur intelligi verba illa *is collatione facta eligatur*. Quintumdecimum, ut electio fiat de eos in quem maior, & sanior pars totius Capituli consenserit, ut exprimitur in textu. Decimum sextum, ut electio sit verbalis, neque enim alio modo videtur posse intelligi textus. Decimumseptimum, ut dicta electio solemniter publicetur. Hoc enim etiam insinuant verba textus. Decimum octavum, ut servetur ordo predictorum successuum per ordinem ut numerata sunt, alias non valeat electio. Neque enim sine causa textus predicta omnia modo predicto describit. Ita habet Panormitanus in dicto cap. *Quia propter*, quem sequitur Sylvester in Summ. verb. *electio* 2. num. 12. & recentiores, præsertim Miranda tomo 2. manual. *Prælator. quest. 23. artic. 29*. Qui omnes, Panormitanus præsertim, & Sylvester, volunt has omnes condiciones substantiales esse, etiam assignent alias non substantiales, scilicet primam, quod electioni præfigatur dies, secundam, quod electio quod Scrutatores sint fide digni, tertiam, fiat in Ecclesia de cuius Prælati sit electio, quartam, quod fiat post sepulturam prædecessoris.

28. Circa quæ aliqua animadvertenda sunt, primum, dispositionem huius capituli comprehendere etiam electionem omnium Prælatorum Regularium, ut dictum est, eis enim mortuis, vel deficientibus Ecclesiæ illorum dicuntur viduata, & sine pastore. *cap. ne pro defectu de elect.* Deinde circa illam conditionem de assumptione trium, sufficienter salvari si tribus antiquioribus Capituli hoc munus committatur, usu, & consuetudine Religionis, non designatione, aut nominatione, prout in nostra Religione in praxi servatur. Item circa illa de tribus tantum Scrutatoribus assumendis, non videri de substantia electionis quod sint tantum tres, sed posse esse quatuor, cum per hoc nihil fiat contra finem legis, cui sententiæ fauent duæ declarationes Sac. Congregationis Cardinalium, quas affert Suarez 4. tomo de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 5. num. 10. Item circa illas condiciones de votis singulorum secretè exquirendis, & scribendis, notandum duobus modis accipi posse, primò, ut electores coram Scrutatoribus voce proferant, quem eligunt, & ipsi Scrutatores, vel aliquis illorum id scribat, secundo, ut unusquisque eligentium secretè scribat, vel scriptum deferat suum votum ad Scrutatores. Licet autem prior modus conformior sit decisioni *cap. Quia propter*, verba enim illa

*vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent eum* denotare videntur, & per consequens in praxi observari possit, nihilominus posterior modus conformior est decreto Concilii Trident. sess. 25. cap. 6. ubi electionem Prælatorum dicit fieri debere *per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*, magis enim secretè, & minus publicationis periculo exposita erunt vota, si unusquisque suum votum scribar charactere aliquantulum immutato. Unde iste modus etiam in praxi observari potest, prout in aliquibus Religionibus fit. Præterea circa publicationem votorum, debere fieri ab ipsis Scrutatoribus, vel ab vno alij confitentibus. Circa conditionem de collatione ad sciendum quæ sit maior, vel sanior pars, notandum quod cum Concilii Trident. ut supra requiratur, *ut nomina eligentium nunquam publicentur*, & collatio de saniori parte non possit fieri sine publicatione eligentium, ideo semper maiorem partem præsumendam saniores. Circa 13. de electione faciendâ per unum nomine Capituli, cum non exprimat quis debeat esse ille vnus, quidam dicunt, esse scribam, alij unum de Scrutatoribus, alij verò quod probabilis est, Capituli Præsidentem, vel primam vocem habentem, etenim veluti ex natura rei ad illum videtur hoc munus spectare. Debet autem is dicere: *Ego nomine omnium eligentium eligo te N. in Provincialibus, Priorem, &c.* hoc enim est conformius textui, & ita præceptum observari in Capitulis Provincialibus Ordinis nostri à Reuerendiss. Generali Theodoro Stratio. Vbi autem legitima consuetudine id non fuerit in usu, licet ratione talis legitime consuetudinis permitti possit, introduci tamen debet propter decisionem prædicti capituli *quia propter*, & etiam capitulo *sicut de elect.* De his omnibus Suarez 4. tomo de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 5. Quibus addendum, quod cum in prædicto cap. *Quia propter* nihil dicatur de modo, quo Scrutatores debeant ferre suffragia, credendum est eodem modo, ac alios suffragatores id facturos, ita tamen, ut ad inuicem munus Scrutatorum

29. Ideo autem in prædicto capite mentio non fit de habilitate, seu capacitate eorum qui suffragia habent in Capitulo, quia ex alijs iuribus constat eos debere esse habiles, & liberos ab omni impedimento, censura, vel inhabilitate, de quo tomo 1. cap. 15. Pro cuius maiori luce, & quia circa hoc sæpius controuersia, & contentiones in electionibus oriri solent, notandum primò, quod quando siue vnus, siue plures inhabiles ad electiones admittuntur ignoranter, valida est electio, etiam si post illam constet de eorum inhabilitate, in hoc enim tenet regula illa *utile per inutile non vitatur*, & altera, *factum legitime vitari non debet, licet casus postea eueniat in quo non potuit inchoari* de Regul. iuris Regul. 73. præsertim quia cum in negotijs vniuersitatis tota potestas resideat in his qui habiles sunt, ideo quamuis alij inhabiles ignoranter admisceantur, ij qui habiles sunt totum Capitulum, & legitimum representare poterunt. Innoc. in cap. illa num. 2. de elect. Imola num. 5. Hostiens. colum. 1. Suarez 4. tomo de Religio. tractat. 8. lib. 2. cap. 4. num. 9. Similiter quando admittuntur prædicti inhabiles maiori parte Capituli illorum inhabilitatem sciente, sed est potestas in Capitulo ad dispensandum cum illis, etiam est valida electio, quia censendi sunt virtualiter dispensati ab ipso capitulo, ac per consequens validè elegisse. Ad quod deseruit doctrina tractata tomo 1. cap. 18. num. 65. de Prælato conferente alicui illegitimo aliquod officium; sciens enim subditum habere tale impedimentum, & conferens officium, censetur super illo dispensare, si potest. Sic enim videtur dicendum in præserti. Quando verò à maiori parte Capituli inhabilitatem sciente nec potente ipso Capitulo super inhabilitate dispensare admittuntur isti inhabiles tunc ista est electio, quia tunc habiles non censentur voluisse eligere sine dictis inhabilibus. Innocentius, Imola, Hostiensis, alac, Sylvester verb. *electio* 1. num. 17. in fine. Scio aliquos velle hoc solum verificari in casibus à iure expressis, scilicet de excommunicato in cap. fin. de procur. & de laico in cap. Massana de electionibus. Sed verior, & communior sententia est, quod in omni casu electio in qua scienter admittuntur inhabiles modo dicto est irrita, & nulla.



- 30 Nullus tamen elector potest, aut debet excludi ab electione sub pretextu alicuius inhabilitatis, delicti, aut censuræ, etiam causa pendente, nisi prius fuerit sententialiter condemnatus. Antè sententiam enim in foro externo pro habili habetur. Hostiensis, Ioannes Andreas, & Felinus *cap. minime de accusat. Castellinus de elect. canon. Prælator. cap. 5. num. 1.* [Nec Præter Capituli, aut quicumque alius superior potest id facere propter causam sibi soli cognitam. Propter eandem rationem. Rodriguez *tom. 2. quest. 21. art. 11. Sigismundus dub. 95. num. 8.*] Pecabit tamen elector qui in habilitate aliqua quantumvis occulta affectus accedit ad electionem ab illa inhabilitate non dispensatus, iuxta dicta *tom. 1. cap. 15. num. 5.* Quare, si dum tempore faciendæ electionis, interrogante Præsidente electores an sciant aliquem ex illis habere aliquam defectum, vel impedimentum, propter quod nequeat esse de gremio Capituli, aliquis opponat alij aliquam inhabilitatem, debet, quantum tempus permiserit, fieri inquisitio de ea, & si confessione, vel evidenti probatione constaret veram esse oppositionem, statim debet eijci à Capitulo talis inhabilis, si sine scandalo fieri potest. Si autem constaret certo inhabilitatem illi electori oppositam, falsam, vel nullam esse, retinendus est in gremio sic accusatus. Quando verò res est dubia, cum in dubijs iuuet possessio, & fauendum potius sit reo, quam actori, admitti potest, & debet cum protestatione tamen facta illi, quod scilicet admittitur ad eligendum si, & in quantum appareat postmodum cum debuisset admitti. Panormitanus *in cap. Cumana de elect. Syluester in Summ. verb. electio. 1. q. 15. Peirinis tom. 1. de subdito quest. 1. de Obedientia cap. 31. §. 6. concl. 2.* plures alios referens. Idem dicendum quando inhabilitas obiecta est certa, sed est scandalum si eijciatur talis inhabilis, tunc enim admitti potest cum simili protestatione, ut habent præfati auctores; non tamen sine illa, ne videatur scienter admissus, & sic corruat tota electio. Syluester *ibidem* Vide dicta *tom. 1. cap. 15. num. 7.*
- 31 De Præsidente tam Capitulorum quam electionum, quæ in ipsis fieri solent præter dicta *tom. 1. cap. 15.* illud addendum, ad ipsum tamquam caput, & Superiorem in Capitulo spectare dirigere. Gremiales ad electiones legitime faciendas maxime iuxta decreta Clementis VIII. confirmata à S. Congregatione Concilij sub SS. D. N. Urbano VIII. quæ sunt huiusmodi. [Ut omnis officiorum ambitus occasio præcludatur caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuracione tam pro se ipsis, quam pro alijs, cum in Capitulis locorum tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint præter alias pœnas, & censuras hætenus contra huiusmodi ambientes inflictas quas in suo robore permanere volumus in pœnam priuacionis officiorum quæ obtinent eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit nisi à nobis, vel successoribus nostris, pro qualitate culpæ grauius etiam plectantur. Porro supradictas omnes pœnas ad complere, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.]
- 32 Hoc tamen decreto, & alijs similibus non obstantibus, iuxta dicta *cap. 15. num. 24.* expediens erit, & sæpius necessarium pro bona directione electionis, ad quam procurandam Præsides præcipue tenentur, ut electores instruant, moneant, & hortentur, modeste, charitatiuè, & religiosè, eos etiam suauiter suadendo, & inducendo ad eligendum personam digniorem Capituli, ipsius virtutes veras, & regimini necessarias ostendendo, hoc enim facientes rem Deo gratam, & valde vtilem Religionibus nec contrariam prædictis decretis, aut alijs similibus, facient. Castellinus *de elect. canon. cap. 3. num. 6.* [Nota tamen quod quamuis electores non teneantur stare attestationi, siue testimonio Præsidis quantum ad maiorem, vel minorem idoneitatem eligendorum, maxime si eis constet contrarium, vel credunt illum ignorantia, vel passione duci, in re tamen dubia possunt cum ipso conformari, utpote personæ qualificatæ & melius informatæ de eligendorum qualitatibus, & quia quoad hoc punctum de maiori idoneitate sufficiunt leues probationes, & suspiciones. Ita Sigismundus *supra dub. 95. ex Rotæ decisionibus.*]
- 33 Item ibidem [in Superiorum, & officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concilio Tridentino, & Ordinis Constitutionibus inuolabiliter seruetur, iurentque electores secundum veritatem cuiusque conscientia probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniant, in primis, & ante omnia, prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad officia, gradus, & prælaturas illi præcipue eligantur qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim, quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum commune. Eligantur in Capitulo Generali, vel provinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ saltem tres qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare tam quoad doctrinam, quam quoad mores promouendos ad quoscumque Ordines, in quo seruetur decretum Congreg. interpretum S. Conc. Trid. hac de causa nuper editum, & promulgatum.]
- 34 Similiter quia iuxta Conc. Trid. decretum *sess. 25. cap. 6.* electiones fieri debent per vota secreta ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur. Præsidis munus est curare ut electio omnino secreta fiat. Ut enim præd. *tom. 1. cap. 15. num. 17.* dictum manet, ipsi suffragatores astringuntur præcepto numquam publicandi sua vota etiam electione finita, & si consentiente Capitulo, ve vnus electorum publicè suum votum manifestaret, electio irrita redderetur. Vnde prudenter in aliquibus Religionibus, ut in nostra (præcipiente Reuerendissimo Theodoro Stratio Generali) cautum est, ut electione finita schedulæ votorum statim comburantur, ne ex caractere cognosci possit ille qui votum dedit: imò etiam condito hæc comburendi schedulas post factum scrutinium videtur esse tam necessario requisitas, ut defectus illius irritet electionem, propter declarationem Pij V. apud Rodriguez *tom. 2. Bullar. post Bullas Pij V. inter vnae vocis oracula ipsius num. 4.* Castellinus *de elect. canon. Prælat. cap. 4. num. 62.*
- 35 Præcipue tamen Præsidis munus est curare, ut electiones omnino liberè fiant, de quo *tom. 1. c. 15. num. 21.* Vnde Præses qui post vota recepta credens electum esse aliquem qui sibi non placet, iubet, ut ad aliam electionem procedatur, peccat grauius mortaliter, contra decisionem c. *Quia propter relati*, vbi præcipitur, ut facta collatione suffragiorum fiat electio, id est, ut statim post suffragiorum collationem vnus nomine Capituli eligat illum in quem omnes, vel maior pars suffragatorum conuenerunt. Nau. *lib. 1. consil. tit. de elect. consil. 5.* Portellus *in responsionibus moralibus. par. 2. cas. 16.* Imò in tali casu tenetur Præses ad restitutionem damni illati electo, cum ratione suffragiorum haberet ius ad illam dignitatem, seu officium, de quo fiebat electio. Rebellus *de oblig. iust. 1. par. lib. 3. quest. 2.* Portellus *ut supra.* Similiter grauius peccabit Præses qui ante electionem dixerit ne dentur suffragia tali Religioso quia non esset illum confirmaturus. Hoc enim manifestè est contra libertatem electionis. Portellus *etiam ut supra.* Pariter Præses qui in electione aliqua vitatur præcibus importunis, promissionibus, aut verbis asperis, ut eligatur ver. gr. Petrus, grauius peccabit, & electio nulla erit. Quia præces importunæ maxime Superioris, promissiones, & similia causant inuoluntariam electionem. Sanch. *lib. 4. de matrimonio disput. 10. num. 2. & disput. 7. num. 5. 6. & seq.* Portellus *etiam ut supra.* Item si pacifcatur cum electoribus quod si eligatur Petrus ver. gr. præses condonabit, & non puniet culpas quorundam qui puniri debebant, peccatum simoniæ committet, quia est promissio rei temporalis, scilicet remissionis pœnæ, pro re spirituali, scilicet voto, vel suffragio. Suarez *to. 1. de Relig. lib. 4. cap. 37.* Lessius *de iust. lib. 2. c. 35. dub. 21. num. 19.* Portellus *ut supra.* Præterea si faciat pactum cum aliquo dicendo, da tu huic suffragium, & ego illud tibi dabo, si moniam committit: sit enim clara pactio, seu conuentio in materia beneficiorum, seu quasi beneficiorum, qualia sunt Prælati in Religionibus, quod iure Canonico veluti simoniacum est prohibitum, iuxta dicta *tom. 1. cap. 15. num. 29.* Excusari tamen potest si illa solum dicantur non

per modum pacti, sed per modum demonstrationis rei futurae faciendae gratiosae, & non ex conuentione. Rodriguez *tomo 3. quest. Regul. q. 63. art. 4.* Portellus *in Dub. Regul. verbo simonia, num. 1.* Quo sensu, & non alio intelligi potest id quod docent aliqui in contrarium. Quos tacito nomine refert, & sequitur Sanchez *tomo 1. consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 44.* Sed neque huiusmodi oblationes rei futurae admitti debent, tum quia simoniam sapiunt, tum quia subornationis speciem praefertunt, illis enim alliciuntur Religiosi ad dandum suffragium alijs, quod alias non facerent. Villalobos *in Summ. tomo 1. tract. 37. diff. 21. num. 1.* Diana *tract. 2. de Dub. Regul. resolut. 125.* Facilius tamen permitti possunt in praesidentibus capitulorum, si fiant non per modum pacti, vt dictum est, nec per modum subornationis, sed ad sedandos animos quorundam, & procurandum quiete, & pacifice digniorum electiones. Vt si praedicti praesides ad quos spectat dirigere electores ad digniorum electionem alicui reuenerunt dare suffragium digniori dicant, da huic votum pro hoc officio, quia in alia occasione tibi prouidebitur, vel tui cura habebitur, &c.

36 Propter praedictam causam, videlicet conseruandae omnimodae libertatis in electionibus dubitant aliqui an licita sit consuetudo quarumdam Religionum, quod scilicet Generales, vel eorum Commissarii assistant electionibus praetorum inferiorum. Nam electores ob timorem reuerentialem Generalium, vel Commissariorum ipsius suffragia dabunt non ad suam, sed ad praedictorum supremorum praetorum voluntatem. Castellinus *de elect. canon. cap. 14. num. 61.* Verumtamen si praedicti praesidentes sinant electores liberè omnino suffragia dare prout debent facere iuxta dicta, conueniens satis est, vt sint ex grauioribus partibus Religionum, vt auctoritate qua pollent dirigant dictos electores ad faciendum electiones canonicè, pacificè, & iuxta Ordinum statuta.

37 Non decet praesidem Capituli in eo eligi ad aliquod officium. Tum quia ob timorem, & reuerentiam ipsius electio non erit omnino libera. Tum quia praesumeretur fraus, & dolus. Miranda *in manual. tom. 2. quest. 22. art. 7.* Castellinus *de elect. canon. cap. 13. à num. 30.*

38 Tenetur praesides Capitulorum Regularium quære annuatim suos Religiosos fugitiuos, aut eieetos. Ita enim decidit *in capit. fin. de Regularibus* quod esto vsu receptum non fuerit prius, quia tamen à Sac. Congregat. Concil. sub SS. D. N. Urbano VIII. innouatum est in decreto *de Apostatis, & eiectis*, ideo obligat ad sui obsequiantiam iuxta dicta, *tomo 1. cap. 23. num. 7.* Imò in iure naturali stando, & secluso quocumque positio, tenentur tam praedicti praesides in Capitulis cum in illis praecipue agendum sit de profectu spirituali Religiosorum quam alij praelati praefatos fugitiuos quære, & iuxta Regulæ, & Constitutionum praescriptum corrigere, & punire, & reuocare eieetos si spes emendationis in illis subsit. Vide Sanchez *lib. 6. in decal. cap. 9. num. 18.*

39 Circa Confirmatorem etiam electionum id notandum, praeter dicta *tomo 1. cap. 15. num. 35. & 36.* quod etiam quando electores iurantur se electuros digniorem (prout debent iurare, iuxta dicta eodem *cap. 15. num. 15.*) si tamen dignum, etsi minus dignum, elegerunt, tenetur Confirmator illum Confirmare. Ratio est, quia talis electio in foro externo valida est (esto electores fuerint perituri in illa) ergo confirmanda, quia confirmatio cum sit actus externus electioni in foro externo valida conformari debet. Couarrubias *Reg. peccatum 2. part. §. 7. num. 4.* Sanchez *tomo 1. consil. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 6. num. 3.* Quod intellige secundum ius commune, si enim iura particularia Religionum statuunt Confirmatorem posse cassare electionem digni, si viderit dimissum esse digniorem, prout dicitur esse in Ordine Praedicatorum, poterit id fieri. Salon *2. 2. questio. 63. art. 2. ad 3. controuers. 3.* Sanchez *vt supra num. 4.* Hoc tamen intelligo si euidenter constaret relictum esse digniorem, alias enim ad euitandas lites, & contentiones melius esset confirmare electionem digni, si- cut iure communi est licitum, & conformare se Confirmatorem electoribus. Confirmare autem indignum nullo pacto licet Confirmatori, iuxta dicta eodem *cap. 15. num. 36.* & videtur à simili de Episcopo confirmante indignum

incidere in penas *capit. cum in cunctis de elect. §. fin.* Sanchez *vt supra num. 27.*

40 Electio quæ non fuit ritè, & legitime facta confirmari nequit, quia vt habetur *ex cap. inter dilectos de fide instrum. §. cum ergo*, cum Principale non tenet nec accessorium tenet, Confirmatio autem est iuris prius habiti per electionem corroboratio, vnde est quasi accessorium. Peirinis *tomo 1. de subdito quest. 1. de obedientia cap. 21. §. 11. in 2. probat. 8. concl.* Castellinus *de elect. Canonica Praetorum. capit. 14. num. 5.* Vnde talis confirmatio irrita est, sicut & ipsa electio, propter eandem rationem. Peirinis *ibidem conclus. 8.* Quare Confirmatoris munus est considerate processum siue formam electionis, & modum in ea seruatum, ac disquirere an aliquis defectus in electione fuerit ratione cuius irrita sit, & nulla, ac per consequens non confirmanda. Castellinus *vt supra num. 6.*

41 Extat tamen quoad hoc notabile priuilegium Ordini Praedicatorum concessum ab Alexandro IV. & Sixto IV. quod scilicet quando electio facta de Prouinciali, aut Priore ex aliqua causa non contingeret confirmari, posset Superior ad quam confirmatio talis electionis pertinebat, idest Confirmator eligere aliquem de illis Fratibus quos ipsi electores, vel maior pars eorum per litteras suas ab eo petierint quando ad ipsum pro electi confirmatione transmitterent. Castellinus *de elect. Canonica Praetorum. capit. 2. num. 6. & 12.* Quo priuilegio tam Praedicatores quam alij Mendicantes, & cæteri, qui cum ipsis communicationem priuilegiorum habent potiri poterunt. Nisi obstant Constitutiones, & statuta particularia illorum, aut tali priuilegio scienter renunciauerint, aut eo vsi non sint illius habita scientia, iuxta dicenda *capit. 15. num. 17.*

42 Tempus trium mensium conceditur iure communi confirmatori ad disquirendum de validitate electionis *c. quam sit de elect. & electi potest in 6.* Castellinus *de elect. Canonica Praetorum. capit. 14. num. 11.* Quando autem interponitur in forma debita appellatio, ne ordinarius confirmator procedat ad confirmationem iam secutæ electionis, ad Papam, nequit ordinarius confirmator confirmare durante praed. appellatione *cap. si postquam eodem titul.* Castellinus *vt supra num. 4.*

43 Electio illius qui requisitus ante electionem consentit electioni de sua persona faciendae priusquam fiat, est cassanda. Ita enim colligitur *ex capit. cum post petitam de elect. & elect. potestate.* & ratio decisionis est quia talis praesumitur enormiter ambitiosus. Syluester *in Summ. verb. electio 1. num. 11.* Castellinus *de elect. canon. Praetorum. c. 4. n. 6.* post alios. [Electio etiam per dolum, aut fraudem qualis contingeret in casu quo Praesides electionis paulo ante ipsam abstulerit aliquos Gremiales de Conguentu, vel posuerit in ipso alios de nouo ad dandum suffragia, non debet confirmari. Quia fraus & dolus nulli debet patrocinari, *cap. Sedes Apostolica, de rescript. & cap. Ex litteris, de dolo & contumacia.* Portellus *in Responsionibus moral. tomo 2. casu 74.* addens à tali electione antequam fieret potuisse appellare quemcumque Religiosum cui interesset talis electio. *canon. Non solent, questio. 6.* Vide quæ dico *3. tom. verbo Appellatio & Appellare num. 22. & 4. to. in Relectione circa validitatem cuiusdam capituli dubio 1.*]

44 Similiter electio facta per sortes Confirmari non potest. Quia est irrita, & nulla, Tum *ex capit. finali de sortilegys*, vbi dicitur *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Tum quia esto quod ex vi praedicti *capitis fin.* electio non sit irrita, prout aliqui probabiliter tenent, tamen quia est contra formam *capit. Quia propter de elect.* vbi assignatis duobus modis electionis, scilicet per scrutinium, & per compromissum de quibus *tomo 1. capit. 15. num. 11.* dictum manet, subiungitur, *Aliter electio facta non valeat.* Tum denique quia ita credo, esse receptum in omnibus Religionibus maxime post decretum Concil. Tridentin. *sess. 25. capit. 6.* Suarez *tomo 1. de Religio. libro 2. de superstit. capit. 12. num. 9.* Castellinus *de elect. canon. Praetorum. capit. 4. numero septimo.* An autem quando electio non fuit facta per sortes, sed per suffragia secretæ, nihilominus electores ante ipsam conuenerunt vt is postea eligeretur, in quem fors ceciderit, & missis sortibus illum elegerunt

runt super quem fors cecidit, an inquam hæc electio sit irrita, vel irritanda, vel non confirmanda maius dubium est. In quo credo dicendum talem electionem in se irritam non esse. Ratio est, quia ipsa in se formaliter, ut ita dicam, sine sortibus facta est, sortes enim antecesserunt illam, si ergo alias nullo alio defectu vitata fuit, irrita non erit. Confirmatur, quia Pontifex in dicto *cap. fin. de sortileg.* dicit se confirmare electionem pariter factam per sortes antecedentes ipsam, quod autem confirmatur supponitur non esse irritum, aut nullum. Fauet Suarez *ut supra num. 10.* dum inquit non omnem actionem ordinatam ad electionem factam per sortes esse irritam. Nihilominus puto irritandam prædictam electionem, nec à Confirmatore confirmandam, Tum quia esto in se libera fuerit, & sine sortibus, ab illis tamen dependens fuit, & illis innixa. Tum quia fuit ex pacto, & conventionione hac facta inter electores, si fors ceciderit super te, dabo tibi suffragium meum, si super me dabis mihi suffragium tuum, quæ aliquo saltem modo simoniam redolent, iuxta dicta *tom. 1. cap. 15. num. 29.* Fauet ad intentum glossa in *d. cap. fin. de sortileg. verbo ad gratiam*, ubi inquit electionem de qua in præd. cap. quæ ut dixi facta est sortibus antecedenter missis, debere cassari, & propterea Pontificem dixisse electionem factam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus. Maximè tamen fauet Castellinus *ut supra* dum asserit quæcumque electionem prælatorum in qua, siue ante, siue post, siue in ipso actu electionis admittitur usus sortis esse ipso iure nullam. Adminus tamen prædicti electores sunt grauius puniendi, tum propter dicta, tum quia faciunt electionem vt minimam dubiam, tum quia sorti committunt quod ipsi magna discretione deberent facere.

45 Electio facta ex vi renunciationis alicuius prælaturæ antequam fuerit acceptata à Superiore illius qui renunciauit, nulla est atque irrita, ac per consequens nullatenus confirmanda. Ratio est, quia prælatura non vacat ex vi solius renunciationis antequam acceptetur. Riccius in *praxi rer. quotidianarum tomo 3. resolut. 399.* Castellinus *de elect. canon. Prælat. cap. 4. num. 60.* post multos alios.

46 Electio in qua est electus, qui causam scandali præbitus est in populo illius loci cui præficiendus est in prælatum venit annullanda, & cassanda. Ex decisionibus Sacræ Rotæ quas refert Castellinus *de elect. canon. cap. 4. num. 67.* Qui etiam *num. 58.* asserit electionem usurarij, publici aleatoris esse ipso iure nullam. Vnde talium electio confirmari non debet.

47 Electio facta per abusum sæcularis potestatis irrita est, & nulla, ac per consequens non confirmanda, & consentiens tali electioni ineligibilis est, nec absque dispensatione ad aliquam dignitatem eligi valet. Electores quoque ab officijs, & beneficijs suspenduntur per triennium, eligendi potestate priuati. Ita enim habetur *cap. quisquis de elect.* Ea porò electio dicitur per abusum sæcularis potestatis facta, quæ fuit facta per interuentum Principis, seu potestatis sæcularis siue ad instantiam sæcularis potestatis. Bellamera *1. part. p. lib. decretal. sup. hoc capite.* Castellinus *de elect. canon. capit. 5. num. 33. & 34.* [Nota etiam videri electionem fieri per abutum sæcularis potestatis, cū electores Principis, aut sæcularis potestatis præsentiam requirerent, vel eius consensu super eligendis certis personis, vel aut aliquod munus in ea exerceret. Ita Sigismundus de Bononia *de elect. dub. 53. num. 1.* post Innocentium, Panormitanum, Suarez, Alterium, & alios. Vbi etiam alia ad intentum.]

48 Potest electus canonicè in Prælatum confirmationem à confirmatore petere siue nota ambitionis. Quia habet ius ad Prælatum ad quam est legitime electus. Io: Andr. in *cap. publicatio de elect. Mandagot. 2. part. sui tractat. de elect. cap. 59.* Si tamen importune, & affectuose iuster confirmationem non effugiet saltem apud homines ambitio si notam, cum onus humeris Angelicis impar subire tam obnoxie procurer. Castellinus *de elect. canon. Prælator. cap. 14. num. 65.*

49 Decretum electionis, quod ab aliquibus vocatur scrutinium, ab alijs vero acta Capituli, & est scriptum continens seriem, siue formam electionis celebratæ cum expressione nominis electi, & numeri eligentium, mittendum

est ad confirmatorem, si sit absens, vt videat an electio confirmanda sit necne. Est enim adminus de solemnitate electionis. Mandagotus *de elect. 1. part. capit. 38.* Castellinus *de elect. canon. Prælat. capit. 12. num. 30.* Prædictum autem decretum siue testimonium authenticum, litteræ testimoniales, aut fide digni testes de prædictis dici possunt de necessitate electionis prout confirmande. Quomodo, n. Confirmator confirmare potest electionem absens, nisi aliquo ex prædictis modis illi constet fuisse ritè, & legitime factam? Quando autem Confirmator præsens est, neutrum illorum est de substantia electionis, aut confirmationis, cum siue illorum aliquo possit Confirmatori constare electionem esse legitime factam. Syluester in *Summ. verb. electio 1. num. 21.*

50 In gratiam quorundam Regularium, in quorum Capitulis aliquando creantur Prælati solum per postulationem, notandum ex Abbate in *Rubr. de postulatione*, quod postulatio est quædam gratia petitio facta Superiori de promovendo aliquem ad Prælaturam, ad quam iure communi propter defectum aliquem eligi, seu promoveri non poterat. Vnde licet electio larè sumpta comprehendat postulationem, vt colligitur ex *c. vn. de postul. Prælat. in 6.* & sub nomine electionis generaliter sumptæ cadat postulatio (Panormit. in *cap. in causis de elect. num. 2.*) nihilominus differunt primò quod per postulationem potest postulari aliquis qui per electionem eligi non potest, ver. gr. illegitimus. Constat hoc ex *cap. innotuit nobis de elect. & electi potest.* Castellinus *de elect. canon. Prælator. capit. 1. num. 12.* Differunt secundo quod per electionem Canonicè factam consentiunt electores in electum tanquam in sponsum Ecclesiæ, ad quam eligitur, per postulationem vero solum dirigunt vota sua ad Superiorem, vt ex gratia postulatum admittat. Panormit. in *tit. de postul. prælat. in princip. Syluest. in Summ. verb. elect. 2. num. 3.* Tertio differunt quod postulatus ex vi postulationis nullum ius adquirit ad Prælaturam, bene tamen electus. Panormit. *cap. postulationem de postul.* Castellinus *ut supra. num. 16. & 17.* Requiritur ad postulationem multa. Primum, quod fiat ab ijs, qui postulare possunt. Secundum, vt porrigatur illi, qui eam admittere potest. Tertium, quod fiat de eo, qui promoveri potest. Quartum, quod sit concursus, id est, ab omnibus Gremialibus Capituli, vel saltem à duabus partibus. Syluester in *Summ. verb. postulatio prælat. num. 2.* Angelus in *Summ. eodem verb.* Illi postulare possunt, qui possunt eligere. Syluester *ibid. num. 4.* Angelus *ibidem num. 2.* post Hostiensem, Cui postulatio fieri potest est ille, qui potest dispensare in defectu, vel impedimento, quod habet postulatus, vt si is est illegitimus, vel carens perfecta ætate ab eo porrigi debet postulatio pro ipso, qui porruerit in huiusmodi defectibus dispensare. Syluester *num. 5.* Angelus *num. 1.* Illi autem promoveri, seu postulari possunt, qui non habent aliquem defectum indispensabilem ab eo cui porrigitur supplicatio. Quare indigni postulari non possunt. Mandagotus in *tractat. de elect. Prælat. 1. part. cap. 53.* Castellinus *de elect. canon. Prælat. cap. 1. num. 9.* Nec irregulares, aut homicidæ, nisi pœnitentiam egerint. Mandagotus *ibidem.* Idem dico de criminosis, puta periujs, & inobedientibus. Syluester *num. 7.* Angelus *dicto v. postulatio.* Postulari etiam non possunt, qui non fuerint in Religione professi, nisi necessitate cogente, & casu quo essent instructi in Regula Ordinis. Syluester *ut supra Tabiena in Summ. verb. postulatio num. 3.* Apud quos etiam de alijs, qui postulari nequeunt.

51 Ex postulatione autem i effectus nascuntur. Primus, quod postulatus admissa postulatione ab eo cui porrigitur cum conditionibus assignatis, statim consequitur ius ad Prælatum, ac si fuisset electus, & confirmatus. Panormit. in *cap. 1. de postul. Angelus in Summ. verb. postulatio n. 4.* Tab. in *Sum. eodem v. n. 6.* Vnde non indiget alia electione, vel confirmatione. Angelus, & Tabiena *ibid.* Syluester in *Summ. verb. postulatio num. 6.* Secundus effectus est, quod casu quo postulatio cum electione concurrat, licet cæteris paribus electio præponenda sit postulationi, si tamen postulatio habet duas tertias, seu duas partes ex tribus Capituli, electio autem non nisi maiorem partem, tunc postulatio præponitur. Ita enim colligitur ex *capit. scriptum est de elect.* Glossa *ibid. v. maiorem, Tab. in Sum. ut supra num. 2.*

num. 2. Similiter postulatio facta concorditer ab omnibus, vel saltem à duabus partibus ex tribus non potest rejici à Superiore, nulla legitima electione existente. Panor. titulo de postul. capit. postulationem num. 2. Castellinus de elect. canon. prelat. cap. 2. num. 3.

52 Cum autem, ut dictum est, iure communi permissus, & licitus sit modus creandi praelatos per postulationem, ideo non solum in Religionibus ubi is usus introductus est, sed etiam in alijs ubi non est introductus, recipi potest, nisi obstant Constitutiones à Sede Apostolica approbatæ, quæ hunc modum instituendi Praelatos reprobent.

53 Est etiam alius modus creandi, seu instituendi praelatos, qui vocatur Nominatio, quæ etiam largo modo potest dici electio, quia qui nominat alium prius ipsum mente elegit. Panor. in cap. quod sicut de elect. in notab. Tab. in Summ. v. postulatio num. 7. Quamuis autem triplex vocetur huiusmodi Nominatio, illa tamen quæ dicitur solemnitas, & est propriè Nominatio, est quando duo, vel plures nominantur Principi, ut ex eis eligatur vnus. Tabiena *ibidem*. Similiter est Nominatio quando omnes concordant in aliquo eligibili assumendo, & vadunt ad eum, à quo petendus est consensus, scilicet ad Superiorem, & requirunt eius consensum, ut cum ipso dispenset. Glossa 7. in cap. bona memoria de postulat. Praelator. Castellinus de elect. canon. prelat. cap. 2. num. 14. Sed Syluester in Summ. verb. Nominatio, eam esse dicit, quando duo, vel tres, qui sunt solemniores in Capitulo, vel alibi, nominantur Superiori, & petitur, ut de aliquo eorum provideat. De hac autem Nominatione loquendo videtur aliquod ius per illam adquirei nominatis. Syluester *ibidem*. Vel ad minus non posse nominantes variare postquam Superiori est presentata Nominatio. Tabiena, & Syluester *ut supra*. Qualiter differat, vel conueniat is modus creandi Praelatos cum electione, vel postulatione ex dictis facile conijcitur. Similiter an possit, vel non esse in vsu Religionum, constat etiam ex dictis, cum iure communi sit permissus, & in vsu aliquorum Regularium.

54 Pro praxi autem celebrandi Capituli Prouincialis in nostro Ordine Reuerendis. Generalis Theodorus Stratus formam hanc breuem ex Sacris Canonibus, & Ordinis constitutionibus compilatam fecit, quam etiam Præsidentibus Capitulum obseruandam transmissit, & in posterum transmittendam curabit. Hanc ergo hic placuit adiungere, etsi enim pro nostris solum edita sit, alijs tamen Religionibus inutilis non erit.

### Modus celebrandi Capitulum Prouinciale in Ordine Carmelitarum.

55 **P**rimò loco sciendum, quòd ad patrem Prouincialem pertinet tertio suæ functionis anno conuocare capitulum prouinciale Dominica 3. post Pascha Resurrectionis celebrandum, nisi P. Ordinis disposuerit de præsidente, cum expressa facultate conuocandi Capitulum. Celebrandum est autem capitulum ex prioribus, & Vicarijs Conuentuum electis, vel legitime institutis, & eorum Socijs ritè à Conuentibus electis, cum Prouinciali officium deposituro, & suo Socio visitationis, nec non cum præsidente, & socio per eum eligendo, qui vnus tantum esse potest, quamuis præsens à patre Generali fuerit institutus etià cum Compræsidente. Quod pariter intelligi debet de præsidente auctoritate Apostolica in forma communi confirmato, quia confirmatio in forma communi nullum ius nouum tribuit, cum non sit ampliatio, sed corroboratio iuris quæ sit, faciatque rem confirmatam auctoritatis maioris, & quòd magis timeatur.

Postunt etiam interesse Capitulo Prouinciali Magistri in Sac. Theolog. qui promotionem tenuerunt per Ordinem sibi factam, complendo cursus suos secundum statuta Ordinis in prouincia, in qua collocati fuerint. Socij quoque prouincialis, qui electi fuerint pro Comitijs Generalibus celebrandis locum habent, & vocem in capitulo prouinciali ipsa Comitija Generalia sequenti, esto, quòd

Summa Lezana. Tom. II.

illis non interfuerint, modo ostendant, quòd legitimo impedimento non valuerint interesse. Et similiter P. Prouincialis, aut Vicarius Prouincialis absolutus in Comitijs Generalibus immediatè præcedentibus, necnon Vicarius electus in custodiam Prouinciæ pro absentia Prouincialis ituri ad Comitija Generalia, quamuis ipse Prouincialis non accesserit, sed prouinciam custodierit. Est etiam de gremio capituli prouincialis electus quoad eam, quæ post eius legitimam, & canonicam electionem fieri contigerit.

Et quia in Congregationibus, in quibus non est ordo, plerumque multa tumultuosè fiunt, & dissensiones suboriuntur, ne in Capitulis Prouincialibus sit inter Gremiales vlla confusio, & contentio, primum in sessionibus locum tenebit P. Præsens, secundum prouincialis ab officio absoluendus, etiam postquam absolutus fuerit, & prouincialis electus post publicatam eius electionem, qui prouincialem ab officio absolutum præcedet: tertium Diffinitores, & si admissi fuerint aliqui ex gratia in Diffinitorio, vel ob longam consuetudinem, vel ob aliquod statutum particulare prouinciæ, isti cedent locum Diffinitorijs ordinarijs: quartum magistri in Theologia: quintum priores locales non magistri: sextum socius præsidentis, & post eum Socius Prouincialis officium deposituri, nisi fuerint magistri, & vltimum locum socij priorum, si similiter non fuerint magistri.

Vigilia vigiliæ, scilicet die Veneris, si nondum consistit de præsidente cum facultate conuocandi, & celebrandi Capitulum à patre Ordinis constituto, de mandato prouincialis statim post decantatas Vesperas per sonum campanellæ ter pulsata, fiat signum Congregandi Capitulum, quò audito omnes Fratres conuenient ad locum deputatum, & eis confedentibus, prouincialis verbum habebit oportunitum, quò expleto, presentabuntur, & publicabuntur litteræ patris Ordinis, si quæ datæ fuerint, virtute quarum aliquis sit institutus præsens, qui statim pro tali ab omnibus est habendus, illique debita præstanda Obedientia, primò à prouinciali, deinde ab alijs successiuè. Qui præsens deinceps suo fungeret officio. Ante publicationem autem litterarum Generalis, nullo modo rebus ad Capitulum pertinentibus se immiscere, vel vllam præminentiam præterdere poterit. Quod si nullæ fuerint litteræ patris Ordinis presentatæ prouincialis prouinciabit, & declarabit præsidentem primum, & maiorem ex Diffinitorijs præcedentis Capituli si fuerit Magister, nullo Diffinitore existente magistro, antiquiorem magistrum in prouincia.

Post hæc P. Præsidentis eligit sibi socium, quem maluerit, non habentem Canonicum impedimentum, qui tamen prius non dederit suffragium in electione Socij alicuius prioris ituri ad idem Capitulum. Qui Socius poterit etiam deseruire pro Secretario Capituli, licet P. Præsidentis facultatem habeat nominandi alium Secretarium, quem magis idoneum ad tale munus iudicauerit. Qui tamen, nisi aliàs fuerit de Gremio, non habebit locum, & vocem in Capitulo; cum enim eius officium sit nudum Ministerium, potest esse extraneus, & etiam laicus. Præstabit, iuramentum Secretarius de officio suo fideliter peragendo. Deinde P. Præsidentis notificabit Gremio nouæ electionis prouincialis die crastina futuræ causam, vel ex completo officio, vel ex assumptione, vel morte, vel ex priuatione, vel ex renunciatione, vel ex quacumque alia, & quòd ad implorandum diuinum auxilium pro negotio tam graui ritè peragendo pernecessarium, præcantanda est Missa de Spiritu Sancto, omnesque Gremiales debent, & tenentur Sacrum facere, vel saltem Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento refici.

Deinde cum consilio Diffinitorum faciet officialium Capituli tabulam, instituendo scilicet & nominando Priorem ipsius Capituli, Superiorem, seu moderatorem chori, Concionatores, publicarum conclusionum defensores, causarum criminalium, & ciuiliu Auditores, admitteudorum ad Confessiones, & ad studia, promouendorum ad gradus, & ad Ordines, & recipiendorum ad habitum Religionis examinatores, librorum reuifores, & cursores Capituli. Qua coram gremialibus lecta, vnumquemque officialem ad munus sibi impostum perficiendum

dum adhortabitur, eamque in loco publico effigi curabit. Poterit etiam eadem die, si gremio placuerit, pro prima sessione, & actione capitulari, vna cum Diffinitoribus examinare litteras Sociorum Priorum, necnon eorumdem priorum culpas audire, atque accusationes, & informationes contra eos captas, & presentatas recipere, & si que ab eis culpa fuerint confessæ, vel per tam sufficientem testium depositionem probatæ, quod eis nulla competat apparens defensio, propter quas culpas secundum statuta Ordinis, seu sacros Canones, aut Pontificias Constitutiones, vocem amiserint, statim, nulla alia assignata pœna, excludentur à capitulo.

Quod si culpa non fuerint confessæ, nec sufficienter probatæ, vel contra aliquos alios Gremiales facta fuerit oppositio de aliquo impedimento canonico, propter quod admittendi non sint in capitulo, de quo tamen non sufficiens exhibebitur probatio, quia tunc non datur tempus faciendi defensiones, nec sumendi nouas informationes, Gremiales contra quos factæ fuerint tales oppositiones, non poterunt excludi à capitulo; sed erunt admittendi cum protestatione quod admittantur si, & quatenus de iure admitti poterunt.

Antequam Gremiales procedant ad aliquam electionem præparetur in loco pro electionibus faciendis deputato Altare cum Crucifixo, & vrne, in qua recipienda sint suffragia, necnon tot schedulæ de eadem charta, eiusdemque longitudinis, & latitudinis, & sine vilo puncto, vlloue signo notatæ, quot erunt necessariae pro omnibus electionibus, in quibus ex vna parte sit eadem manu scriptum iuramentum de eligendo meliore, mandato Clementis VIII. præstandum, sub hac forma. Ego N. testem inuoco I. E. S. V. M. Christum, qui me iudicaturus est, quod eligo, quæ secundum dictamen meæ conscientie cenfeo probiorem, & magis idoneam. Ex altera verò parte scripta sint hæc verba; *Ego eligo in N. Patrem N.* ita vt nihil desit scribendum, nisi nomen electi.

Aduertendum etiam est, quod de mandato eiusdem Clementis VIII. prius quam deueniatur ad aliquam electionem, prælegendæ sunt Constitutiones de qualitatibus, & requisitis eligendorum, & quod ad prælatas illi præcipue sunt eligendi, qui possint, & consueuerint Regulas, & Constitutiones Ordinis obseruare, præsertim, quæ pertinent ad seruitium Chori, ad vestitum, & ad vitam communem.

Die Sabbati, non obstante cuiuscumque absentia, valde mane, cantata Missa solemni de Spiritu Sancto, habito sermone, & commendatis Fratribus, benefactoribus, familiaribus, patronis, ac litteris Confraternitatis habentibus, defunctis singulorum Conuentuum citra caputulum Prouinciale vltimò celebratum, accedent ad locum pro electionibus faciendis præparatum omnes Gremiales, cum alijs Fratribus, cantando Hymnum, *Veni creator Spiritus*, Quo vbi peruenerint, exclusis omnibus, qui non habent locum in capitulo, confidentibus Præsidente, Prouinciali, Diffinitoribus, & alijs de Gremio, pater Secretarius capituli surgens dicat. Hi sunt Reuerendi patres, qui in electionibus huius capituli vocem, & locum habebunt. Ad R. P. M. Fr. N. Præsidentis Capituli, Ad R. P. Mag. Fr. N. Prouincialis P. M. Fr. N. primus Diffinitor, nominando singulos electores per ordinem, quibus ex commissione Patris Præsidentis præcipiet, ne vllus in virtute sanctæ Obedientie ante completas omnes sessiones, & actiones Capitulares, & absolutas gratiarum actiones, è loco Capituli, absque expressa eiusdem Præsidentis licentia, discedat.

Pronunciatis per Secretarium, & publicatis patribus vocalibus, ter eos alta voce interrogabit P. præfidentis, an sciant in aliquo esse defectum, vel impedimentum, propter quod non debeat esse de Gremio, & si in aliquo reperit fuerit aliquod impedimentum, confessum, vel sufficienter probatum, iste eiicietur statim antequam ultra procedatur.

Deinde pro maiori electionum, quæ in capitulo faciende sunt, firmitate, & conscientie Gremialium tranquillitate, esto nihil fuerit oppositum, eos absoluet, & cum eis dispensabit, in hunc modum. Omnes gremiales genuflexi dicent *Confiteor, & cetera*, & pater præfidentis subiungit, *Misereatur*

*vestri & c. Indulgentiam & c.* Ego N. in quantum Regularium priuilegia se extendunt, absoluo vos à quavis sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & à quibusvis sententijs, pœnis, & quatenus opus sit dispensatio vobiscum super quavis irregularitate, (exceptis centuris, sententijs, pœnis, & irregularitatibus ob defectus ad electiones faciendas in isto capitulo pertinentes contractis, vel ad forum contentiosum deductis) ad effectum legitime electionis, vosque legitimos vocales declaro. In Nomine Patris, & cetera.

Sic absolutis, dispensatis, & legitimatis vocalibus procedendum est primò ad electionem quatuor Diffinitorum. Quare vnusquisque gremialis de manu præfidentis, vel Secretarij capituli accipiet vnam ex præparatis schedulis, & in ea propria manu scribet nomina quatuor patrum de Gremio, quos eliget in Diffinitores, immutato quantum fieri poterit caractere, ne agnoscat a patribus, qui visuri sunt, & lecturi suffragia.

Et licet secundum nostras Constitutiones omnes simplices Sacerdotes, qui habent quinque annos expletos professionis, & sunt in ætate triginta annorum, esse possint Diffinitores; nihilominus non omnes ad tantum munus apti sunt; ad eos enim spectat, vna cum P. Præsidente, singulis Prouinciæ Conuentibus de idoneis præfatis provide, de delictis, & excessibus patris etiam Prouincialis cognoscere, illumque cogere ad reddendam rationem de receptis, & datis pro Prouincia: statuta facere pro regimine Prouinciæ, & in toto triennio, futuro prouinciali in grauioribus negotijs assistere. Quare curabunt patres Gremiales eligere in Diffinitores patres magis insignes prudentia, vltique rerum spectabiles, & quod præsertim sint in Sacra Theologia graduati, vel, quod saltem in aliquibus Conuentibus Superioris munus laudabiliter gesserint.

Cum autem de iure communij in electionibus per scrutinium faciendis, tres sint assumendi Scrutatores de Collegio, tot ex electoribus capituli P. Præsidentis de assensu veterum Diffinitorum contra quos nihil opponat aliquis ex gremialibus assumunt, & si quis recusatus fuerit, P. Præsidentis, de assensu patris Diffinitorum illius loco alium nemini suspectu assumet. Horum Scrutorum munus (vbi genuflexi ante præfidentem iurauerint, se fideliter accepturos, & publicaturos suffragia, & quia ad officium suum pertinent, sincera cum mente præstituros, ad mensamque præparatam accesserint) erit, singula vota eligentium complicata in vrna recipere, eadem extrahere, enumerare, aperire, legere, & publicare.

Declaratis igitur scrutatoribus, P. Secretarius Capituli surgens dicat; RR. Patres in nomine Domini ad danda suffragia accedite. Et in continenti primus omnium pater præfidentis accedens ad Altare, genuflexus coram Crucifixo, & genuflexus signans se Cruce in nomine Patris, & cetera, legat iuramentum à tergo schedulæ scriptum, deinde surgens, & duobus digitis clausum suum suffragium ostendens in vrnam mittet, factaque inclinatione Altari, ad suum locum redibit. Quod idem faciant successiue alij Gremiales. Et hic modus, hæcve forma dandi suffragia, in omnibus alijs electionibus seruanda est.

Cum autem secundum nostras Constitutiones, & secundum ius commune, non possit fieri electio, nisi per præfentes; sciendum, quod si aliquis ex Gremialibus tempore electionis fuerit in Conuentu, vel in oppido, aut in Ciuitate, in qua celebrabitur electio; sed ita ægrotans, vt non valeat personaliter ad locum electionis accedere, pro præfenti nihilominus habendus est, & patres Scrutatores ad eum pro recipiendo eius suffragio se conferre debent.

Receptis omnibus suffragijs in vrna, vnus ex Scrutoribus illa extrahet, numerabit, & euoluet, eaque visa, & alijs duobus ostensa leget, & publicabit, & interim dum schedulæ perlegentur, Secretarius Capituli vnumquodque suffragium in scriptis excipiet, electorum nomina prænotando, quod etiam à diuersis alijs Gremialibus saltem tribus à præfidente designandis, pariter fiet.

Post singulorum publicationem suffragiorum, si plures quam quatuor nominati fuerint Diffinitores, facienda est à Scrutoribus collatio numeri ad numerum, vt appareat, quinam iuxta nostras Constitutiones remanserint legitime electi, illi scilicet, in quos plures quam in alios con-

ferentur

senferiat gremiales; quamuis non solum isti; sed etiam omnes alij, qui pauciora habuerint vota adnotandi sint in libro Prouinciae per ordinem secundum numerum maiorem suffragiorum, vt ex eis possit suppleri numerus Diffinitorum, si casus euenerit faciendi supplementum.

Publicatis suffragijs Diffinitorum, P. Praesidens ter alta voce interrogabit Gremiales, vt moris est in Religione; An habeant illam electionem pro legitima, & canonica. Licet enim supposita praefata absolute, & legitimatione vocalium, & dispensatione, nihil (saluis exceptionibus, de quibus supra) possit illis obijci, propter quod non sint habendi legitimi vocales; potest tamen opponi contra ipsam electionem, quod non fuerit Canonice facta, & propterea nulla, vel annullanda. Hic autem est aduertendum, quod qui interrogati a praesidente nihil dixerint contra electionem; sed in eam, vel expresse, vel tacite consenserint, illam postea secundum sacros Canones impugnare nequeunt, nisi ex noua causa, vel veteri, sed nouiter eis manifestata.

Si aliquid igitur oppositum fuerit contra electionem Diffinitorum, P. Praesidens oppositionem cum antiquis Diffinitoribus statim summarie examinabit, determinabitque, an electio sit firmanda, vel infirmanda, & ad aliam procedendum. Si autem nulla fiet oppositio, dicit; Ego N. nomine meo, & nomine omnium istorum Gremialium eligo in Diffinitores praesentis Capituli nostrae Prouinciae N. R. R. Patres, Fra. N. & Fra. N. &c. Et incontinenti, hi quatuor patres electi accedent ad patrem praesidentem, & coram illo genuflectent, & ipse eos confirmabit, dicens; Ego N. auctoritate qua fungor, confirmo vos in Diffinitores praesentis Capituli dans vobis omnem auctoritatem, & potestatem, quam ceteri Diffinitores huiusmodi Capitulorum secundum statuta nostri Ordinis habere solent. In nomine Patris &c. Qui sic confirmati, deosculata manu praesidentis, sedebant iuxta prouincialem ordinem inter se ipsos consuetum seruantes. Antiqui autem Diffinitores recedant tunc a Capitulo, nisi alio titulo sint de gremio.

Sic electis, & confirmatis nouis Diffinitoribus, & in suo loco confedentibus ad dexteram, & sinistram praesidentis, prouincialis officium depositurus coram praesidente, & toto Gremio dicit culpas suas, & humiliter, ac mansuete audiet reprehensiones, correctiones, & accusationes Fratrum, & si compertus fuerit reus talis culpa, propter quam secundum statuta Ordinis amiserit vocem, expellendus erit; nulla tamen ei iniungenda poenitentia, donec fuerint eius culpa in Diffinitorio visa, & diligenter discussa.

Et quia extat decretum in multis Capitulis Generalibus nostri Ordinis, factam videlicet in Capitulo Parauij celebrato anno 1532; in celebrato Vincentiae 1539. in celebrato Romae anno 1564. in celebrato Placentiae anno 1575. & in celebrato Romae anno 1580. vt videre est in libro Ordinis, in vsuque positum in tota Religione, quod nullus possit eligi in prouincialem, qui non sit ex nominatis, & praesentatis a patre Ordinis; procurabit praesidens legi, & publicari Gremialibus litteras Patris Generalis de ab eo nominatis, & praesentatis, vt vnum ex eis eligant in Prouincialem.

Deinde praelectis Constitutionibus de requisitis eligendi in prouincialem, procedent patres Gremiales ad eius electionem per secreta suffragia, seruata forma, de qua supra in electione Diffinitorum, & eos aduertet P. Praesidens, ne in scribendo nomine electi addant aliquod verbum; alioquin eorum suffragium erit nullum, & nullius valoris, & si electis, publicatisque per Scrutatores suffragijs, & facta, (si plures fuerint nominati) collatione numeri ad numerum, constituerit aliquem habuisse plura vota quam omnes alij simul, iste, si ad interrogationem praesidentis contra electionem nulla facta fuerit obiectio, erit prouincialis. Si vero in primo scrutinio nullus habuerit plura vota quam omnes alij simul, tentandum erit secundum scrutinium, & si neque in isto creabitur prouincialis, tertium erit tentandum, & hac tertia vice, etiam si nullus plura habuerit suffragia quam omnes alij simul; qui tamen plura habuerint quam alij singulati, prouincialis erit, & si plures in suffragijs aequales fuerint, illae praeponeatur, qui primum

locum tenebit in Ordine, attendata tamen antiquitate professionis, vel gradus.

Et quia in electione prouincialis omnia sunt seruanda, quae pro electione Generalis nostrae Constitutiones disponunt, & in electione Generalis, facta vototum, publicatione, & collatione, & constituto in quem maior pars consenserit, habens primam vocem, suo, & omnium eligentium nomine, decretum electionis interponit, quod vtiq; Sacris Canonibus consonum est, sic etiam statim ac in electione prouincialis publicata fuerint vota, & facta eorum collatione apparuerit in quem maior pars consenserit, & ad interrogationem praesidentis iteratam nulla fiet obiectio, P. Praesidens interponet decretum electionis, in hanc formam, Ego N. nomine meo, & nomine omnium eligentium eligo, & denuncio Patrem Magistrum N. Prouincialem huius Prouinciae.

Et istud decretum nullatenus est omittendum, quia DD. dicunt, in eo essentialiter consistere electionem. Quamobrem referunt, quod in electione Petri Barbi Veneti in Pontificem, qui vocatus fuit Paulus secundus, Cardinalis Bessarion Tuschulanus Episcopus primum in Collegio locum habens vnumquemque ordine interrogans: Num ea placeret electio? Et cum ab omnibus prona assensione placere responsum esset, conuersus ad Petrum dixit. Patres hi te in Pontificem elegerunt, & ego omnium nominibus te eligo. Idque fecit, vt quae sunt necessaria ad electionem legitimam viderentur in ea conuenisse. Quamobrem electio quae fit per secreta vocalium suffragia, videtur soluta esse quoddam electionis praebulum necessarium ad inuestigandam Gremialium voluntatem, & ad cognoscendum in quem ipsi consenserint. Quare illud decretum describendum est inter acta Capituli.

Pronuntiato praedicto decreto, absoluta est vtiq; & completa Prouincialis electio. Aduertendum tamen, quod quamuis Prouinciales extra Italiam, dum in ea comoratur Generalis, statim ac sunt electi suum officium exercere possint, licet cum obligatione obtinendi a Generali confirmationem infra quatuor, vel sex menses ad summum. Prouinciales tamen Italiae nequeunt exercere suum officium, nisi habita prius confirmatione a Generali. Quare interim prouincia regenda est per priorem Conuentus, vbi celebratum fuerit Capitulum, si erit Magister. Sin minus, per antiquiorem Magistrum, qui tamquam Vicarius prouinciam administrabit. Nisi Pater Generalis fuerit extra Italiam, tunc enim prouinciales electi in Italia poterunt exercere officium cum eadem obligatione obtinendi confirmationem a Generali infra quatuor, vel sex menses. Quod si electus in natione, in qua fuerit Generalis, ante confirmationem per se, vel per alium, in eorum, vel in partera, ea, quae sunt sui officij exercuerit, secundum ius commune eo ipso priuatus est, vel priuandus iure, quod ei per electionem quaesitum fuerat. At si prouincialis electus fuerit extra Europam, cum ob nimiam distantiam, itinerisque difficultatem, ac incertitudinem nequeat illi praescribi determinatum tempus ad procurandam confirmationem officij a Generali, poterit, seruatis seruandis, confirmari a praesidente Capituli, obligatus tamen erit obtinere quam primum poterit aliam confirmationem a Generali.

Prouinciali electo, statim praesidens, et si infra futurum proximum triennium non sit celebrandum Capitulum Generale, procedet ad electionem Sociorum Prouincialis, & Diffinitoris pro ipso capitulo Generali, ac etiam Vicariae prouinciae pro absentia prouincialis ituri ad Capitulum Generale, & omnes istae electiones fieri debent per vota secreta, & seruata forma, de qua supra. Electo prouinciae Vicario, alium ad custodiam prouinciae pro casibus fortuitis sua auctoritate substituet prouincialis electus, qui primi per mortem, vel aliter deficientis, vel a prouincia absentis, vices suppleat, & auctoritatem habeat ad quaecumque.

Circa electionem Sociorum duo sunt aduertenda. Alterum, quod nullus Gremialis, siue Generalis, siue Prouincialis, siue quisquis alius habiturus vocem in Capitulo Generali, in electione Sociorum vocem habet actiuam, & si in ea suffragium dederit, vocem actiuam amittet in Capitulo Generali, Alterum, quod cum omnes quatuor Diffi-

Diffinitores accedere teneantur ad Congregationem intermediam faciendam in Dominica 3. post Pascha Resurrectionis, & contingere possit, vt tunc temporis Socij accedant ad Capitulum Generale, & ita non valeant interuenire dictæ Congregationi, nullus Diffinitor potest eligi in Socium Prouincialis pro Capitulo Generali.

Electus Prouincialis tenetur in ipso Capitulo vnum Socium Prouinciæ eligere, quem semel electum, sine iusta causa mutare non potest, & Socius electus in eodem Capitulo debet Prouinciali fidelitatem iurare. Quamuis autem sit in Prouincialis potestate eligere Socium, quem ipse maluerit, nihilominus quia talis Socius debet semper supradictæ Congregationi intermedie cum quatuor Diffinitoribus interesse etiam Prouincialis cum suis Socijs accesserit ad Capitulum Generale, consequens est vt Socius Prouinciæ non possit eligi aliquis, qui fuerit electus Socius Prouincialis pro Capitulo Generali, vel qui sit vnus ex quatuor Diffinitoribus. Debet etiam Prouincialis cauere, ne sibi Socium visitationis eligat Magistrum, aliquem de duo probabilem habeat suspensionem, quod post eum ad Prouincialatus officium aspiret, quia Socius talem habens præensionem, tempore visitationis facile, per fas, & nefas, studebit Priores sibi reddere beneuolos, minusque sincerè tractabit negotia Prouinciæ.

Absolutis præfatis electionibus coram toto gremio, comburenda sunt schedulæ suffragiorum, deinde intonato per Præsidentem hymno *Te Deum laudamus*, illum alioquæ prosequentes, Gremiales ducent Prouincialem electum ad Ecclesiam, vbi ante Altare maius tapetis appositis se prosternet, & prosternatus manebit, donec præfatos Hymnus percantetur, & dicantur à præfide consuetæ Orationes. Quibus absolutis, cum Pius quartus in quadam sua Constitutione decreuerit, vt per quoscumque quibus de Monasterijs, Conuentibus, Domibus, & alijs quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, quocumque nomine, vel titulo, prouidebitur, publica Orthodoxæ fidei professio fiat: etsi quoad prælatos Regulares ista fidei professio non sit in vsu, nihilominus censemus illam à prælatis nostri Ordinis faciendam esse. Quare prouincialis electus, statim ambabus manibus super Missale extensis, in manibus præfidentis Capituli professionem fidei genuflexus, cum iuramento, alta, & intelligibili voce sequenti forma emittet.

Ego F. N. prouincialis electus prouinciæ N. Ordinis B. Mariæ Virg. de Monte Carmeli Regularis obseruantia firmam fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ: visibilibus omnium, & invisibilibus. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo: lumen de lumine: Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et vniam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacram Scripturarum admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimen consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis ne-

cessaria, Baptismum, confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam vnctionem, Ordinem, & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosanctæ Tridentina Synodo definita fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, atque defunctis atque in Sanctis Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate D. N. Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constantiter teneo Purgatorium esse, animalique ibi detentas fidelium suffragijs iuari. Similiter, & Sanctos vna cum Christo regnantes venerandos atque inuocandos esse, eosque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmissimè assero.

Imagines Christi, & Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse atque eis debitum honorem, & venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsu Christiano populo maximè salutarem esse assero. Sanctam Catholicam Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, & iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, Oecumenicis Concilijs ac præcipuè à Sacrosanctæ Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizato. Hanc veram Catholicam fidem extra quam nemo saluus esse potest, quam in præfenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo dante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit, curaturum. Ita ego Fr. N. spondeo, voueo, & iuro. Sic me Deus adiuet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Emissa hac fidei professione, surgens Prouincialis, accedet ad Altare, illudque osculabitur reuerenter. Postmodum præsentato ei aspersorio, ipse primò se, deinde alios Fratres asperget, & facta aspersione, in loco sibi ante Altare preparato sedebit ad manum sinistram Præsidentis, & singuli Fratres ad eum accedent, & flexis genibus, manus eius humiliter, & reuerenter in obedientiæ signum osculabuntur.

Præfata obedientia Prouinciali electo, P. Præsidentis incipit cum Diffinitorio tractare de regimine Prouinciæ.

Sunt autem, si respiciamus id, quod habemus expressum in nostris Constitutionibus, quinque tantum Patres de corpore Diffinitorij cum voto decisiuo videlicet P. Præsidentis, & quatuor Diffinitores, & vnus cum voto consultiuo, prouincialis scilicet absolutus; nihilominus vsu receptum etiam in Religione, quod cum voto decisiuo ingrediantur Diffinitorium Socius P. Præsidentis, & prouincialis electus, etiam ante confirmationem, & in nonnullis Prouincijs, etiam Socius visitationis electus in Capitulo à Prouinciali electo.

Locus pro Diffinitorio deputatus, decens sit, & secretus, & in eo paratum Altariolum cum Crucifixo, vna, & tot schedulis, quot sufficiant pro electionibus omnium Priorum, scriptis cum iuramento, & electione, modo quo supra, ita vt solum desideretur nomen eligendi, licet sufficiat semel tantum præstare iuramentum in principio de eligendis omnibus, singulis prioribus probioribus, & magis idoneis.

Dictum locorum ingressus P. Præsidentis cæteris de corpore Diffinitorij, omnibus genuflexis ante Altare ad inuocan-

candum Spiritus sancti adiutorium, incipiet sine nota *Veni creator Spiritus*, & alternatim totum recitabunt. Præsident. *Emitte spiritum tuum, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus, qui corda fidelium, &c.* Deinde surgentes accedant ad mensam ibi paratam, super qua commodè scribere possint, & in qua sint omnia pro actionibus Diffinitorij necessaria, & per ordinem confedebunt.

Omnibus confedentibus, singuli iurabunt, quod absque licentia totius Diffinitorij nihil in eo tractatum, vel prolatum, alicui extraneo reuelabunt, & primus omnium iurabit P. Præsident, & si prædictum silentium non seruauerint priuationem vtriusque vocis ad sexennium incurrunt. Deinde prælectis Constitutionibus de requisitis eligendorum procedent in nomine Domini ad electiones per vota secreta faciendas.

Et quia Prioribus incumbit cura animarum, quæ est arduum, & scientiarum, & nihil magis officit Religioni, quam ad regimen animarum indignos, vel minus idoneos assumi, antequam aggrediantur electiones Priorum, patres de Diffinitorio serio discurrent, & tractabunt de singulis Conuentibus, quibus de Superioribus fuerit prouidendum, & de Patribus ad regimen magis idoneis. Quare examinant inuentaria status Conuentuum, quæ secum deferre debent Priores ad Capitulum præsentibus Socijs, vt ex eorum inspectione aliquo modo conijcere possint Diffinitores, quinam priores bene, & malè se gesserint in suorum Conuentuum regimine, & quinam digni sint, vt in eodem Conuentu conferantur, vel in alijs instituantur.

Curabit P. Præsident, ne vllus eligatur in priorem, qui non habeat omnia secundum statuta Ordinis requisita, & præsertim, qui ob aliquam infirmitatem habitualement nequeat in diebus per nostras Constitutiones prohibitis a carnibus abstinere, ieiunia Ordinis seruare, vitam communem in Refectorio sequi, & Officio diuino de die, & de nocte in Choro interesse. Per habitualement infirmitatem, non debemus intelligere senectutem, imò cum senes, vt plurimum iudicio, prudentia, & dextericitate polleant, magis quam iuuenes, si in aliquo peculiaris obseruantia, & reformationis zelus effulserit, ei poterit alicuius Conuentus regimen committi, modò non sit adeo confectus senio, quod ad tale munus prorsus inhabilis reddatur. Cæterum si Diffinitores censuerint aliquem habitualem infirmitatem affectu esse valde præstantem in administratione, & Conuentibus proficuum, poterunt illum a Patre Ordinis postulare, illi causas notificando, propter quas cum illo supra Constitutionibus fuerit dispensandum.

Cætera, quæ facere debent Diffinitores videri possunt in nostris Constitutionibus p. 4. cap. 19. à num. 4. Sed de vno præsertim eos admonitos esse volumus, vt scilicet non obstante quacumque consuetudine in contrarium cogant Prouincialem absolutum ab officio ad reddendam rationem de receptis à Prouincia, & de expensis tempore sui Prouincialatus, tam ordinarijs, quam extraordinarijs.

Debent etiam de mandato Clementis VIII. eligere tres saltem Patres graues, & peritos, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum Fratrum ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam cura erit examine, & probare, tam quoad doctrinam, quam quoad mores promouendos ad quoscumque Ordines, in quo seruandum erit decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilii Tridentini, hac de causa editum, & promulgatum.

Dispositis omnibus per Diffinitorium, finaliter acta Capituli conscribentur in libro Prouinciæ, & ad pulsus nolæ Capitularis congregabuntur omnes Fratres in vnum locum, & ibi auctoritate Præsidentis, ac Diffinitorum absoluentur omnes Priores, qui statim sigilla officiorum suorum præsentent, & Diffinitoribus reddent. Deinde prædens vocabit sigillatim per Secretarium nominibus proprijs omnes Priores instituendos, qui vocati coram eo genuflectent, & ipse singulis tradendo sigillum Prioratus dicat. Auctoritate nostra, & de vnanimi consensu Diffinitorum præsentis Capituli facimus, & ordinamus te N. Priorem nostri Conuentus N. dantes tibi curam animarum, &c. Et Prior institutus cum humilitate, & reuerentia sigillum recipiet,

manum præsentis osculando, & dicendo. Deo gratias. Et si ille fuerit absens, dicet prædens in tertia persona, Facimus, & Ordinamus Patrem N. Priorem Conuentus N. Deinde dandæ erunt vnique litteræ testimoniales de iniuncto illi officio, præsentis sigillo munitæ.

Vbi priores sic fuerint instituti, omnes genuflexi in manu præsentis facient professionem fidei, vnus quidem alta, alij submissa voce in hanc formam. Ego Fr. N. Ordinis Carmelitarum Prior institutus Conuentus N. firma fide credo; & profiteor omnia, &c. vt habetur supra in professione emittenda à Prouinciali. Deinde vnusquisque alta voce, vnus post alterum iuramentum præstabit his verbis. Ego idem Fr. N. spondeo, voueo, & iuro. Sic me Deus adiuuet, & hac sancta Dei Euangelia. Et finaliter conscribantur acta Capituli in libro Prouinciæ.

Vnum aliud etiam in Capitulo prouinciali tanquam necessarium pro legitima receptione Nouitiorum aduertendum est, quod scilicet quando nostræ Constitutiones tribuunt soli Generali, vel prouinciali posse sine consensu cuiuscumque iuuenes ex seculo ad Nouitiatum, & ad professionem recipere, sunt intelligendæ de minoribus sexdecim annis, maioris enim extra Capitulum Generale, vel prouinciale, siue Clerici sint, siue Laici non sunt recipiendi, nisi fiat, iuxta duas Constitutiones Sixti V. diligens inquisitio de eorum patre, patria, & antea vita, & ex accurata informatione, & fide digna relatione constiterit, eos non esse aliquorum criminum &c. reos, nec suspectos, neque grauatos aere alieno, &c. nec reddendis ratiocinijs obnoxios, &c. quodque non humana aliqua ratione, &c. Religionem eligunt. Deinde notificata ista informatione, diuorum, vel trium, vel plurium, si commodè fieri poterit, Monasteriorum, quæ deputata fuerit in Prouincia, Superioribus, ab eis approbentur, & recipiantur ad habitum regularem. Quare P. Præsident curabit in ipso Capitulo deputari duo, vel tria, vel plura, si commodè fieri poterit, Monasteria, quorum Superiores, saltem semel in anno ad dictam approbationem, & admissionem faciendam simul congregentur.

Vbi autem Congregatio intermedia Diffinitoralis Dominica 3. post Pascha Resurrectionis, iuxta dispositionem nostrarum Constitutionum, pro alijs negotijs celebrabitur, in ea etiam à P. Prouinciali cum consensu Diffinitorum, & sui Socij, prædicta nouitiorum approbatio, & admissio fieri poterit, perinde enim erit, ac si in Capitulo prouinciali fieret.

Quod si paucitas Monasteriorum, aut nimia eorum distantia in aliqua prouincia, vel Vicaria, vt in Brasilia, tot Monasteria deputari non patiat, Capitulum prouinciale saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnus Monasterij dictam facultatem approbandi, & admittendi ad habitum præfatos Nouitios demandare poterit.

Cæterum exteri ex longinquis partibus, vel ex locis hæreticorum, seu infidelium aduenientes, etiam si de præfatis omnibus liquidò non constiterit, tamen si diligentia adhibita nihil apparuerit, quod eos impediatur, ex declaratione eiusdem Sixti V. habiles reputandi sunt ad Religionem.

Professionem autem eorum, qui non seruata dicta forma recepti fuerint, Sixti V. irritam, & nullam declarauit, & Superioribus inobedientibus inhabiles recipientibus nonnullas poenas imposuit in prima Constitutione, quam tamen quoad nullitatem professionis Clemens VIII. in alia sua Constit. moderatus est, & ad terminos iuris communis reduxit, saluis poenis contra Superiores inobedientes.

Post hæc faciendæ est commemoratio Fratrum, familiarum, Patronorum, & litteras Confraternitatis habentium virorum, & mulierum per singulos Conuentus, & specialiter illorum qui capitulum prouinciale elemosyna notabili adiuuerint, & illis recommendatis, recitabitur psalmus *Ad te leuauit oculos meos*, cum alijs precibus confuetis. Post quas P. Præsident incipiet alta voce *Te Deum laudamus* quem prosequentes Fratres accedent ad Chorum, vbi terminato dicto hymno, P. Præsident solus orationes recitabit. Deinde coram toto gremio publicabuntur acta Capituli, quorum copiam P. Præsident ex papæ prouincia de verbo ad verbum fideliter extracta, & ab ipso præside, prouinciali electo, & Diffinitoribus subscriptam, curabit transmitti ad Patrem Ordinis pro confirmatione.



Publicatis actis Capituli, omnes Fratres coram Præsidente prostrati dicunt *Confiteor Deo, &c.* & ipse subiunget *Miserere vestri, &c. Indulgentiam, &c.* eosque absoluet, & dispensabit prout in Breuiario, & in fine dicit *Benedictio Dei omnipotentis Patris, &c.*

Vnum tantum aduertendum est, quod scilicet in quouis capitulo prouinciali debet publicari tum constitutio Clem. VIII. de largitione munerum Regularibus interdicta, tum decretum Congregationis generalis Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habitæ in Palatio Apostolico coram Sanctis. D.N. Urb. VIII. ac Eminentissimis, & Reuerendis. Dominis S. R. E. Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sede Apostolica specialiter deputatis, & commonendi sunt omnes de obseruantia, & executione Apostolicarum constitutionum, & decretorum ad sanctum Officium Inquisitionis aduersus hæreticam prauitatem pertinentium, & præsertim constitutionum Apostolicarum, quæ in prædicto decreto referuntur.

Vt sciant Fratres nostri, ad quid absolutio, & dispensatio vocalium à P. Præsidente Capituli ante electiones facta, profit. Notandum est, quod plures Prælati Regulares virtute diuersorum priuilegiorum, quæ sibi à Sede Apostolica sunt concessa, & præsertim indulti cuiusdam Pij V. qui eis, quoad suos Fratres eandem absoluendi, & dispensandi facultatem impartitus est, quam Episcopis dedit in quocumque sibi subditos in foro conscientie Conc. Trid. sess. 24. c. 6. de reform. possunt absoluere Fratres, & alias quascumque personas ratione professionis, & habitus eis subditas, à quibusuis maioris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione latis, etiam Sedi Apost. reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ac etiam cum eis dispensare super quibuscumque irregularitatibus, ex quauis occasione prouenientibus, præterquam ex homicidio voluntario, & bigamia, & membrorum mutilatione.

Et hæc facultas extendi potest, nedum ad censuras, sententias, & pœnas ante dicta priuilegia reseruatas, sed etiam ad reseruatas post, dummodo reseruatio non fuerit facta, cum expressa priuilegiorum Regularium derogatione, sicut reseruata fuit à Sixto V. absolutio ab excommunicatione contra simoniacos in susceptione Ordinum lata.

Licet autem præfata facultas absoluendi, & dispensandi, si respiciamus priuilegium Pij V. & nonnulla alia, sit limitata ad forum conscientie; nihilominus, quia in nonnullis alijs priuilegijs conceditur, nulla addita limitatione, & nullo expresso foro, est valde probabilis sententia multorum DD. qui affirmant Superiores prædictos Regulares ea in vtroque foro vti posse.

Est etiam aduertendum, quod etsi Prælati prædicti Regulares facultatem absoluendi, & dispensandi à Pio V. concessam alijs committere, & delegare non valeant, quia dictus Pontifex expressè concedit eis, vt per seipso absoluant, & dispensent, quia tamen per alia priuilegia eadem facultas eisdem absolute concessa est, & est communis DD. sententia quod Commissarius perpetuus potest alteri vires suas committere, hæc autem potestas data est Prælatibus per priuilegia perpetua, eisque propriè dicitur competere ex officio, quia ratione officij, & dignitatis conuenit, possunt eam alijs committere, & delegare, nec defunt priuilegia, quæ illis hanc delegandi potestatem concedunt, idque est in vfu apud Religiones.

Cæterum Religiosi omnes suam debent respicere Regulam, & suas Constitutiones, an per eas dicta facultas in aliquo fuerit pro bono regimine suæ Religionis limitata, & coarctata. Potest namque vnaquæque Religio priuilegia in sui fauorem concessa non recipere, vel limitare, & coarctare, secundum quod magis sibi expedire iudicauerit. Quare in nostris Constitutionibus sublara est Prioribus localibus facultas absoluendi in foro fori suos subditos incurrentes in excommunicationem Canonis. Si quis suadente diabolo, etiam ob percussorem leuem.

Quoniam autem in forma absolutionis vocalium, extat ista clausula, Exceptis censuris, sententijs, pœnis, & regularitatibus ob defectus ad electiones faciendas in isto Capitulo pertinentes contr. actis. Pro illius intelligentia

sciendum, quod si quis in Ordine ad aliquam electionem, in Capitulo faciendam, obtinisset litteras commendatitias extra Religionem, vel subornasset, aliquid dedisset, aut promississet, vel quid aliud fecisset, propter quæ in aliquam censuram, sententiamque &c. incurtisset, nequaquam absolutus esset.

### SVMMARIVM CAP. XIII.

- Prædicta vt distincta nominantur sapius in Constitutionibus Summorum Pontificum. n. 1.*  
*Dignitas est administratio cum Iurisdictione. n. 2.*  
*Personatus est præeminentia, seu præcedentia sine iurisdictione. ibid.*  
*Officium est administratio sine præeminentia, aut iurisdictione. ibid.*  
*Præpositura secundum alios est munus præcedendi, sed communius accipitur pro pralatione. n. 3.*  
*Prelatura coincidit cum dignitate, estque munus habendi administrationem cum iurisdictione. n. 4.*  
*Quid decreuerit SS. Dom. N. Urbanus circa Religiosos promittentes non procurare &c. huiusmodi dignitates. ibid.*  
*Prelati possunt esse delegati ad litteras Pontificias exequendas. ibid.*  
*Honorum nomine quid intelligatur. n. 5.*  
*Graduum nomine que intelligenda. n. 6.*  
*Officia, administrationes, & functiones pro eodem sumuntur, & important munus sine præeminentia, aut iurisdictione. num. 7.*  
*Confundi solent cum Prælatijs, seu dignitatibus. ibid.*  
*Hierarchia Religiosa assimilatur Ecclesiastica. n. 8.*  
*Constat ex quassimilibus personis. ibid.*  
*Ex Prælatibus alij sunt habentes iurisdictionem ordinariam, alij delegatam. n. 9.*  
*Generalis dignitas que aliquo modo correspondet Patriarchali per legitimam electionem creatur. n. 10.*  
*Nisi incommoda, & inconuenientia oppositum suadeant, ibidem.*  
*Que ætas requiratur pro Generali eligendo. n. 11.*  
*Requiritur quod sit professus professione expressa in ipsa Religione. ibid.*  
*Requiritur etiam conditio Sacerdotij. ibid.*  
*Non videtur necessaria iure communi aliqua antiquitas in ordine. ibid.*  
*Habent Generales in Religionibus supremam auctoritatem. n. 12.*  
*An dicenda sit hæc potestas immediatè pendens à Papa, an verò à Capitulo generali. ibid.*  
*Habent auctoritatem prouidendi officia, seu beneficia Religionum iuxta Regulam tamen, & constitutiones illarum. n. 13.*  
*Debent eligere digniores. ibid.*  
*Quid de electione digni reiecto digniori. ibid.*  
*An Generalibus competat facultas condendi leges, aut constitutiones perpetuo duraturas. n. 14.*  
*Possunt condere decreta, seu statuta duratura tempore Generalatus. ibid.*  
*Declarare Leges, & Constitutiones Ordinis. ibid.*  
*An mortaliter peccantes saltem publicè teneantur explicare circumstantias Generalatus. n. 15.*  
*Commissarij Generales Ordinum regulariter loquendo solum habent auctoritatem delegatam. n. 16.*  
*Quando fiunt per electionem constitutionum, aut iura Ordinum, habent auctoritatem ordinariam. ibid.*  
*Qui ex illis, & quomodo amoueri possint. ibid.*  
*Qui etiam possint delegare suam iurisdictionem. ibid.*  
*Pari modo de Vicarijs Generalibus philosophandum est. num. 17.*  
*Quando expirat eorum auctoritas morte Generalis. n. 18.*  
*De Visitationibus quid dicendum. ibid. & n. 19.*  
*Affluentium, Consiliariorum, Diffusorum, & Sociorum auctoritas quam a sit. n. 20.*  
*Quidam habent solum votum consultiuum, alij etiam decisiuum. n. 21.*  
*Quid sit habere votum consultiuum, seu decisiuum. ibid.*

Conuenientius est ut iuniores prius loquantur. n.22.  
 An teneantur detegere defectus promouendorum. *ibid.*  
 Quando maior pars illorum aliquid decreuerit tenentur omnes subscribere. *ibid.*  
 An reuelare possint secreta Diffinitory. *ibid.*  
 An Generales possint sine illis negotia grauia decidere. num.23.  
 Tenentur iuxta eorum conscientiam respondere. n.24.  
 Quid quando hoc sciunt esse contra voluntatem Generalis, vel nihil effecturos. *ibid.*  
 Procuratoris Generalis munus magna præeminentia est. num.25.  
 Aliquando fit per electionem, aliquando sine illa, aliquando habet munus prælatiæ adiunctum, aliquando non. *ibidem.*  
 Præuiales sunt præfecti Præuinciarum habentes supremam iurisdictionem in illis. n.26.  
 Eorum munus dignitas est. *ibid.*  
 Quomodo creentur. *ibid.*  
 Habent iurisdictionem quasi Episcopalem. *ibid.*  
 Possunt suam auctoritatem delegare. *ibid.*  
 Quid de Commissarijs, seu Vicarijs Præuincialibus dicendum. n.27.  
 Quid de Visitatoribus Generalibus, vel Præuincialibus. num.28.  
 Tempore actualis visitationis ad quem pertineat regimen Conuentus, vel prouincie. *ibid.*  
 Duplex est iurisdictione, alia contentiosa, alia voluntaria. *ibidem.*  
 Apostata, vel excommunicati à quo absoluendi tempore visitationis. n.29.  
 Auctoritas visitatorum pendet ex litteris patentibus commissionis. n.30.  
 Quando dantur cum clausula plenitudinis potestatis, quid possint facere. *ibid.*  
 Quando possunt delegare suam iurisdictionem. n.31.  
 Rebellantes contra illos, aut illic contradicentes quas poenas incurrunt. n.32.  
 Gestà à visitatoribus quanto tempore durare debeant. n.33.  
 Non debent formare processus contra Prælatos in rebus minimis. n.34.  
 Secus in Religionibus arctioribus. *ibid.*  
 Quando procedere debeant via inquisitionis generalis, aut specialis. n.35.  
 De Assistentibus, Diffinitoribus, Consiliarijs, seu Socijs Præuincialium quia dicendum. n.36.  
 Superiores immediati Conuentuum sunt uerè Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. n.37.  
 Eorum munus dignitas appellari potest. *ibid.*  
 Habent iurisdictionem ordinariam delegabilem. *ibid.*  
 Que conditiones ad illos requirantur. *ibid.*  
 Quam etiam facultatem habeant. *ibid.*  
 An seculares præfici possint Monasterijs Regularium. num.34.  
 Quid de Vicarijs in capite conuentuum. n.39.  
 Quid de Vicarijs, seu Superioribus qui in ipsis Conuentibus Superiorem agnoscunt. n.40.  
 An eorum munus dicendum sit personatus, vel officium. *ibid.*  
 Que possunt facere in absentia Prælatorum à Conuentibus. num.41.  
 An gradus possint conferri Religiosis. n.42.  
 Tenentur graduati sequi chorum non obstante quocumque priuilegio. *ibid.*  
 Non possunt utri aliquo priuilegio sui gradus nisi actu legant, vel prædicent. *ibid.*  
 Quid intelligatur pro actu legere. *ibid.*  
 Inepti, & idiotæ peccant grauius gradus prædictos petentes, aut retinentes. *ibid.*  
 Procuratoris munus quid sit. n.43.  
 Spectat ad illum bona Monasterijs solum exigere, non autem conseruare, aut expendere. *ibid.*  
 Ad quos id spectat. *ibid.*  
 Administratores honorum Monasterij amouibiles sunt. num.44.  
 Sacrista munus, seu officium in quo uersetur. n.45.  
 Quas obligationes habeat. *ibid.*

De Sacristis Conuersis. n.46.  
 De Magistris Nouitorum, & eius obligationibus. n.47.  
 Quid circa illum decreuerit Clem. VIII. *ibid.*  
 Quomodo id intelligendum ueniat. n.48.  
 Non possunt Prælati, aut officiales Religionum excusari ignorantia in ijs que pertinent ad eorum munera. n.49.  
 Illegitimi quas dignitates, personatus, beneficia, seu officia habere non possunt. n.50.  
 Que officia habere possunt. *ibid.*  
 Quid faciendum cum alicui constat se esse electum ab uno qui erat inhabilis ad eligendum. n.51.  
 Quid quando electo constat se fuisse inhabilem ut eligeretur pro tempore quo electus fuit. n.52.  
 Prælato intruso qualiter sit, uel non obediendum. n.53.  
 Prælati prohibentur est restari. n.54.  
 Professio fidei facienda est à prouisis de Prælatibus. n.55.  
 Quid de Prælatibus non electis dicendum. n.56.  
 Sintne manuales, & amouibiles. *ibid.*

De Prælatibus, gradibus, honoribus, dignitatibus, personatibus, præposituris, officijs, & administrationibus Regularium personarum, illorumque obligationibus.

Cap. XIII.

- 1 **C**ontingit sæpius ut in constitutionibus Summorum Pontificum, & specialibus Religionum, prædicta omnia etiam ut distincta nominentur, ideo de singulis agendum in hoc capite, etsi enim sæpius confundantur cum tamen in Bullis Pontificum sigillatim censeantur, ualde probabile est ea distingui, & accipienda esse in propria & primæua significatione. Portellus in dub. Regul. v. Officia Ordin. in addit. n.2.
  - 2 Hæc tria Dignitas, Personatus, Officium sic distinguuntur. Dignitas propriè est administratio cum iurisdictione, cuiusmodi sunt omnes prælatiæ Religionum, v.g. Generalatus, Præuincialatus, Prioratus, Abbatia, Guardianatus &c. Omnes enim prælati habent administrationem cum iurisdictione tam in foro interno, quam externo, iuxta dicta 10.1. cap. 18. Personatus est præeminentia, seu præcedentia sine iurisdictione, qualis est ea quæ reperitur in aliquibus Clericis qui præcedunt Canonicos in Ecclesijs Cathedralibus, seu Collegialibus, & in Religionibus in Diffinitoribus, & alijs huiusmodi. Officium autem propriè est administratio sine præeminentia, aut iurisdictione, qualis reperitur in Sacrista, Procuratore, Vicario Conuentus, seu Superiore in præsentia prælati. Syluester v. Dignitas. Rodrigu. 10.1. q. Regul. q.23. art.9. & quest. 12. artic. 18.
  - 3 Præpositura secundum aliquos est munus præcedendi. Ita Rodrigu. 10.1. quest. Regular. quest. 23. art.9. Sed communi usu potius uidetur importare munus prælationis, iuxta illud ad Heb. 13. Obedite Præpositis uestris. Si autem solum munus præcedendi denotat coincidet cum personatu.
  - 4 Prælatiura, ut diximus coincidit cum dignitate, & est munus habendi administrationem cum iurisdictione, qualis competit in Religionibus omnibus Superioribus, Generalibus scilicet, Præuincialibus, Prioribus, Guardianis, Abbatibus, & similibus diuersis nominibus uocatis: omnes enim huiusmodi sunt in dignitate constituti. Sanchez lib. 6. in decalog. cap.3. n.38. Hinc huiusmodi prælati possunt esse delegati ad litteras Pontificis, uel eius Legati exequentes, quod munus conuenire non potest nisi personis in dignitate constitutis, iuxta cap. statutum in principio de rescriptis in 6. Sanchez *ibidem* post alios. An uerò id liceat prælati Ordinis Minorum tractant. Rodriguez 10.1. quest. Regul. quest. 65. art.3. in fine, & Sanchez lib. 6. in decalog. cap.13. n.81.
- Hic notandum SS. D. N. Urbanum VIII. Motu proprio edito 21. Maij 1635. publicato tamen 20. Nouemb. 1636. declarasse quoscumque Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis,

gregationis, & instituti etiam Societati Iesu per quamcumque translationem ad aliam Religionem, etiam hæcenus factam, & per quamcumque expulsionem, seu habitus Regularis dimissionem, non esse liberos à voto promissione, seu iuramento ab eis emisso, de non petenda, nec procuranda, minimeve acceptanda aliqua dignitate, aut superioritate extra eorum Religionem, sed eos hæcenus, & pro tempore, ut præfertur, translatos, expulsos, ac à delatione habitus Regularis absolutos, vel priuatos, quorumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas, inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde, ac si translati, expulsi, seu à delatione habitus liberati non fuissent. Quæ placuit hic animaduertere (etsi non in proprio loco, quia huius Motus proprii notitia non nisi postquam typis mandabatur hæc secunda pars Summæ ad me peruenit) propter aliquot Regulares tale, vel simile votum emittentes, quorum aliquos retuli sup. c. 4. n. 13. 16. & 25.

5 Honorum nomine, vix aliud potest intelligi quam personatus, qui ut diximus, important honorifica in Religionibus. Vnde leges priuantes honoribus intelligendæ videntur de iussu. Portellus in dub. Regular. verb. officia ordinis num. 2.

6 Gradus sunt tituli honoratij, in vniuersitatibus, vel Collegijs studiorum causa concessi, cuiusmodi sunt Doctoratus, Magisterium, Baccalaureatus, &c. Vnde vel coincidunt cum personatibus, & honoribus, vel proisdem communiter accipiuntur.

7 Officia etiam, administrationes, & functiones pro eodem sumuntur, & important, ut diximus, munus sine præeminentiâ, aut iurisdictione. Maxime autem confunduntur cum Prælatibus, seu Dignitatibus, adeo ut communi usu partim Religionum, & etiam aliquarum Constitutionum, seu decretorum Summorum Pontificum illorum nomine, officiorum præsertim, veniant etiam Prælatiæ, seu dignitates, dum ponitur pena priuationis officiorum, &c. Portellus in dub. Regular. verb. officia ordinis in addit. num. 2.

8 Pro Prælatibus autem notandum, Hierarchiam Religiosam assimilari Ecclesiasticæ, quemadmodum enim Hierarchia Ecclesiastica constat ex Parochis, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & Primatibus, qui omnes Summo Pontifici subduntur, sic Hierarchia Religiosa constat Confessoribus, qui sunt veluti Parochi habentes solum iurisdictionem in foro interno conscientiæ, Prioribus, Guardianis, Rectoribus, &c. qui sunt quasi Episcopi, quia habent iurisdictionem etiam externam quam Episcopalem, iuxta dicta tom. 1. cap. 18. num. 2. Prouincialibus, qui sunt veluti Archiepiscopi habentes sub se Superiores immediatos Monasteriorum, qui ut diximus quasi Episcopalem auctoritatem habent, & Generalibus qui sunt veluti Primates, & Patriarchæ, cum sub se contineant Prouinciales, & hi omnes sub Summo Pontifice tanquam Pastore vniuersali. Rodriguez tom. 1. q. Regul. q. 12. art. 5.

9 Item pro eisdem Prælatibus, dignitatibus, seu præpositis Religionum notandum, quod alij sunt habentes iurisdictionem Ordinariam, ut sunt Generales, Prouinciales, Priores, Abbates, & alij similes, etsi diuersis nominibus vocati, alij vero delegati, ut sunt Commissarij, vel Visitatores Generales, vel Prouinciales. Rodrig. tom. 1. quest. Regul. q. 13. art. 20. Vicarij autem istorum aliquando habent iurisdictionem Ordinariam aliquando delegatam, Ordinariam quidem quando non ex delegatione, sed vel electione, vel Constitutione, consuetudine, aut iure Ordinis eis competit Vicariatus, delegatam vero quando à prædictis nominantur, & delegantur. Vide dicta tom. 1. capite 18. numero tertio.

10 Supremum caput intra Religionem qui regulariter Generali nuncupatur, cuius dignitas, ut dictum est Patriarchali, seu Primatiali in Hierarchia Ecclesiastica correspondet, per legitimam electionem creandum est, hoc enim probat usus, & institutio Religionum, & est consentaneum tum iuri Canonico tam de huiusmodi prælatorum electionibus agit, tum iuri naturali ut Religio in Pastore sibi eligendo consensum præbens maiori cum amore ipsum suscipiat, & ei obediat de cuius sufficientia publicum dedit per electionem testimonium. Suarez 4. to. de Relig. tract.

8. lib. 2. cap. 3. num. 2. Quo non obstante, quando incommoda, vel inconuenientia cernuntur ex Capituli celebratione propter bella, pestem, vel similia mala, & ad euitandas Ordinis expensas prudenter à maioribus Ordinibus supplicari deberet Papa pro digniori, & magis benemerito Religioso in Generalem ab ipso instituendo, & ipse Pontifex annuere, prout fecit Sanctiss. D. N. Urbanus VIII. ann. 1632. Reuerendiss. Mag. Theodorum Stratium in Generali nostri Ordinis creando, quem digniorem, & probationem à grauioribus Ordinibus Patribus nouerat.

11 Probabile etiam est, iuxta dicta tom. 1. cap. 18. num. 5. requiri pro Generali eligendo ætatem 30. annorum, cum hæc ætas requiratur pro Episcopis cap. cum in cunctis de elect. Dignitas autem Generalis sit quasi Episcopalis, imò sapius maioris oneris, & laboris propter subditos diuersarum nationum, & regionum. Requiritur etiam quod sit professus ex cap. cum ad nostram de elect. capitulo cum causa & capitulo cum in magistrum eodem titulo. Professione expressa ex cap. nullus de elect. in 6. & in ipsa Religione in qua eligitur in Generalem, ex Clemen. 1. de elect. & Concil. Trident. sess. 14. c. 10. & sess. 25. c. 21. Requiritur item ex vi iuris communis conditio Sacerdotij ad Generalem ex cap. 1. de ætate, & qualitate. Non tamen videtur necessaria ex eodem iure communi aliqua antiquitas in Ordine pro prædicta Generalatus prælatione. De quibus, & alijs conditionibus egimus dicto tom. 3. cap. 18. num. 5. & 9. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 3. Qualiter etiam illegitimi, irregulares, excommunicati, & similibus censuris, aut penis obstricti non possint in prælatos eligi, quod maxime procedit de Generalatus officio, bene tamen saltem iure communi ex radice, aut genere infectis orti, dictum est eodem tom. 1. cap. 15. n. 25.

12 Habent prædicti Generales in Religionibus supream auctoritatem, & iurisdictionem Ordinariam, tum internam in foro conscientiæ, tum externam in foro contentioso iuxta Regulam tamè, & Ordinum Constitutiones, & iuxta dicta tom. 1. c. 18. ferme per tot. An autem dicenda sit potestas immediatè pendens à Papa, ita ut Capitulum Generale solum designet personam, an verò immediatè ab ipso Capitulo, probabilis videtur dicendum regulariter loquendo hanc potestatem immediatè esse à Capitulis Generalibus, quæ illam à Papa acceperunt. Ratio est, quia regulariter loquendo Capitula Generalia superiora sunt Generalibus, cum Generales à Capitulis eligantur, & deponantur, & decretis ipsorum obedire teneantur, imò possit eorum auctoritas ab ipsis restringi, & limitari, ergo medijs ipsis Capitulis hæc auctoritas à Papa communicatur Generalibus. Idemque suadetur ex differentia quæ est inter Papam, & Concilium generale ex vna parte, ac Generalem, & Capitulum generale ex alia, quod Papa est supra Concilium generale, & ita ab ipso nihil accipit, sed solum immediatè à Christo, Generalis autem est subditus Capituli, & ita ab ipso potest immediatè auctoritatem recipere. Suarez 4. to. de Relig. tract. 10. lib. 10. cap. 4.

13 Habent etiam prædicti Generales auctoritatem officia, seu etiam beneficia Religionum, iuxta earum tamen statuta, & leges prouidendi. In quo id maxime notandum iuxta communem sententiam, teneri prædictos eligere ad præfata officia, seu beneficia digniores, & meliores attentis circumstantijs. Tum propter dicta tom. 1. cap. 15. a num. 12. tum etiam quia cum sint dispensatores, & non domini bonorum Religionum tenentur de ipsis disponere, prout melius, & vtilius eisdem Religionibus fore iudicauerint, alias iniqui dispensatores erunt, & contra iustitiam grauius peccabunt. Rebellus p. 1. lib. 3. quest. 4. concl. 5. Turrianus tom. 2. in 2. disput. 22. dub. 4. num. 1. Portellus in Dub. Regul. verb. electio num. 6. Electio autem digni, relicto digniori bona solum est in foro externo quoad homines, non in interno, & quoad Deum, iuxta dicta eo c. 15. num. 12. Diana tract. 15. resol. 61.

14 Quamuis leges, aut Constitutiones perpetuo duraturas condere pro Ordinibus non competat iure communi Generalibus, iuxta dicta tom. 1. c. 18. n. 90. iure tamen particulari Religionum id habent aliqui illorum, iuxta ibidem dicta de generali Carmelitarum, quod etiam de generali patrum Iesuitarum affirmat Suarez 4. to. de Relig. tract. 10. lib. 10. cap. 13. n. 14. Possunt etiam condere Decreta, seu Statuta

Statuta duratura tempore Generalatus. Cum id pertineat ad munus praelatorum quod gerunt, & ad obedientiam ad subditis illis promissam. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 8. num. 4. Insuper possunt iure communi leges, & Constitutiones Ordinis, & Capitulum generalium, ac dubia circa ipsas interpretari, & declarare. Quia hoc etiam spectat, & est necessarium ad eorum munus pro bono Ordinis regimine. Portellus in Dub. Regul. verb. Generalis Ordinis. [Circa durationem Generalatus officij consule dicta tom. 1. cap. 18. num. 10. Pro casibus autem in quibus potest deponi generalis, attendantur Constitutiones Religionum, sicut pro nostra, Ordinis Constitutiones par. 4. cap. 5. num. 1. In iure autem communi stando generalis qui insufficientis est suo muneri deponi debet. l. Si quos Iudices. C. de offic. Praefect. prat. Orient. vel illur. Glossa in cap. 1. verb. insufficientem de renunciat. in 6. Doctores in cap. Si pro debilitate. de offic. delegat. & in l. 1. ff. de offic. eius cui, & in l. Si longius. ff. de iud. Malcardus conclus. 593. Sigismundus de Bononia de elect. dub. 102. Huiusmodi autem in sufficientia insurgere potest ex multis capitibus. Primo si sit notorius suae Regulae transgressor. cap. Cum ad Monasterium. vers. quous si prauaricator. de stat. Monach. Secundò si sit notoriè criminiosus c. Si quis Abbas 14. quest. 2. Tertiò si notabiliter negligens in officio suo cap. dictum distinct. 81. cap. 1. distinct. 86. cap. Quoniam in fin. dist. 100. cap. Si quis Episcopi. S. Ecce cum honoris 1. q. 1. cap. Placuit. 11. quest. 3. quae maximè procedunt si sit incorrigibilis in praefatis defectibus. Quartò si sit ita senio confectus ut non possit attendere suo officio. can. 1. dist. 85. vel ita aegrotus ut ad id sit inhabilis. cap. Alius 15. q. 6. De his Panormitanus in cap. Monach. num. 5. de Stat. Monach. Glossa in d. cap. 1. de renunciat. in 6. Sigismundus de Bonon. de elect. dub. 102. ubi plura ad intentum.]

15 Sunt qui credant Generales Ordinum mortaliter peccantes teneri in confessione explicare hanc circumstantiam Generalatus. Eo quod ipsi praecipue sint quasi Episcopi, qui cum ratione status specialiter vitae perfectionem sequi teneantur, tenentur Episcopatus circumstantiam in omni peccato mortali confiteri. Fagandez praecip. 2. lib. 4. cap. 3. num. 8. Nugnus in addu. ad 3. p. tom. 2. quest. 9. art. 2. dub. 3. conclus. 2. & 3. Hoc tamen solum verum puto in peccatis publicis, propter circumstantiam scandalis, & obligationem quam praedicti Episcopi, & Generales habent pacificandi subditos verbo, & exemplo. Filiuccius in tr. 30. 10. 2. c. 7. n. 125. Dian. post alios, quos refert. in tr. de circumst. aggrauantib. res. 6. Idè respectuè, & suo modo dicendum est de alijs praelatis, propter eandem, vel similem rationem.

16 Commissarij Generales Ordinum regulariter loquendo solum habent auctoritatem delegatam circa ea quae illis committuntur, cum solum illam habeant per delegationem, vel nominationem factam à Generalibus, iuxta dicta supra. [Vnde tales non se debent ingerere in iurisdictionem ordinariam Praelatorum nisi in gradu appellationis, Prout declarauit Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium 5. Octobris 1626. & 16. Ianuarij 1643. quod notandum duxi propter aliquos Commissarios, qui in Ordine nostro in aliquibus Conuentibus constituuntur.] Quando autem Commissarij fuerint tales per electionem, Constitutionem, aut Iura Ordinum, ut contingit in Ordine Minorum, qui auctoritate Apostolica quando Generalis est ex familia cismontana eligunt ex ultramontanis vnum in Commissarium, vel è contra quando generalis ultramontanus eligunt ipsum ex Cismontanis, tunc tales habebunt auctoritatem Ordinariam, iuxta dicta etiam supra. Hinc priores amoueri possunt à Generalibus, cum ipsorum auctoritas ab illis pendeat in esse, fieri, & conseruari. Posteriores verò non nisi ex culpa, quia ipsa non existente, iniuria illis fiet si spoliarent à Generali Commissariatu, què iure Ordinis, vel per electionem possidentur. Similiter priores non possunt subdelegare, cum habentes iurisdictionem delegatam subdelegare non possint. Nisi quando in commissione id eis committeretur, quia tunc nomine Generalis subdelegarent, vel ipsi essent Delegati ad vniuersitatem causarum, & non pro causa aliqua determinata; quia Delegatus ad vniuersitatem causarum subdelegare potest, ut tradunt Glossa in c. cum causam de appell. Syluester verbo delegat. num. 12. Rodriguez tom. 1. qua-

stionum Regular. quest. 51. artic. 3. & 4. Posteriores verò cum sint verè Ordinarij suam auctoritatem delegare possent.

17 Parietiam modo de Vicarijs generalibus philosophandum est si enim solum per nominationem à Generali factam fiant, solum habebunt iurisdictionem delegatam amouibilem à generalibus, nec poterunt illam subdelegare nisi in casibus assignatis pro Commissarijs, si autem iure Ordinis, vel electione facti fuerint, ut contingit in Vicario Generali Congregat. Manruanae Ordinis nostri, tales iurisdictionem habet ordinariam alijs subdelegabilem, nec amouibilem, nisi propter culpas, iuxta dicta de Commissarijs.

18 Praedictorum autem Commissariorum, seu Vicariorum generalium auctoritas, quoad ipsi iurisdictionem ordinariam habent non expirat morte generalis. Ordinaria enim iurisdictione non expirat morte siue concedentis, siue alias cuiusquam. Quando tamen isti solum delegatam iurisdictionem habent expirat morte Generalis concedentis. Rodriguez post alios tom. 1. quest. Regular. quest. 9. artic. 1. Portellus in dubijs Regularibus verbo Generalis. Subiungens quod si Visitatores inceperunt suum munus exercere debent illud finire etiam Generali mortuo. Hoc tamen potius videtur ius particulare Ordinis Minorum quam commune.

19 De Visitatoribus Generalibus inferius dicitur loquendo de Visitatoribus Prouincialibus.

20 Generalibus proximè accedere videntur ij qui ipsis assistunt pro regimine Religionum, varijs nominibus nuncupati, videlicet, Assistentes, Consiliarij, Diffinitores, Socij, &c. cum quibus praedicti Generales grauiotes Religionis causas decidere debent. Et quamuis eorum auctoritas iuxta Religionum diuersitatem diuersa etiam sit, aliqua tamen, quae magis communia videntur tangemus.

21 Eorum ergo quidam cum Generalibus in praedictis causis habent votum decisuum, alij verò solum consultiuum. Assistentes enim Patrum Societatis solum votum consultiuum habent (nisi casu aliquo) Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 10. cap. 1. num. 6. Alij verò etiam decisuum, ut nostrorum PP. Discalceatorum Diffinitores ex Bulla Pastoralis officij Clem. VIII. ann. 1593. quae habetur inter privilegia ipsorum, & 3. to. Bullar. inter Bullas huius Pontif. fol. mihi 32. Habere votum consultiuum cum Generali, est quod tota rei decisio, & iudicium à Generali fiat, consultis tamen, & auditis assistentibus, habere autem votum decisuum, quod rei decisio pendeat etiam à sententia, & assensu Assistentium. Assistentes porro, siue consultiuum, siue decisuum suffragium habentes non sunt dicendi assessores, quia assessorum munus solum est assistere Iudici ipsum instruendo pro decisione causae, hi autem assistentes non instruunt Iudicem, sed vel cum ipso causam, decidunt, vel consilium praebent pro decisione.

22 Hi Assistentes, Diffinitores, vel Socij, si voce tenus suffragium, vel consilium praebent, licet vsus Regionis obseruari debeat, conuenientius est, ut à minoribus, seu iunioribus incipiatur, quemadmodum fit in multis Tribunalibus, nam maioribus, vel senioribus incipientibus, periculum est, ut illorum auctoritate minores moti loquantur, non secundum propriam sententiam, sed iuxta maiorum, & seniorum placitum: Rodriguez tom. 2. quest. Regular. quest. 45. artic. 3. Portellus in Dubijs Regul. verb. Diffinitores, seu Consiliarij num. 1. Tenentur detegere Praesidi, seu Generali defectus publicos, si eos ignoret, eorum qui proponuntur ad dignitates, & officia Ordinum, ne indigni admittantur. Bonum enim publicum Religionis id requirit. D. Thom. 2. 2. quest. 69. art. 2. Palud. in 4. dist. 29. q. ult. Imò etiam defectus occultos non emédatos. Quia bonum publicum Religionis praeponderare debet bono priuato famae Religiosi. Quod intellige quando aliter obuiari non posset illius defectuosi electio, & talis defectus nocius esset communitati. Ludouicus Beia in respons. moral. part. 3. casu 38. Portellus in Dub. Regular. verb. Diffinitores, seu Consiliarij num. 2. & 3. Licet autem non teneantur subscribere nisi propriae sententiae, quando tamen maior pars illorum aliquid decreuit, possunt, & debent ij, qui dissenserunt cum illis subscribere, Tum ne pax Religiosa turbetur, tum quia humilitas praescribit, ut

- eo casu vnus alij se summittat, tum quia quod maior pars decernit, à toto corpore dicitur decisum, ac per consequens omnes tunc debent subscribere. *Rodriguez tom. 2. quest. Regul. q. 45. art. 10. Portellus in Dub. Regular. verbo. Diffinitores, seu Consiliarij num. 4. Reuelantes secreta.* Diffinitorij contra præceptum præsidis, & etiam præcepto non existente, cum res ipsa id postulat, grauiter puniendi. Quia peccant contra bonum commune Ordinis. *Rodriguez tom. 2. quest. Regul. quest. 36. artic. 3.*
- 23 In Religionibus vbi hi Assistentes, Diffinitores, Consiliarij, vel Socij habent votum decisuum ad res graues decidendas non possunt Generales sententiam aliquam grauem contra delinquentes Regulares ferre sine consensu illorum, & sententia ab eis lata sine maioris partis consensu nullius est valoris, & momenti. Sunt enim prædicti Assistentes coniudices cum Generali in prædictis causis grauibus, & ita sine ipsis nihil fit. *Rodriguez tom. 2. quest. Regular. quest. 45. artic. 2.* In Religionibus autem vbi prædicti solum habent votum consultiuum licet peccent Generales sine illorum consilio graua aliqua decernentes, quia operantur contra finem intentum ab illis Religionibus in institutione talium Assistentium, reuera tamen sententia illorum valida erit, quia non petitio consilij non videtur esse contra formam substantialem sententiæ. *Rodriguez vt supra.* Consulenda nihilominus sunt particularia iura Religionum, quæ si non fuerint, prædicta obseruanda sunt.
- 24 Tenentur prædicti Assistentes, &c. iuxta eorum conscientiam respondere, alias infideles erunt muneri quod gerunt, etiam si existimant Generales velle eos consentire ipsorum voluntati assentiri, aut tacere, aut nihil effecturos suam sententiam proferendo, vel solum ceremoniæ causa interrogari; propter eandem rationem. *Rodriguez tom. 2. quest. Regular. q. 45. artic. 4. & 6.* Subiungit teneri tacere, si eis à Generalibus ita præcipiatur. Sed hoc est verum in dubijs, & probabilibus, tunc enim præcepto Superiorum stansum. Quando tamen certum & euidens fuerit illos posse, & debere circa rem propositam suum sensum aperire, tunc non tenentur Superiorum præcepto stare, quia tale præceptum iniquum est, & non obligat, iuxta dicta *ro. 1. c. 4. a. n. 2.* Si verò Generalis diceret se habere iustas causas ad aliquid faciendum, vel illis silentium imponendum, cum res sit dubia, & incomperta credendum illi est. [Vide circa hæc *Sigismundum supra dub. 112. per totum, ac Tamburinum de iure Abbat. disp. 1. quest. 3.* vbi de illis hæc maximè notanda scribit: *Cum maxima igitur spiritus liberalitate, modestia, humilitate, & grauitate, & urbanitate qua decet viros graues doctos & Religiosos suarum Religionum Principatum representantes in prædictis Congressibus & Capitulis incolumi atque inuiolata semper manente veritate sententiam suam proferant cum vero Dei zelo & communis boni vtilitate, cogitantes se de tali sententia rationem reddituros esse in tremendo Dei iudicio.* Notat etiam propterea necessarium esse vt præfati non sigillatim, sed collegialiter vniuius votum suum præbeant, ita vt alijs facientes eorum assensus, vel dissensus nulli & inualidi sint. *c. in Genes. de elect. & l. 1. C. de decim. lib. 10. Rota in recent. par. 2. decis. 382. n. 3. Decius, Panor. mitanus, Felinus, & alij apud eundem Tamburinum.]*
- 25 Procuratoris Generalis munus magnæ præcipientiæ est in Religionibus, Mendicantibus præsertim, in quibus ad eum pertinet orare in Capella Domini Papæ, & eidem Capellæ debito tempore interesse, quasi totius Ordinis, vel Generalis personam representando. *Rodriguez tom. 1. questionum Regular. quest. 53. artic. 2.* Instituitur, vel per electionem, vel per nominationem à Generalibus factam. Aliquando habet adiunctum munus prælatiæ, vel Superioritatis respectu aliquorum, hospitem scilicet, vel aliorum, & tales nominari possunt inter dignitates, quia vt diximus in principio huius capituli, dignitas est administratio cum iurisdictione, quando autem tale munus prælatiæ, vel Superioritatis non habuerit, vt contingit in Ordine nostro, munus Procuratoris Generalis erit solum personatus, non dignitas, iuxta dicta ibidem. An illegitimi possint hoc munus subire inferius dicemus.
- 6 Prouinciales sunt Præfati Prouinciarum Religionum habentes in illis supremam iurisdictionem, & potestatem iuxta Regulam, & Constitutionum statuta. Eorum munus dignitas appellanda est, cum sit administratio cum iurisdictione, iuxta dicta supra *num. 2.* Fiunt, vel per electionem Prouinciarum, vt in nostra, & alijs pluribus Religionibus, vel per nominationem à Generali, vt in Societate Iesu, qui posterior modus instituendi illos commodior factus est ad euitanda incommoda, quæ ambitio parturire solet. *Suarez 4. tomo de Relig. tract. 10. lib. 10. cap. 3.* Quomodocumque autem fiant, scilicet, vel per electionem, vel per nominationem à supremo prælato Ordinis habent iurisdictionem ordinariam, & non tantum delegatam. Quia sunt Ordinarij Pastores, & veri prælati Prouinciarum, & regularium in eis existentium. *Suarez 4. tomo de Relig. tract. 10. lib. 10. cap. 5.* Habent iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, iuxta dicta *tomo 1. cap. 18. num. 2. S. Thom. 2. 2. quest. 33. artic. 7. Portellus in Dub. Regular. verbo Prælati iurisdictione.* Imò assimilantur Archiepiscopis, iuxta dicta supra *num. 8.* cum habeant sub se Superiores immediatos Conuentuum qui habent etiam quasi Episcopalem iurisdictionem. *Rodriguez tomo primo questionum Regular. quest. 12. artic. 5.* Possunt suam auctoritatem delegare iuxta instituta tamen suorum Ordinum, omnis enim qui habet iurisdictionem Ordinariam eam delegare potest, cum eo ipso quod habeat illam ordinariam, habeat vt propriam, ac per consequens alijs eam dare possit. *Portellus in Dub. Regular. verbo Prælati potestas in addit. num. 6.*
- 27 De Commissarijs, seu Vicarijs Prouincialibus eodem modo philosophandum est respectu, ac de Commissarijs, & Vicarijs Generalibus de quibus supra.
- 28 Circa Visitatores tam Generales, illos scilicet qui ad visitandas Prouincias veniunt, quam Prouinciales, eos videlicet qui intra eandem prouinciam Conuentus visitant, dicendum est eos esse Iudices Ordinarios, vel Delegatos, amouibiles, vel inamouibiles censendos iuxta dicta de Commissarijs, & Vicarijs Generalibus, & Prouincialibus. Similiter de eorum auctoritate, an sit vel non sit delegabilis, expiret, vel non expiret morte concedentis, eodem modo, ac de prædictis Commissarijs, & Vicarijs philosophandum, cum re ipsa Visitatores isti Commissarij quidam, & Vicarij sint. Addendum quod tempore actualis Visitationis, stando in iure communi, & præcendendo à particularibus statutis Religionum, totum regimen externum contentiosum Prouinciæ, vel Conuentus pertinet ad Visitatorem, non ad Prouincialem, aut prælatum. Conuentus. Ratio est, quia Visitatori committuntur omnes causæ, & lites Prouinciæ, vel Conuentus, ergo pro illo tempore non pertinet ad Superiorem prædictæ Prouinciæ, vel Conuentus, alias esset inordinata confusio inter Religiosos dum vnus, vni Prouinciali scilicet, vel Priori, obedire vellet, alius Visitatori. *Portellus in Dub. Regular. verbo. Prouincialis in additione. ad addit.* Pro quo notandum duplicem esse iurisdictionem, aliam contentiosam, aliam voluntariam, contentiosa est, quæ inter contradicentes, actorem scilicet, & reum exercetur: voluntaria est quæ exercetur in volentes, & non contententes cum aliquo. Exemplum prioris est, facere processus, examinare testes, proferre sententiam, &cet. Posterioris autem absolutio Sacramentalis, dispensatio voti irregularitatis, &cet. Dico ergo, tempore actualis Visitationis possunt Prouinciales, vel Priores, quorum prouincia, vel Conuentus visitantur exercere actus iurisdictionis voluntariæ, non autem contentiosæ. Ratio primæ partis est, non solum quia per visitationem non priuantur Prouincialis, aut prior ver. gr. suis officijs, cum adhuc maneant prouincialis, & prior, & habeant sigilla illorum, sed etiam quia per exercitium talis iurisdictionis voluntariæ non impeditur, aut turbatur officium Visitatoris, potest ergo illum exercere. Ratio verò secundæ, quia alias iniuria fieret Visitatori intromittendo se in pertinentibus ad ipsius officium, quod est vt diximus, causas, & lites iudicari. Vide Sanchez *lib. 3. de Matrimonio disputat. 8. Portellus in Dub. Regular. verbo. Prouincialis in additione ad additionem.*
- 29 Hinc possunt prælati prædicti tempore quo prouinciæ, vel Conuentus ipsorum à Visitatoribus visitantur absoluerè apo-

- apostatas; vel excommunicatos etiam in foro externo, dummodo non sit hoc in causa litigiosa, quia per hoc non fiet iniuria Visitatori. Non tamen poterunt facere aliqua quibus impediatur Visitatoris auctoritas, videlicet transferre, vel mutare aliquem Fratrem de vno loco ad alium, ne ad sit visitationi, aut ne proferat testimonium, &c. Portell. *vt sup.*
- 30 Auctoritas horum Visitatorum pendet maximè ex litteris patentibus Commissionis, si enim in illis sit restricta, & limitata non possunt ultra illam aliquid agere, si autem sit cum plena potestate poterunt facere quidquid iure vel consuetudine Religionis receptum est. Vnde facere non poterunt etiam posita prædicta clausula plenitudinis potestatis, ea, quæ vel iure, vel consuetudine Ordinum solis Generalibus, vel Provincialibus personaliter competunt. Hac enim cum sint specialiter nota digna in concessione generali non veniunt, iuxta communem iuris regulam inter regulas iuris *num. 81.* Vnde nec poterunt facere quæ ad solum Generale, vel Provinciale Capitulum spectant, propter easdem rationes. Rodriguez *to. 1. quest. Regul. quest. 54. artic. 1. & 4.*
- 31 Cum mittuntur ad visitandam totam vnam Provinciam cum plenitudine potestatis possunt subdelegare, quia etsi sint Delegati, cum tamen sint Delegati ad universitatem causarum maximè cum plenitudine potestatis, videtur ipsis concessa potestas ad subdelegandum, iuxta dicta supra. Rodriguez *tom. 2. q. Regul. q. 4. artic. 3.* Subiungens id non procedere quando committitur facultas, vt personaliter visitent aliquod Monasterium. Tunc enim videtur electa industria personarum, ac perinde eorum auctoritas alijs delegari non potest. Felinus *in c. quoniam §. is autem de offic. delegati.*
- 32 Rebellantes in Visitatoribus, aut illis contradicentes, ipso iure sunt excommunicati in Ordine Minorum, excommunicatione Papæ reservata, & privati officijs quæ actu habent, voce actiua, & passiva, & inhabiles ad officia, &c. prout ordinavit Gregorius XIII. Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. q. 54. artic. 4.* Quo privilegio etiam frui possunt alie Religionis communicantes cum Minoribus in privilegijs. Non tamen incident in prædictas penas qui Visitatoribus contradixerint in ijs, in quibus excedunt auctoritatem quam habent. Rodrig. *vt supra artic. 4.*
- 33 Gestæ à Visitatoribus rescindi, mutari aut alterari non possunt ab inferioribus finita visitatione, nam licet potestas eorum extingatur tempore visitationis completo, durat tamen auctoritas eorum à quibus missi, & quorum virtute sunt facta. Vnde saltem ijs perseverantibus in officijs suis, gestæ à Visitatoribus debent permanere. Rodriguez *tom. 1. q. Regul. q. 54. artic. 4.* afferens ad hoc Bullam Gregorij XIII. pro Minoribus. Non tamen debent perpetuo durare, nisi ipsi, vel ij à quibus missi sunt potestatem haberent condendi leges, quia tunc decreta, & gestæ ab ipsis vim legis habere possent, & per consequens perpetuo durare.
- 34 Non debent prædicti Visitatores formare processus, seu quærelas contra prælatos pro rebus minimis. Alias auctoritas Prælatorum valde minueretur, & contemneretur. Portellus *in Dub. Regular. verbo Provincialis in addit. ad addit. n. 7.* In Religionibus aut arctioribus de levioribus culpis potest formari processus, quia si in talibus Religionibus hæc culpæ dissimularentur, perfectus rigor, & observantia illarum paulatim decideret. Portellus *ibid.* Nec etiam debent prædicti prælati puniri propter culpas sine dolo, aut malicia commissas, ne fiat odiosum, & contempnibile munus prælatorum. Rodriguez *in addit. ad Sum. verb. delictos cap. 103.* Portellus *vt supra n. 7.*
- 35 Quando autem debeant procedere via inquisitionis generalis, aut specialis, & de alijs observandis à Iudice Regulari in Regularium causis. Vide dicta *tom. 1. c. 27.*
- 36 De Assistentibus, Diffinitoribus, Consiliarijs, seu Socijs Provincialium videtur eodem modo philosophandum respectuè, ac de Assistentibus, Diffinitoribus, Consiliarijs, seu Socijs Generalium de quibus supra diximus à *nu. 20.* Vide dicta eo numero, & sequentibus.
- 37 Superiores immediati Conventuum, vel Monasteriorum, qui Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, vel similibus nominibus nominantur sunt verè Prælati Angelus, & Syluester *verb. Prælati.* Suarez *4. tom. de Relig. Summa Lezana. Tom. II.*

- tract. 8. lib. 2. cap. 2. num. 2. Habent iurisdictionem quasi Episcopalem, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. n. 2.* de quo etiam Suarez relatus *præd. cap. 2. num. 9.* Eorum munus dignitas appellari potest, cum sit administratio cum iurisdictione, iuxta dicta in *cap. n. 2.* Angelus *tit. delegatus §. 3.* Habent iurisdictionem ordinariam delegabile, iuxta dicta *num. 9.* Eo quod habeant iurisdictionem ex officio, seu lege Canonica. Nauarr. *in cap. non dicatis num. 95.* Portellus *in Dub. Regular. verbo Prælati potestas in addit. n. 2.* Vnde quando siue in Regulis, siue in Constitutionibus Ordinum, siue in Bullis, aut Privilegijs Summorum Pontificum nominantur indistinctè prælati, etiam illi intelliguntur. Portellus *in Dub. Regul. verbo Guardianus num. 1.* Requiritur ad minus ætas 25. annorum pro illis: etenim ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12.* nemo ad dignitates quascumque quibus animarum cura subest promoveri debet nisi qui saltem prædictum 25. annum attingerit. Colligitur etiam ex eo quod debent esse Sacerdotes qui etiam talem ætatem exigunt. Rodrig. *tom. 1. quest. Regul. quest. 15. artic. 2.* Circa potestatem quam illi habent absolvendi etiam à casibus reservatis, dispensandi, irritandi vota, &c. Vide dicta *to. 1. cap. 18.* Maximè quam habent isti prælati immediati Dominicanorum, & aliorum Ordinum qui cum ipsis communicant in privilegijs ex Pio V. Possunt enim circa suos subditos per seipso omnem auctoritatem exercere quam Episcopi habent à Concilio erga suos, quantum ad absolvendi, & dispensandi facultatem, vt diximus *præd. cap. 18. num. 31.* Cum autem ex Conc. Trid. *sess. 24. cap. 6.* concedatur Episcopis facultas dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus poterunt prædicti prælati vii hac facultate, quæ verè magna est, per seipso tamen solos, & in casibus occultis, vt diximus dicto *cap. 18. num. 31.* Vide Portellum *in Dub. Regul. verb. Abbas n. 6. & in additionib. num. 3.* Possunt etiam seipso licentiaré, seu vti omnibus illis licentijs, seu quasi dispensationibus, quas possunt concedere subditis, non enim sunt peioris conditionis illis. Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. q. 19. artic. 7.* ex Corduba, Caietano, & Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 3. concl. 4.* Portellus *in Dub. Regul. verb. Abbas num. 9.*
- 38 Possunt præfici Conventibus Regularibus, Papæ auctoritate intercedente, etiam Clerici seculares ob Summam Pontificis auctoritatem. Id tamen prohibitum est fieri à Conc. Trid. *sess. 25. cap. 21.* & merito sanè, non solum quia alias iniuria quodammodo fieret Religiosis, sed etiam quia vix possent talia Monasteria prudenter, & pacificè gubernari. Rodrig. *tom. 2. quest. 52. artic. 7. & 9.* [Huiusmodi prælati immediati Monasteriorum, scilicet, Priores, Guardiani, &c. non possunt esse perpetui in dictis officijs, sed triennales, aut quadriennales iuxta diversâ Statuta Religionum. Ratio sumitur, ex *cap. Cum ad Monasterium, §. tales de stat. Monach.* Panormitanus *ibi, & cap. Cum inter 1. num. 2. de elect. Sigismundus de elect. dub. 114. num. 7.* Quod firmat Rota *decis. 302. num. 1. in fin. in 2. par. recent.* Addit Sigismundus quod si in aliqua Religione ex Apostolica functione, Statuto, aut consuetudine haberetur contrarium adhuc possent tales prælati ex rationabili causa amoveri à suis Superioribus, quia nunquam Sedes Apostolica consuevit talia officia approbare. *cap. Ad nostram. & cap. Porrecta. de confirm. util. vel inutil.* Addit secundò quod si Pontifex ex certa scientia, & cum causæ cognitione, specialique derogatione *d. cap. Ad nostram, & cap. Porrecta.* confirmaret alicui personaliter aliquam ex prædictis Prælaturis in perpetuum, tunc profectò ille non posset deponi propter *cap. 1. & 2. eod. tit.* Glossam, Innocentium, & Rotæ decisionem, quæ *ibi, & dub. 39. n. 6.* refert. Nota verba illa specialique derogatione *d. cap. Ad nostram, & c.* quibus denotare videtur talem Papæ confirmationem debere esse non solum ex certa scientia, & cum causæ cognitione, sed cum speciali etiam derogatione Iuris communis in prædictis capitibus.]
- 39 Inter Superiores immediatos Conventuum iure veniunt connumerandi ij qui Vicarij Conventuum, & Vicarij in Capite appellari solent, illi scilicet, qui in Conventibus ipsis non habent Superiorem. Sunt .n. verè prælati, *vt to. 1. c. 18. num. 3.*

- num. 3. diximus Rodrig. *to. 1. q. Regul. q. 12. artic. 6.* Vnde etiam sunt dicendi habere dignitatem Ecclesiasticam, Rodrig. *ibid.* Cum autem sint vere praelati omnia illa poterunt facere, quæ alij praelati immediati Conuentus, Priores, Abbates, Guardiani, &c. nuncupati facere possunt. Portellus *in Dub. Regul. verbo Vicarius in capite.*
- 40 Illi autem Vicarij Conuentuum qui in ipsis Conuentibus Superiorem agnoscunt, qui inter nostros Carmelitas Superiores vocantur, non sunt vere praelati, sed solum instituti vt praelatos adiuent in eorum munere, vt diximus dicto c. 18. n. 3. Vnde nec sunt dicendi habere dignitatem Ecclesiasticam, cum nullam habeant iurisdictionem, nec possint facere quæ alij praelati Ordinis facere possunt. Dubitari tamen potest an huiusmodi Vicariatus, vel Superioratus dicendi sint personatus, an verò officia, seu administrationes, & quia hoc valde pendet ex diuersis statutis Religionum, dicendum mihi videtur, quod si tales iuxta suarum Religionum statuta præter administrationem, qua funguntur habeant aliquam præminentiam, vel præcedentiam vltra eam, quæ ipsis competit ratione suæ professionis, dicendi erunt personatus, vt enim vidimus supra num. 2. personatus est præminentia, seu præcedentia sine iurisdictione. Si autem non habeant illam, eorum manus dici debet officium, seu administratio, propter ibidem dicta. Credo tamen prædictos in Ordine nostro dicendos esse personatus, quia scilicet habent præminentiam, seu præcedentiam sine iurisdictione præcedunt enim omnes simplices Sacerdotes etiam ipsis in Ordine antiquiores, regunt Monasteria Priore extra Conuentum in Ciuitate, vel Oppido existente, & iure Ordinis tempore Capituli Prouincialis, si non eligantur pro Socijs, manent Vicarij Conuentuum. Quæ omnia præminentiam denotant.
- 41 Circa ea autem, quæ possunt facere isti Vicarij Conuentuum, vel Superiores tempore absentia à Conuentibus Priorum, Guardianorum, &c. quando scilicet sunt in ciuitate, vel Oppidis, licet in hoc attendendum sit ad particularia statuta, & consuetudines Religionum, mihi videtur dicendum saluo doctiorum iudicio, posse eam facere in casibus occurrentibus quæ ipsi Priores, Guardiani, &c. si essent præsentibus facere possent. Ratio mihi est, quia eo tempore prædicti Præsidentes Monasteriorum, vel sunt praelati, vel quasi praelati, vel gerentes munus praelati, non enim pro tempore illo Monasteria sine capite sunt, ergo omnia quæ facere possent praelati facere possunt ipsi. Vnde Sixtus IV. in Bulla *Dum attenda*, quæ est Mare magnum Ordinis nostri dum facultatem concedit absoluedi venientes ad Ordinem à censuris ipsam tribuit § 6. Generalibus, Prouincialibus, & Prioribus, ac vices eorum gerentibus, & similis concessio quoad absolutionem Fratrum à censuris reperitur in Marimagno Prædicatorum pro Prioribus, & vices eorum gerentibus in Conuentibus, vt habet Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. absolut. Ordinar. quoad Fratres §. aduertendum.* Ex hoc autem videtur sequi supponere Pontifices huiusmodi Vices gerentes praelatorum Conuentuum in eorum absentia auctoritate praelatorum fulgere. Sed vt dixi, obseruandæ sunt Constitutiones, & consuetudines Religionum. [Nota autem quod eum Priores sint in duplici differentia alij, qui vocantur Conuentuales, alij qui solum dicuntur claustrales. Ex quibus Priores Conuentuales sunt, qui conuentibus, vel Monasterijs vt veri Praelati præficiuntur. Claustrales vero illi qui post praelatos Monasteriorum in illis institui solent ad administrationem & regimen Conuentuum. De quibus Clem. *Ne in agro. §. Caterum. de stat. Monach. c. Cum ad Monasterium. de stat. Monachor. & can. Nullam. 18. quest. 2.* Nauarrus *ibidem num. 4.* Gonzalez *in reg. 8. Cancellaria, gloss. 8. n. 113. & 118.* Tamburinus *de Iure Abbat. tom. 3. disput. 9. quest. 3.* Ideo prædicti Priores Claustrales idem videntur esse, ac subpriores, seu Vicarij Conuentuum habentes supra se in eisdem Conuentibus alios Superiores, de quibus diximus.]
- 42 Pro graduatis Religiosis, Magistris, Baccalareis, vel similibus dicendum falso asseruisse Rebuffum *in dispens. cum irregular. num. 27.* titulum doctoratus in Theologia, vel iure Canonico non debere tribui Religiosis, cõtium

enim praxi, & vsu Ecclesiæ, & plurium Religionum constat. Rodriguez *tom. 2. quest. Regular. quest. 74. artic. 1.* Pro quo extant priuilegia Bonifac. IX. & Innoc. VIII. pro Prædicatoribus. Rodriguez *ibid.* Tenentur sequi Chorum non obstante quocumque priuilegio eis concessio, iuxta dicta *tom. 1. cap. 18. num. 70. & cap. 10. num. 20.* Non possunt vt aliquo gradus sui priuilegio nisi actu legant, vel prædicent, propter decretum Clementis VIII. & SS. D. N. Urbani, de quo *to. 1. cap. 8. num. 25.* Vbi etiam quid intelligatur per actu legere. Ex quo videtur dicendum quod Magistri in Religionibus non possunt habere vocem actiuam, vel passiuam in Capitalis nisi actu legant, vel prædicent, habere enim talem vocem est priuilegium quoddam, non ius commune, cum non sint praelati. Excusari tamen poterunt à legendo, vel prædicando si valde senes, infirmi, vel impediti sint, iuxta dicta eodem *cap. 10. num. 10.* Similiter illud actu legere, vel prædicare trahi potest ad similes casus quales sunt libros edere, casus conscientia resoluere, & similia. Dicitio enim taxatiua in decretis non excludit casus similes, vel vtgentiores, vt diximus *tom. 1. cap. 25. num. 20.* Maxime cum intentum Pontificum in illo decreto videatur esse quod Magistri, & graduati Religionum exerceantur semper in aliquo literario exercitio si volunt vt graduum suorum priuilegijs. Notandum præterea id, quod dicto *cap. 8. num. 25.* videlicet ineptos, & idiotas peccate mortaliter gradus prædictos petentes, aut retinentes. Contrarij enim sunt intentioni Ecclesiæ, & Religionum in huiusmodi graduum institutione, quæ est vt illi declarent, & defendant mysteria fidei contra infideles, & dubijs inter fideles emergentis satisfacere possint, quod nequeunt facere prædicti inhabiles. Syluester *verb. Doctor. quest. 4.* Emanuel Sà *in Summ. verbo docere num. 2.* Sanchez *tom. 1. consil. moral. lib. 2. cap. 2. dub. 57.* [Nota tamen, quod licet, vt dictum est, Regulares possint ad Doctoratum Theologiæ, & Iuris Canonici promoueri, de licentia suorum Prælatorum, quia nullibi interdicitur harum facultatum studium, aut talium graduum assumptio, prout tenent Caietanus, Syluester, Tabiena, Armilla, Nauarrus, & alij quos referunt, & sequuntur Sanchez *tom. 2. in decalog. lib. 6. cap. 14. num. 44.* & Tamburinus *de Iure Abbat. to. 3. disput. 3. quest. 6. num. 39.* Nihilominus ipse Tamburinus *ibid.* dicit non posse promoueri ad gradus Doctoratus in Iure Ciuili, aut medicina, eo quod *in cap. Non magnopere. est cap. Super specula, ne Clerici vel Monachi,* interdicitur ipsis Iuri Ciuili, aut medicinae studere. Ex quo colligi videtur etiam esse illis interdictum talium facultatum gradus suscipere. Pro quo refert Sanchez *supra num. 43.* Sed Sanchez eo loco solum loquitur ex sententia Rebuffi, non ex propria. Ex propria enim sententia dicit *infra n. 45. & 46.* quod Religiosus qui licite, idest existens in sæculo, vel illicite, idest postquam est Religiosus his facultatibus operam dedit, poterit suscipere gradus illarum eo quod nullibi id prohibeatur, & in præfatis capitibus *Non magnopere, & super specula,* solum ipsis interdicitur auditio Iuris Ciuili, aut medicinae, non promotio ad gradus harum facultatum. Pro quo refert Calderinum, Felinum, Nauarrum, Salzedo, & Rodriguez.]

43 Procuratoris munus officium est, non dignitas, aut personatus, cum meram administrationem sine iurisdictione, aut præminentia importet, in quo ratio officij consistit, vt supra *num. 2. & 7.* diximus. Ad Procuratorem spectat solum bonorum, ac reddituum Monasteriorum exigendorum cura. Vnde ipse pecunias, ac res collectas conseruare, aut expendere non potest. Sic enim statuit Clement. VIII. in decretis *pro Reformat. Regular. quæ habentur inter Bullas huius Pontificis 3. tom. Bullar. num. 60.* & postea confirmata sunt à S. Congregatione Concilij iussu SS. D. N. Urbani in decreto de Regularibus Apostatis, & eiectis vbi sic habetur. *Nullus ex Superioribus locorum administrationem honorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & reddituum sui Conuentus, etia nomine Conuentus, per se ipsū habere sine exercere possit, sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum reddituumq; colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter itaque Depositarius pecunias, ac cetera ab illo colle-*

colleeta, & exacta fideliter afferuet; alius de pecunijs; & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui uniuerso de necessarijs, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed iuxta charitatis Regulam veluti bonus dispensator provideat, officiorum huiusmodi confusione penitus interdicta. Ex quo habetur nullum ex Superioribus locorum posse exercere munus Procuratoris, aut habere per se ipsum administrationem bonorum Monasterij, quia hoc spectat ad ipsum Procuratorem. In Ordine autem Minorum non possunt Fratres esse Procuratores Monialium suarum. Id enim est illis prohibitum. Portellus in *Dub. Regul. verb. Procurator. Monialium*.

- 44 Huiusmodi autem administratores bonorum Monasteriorum amoueri possunt ad nutum Superiorum. Tum ex Concil. *sess. 25. cap. 2.* tum ex declarat. S. Congregat. apud Barbofam in *Collectan. Bullar. verb. officiales*. Illorum electio spectat ad Superiores Monasterij, etiam in casu, quo Monasterium subiectum sit Episcopo. Sic colligo ex declaratione S. Congregat. apud Lauretum de Franchis in *Controuerf. Episcop. & Regul. pag. mibi 164.*
- 45 Sacristæ munus (quod etiam officium dici debet, non dignitas aut personatus, cum non importet iurisdictionem, aut præminentiam) consistit in attendendo rebus pertinentibus ad cultum diuinum, & celebrationem Missarum iuxta varias Ordinum Regularium Constitutiones. Videtur ad ipsum spectare, vt decreta S. Congregationis Rituum edita die 8. Aprilis 1628. de quibus *tom. 1. cap. 12. num. 33. & cap. 21. num. 21.* diximus, affixa habeantur, & conseruentur in Sacristia, præcipitur enim à S. Congregatione ibidem, vt affigantur in Sacristijs omnium Ecclesiarum, tam Regularium, quam secularium ibique perpetuo affixa seruentur. Adiuncta sunt postea prædicta decreta Missali, ac Breuiatio Romano, quo sufficienter adimpleta videtur intentio S. Congreg. respectu talibus Missali, & Breuiario vtentium, non tamen respectu illarum Religionum, seu Ecclesiarum, quæ proprijs Breuiarijs, & Missalibus vtuntur, vt sunt Carmelitæ, & ita istis videtur necessarium prædicta decreta in Sacristijs perpetuo conseruare. Præcipitur etiam à Pio V. in Bulla *Cum primum*. anno 1566. edita quæ est in 2. tom. Bullar. num. 5. vt vidimus *tom. 1. cap. 10. num. 6.* in virtute S. Obedientiæ Religiosis (quod spectare videtur ad Sacristas) vt in Ecclesijs deputent aliquem qui pauperes mendicantes sine elemosynam petentes tempore Missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum Officiorum foras eiciant. Peyrinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Constitut. 4. Iulij II. §. 1. num. 2.*
- 46 Habent Sacristæ Conuersi professi facultatem tangendi Calices, & Patenas, & Purificatoria in necessitate à Sixto IV. vt refert Confettius in *Collectan. litterar. Apostol. Mendic. in Sixto IV. num. 9.* id priuilegium concedente Fratribus Augustinianis Prouinciæ Lombardiæ pro tempore quo Sacristiæ gerunt curam. Vide dicta *cap. 8. n. 33. & 34.*
- 47 Magistri Nouitiorum officium (neque enim dignitas, aut personatus appellari potest propter dicta in Superioribus) valde necessarium in Religionibus est propter nouitiorum instructionem, & educationem iuxta decreta Clem. VIII. approbata, & confirmata à Sac. Congregat. Concil. sub Sanctis. Dom. Nost. Papa Urbano. Debet talis Magister Nouitiorum habere Socium, & cum ipsis in Nouitiatu commorari, Nouitios instruere, docere, & curare, ne cum Nouitijs vllam alij Fratres communicationem habeant aut ad locum vbi sunt ingredientur, loci clauem habere, eorum confessiones audire, ipsis semper assistere, & alia facere quæ in prædictis decretis continentur specialiter sequentia, quæ tam ad ipsum Magistrum Nouitiorum quam ad eius Socium spectant. Nouitiorum Magistro Socius si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus quoad fieri poterit consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen spectant dicto Magistro immediatè subiectus existat, eliganturque tam Magister quam Socius, per Prouinciale Capitulum per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus concedi contingat, tunc ele-

ctionem Magistri Nouitiorum, & socij huiusmodi in his nouis locis per Generalem, vel Prouincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Definitorum tamen, vel grauiorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur; idemque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrumque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant. Tam Nouitiorum Magister, quam Socius ab ijs omnibus officijs, oneribusque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigésimum ætatis suæ anno constitutus, & per decennium à professione emissa in religione perstiterit. Socius vero trigésimum annum excedat sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam ante actæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque re-ferti, non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine præferentes, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ita præsertim, & indignatione quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissimè alieni; & tales demum, qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum præbeant; vt ij qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quam reuerentur. Nec illis vquam detrahere quicquam possint. Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat. Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in Regulari disciplina sedulo exercentur, agnoscantque præcipue diuinæ qua digni facti sunt vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit, atque perfecta votorum solemnium, & quam necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia, modum in Oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persisterendi, illicitas passiones, & vitia, (ad quæ natura per peccatū labefactata omni tempore prona est atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiam, puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat per aperationem quotidianam motuum internorum cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per immodestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium. Hæc ibi.

- 48 Circa illa tamen verba, *Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, &c.* aduertendum hic non concedi ipsis potestatem aliquam iurisdictionis in foro externo, hæc enim solum competit veris Prælati. Vnde nec possunt censuras Nouitijs imponere cū hoc sit actus iurisdictionis. Habent tamen in illos iurisdictionem in foro interno conscientiam, cum iuxta prædicta decreta illorum confessiones audire debeant. Neque ad hoc munus Confessarij Nouitiorum requiritur, vt puto, approbato Ordinarij, aut Episcopi, sed sufficit approbatio Superioris Ordinis, sicut ad audiendas confessiones aliorum Religiosorum, iuxta dicta *10. 1. cap. 18. num. 27.* Cum enim Nouitij tempore Nouitiatus maneant sub cura, & iurisdictione prælatorum Religionis, iuxta dicta eodem *tom. 1. c. 24. num. 4. & 5.* sicut prælati Religionum possunt concedere facultatem simplici Sacerdoti ad audiendas Confessiones Professorū, sic & Nouitiorum. Nullatenus tamen admittendum est id quod aliqui (Portellus in *Dub. Regul. verb. Nouitij annus num. 35.*) dicunt, videlicet, Magistrum Nouitiorum negare posse suffragium Nouitio indigno ob defectum solum cognitum in confessione. Hoc enim absurdè est contra reuerentiam, & sigillum Sacramenti, si enim semel admittatur vti posse confessarium scientia habita in confessione quantumuis occultè in damnum pœnitentis, retrahentur multi à confessione integra suorum peccatorum facienda. Vide in simili dicta *tomo 1. capit. 15. num. 14.*
- 49 Non possunt prædicti de quibus in præseti capite loquut sumus, siue Prælatias, siue officia, vel administrationes in



Religionibus habentes sint, excusari ignorantia in ijs, quæ spectant ad eorum officia rectè gerenda. Tenentur (inquit Rodriguez tom. 2. q. Regular. q. 72. art. 2.) in his quæ suam gubernationem, officium, & regimen, & administrationem respiciunt diligentissime se informare de omnibus decretis, & constitutionibus, & reformationibus quæ in diem à Sede Apostolica manabunt, alioquin ignorantia non excuset eos. Portellus in Dub. Regul. verb. Prælati num. 17. Quod maxime procedit in foro externo, nam quoad internum: ratione tum humanæ infirmitatis, tum multitudinis legum, & Decretorum, ipsorumque confusione quandoque excusari poterunt. Portellus *ibid.*

50 Illegitimi non possunt habere sine dispensatione in Religionibus prælatias, dignitates, aut personatus, aut beneficia curam animarum habentia. Ita enim habetur cap. 1. & fin. de filijs Presbyterorum. Etenim præd. c. 1. est sermo de prælatijs in cap. autem finali est sermo de dignitatibus, personatibus, & alijs beneficijs curam animarum habentibus. Unde nec possunt esse Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, aut similes Superiores etiam locorum curam animarum habentes, quia istal sunt prælatiæ, & dignitates à quibus arcentur in prædictis capitibus. Nec Commissarij, Vicarij, aut Visitatores generales, vel Prouinciales, quia isti etiam sunt prælati tempore quo durant, & esto non habeant aliqui illorum nisi iurisdictionem delegatam, ea tamè est Superior iurisdictione ordinaria Prouincialium, vel Prælatorum conuentualium. Nec etiam possunt esse Procuratores Generales, Diffinitores, Assistentes, Socij, vel Consultores generalium, vel prouincialium, quia isti sunt personatus cum eorum munus importet præminentiam, seu præcedentiam sine iurisdictione. [ Licet quod attinet ad diffinitores oppositum teneat Sigismundus de Bononia de elect. dub. 72. propter Constitutionem quamdam Sixti V. Sed tu vide quæ dixi tom. 1. cap. 10. num. 33. circa verba illius Constitutionis. ] Item nec possunt esse Superiores saltem in Ordine nostro, aut Vicarij conuentuum in illis Religionibus in quibus habent aliquam præminentiam, quia tunc erunt personatus, & etiam si nullam habeant præminentiam, quando in absentia prælatorum conuentuum ipsi sunt præfidentes, quia hoc est esse prælatos. Possunt tamen illegitimi esse Procuratores conuentuum, Magistri Nouitiorum, Sacristæ, & habere alia officia manualia, illa scilicet, quæ nec prælatiam, nec dignitatem, personatum, aut curam animarum important, hoc enim modo intelligendum est id quod diximus tom. 1. cap. 18. num. 62. Pro quo etiam, vide Syluestrum Summ. verb. Prælator. num. 3. Rodriguez tom. 1. quest. Regular. quest. 13. artic. 18. 19. & 20. Portellum in Dub. Regular. verb. illegitimi. Qualiter hi illegitimi dispensari possint, vide tom. 1. cap. 18. a num. 60. An illegitimi possint esse socij, seu discreti pro Capitulis diximus cap. 12. num. 17. Nota etiam declaratum esse à Sac. Congregat. Regularem illegitimum, sed ad instantiam Patris legitimum in infantia per legitimationem ampissimam vigore facultatum Dominorum de Campesgij non posse eligi generalem in sua Religione. Barb. in Collectan. Bullar. verb. Regulares 1.

51 Quando alicui prælato constat se esse electum ab vno qui erat inhabilis, & priuatus voce actiua, si sciente maiori parte Capituli illum defectum admissus est, tenetur renunciare, quia electio illa fuit nulla, iuxta dicta cap. 12. num. 19. si verò admissus est ignoranter, ignorante scilicet maiori parte capituli illum defectum non tenetur renunciare quia illa electio valida fuit iuxta *ibidem* dicta. Maxime quia ille elector tolerandus erat, ac per consequens gesta ab ipso valida. L. Barbarus ff. de officio Prætoris. Quatez tom. de legib. lib. 5. cap. 9. num. 5. Portellus in Dub. Regul. verb. electio num. 17.

52 Quando autem alicui prælato constat se tempore electionis non habuisse vocem passiuam, quia scilicet erat excommunicatus excommunicatione maiori quamuis occulta, tenetur quamprimum petere absolutionem ab excommunicatione, quæ est interitus, & postea curare, vt officium sibi de nouo conferatur ab eo, qui potest illud conferre. Ratio est quia prior collatio fuit inualida, & perinde ac si facta non fuisset. Nauarr. cap. 27. num. 21. & alij apud Bonacinam disput. 2. de excommunicat. quest.

2. punct. 4. §. 1. num. 11. Quod tenet verum etiam si ignoraret inuincibiliter se esse excommunicatum, quia quamuis illa ignorantia eum excusare possint à culpa, non potest tamen facere illum habilem ad id ad quod inhabilis erat. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 22. num. 127. & alij quos sequitur Bonacina, vt supra num. 2. Quamuis tamen hæc sententia probabilior, & securior sit, contraria tamen probabiliter prædictari potest, quod scilicet sufficiat auferre impedimentum, & secretè acceptate officium absque alia noua collatione, sed ex vi præterita, conualescens, ita tamen vt impedimentum sit omnino occultum, & vt id in nullius cedat præiudicium (prout contingeret in casu quo illud officium alteri tribui deberet qui in electione illius habuit pauciora vota) & quod impetretur dispensatio non solum illius impedimenti, sed etiam intrusionis per quod etiam fuit inhabilis ad idem officium. Sanchez lib. 3. de Matrimon. disp. 7. n. 12. Portellus in responsion. cas. moral. par. 1. cas. 1.

53 Prælato intruso, & non canonicè electo si res sit dubia obediendum est, quia in dubijs possessio illi fauet, iuxta dicta tom. 1. cap. 4. num. 25. Sanch. lib. 6. in decalog. cap. 3. num. 4. 29. & 30. Prælato tamen prædicto cum certo, & publicè constat ille defectus, non est obediendum, cum careat iurisdictione, iuxta dicta etiam eodem tom. 1. cap. 4. num. 38. Si autem defectus ille sit occultus, & subito constat certo de prædicto defectu tenetur in publico obedire illi propter vitandum scandalum, in secreto tamen non tenetur ipsius mandatis obtemperare, quia verè caret auctoritate præcipiendi. Syluester verbo beneficium 3. post principium. Portell. in responsion. cas. moral. par. 2. cas. 16. num. 7.

54 Prohibitum est prælati Regularibus, sicut & alijs Religiosis testari, seu testamentum condere. Quia prohibitio generalis testandi omnes Religiosos comprehendit, & ratio qua particulares in hac prohibitione comprehenduntur procedit etiam in prælati, nempe quia non habent dominium, aut proprium. Grassis 1. par. decision. lib. 3. c. 5. num. 59. Lessius 2. de iustit. cap. 19. dub. 4. numer. 40. & capit. 41. dub. 8. numer. 73. Vide dicta tomo 1. capit. 9. num. 19.

55 Professio fidei facienda est à quibuscumque prouisis de prælaturis quoruncumque Monasteriorum, seu domorum Regularium etiam militiarum, ex Pio IV. in Bulla Innuentum nobis, quæ habetur in 2. tom. Bullar. inter Bullas ipsius num. 89. vbi decretum Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 12. etiam ad prælatos Regulares extendit. Quia tamen hoc non est vsu receptum in multis Religionibus, ideo in illis non est obligatio ad id faciendum. Vt habent Sorbus in annotat. ad compend. priuileg. Mendic. verb. professio fidei §. & est primo notandum, vbi etiam refert Cardinales, & alios doctissimos ita consuluisse. Tamburinus de iure Abbatum tom. 1. disp. 8. quest. 3. num. 3. Portellus in Dub. Regular. verbo professio fidei, & alij apud Dianam tract. 2. de Dub. Regular. resolut. 78. Nihilominus de mandato Reuerendiss. Generalis Ordin. nostri Theodori Stratij introducta est obseruantia prædictæ Bullæ, cum qua etiam est modus faciendi talem professionem, qui habetur cap. præcedent. in formula celebrandi capitula in Ordine nostro.

56 Prælati non electi, quæ scilicet non dantur per electionem, sed per nominationem Superioris, Generalis scilicet, vel prouincialis, sunt manuales, ita vt mutari possint, etiam sine causa, quando Superioribus bene visum fuerit. Ita enim colligitur ex cap. cum ad Monasterium de stat. Monachor. Nec ipsi prælati amoti conuerti iure possunt siue agere quiddam contra spoliatores Superiores. Cum isti nullam illis iniuriam faciant eos amouendo à dictis prælaturis, sed vtantur iure suo. Riccius in practi tom. 4. resol. 51. num. 4. Sigismundus de Bononia in tract. de elect. p. 1. cap. 7. dub. 49. num. 6. & 14. Diana tract. 2. de Dub. Regul. resol. 117. Consulendum tamen est fama tuti Religionis, tum Religiosi amotis, alia iniusta esset talis remotio. Diana *ibid.* Dixi loquendo de prælaturis non electiuis, quia in alijs prælaturis obseruanda sunt statuta Religionum, earumque legitima consuetudines. [ Stando autem in iure communi nullus prælatus amoueri potest à sua prælatura nisi iusta & rationabili causa existente. ]  
Ratio

Ratio est quia quamvis Religiosi nihil habeant proprium, nec etiam velle aut nolle; nihilominus quia iniuriosum videtur auferre ab aliquo id quod possidet sine rationabili causa, & quia talis spoliatio occasionem præbet malè iudicandi de persona spoliata; ideo non possunt prælati Regulares ad beneplacitum solum superiorum amoveri. Id etiam colligitur ex cap. Nullam potestatem. 18. quest. 2. & cap. Monachi, in fin. de stat. Monachor. vbi Glossa verbo Non mutantur, & Panormitanus num. 8. vers. In glos. penult. ibi: Qui per electionem. Azor. par. 2. lib. 3. cap. 26. q. 15. Sigismundus supra.

Ex dictis autem in toto hoc capite elici potest quod quia principatum seu regiminum tres sunt formæ vt docet Aristelis D. Ethicor. cap. 10. & 3 politicor. cap. 5. & Plato lib. 16. de Regno, ac D. Thomas de regimine principum c. 1. & alij plures scilicet Monarchia, quæ est regimen per vnum commune caput, & Aristocratia quæ est per paucos, & optimates, & Democratia quæ est per multos & populares, ideo Religiones omnes iuxta earum institutum aliquo ex tribus modis regiminum vel vno cum mixtione aliorum gubernantur; Et quidem militantes sub Regula S. Benedicti ex sua primæua institutione Monarchia reguntur, vt constat ex cap. 3. Regulæ, & ex cap. 65. & ita habent Perez in Regulam S. Benedicti cap. 65. num. 2. Peyrinis tom. 2. de Prælatu quest. 1. cap. 2. num. 3. Tamburinus tom. 3. de Iure Abbat. disput. 1. q. 2. num. 1. quamvis prout de facto contingit non gubernentur nisi Aristocratia, vt notat num. 4. Basilium etiam seu viuentes sub Regula Diui Basilij etiam Aristocratia gubernantur, prout colligitur ex Regula cap. 45. & 48. & 54. & ex Regula Breuiori cap. 112. Peyrinis supra num. Tamburinus n. 5. Augustiniani etiam, seu viuentes sub Augustini Regula Aristocratia quoque gubernari videntur. Peyrinis n. 5. Tambur. n. 6. Militantes autem sub Regula S. Francisci quantum est ex vi Regulæ Democratia regi videntur, prout colligitur ex cap. 7. Regulæ, & tradunt Peyrinis supra num. 8. & Tamburinus num. 7. quamvis de facto potius Monarchia mixta gubernari videantur, prout habet Corduba in caput 8. Regulæ. Ordo autem noster Carmelitarum, licet ex vi Regulæ primitiua B. Alberti Democratia fuerit eò quod in c. 2. Regulæ assignatio cellularum dicatur fieri debere per dispositionem Prioris, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, idemque colligi videatur ex eadem Regula, prout ab Innocentio IV. declarata, correctæ, & mitigata fuit. Siquidem cap. 2. dicitur, posse habere Religionem loca in Eremitis vel vbi donata fuerint, secundum quod Priori, & Fratribus videbitur expedire: nihilominus in præsentis Religionis regimen Aristocraticum est, sicut & Congregationum Patrum Discalceatorum, siquidem ex antiquo Ordinis vsu Generalis regit Religionem cum Socijs sibi assistentibus, Prouincialis cum Diffinitoribus, & Priores Conuentuum cum Clauarijs. Et ita Aristocratiam esse modum regiminis nostræ Religionis tenet Thomas à Iesu super Regulam Carmelitarum, Peyrinis supra num. 7. licet addat se audire accedere ad Monarchiam. Sed nescio à quo id audiuit, nec quo fundamento id dici possit. De regimine porro aliarum Religionum agunt Authores relati, & ex dictis elici potest qualis sit. Si enim ab vno solo Prælatu sine consilio aut consortio aliorum gubernentur, erit Monarchia; si verò cum consilio, aut consortio paucorum & principaliorum erit Aristocratia; si multorum, & vulgariū erit Democratia.

SYMMARIUM CAP. XIV.

- Tertiariorum quotuplex genus? n. 1.
- Alij sunt in Religione viuentes cum tribus votis essentialibus. ibid.
- Alij est tria vota facerent, sed non in Religione, aut sub Regula approbata. n. 2.
- Alij neque in Religione viuunt, neque tria vota emittunt, sed Regulam aliquam approbatam obseruant. n. 3.
- Sunt inter eos viri, & femina diuersis nominibus appellati. n. 4.
- Tertiarij primi generis sunt verè, & propriè Religiosi. num. 5.

Summa Lezana. Tom. II.

- Gaudentque multis priuilegijs. ibid.
- Tertiarij secundi generis non sunt verè Religiosi. n. 6.
- An debeant tolerari. ibid.
- Tertiarij quoque tertij generis non sunt verè Religiosi. num. 7.
- Nec modus viuendi ipsorum potest appellari Religio. ibid.
- Bene tamen Ordo approbatus. ibid.
- An late, & analogicè Religio. ibid.
- Habent facultatem recipiendi suos Tertiarios Minores S. Francisci. n. 8.
- Dominicani. n. 9.
- Augustiniani. n. 10.
- Carmelitani. n. 11.
- Seruite. n. 12.
- Minimi. n. 13.
- Possunt huiusmodi Tertiarij Fratres, aut Sorores tertij Ordinis dici. n. 14.
- Profitentur Tertiarij aliquam Regulam approbatam. n. 15.
- Gestant habitum Ordinum, quorum sunt Tertiarij. n. 16.
- Qualis sit futurus talis habitus. ibid.
- Proprium etiam modum profitendi habent. n. 17.
- Qualis sit. ibid.
- An emittant aliqua vota. n. 18.
- Qualiter peccent transgressores sue professionis. n. 19.
- An peccent transgredientes Regulam. n. 20.
- Quomodo facienda sit illorum professio. n. 21.
- Ante illam debet præcedere aliquod tempus probationis. num. 22.
- An sint Apostata recedentes ab hoc statu. n. 23.
- Differt valde hoc institutum Tertiariorum à Confraternitatibus. n. 24.
- An sint dicendi persone Ecclesiasticæ. n. 25.
- Concessa illis sunt multa priuilegia. n. 26.
- Moderata tamen à Leone X. in Conc. Later. n. 27.
- Qualiter hec moderatio accipienda. n. 28.
- Quomodo id declaratum à Sacr. Congregat. Episc. & Regul. n. 29.
- Tertiarij tripliciter viuere possunt. n. 30.
- Diuersimodè sentiendum de viris, ac feminis. n. 31.
- Maritati, & maritate excluduntur à Tertiarijs. n. 32.
- An possint sepulturam vbi voluerunt eligere. n. 33.
- Qualiter, & de quibus, id sit intelligendum. ibid.
- Quo priuilegio circa Sacramenta potantur. n. 35.
- Quid de Eucharistia, pœnitentiâ, & extrema unctione. ibid.
- Quid dicendum de exemptione à foro seculari. n. 35.
- Quid de facultate audiendæ diuina tempore interdicti. n. 36.
- Quæ priuilegia ipsorum censentur abrogata. n. 37.
- Quid de mulieribus collegialiter viuentibus. n. 38.
- An Tertiarij gaudeant priuilegio Canonis. n. 39.
- Quæ conditiones requirantur pro illis. n. 40.
- Maximè pro habitu Pinzocherarum. ibid.
- Quomodo subiciantur directioni Superioris Ordinis. n. 41.
- An possint habere aliquos Superiores ex se ipsis. n. 42.
- De indulgentijs Tertiariorum. n. 43.
- Ad quem spectet cognoscere de qualitatibus, seu conditionibus pro Tertiarijs requisitis. n. 44.

De Tertiarijs Regularium, eorumque obligationibus, & Priuilegijs. Cap. XIV.

**T**ertiarij fuerunt, & sunt in multiplici differentia, licet ad triplex genus reduci possint. Aliqui enim sunt Tertiarij in Religione viuentes, & tria vota Religionis essentialia emittentes sub prælatorum obedientia. Hi sunt illi quibus Leo X. ann. 1521. Bulla Inter cetera, quæ in 1. to. Bull. inter Bullas huius Pontificis est 42. Regulam Sæcti Francisci aptauit, & accomodauit, & quos postea Pius V. anno 1568. in Bulla Ea est officij, quæ est in 2. to. Bullar. inter Bullas huius Pontificis 63. reformauit, ac Generali, & Prouincialibus. Minorum de obseruantia subiecit, licet postea hanc Pij V. Constitutionem moderatus fuerit Sixtus V. in Constitut. Roman. Pontificis anno 1586. in eodem 2. tom. Bullar. inter Constitutiones Sixti num. 28. Casarabius in Compend. priuileg. Mendic. v. Tertiarij n. 24. Peyrin. to. 1. P. 3. priuileg.

- privileg. *Minimor. in Constitut. 4. Sixti IV. §. 7. n. 31.*
- 2 Alij erant, & forsitan modo sunt Tertiarij, qui etsi tria vota essentialia facerent, aut fecerint, sed non emiserunt illa sub aliqua Religione, aut determinata Regula à Sede Apostolica approbata, quorum aliqui in Congregatione viuunt, seu vivebant, alij verò non in Congregatione, aut Communitate, sed in Eremitijs, & separatim cum habitu tamen Religioso ab aliquo Regulari accepto, vel quem ipsi propria auctoritate acceperunt. Casarubius *vt supra §. Tertius insuper. Sola in tract. de Profess. Tertiarior. pag. 201. Miranda in manual. Pralator. tomo 1. q. 36. artic. 3.*
- 3 Alij sunt Tertiarij qui neque tria vota essentialia Religionis emittunt, nec in Communitate, aut Collegialiter viuunt, sed Regulam Carmelitarum, S. Dominici, S. Francisci, vel alterius Religionis approbatam seruant in proprijs domibus, & quandoque, maximè feminae, in communi aliqua domo habitantes, quorum aliqui emittunt votum simplex castitatis, vel obedientiae alij nullum nisi forsitan obedientiae. Casarub. *vt supra §. ex praedictis omnibus. Peirinis etiam vt supra n. 35.*
- 4 Sunt autem inter istos Tertiarios maximè primi, & tertij generis, viri, & feminae, & sicut viri vocantur Fratres Tertiarij de poenitentia, Mantellati, Cortigiati, sic feminae vocantur Sorores Tertiariae, de Poenitentia, Mantellatae, Cortigiatæ, Pinzocherae, Beara, &c. Casarubius *vt supra à §. Alter breuius, & §. sciendum est vterius Peyrinis etiam vt supra num. 35. & 36. De quibus sigillatim dicendum est, maximè quòd hæc materia intricatè satis, & confusè quibusdam tractetur.*
- 5 Et primò, loquendo de Tertiarijs primi generis, seu de quibus primo loco dixi illi sunt verè, & propriè Religiosi, cum tria vota essentialia Religionis emittant, & sub obedientia, & iurisdictione Pralatorum viuunt. Ita etiam declarasse videtur Leo X. in Bulla relata dum illis Regulam, modum profitendi, & recipiendi Nouitios, seu Novitias, ieiunia, orationes, & similia præscribit, & Pius V. etiam in prædicta Bulla ubi illorum statutum Religionem appellat, ac Sixt. V. in Bull. quoque relata. Vnde illi vt verè personæ Ecclesiasticæ, & Religiosæ exempti sunt ab omni iurisdictione Seculari, & Ecclesiastica Episcoporum, & gaudent privilegio Canonis, & fori habeantque multa privilegia, quæ Clemens VIII. in Bulla *Ratio Pastorali* anno 1597. edita in 3. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 51. innouat, & confirmat. Casarub. *in Compend. priuileg. mendicant. v. Tertiarij num. 24. §. Quoad secundum gradum Tertiariorum. Peyrinis tom. 1. priuileg. minim. in Constitut. 4. Sixti IV. §. 7. num. 31. Portell. in Dub. Regul. verb. Tertiarij n. 1.*
- 6 Tertiarij autem secundi generis tria vota essentialia Religionis emittentes, sed non sub aliqua Regula, aut Religione approbata, siue in Communitate, siue priuatim, aut seorsim in Eremitijs, non sunt verè Religiosi, nec vquam tales fuerunt. Ratio est, quia ad hoc, quod tria vota essentialia Religionis constituent aliquem Religiosum requiritur quòd illa fiant secundum certam, & determinatam Regulam, & sub Religione aliqua à Sede Apostolica approbata, vt colligitur ex c. unico de voto, & voti redemptio n. 6. vt dictum est 10. 1. cap. 2. n. 1. Cum ergo isti non emiserint prædicta vota sub aliqua Regula, aut Religione approbata nullo pacto erunt verè Religiosi. Nauar. *Comment. 1. de Regul. super c. Cui portio n. 18. & in Consilij lib. 3. de Regul. consil. mibi 12. Miranda in man. Pralator. tom. 1. quest. 26. artic. 3. prima conclus.* Quod etiam est verum quamuis isti emissent prædicta vota in manibus Episcopi. Quia essentialiter requiritur ac professionem veræ Religionis, quod sub determinata Regula, & Religione approbata fiat. Sanchez *lib. 5. in decalog. cap. 4. num. 74. Portellus in respons. casimor. p. 1. cas. 16. n. 8.* Addunt alij quod esse sublato à Leone X. in Bulla *Dum inueneris*. Peirinis n. 32. Sed nihil tale in dicta Bulla inuenire potui. Alij volunt non esse huiusmodi homines permittendos. Casarub. *in Compend. priuileg. Mendic. verb. Tertiarij num. 24. §. tertius insuper. Rodriguez tom. 3. q. Regul. q. 72. artic. 1. §. 2. conclusio.* Verumtamen nisi scandalosè viuant, aut habitum alicuius Religionis portent, cum tria illa vota quæ emiserunt pia sint, & honesta,

& illos obligent, etsi non vt solemnia, saltem vt simplicia non video cur permitti non possint. Fatendum tamen est post tempora Pij V. huiusmodi Congregationes virorum Regularium formam præferentium sine solemnè professione sub aliqua ex Regulis approbatis abolitas, & sublatas esse, vt patet ex Bulla *Lubricum vite* anno 1568. edita quæ est in 2. tomo Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 76. Portellus *in Dub. Regul. v. Tertiarij in addit. num. 4.* aduertens bene hanc Pij V. Constitutionem solum de Congregationibus virorum, non de congregationibus foeminarum loqui.

- 7 Tertiarij autem tertij generis (de quibus principaliter hic est sermo) non sunt veri Religiosi, tam de viris, quam de foeminis loquendo. Ratio euidentis est quia non promittunt tria vota essentialia Religionis, & sine quibus Religio non fiat, iuxta dicta 10. 1. c. 2. n. 1. Casarubius *in Compend. verbo Tertiarij. Rodriguez 10. 3. quest. Regul. q. 72. art. 2. Glossa in Clement. de sent. excommunicat. cap. ex eo & Glossa in Clement. de Religiosis domibus in 6. ver. obedientia, & alij.* Et ita sibi, & non congregationibus, in quibus sunt, acquirere possunt Angelus *verb. Religiosus n. 53. Syluester verb. Religio 6. q. 1. dist. 2.* Vnde nec modus iste viuendi potest appellari Religio, quia Religio denotat religionem per tria vota. Potest tamen appellari Ordo, quia Ordo prout in præsentem solum significat modum viuendi ordinatum sub certis Regula, & ceremonijs, quæ huic modo viuendi comperunt, cum sit sub regula, & Ceremonijs religionis, & ita nomine Ordinis à pluribus Summis Pontificibus appellatur, vt videre est in aliquibus ex referendis. Casillus *lib. 3. de Tertiarijs cap. 5. Portellus in Dub. Regular. verbo Tertiarij n. 1.* Ioannes Silu. *in tract. de Tertiarijs Carmelitarum.* Imò talis viuendi modus appellari potest Ordo approbatus ab Ecclesia. Est enim approbatus à Summis Pontificibus, præsertim Nicolao IV. pro Tertiarijs Ordinis Minorum, Innocent. VII. pro Tertiarijs Dominicanorum, Martino V. pro Seruitis, Eugenio IV. & Martino V. pro Tertiarijs Augustinianis, Sixto IV. pro Tertiarijs Carmelitarum, & Iulio II. pro Tertiarijs Minimorum. Portellus *vt supra.* Addere etiam possumus modum viuendi illorum Tertiariorum, qui vnum vel duo vota emittunt, de quibus infra, quamuis simpliciter status religiosus dici non possit, aliquo tamen modo lata scilicet significatione, & analogicè religiosum dici posse, quatenus imperfectè, & incompletè rationem status religiosi participant. Suarez *3. tom. de Reli. lib. 2. cap. 2. num. 17. & 18.* vbi specialiter loquitur de illis mulieribus Tertiarijs quæ in Hispania Beatae vocantur. Ioannes Silueira *in tract. de Tertiarijs Carmelitarum* Vide dicta 10. 1. cap. 2. num. 22. & nota eos Tertiarios, quos eo loco dixi esse veros religiosos si tria vota essentialia sub obedientia Pralatorum emittant, esse illos de quibus supra n. 1. & 5. est dictum.

- 8 Habent facultatem admittendi, seu recipiendi huiusmodi Tertiarios Ordines Mendicantes, & primo Minores. Nam S. Franciscus huius Sacri Ordinis Patriarcha instituit Fratres, & Sorores tertij Ordinis, eiusque Regulam præscripsit Nicolaus IV. Pontificatus sui anno 2. in Bulla *Super montem.* quæ refert Casarubius *in fine Compend. priuileg. Mendicant. fol. mibi 563.* & habetur in 1. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 2. Et quamuis ipse Casarub. *in Compend. verb. Tertiarij num. 24. §. sciendum est vterius* dicat quod solus S. Pater Franciscus Fratres, & sorores tertij Ordinis, seu de poenitentia instituerit, vt propterea de eo canat Ecclesia *Tres Ordines hic ordinat, & cet.* alij tamen etiam hoc tribuunt S. Dominico, vt dicitur inferius, & dicunt eò solum illa de B. Francisco dici ab Ecclesia quia ipse primus omnium fuit, & S. Dominicus ad ipsius imitationem. Corduba *in annotation. ad Compend. priuileg. Mendic. §. Quoad vltimum notabile.* Hæc autem Regula à S. Francisco tradita Tertiarijs secularibus est, quam postea Leo X. ann. 1521. Bulla *Inter cetera* alijs Tertiarijs S. Francisci, qui verè Religiosi sunt, aptauit, & accomodauit, vt dixi n. 1. Posse autem religiosos Minores tales Tertiarios recipere, seu admittere supponunt communitè Summi Pontifices in suis Bullis, specialiter inferius afferendis, videlicet Bonifac. VIII. Eugenius IV. Martin. I. & Sixtus IV. Quibus iunge Gregor. IX. Innoc. VIII. Iulius

Iulius II. Alexand. VI. & Leonem X. apud Casarub. in Compend. priuileg. Mendic. v. Tertiarij Fratres, licet forsitan aliqui horum solum loquantur de Tertiarijs verè religiosis Ordinis Minorum, de quibus num. 1. dictum est.

9 Patres etiam Dominici Tertiarijs vtriusque sexus Fratres, & Sorores de penitentia nuncupatos habent, ac facultatem eos recipiendi, ac admittendi, imò vt dicitur S. Dominicus ipsorum Patriarcha etiam tertium Ordinem tertiariorum instituit. S. Antonin. 3. p. hystor. tit. 23. cap. 14. §. 2. Corduba in Annot. ad Compend. priuileg. Mendic. §. quoad vltimum notabile. Rodriguez tom. 3. quæst. Regular. quæst. 72. artic. 2. Vnde de tertiarijs Ordinis Prædicatorum loquuntur Bonifac. VIII. Eugen. IV. Martinus V. Nicolaus V. & Sixtus IV. referendi inferius, specialiter Sixtus IV. in Bulla Sacrosancta anno 1475. & in Bulla Innuentum nobis anno 1478. apud Confessum in Collect. litter. Apostol. Mendicant. in Sixto IV. num. 8. & 10. supponit in dicto Ordine esse tertiarios vtriusque sexus. Maximè Innocent. VII. in Bulla Sedis Apostolica quæ est vnica in Bullario Laertij tom. 1. vbi Regulam pro Fratribus, & fororibus 3. Ordinis S. Dominici approbat.

12 Augustiniani etiam Patres Tertiarias habent, ac facultatem illas admittendi, & recipiendi ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum Ordinum Minorum, & Prædicatorum, ex Bonifacio IV. Eugenio IV. & Martino V. Rodriguez tom. 3. quæst. Regular. quæst. 72. artic. 3. quorum Bullæ habentur in nostro Mari magno Bulla 41. 42. & 43. Idem colligitur ex Iulio II. in Bulla Præceteris apud Laurentium Empoli in Bullar. Eremitar. S. Augustini in Iulio II. Constit. 7. Maximè ex Sixto IV. in Mari magno ipsorum in prædicto Bullario in Sixto IV. Constit. 5. Aduertit tamen ipse Rodriguez ibidem se non inuenire in priuilegijs Eremitarum D. Augustini, aut Carmelitarum, habere Tertiarios vtriusque sexus, sed solum fœminas. Verum tamen quod ad Carmelitas attinet valde decipitur, constat enim ex Sixto IV. in Bulla Dum attenda anno 1476. cuius verba relata sunt tom. 1. cap. 3. num. 22. & iterum postea referentur, posse recipere quascumque mulieres, & vtriusque sexus personas. Quod attinet autem ad Patres Augustinianos, licet aliud non extaret, quam quod in dicta Bulla Sixti IV. conceditur Carmelitis priuilegium scilicet recipiendi personas vtriusque sexus, cum hoc dicat Pontifex se concedere ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut Fratrum de penitentia tertij Ordinis Ordinum Fratrum Minorum, & Prædicatorum, necnon Eremitarum S. Augustini, supponere videtur etiam Augustinianos Patres habere Fratres de penitentia, & vtriusque sexus tertiarios. Video tamen pro illis clarius priuilegium extare Pauli II. anno 1470. qui Generali, prouincialibus, ac prioribus congregationis Lombardie eiusdem Ordinis in Bulla Exposcit vestra concessit facultatem exhibendi vris Mantellum, seu habitum mantellatum nigri coloris, & habitui Fratrum eiusdem Ordinis in colore conformem, ad instar aliorum Mantellatarum aliorum Ordinum. Ioannes Baptista Confessum in Collectan. litterarum Apostolicarum in Paulo II. vbi etiam refertur Innocent. VIII. vniuersæ vocis oraculo concessisse Frat. Benigno de Ianua Vicario Generali eiusdem Congregationis, vt huiusmodi Mantellati, seu Mantellatæ sola latione Corrige priuilegijs eiusdem instituti potirentur. Id etiam colligitur ex Mari magno eorumdem Patrum apud Confessum in Collect. litterar. Apostol. Mendic. in Sixto IV. num. 29. & in Bullario Empoli relato vbi vtens hac voce Mantellatæ persona coniugate, quæ etiam ad viros extenditur innuitur videtur de Tertiarijs vtriusque sexus loqui.

11 Carmelitani etiam nostri facultatem eandem habent admittendi, & recipiendi ad habitum Ordinis prædictos Tertiarios Fratres, & Sorores, vtriusque sexus. Nam quod attinet ad mulieres, id constat ex Nicolao V. in Bulla Cum nulla fidelium quam refert Ioannes Baptista Confessum in Collectan. Litterarum Apostolicar. & priuileg. Regular. Mendicant. in Nicolao V. Bulla 1. vbi sic ad intentum. Ne Conuentus Religiosarum Virginum, Viduarum, Biguinarum, Mantellatarum, aut aliqua particularis ex ijs sub habitu, & protectione Ordinis Beatissime Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli degentium, aut quæ in posterum offerentur absque Aposto-

lica auctoritatis munimine viuere videantur; harum tenore presentium decernimus, vt Ordo præfatus, ac eiusdem Ordinis Magister Generalis, & Priores Prouinciales circa præfatarum receptionem, vitæ modum, admissiõem, & protectionem illis eisdem, & prorsus similibus priuilegijs gaudeant, quibus Ordines Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini gaudent, & vtuntur. Dummodo Virgines, Viduæ, Biguina, Mantellatæ prædictæ continenter, & honestè viuant, ieiumentque, ac omnia alia faciant, & obseruent. Hæc ibi. Quod verò attinet non solum ad mulieres, sed etiam ad personas vtriusque sexus id constat ex Bulla Sixti IV. Dum attenda, superius relata vbi sic ad intentum. Et vt Virgines, & Viduæ, & Coniugatæ personæ, Mantellatæ, seu Pynzocheræ dicti ordinis nuncupatæ prædictæ tanto feruentius iuxta earum viuendi ritum, & morem sub cura, & secundum instituta dicti ordinis, ac ordinata per Bonifacium IX. in sua obedientia nuncupatum, & Martinum V. ac Eugenium IV. prædecessores prædictos confirmata quoad Moniales Virgines, & Viduas, coniugatas, & Mantellatas Pynzocheras ordinis Eremitarum S. Augustini, & per præfatum Nicolaum V. etiam prædecessorem nostrum quoad omnia, & singula indulta priuilegia, & Indulgentias Ordinum Prædicatorum, & Eremitarum ad Virgines, Viduas, Coniugatas personas, Mantellatas, Pinzocheras Ordinis Beatiss. Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli extensa, & ad quas Virgines, Mantellatas, Pinzocheras dicti Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli singula priuilegia, & Indulgentias Ordini Minorum concessa, & indulta motu, & scientia similibus quoad omnia extendimus, & extensa volumus, & mandamus. Vt eo attentius diuinis studeant vacare beneficijs quanto maioribus priuilegijs, & fauoribus prædictæ Sedis cognouerint se fore resectas motu, scientia, & auctoritate prædictis volumus, & eisdem personis concedimus quod omnibus, & singulis priuilegijs immunitatis, fauoribus, gratijs, & indultis in spiritualibus, & temporalibus prædictis Ordinibus, videlicet, Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini, & eorum Fratribus, & pro Fratribus Beatissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli concessis, & concedendis, & quibus illi in genere quomodolibet potiuntur, & gaudent, tam in vita, quam in mortis articulo etiam circa peccatorum remissionem, & iniunctarum penitentiarum relaxationem vt, potiri, & gaudere, ac participes esse possint, & debeant. Liceatque Fratribus prædictis eisdem Pynzocheris, & Mantellatis personis in earum etiam domibus quoties opus fuerit confessionibus diligenter auditis de absolutiõis beneficio prouideri, & Eucharestiæ, ac extremæ vnctionis Sacramenta ministrare, & dum eos, vel eas decedere contigerit, illarum cadauera ad eorumdem Fratrum Ecclesias tumulanda deferre, etiam Ecclesiarum Parochialium personarum eorumdem Rectorum licentia desuper minimè requisita, & contradictione quacumque non obstante. Et ne oblati, & oblata eiusdem Ordinis suorum iure deuotionis ad Ordinem ipsum frustentur effectum, omnia, & singula circa Fratres, & Sorores, & Mantellatas, seu Pinzocheras nuncupatas personas prædictas in presentibus litteris statuta, concessa, & ordinata, aut illis, & Fratribus prædictis in eorum commodum, & fauorem indulta ad easdem dicti Ordinis nunc, & pro tempore oblatas, & commissas vtriusque sexus personas, eisdem scientia, & motu, & auctoritate extendimus, & ampliamus, ac in eis locum habere debere perinde ac si pro eisdem oblati, & commissis personis, & circa illas emanasset decernimus, volumus, & ordinamus. Hæc ibi. In quibus si expendantur verba illa coniugata persona, & iterum coniugatas personas, & postea Mantellatis personis, quæ vtriusque sexus personas indicant, maximè cum postea subiungatur, & dum eos, vel eas decedere contigerit, sufficienter denotat se loqui de Tertiarijs vtriusque sexus. Ad tollendum tamen omnem dubium, & scrupulum in sequentibus verbis eiusdem Bullæ clarius exprimit se loqui de Tertiarijs tam viris, quam feminis. [ Statuentes præterea Apostolica auctoritate, & presentium tenore concedentes volumus, & ordinamus quod de cætero perpetuis futuris

Temporibus tam magistro Generali quam cuilibet dicti Ordinis Officiali, Prioribus dicti Ordinis secundum morem, & instituta eiusdem Ordinis in quibuscumque Prouincijs constitutis tam presentibus, quam futuris sit licitum, ac permittum quascumque mulieres, & vtriusque sexus personas si alias sint idonee, & aliud Canonicum non obstat, quae habitum Regularem praedicti Ordinis ad instar Mantellatarum, seu Pinzocherarum, aut Fratrum de paenitentia tertij Ordinis Ordinum Fratrum Minorum, & Praedicatorum, necnon Eremitarum, S. Augustini habere voluerint, & gestare tam Virgines, ac Matronas, quae Viduas, ac Mantellatas, seu Pinzocheras, & vtriusque sexus personas dicti Ordinis Carmelitarum recipere & admittere ac earum singulis habitum regularem, ac Regulam eiusdem Ordinis Carmelitarum ad instar huiusmodi Mantellatarum, seu Pinzocherarum vtriusque sexus Ordinum, & vtriusque sexus personarum Ordinum Fratrum Minorum, & praedicatorum, necnon, & Eremitarum S. Augustini praefatorum, prout secundum Deum salutem animarum earundem personarum salubrius visum fuerit expedire etiam exhibere: quae sic receptae, & in posterum recipiendae auctoritate praefata gaudeant, & gaudere possint, & debeant, tam exemptionis privilegio quam omnibus immunitatibus libertatibus, Indulgentijs, & alijs privilegijs quibuscumque praefato Ordini Beatae Dei Genitricis Mariae de Monte Carmeli eiusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam iam concessis, & quae in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis privilegium, immunitates, libertates, Indulgentiae, ac quaecumque alia privilegia ipsi Prioribus, & Fratribus Ordinis de Monte Carmeli competunt, vel competere possunt, seu poterunt, & priores, & Fratres, ac loca ipsa esse capacia, eorundem Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus tam vestri, quam aliorum Ordinum quorumcumque, & alijs contrarijs non obstantibus quibuslibet. Habetur haec Bulla in Mari magno Ordinis (imò ipsa est Mare magna) & in Bullario Rodriguez n. 37. ita vt mirum sit ipsum loco superius relato dixisse se non inuenisse in privilegijs Carmelitarum habere. Tertiarios vtriusque sexus, cum constet hoc ex eadem Bulla Sixti IV. quam ipse affert. Vnde propterea sic nouissime causa vtriusque agitata, & sententia data pronuntiata est anno 1635. die 17. Aprilis Vlyssipone ab Illustris. Laurentio Trimalo Collectore Generali Lusitaniae decernente sub poenis excommunicationis, & suspensionis, ac alijs pecuniarijs, ne quis attendere publice negare Carmelitarum Ordinem Tertiarios habere, aut facere posse.

12. Habent etiam Seruitarum Ordinis Patres Tertiarios, seu Sorores, vt colligitur ex Paulo II. in Bulla *Expositio vestrae Augustiniani Congregationis Lombardiae concessa*, de qua supra n. 10. ibi enim id supponitur. Similiter id colligitur de Tertiarijs vtriusque sexus ex Leone X. in Bulla *Dudum per nos. ann. 1519. edita*, vbi Fratres omnes Mendicantes, inter quos Seruitas recenset, etiam quoad personas vtriusque sexus de praenitentia aequales esse in privilegijs concedit. Constat in *Collectan. Litterarum Apostolicarum Mendic. in Leone X. Bulla 18. Maxime id constat ex Martino V. in Bulla Sedis Apostolicae, quae est in Appendic. ad Bullarium inter Constitutiones huius Pontificis. num. 1. Vbi approbat Regulam pro Fratibus, & Sororibus tertij Ordinis Seruitarum B. Mariae Virginis. De qua plura in sequentibus afferentur. Vide Bullam loco relato.*
13. Item Minimorum S. Francisci de Paula Religio suos Tertiarios vtriusque sexus habet, vt constat ex Iulio II. in Bulla *Dudum ad sacrum. anno 1506. edita* quae habetur apud Peirinis tom. 1. *privileg. Minim.* & ex forma professionis eorundem vitae vocis oraculo ab eodem Iulio comprobata, etiam apud eundem Peirinis *ibid.* Item ex Leone X. in Bulla *Ea quae anno 1513. edita* apud eundem etiam Peirinis vt *supra inter Bulla Leonis X. n. 1. Miranda in man. 10. 1. q. 36. art. 2.*
14. Possunt etiam huiusmodi Tertiarij Religionum Fratres, aut Sorores tertij Ordinis nuncupari. Tum propter dicta *to. 1. c. 3. n. 22.* Tum specialiter quoad Minimorum Ordinem quia in Bulla Iulij II. relata expressè nominatur haec Congregatio tertiariorum Tertius Ordo Minimorum, tum denique quoad nostros Carmelitanos, Eremitas S.

Augustini, & alios habentes tertiarios, non solum propter communicationem privilegiorum, sed etiam quia tota ratio, quare in Ordine Minorum, Praedicatorum, & Minimorum reperitur tertius Ordo est quia in illis est Ordo vitorum, seu Fratrum Religiosorum, Ordo feminatum Religiosarum, seu Monialium, & Ordo Laicorum qui Regulam dicti Ordinis suo modo obseruant, quae omnia etiam procedunt in Ordinibus Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Augustini.

15. Profitentur huiusmodi Tertiarij aliquam Regulam ab Ecclesia approbatam. Nam tertiarij Minorum profitentur Regulam à Nicolao IV. illis concessam de qua supra num. 8. Tertiarij Praedicatorum Regulam ab Innoc. VII. approbatam in Bulla supra n. 9. relata. Tertiarij Eremitarum S. Augustini, Regulam, vt puto S. Augustini illis accommodatam, & applicatam. Tertiarij Carmelitarum Regulam ipsorum à B. Alberto Hierosolymitano Patriarcha traditam, & ab Innocent. IV. Eugenio IV. & alijs Pontificibus confirmatam: hoc enim concessit Sixtus IV. in verbis relatis n. 11. illis scilicet, *ac Regulam eiusdem Ordinis Carmelitarum, &c. exhibere.* Tertiarij Minimorum Regulam S. Francisci de Paula à Leon. X. in Bulla *Dudum ad Sacrum* de qua supra n. 13. confirmatam. Ac tandem tertiariorum Ordinis Seruitarum Regulam à Martino V. pro illis approbatam, quae habetur, vt dixi in Appendic. Bullarum Laertij Cherubini inter Constitutiones ipsius n. 1. Quibus Regulis etiam adiunguntur particularia statuta, & ordinationes à praelatis Religionum pro praedictis Tertiarijs facta, quae statui saecularium, & Ordini aliquo modo Religioso, vel quasi Religioso, quem profitentur apta, & accommodata censentur.

16. Habent etiam praedicti tertiarij habitum ordinum quorum sunt tertiarij, non quidem eundem omnino, sed similem, ad denotandum eos etsi saeculares, illorum tamen ordinum tertiarios esse. Primum enim Tertiarij Minorum habent habitum à Nicolao IV. in Bulla *Super montem* relata vbi cap. 3. sic habetur. [Fratres insuper ipsius fraternitatis, de humili panno in pretio, & colore, non profus albo, vel nigro communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per visitatores de consilio Ministri ob causam legitimam, & apertam, cum aliquo dispensatum; Chlamydes quoque ac pelles absque scolarutis, scissas, vel integras, assibulatas tamen vel patulas, vt congruit honestati, clausulaeque manicas Fratres habeant supra dicti. Sorores etiam chlamyde induantur, & tunica de huiusmodi humili pannofactis, vel saltem cum chlamyde habeant guarnellum seu placentinum coloris albi, vel nigri, aut paludellum amplum de canabo, siue lino abique vlla crispatura confutum. Circa humilitatem vero panni, & pellirones Sororum ipsarum, iuxta conditionem cuiuslibet eorundem, ac loci consuetudinem poterit dispensari. Bindis, & ligaturis sericis non vtantur, pelles dumtaxat agninas, burfas de corio, & corrigias simpliciter absque serico villo factas, & non alias, tam Fratres habebant, quam Sorores, depositis ceteris (iuxta B. Petri Apostolorum Principis salubre consilium) vanis huius saeculi ornamentis.] Aduertit tamen Casarubius in *Compend. privileg. Mendicant. verb. Tertiarijs S. Quoad primum ex adum.* consuetudinem, vel potius corruptelam interpretasse in diuersis prouincijs, & Regnis diuersas formas habituum. Vide Rodriguez tom. 3. *quest. Regul. quest. 72. artic. 4. Dominicanorum.* etiam Tertiarij habitum habent praescriptum ab Innocent. VII. in Bulla relata num. 9. Seruitarum à Martino V. in Bulla num. 12. relata. Minimorum autem tertiarij habitum gestant aliquo modo scilicet quoad materiam, & colorem ipsi Fratibus similem, Augustinianorum tertiarijs concessit Paulus II. relatus supra num. 10. vt Mantellatum, seu habitum mantellatum nigri coloris, & habitum Fratrum eiusdem ordinis in colore conformem deferre, & accipere possent, & Innoc. VIII. etiam ibid. relatus declarauit, sola delatione, & retentione corrigiae, licet habitum Mantellatarum, siue Mantellatarum quem susceperunt, cum licentia prioris non retineant, neque continuè deferant, potiri privilegijs, &c. ex quo videtur huc esse proprium habitum horum tertiariorum ordinis S. Augustini. Quia tamen hoc videtur fuisse vitae vocis oraculum, vt notat Casarubius in *Comp. verb. Tertiarij. n. 29.* ideo his temporibus quando

- quando omnia viuz vocis oracula à SS. D. N. Urbano reuocata sunt, parum videtur iuuare. De nostris quoque Carmelitarum Tertiarijs, cum iuxta Sixti IV. in Bulla *Dum attendit* verbis relatis num. 11. habitum Regularem Ordinis nostri suscipere debeant, ideo ipso induuntur, ac commodato tamen pro ipsis. Vnde proprius ipsorum habitus, meo iudicio, est ille, qui quoad formam similis est secularium habitui; quoad materiam tamen, & colorem similis est habitui (non dico Cappæ) Fratrum nostrorum. Quod idem censo dicendum de Tertiarijs aliorum Ordinum. Rodriguez tom. 3. q. Regul. q. 72. art. 4. §. *Quantum autem*. Pro habitu Pynzocharum vide infra num. 40.
17. Proprium etiam modum profitendi habent Tertiarij. Nam Minorum Tertiarij iuxta prædictam Nicolai IV. Regulam promittere debent se diuina præcepta seruaturus, ac etiam satisfacturos, vt conuenit, de transgressionibus, quas contra hunc viuendi modum commiserunt, cum interpellati fuerint, & ad visitatoris voluntatem. Dominicanorum Generali Thomæ de Vio Caietano concessit Iulius I. anno 1509. in Bulla *Considerantes* apud Peirinis *tom. 1. privileg. Minimorum. inter Constit. Iulij II. num. 13.* quod mulieres prædicti Ordinis, quæ Sorores de penitentia nuncupantur, & collegialiter viuunt, si ipsi placuerit, & illæ id cuperent, tria vota Religionis in manus ipsius, aut illorum, quos ad hoc duxerit deputandos emittere licite valeant. At ex Bulla Innocent. VII. relata peculiarem modum profitendi habent illorum Tertiarij, quo profitentur de cætero viuere secundum formam, & Regulam Ordinis de penitentia B. Dominici. Similiter Seruitarum Tertiarij suum, & particularem modum profitendi habent à Martino V. in Bulla relata illis præscriptum. Carmelitarum verò Tertiarij Regulam Ordinis profitentur sicut alij Fratres, & Moniales, eo excepto quòd votum paupertatis non emittunt, sed solum castitatis iuxta eorum statum, & obedientiam ad Superiores Religionis, eos scilicet quibus prædictorum Tertiariorum cura commissa est. Tertiarij tandem Minimorum sequi debent formam professionis, quam pro ipsis approbauit viuz vocis Oraculo Iulius II. testante Bernardino Cardinali istius Ordinis Protectore, prout constat ex litteris datis anno 1507. apud Peirinis *tom. 1. privileg. Minimorum. inter Constit. Iulij II. num. 18.* & est huiusmodi: [Ego N. promitto Deo omnipotenti, totique Curie Cælesti, & tibi Patri, mores meos, ac vitam melius emendare, & Ordinis Minimorum vtriusque sexus fidelium regulam per S. D. N. Iulium Papam II. confirmatam salutifera præcepta pro posse obseruare, & Frat. Franciscum de Paula, suisque successoribus eiusdem ordinis Minorum Generalibus Correctoribus pro tempore existentibus obedire, necnon prædictæ Regulæ salubribus consilijs, ac monitione conformare, & prædicti Ordinis honorem, & utilitatem fideliter procurare.]
18. Ex quo inferitur Tertiarios quosdam vota aliqua simplicia emittere in sua professione, alios non. Vota enim emittunt Tertiarij Carmelitæ (saltem in aliquibus locis) votum scilicet castitatis iuxta eorum statum, & obedientiam, vt dictum est, & refert Ioannes Sileria in *tract. de Tertiarijs Carmelitarum*. Aliorù verò Ordinum Tertiarij nullum votum propriè, quod sciam, emittunt, sed vel promittunt diuina præcepta seruare, & satisfacere pro transgressionibus, vt faciunt Tertiarij Minorum, quod non est propriè votum, vt Portellus in *Dub. Regul. verb. Tertiarij num. 5.* post alios docet, vel promittunt mores, ac vitam in melius emendare, prout Minimorum Tertiarij, quod etiam proprium votum non inducit, vt testatur Peirinis *num. præced. relatus*, vel denique promittunt de cætero viuere secundum Regulam Religionum, prout faciunt Tertiarij Dominicanorum, & Seruitarum, quod similiter propriè votum non est, vt *num. seq.* dicitur. Non videtur autem necessarium simpliciter, nisi solum ex vsu Ordinis nostri, quòd Tertiarij nostri prædicta duo vota emittant, cum nec alij Tertiarij Prædicatorum, & Minorum id faciant, præsertim cum ita sit declaratum à Sac. Congregatione, vt infra à num. 27. dicitur. Qualiter autem ad viuendum privilegij Religionum ex nouo iure Concil. Lateranensis, & decreto Sac. Congregat. requiratur in feminis Tertiarijs voti castitatis emissio, sicut in viris quod collegialiter viuunt, aut cum claustralibus habitent, dicitur etiam ibidem.
19. Hinc sequitur qualiter peccet Tertiarij transgressores sue professionis. Qui enim vota emittunt si contra ea delinquant peccant peccato Sacrilegij, & contra virtutem Religionis, ac tenentur in confessione illam circumstantiam, vt potè nouam speciem malitiæ continentem, confiteri. Hoc enim commune est cuicumque peccato, quod est transgressio voti cuiuslibet. Tertiarij autem, qui nullum votum emittunt in professione si transgrediantur ea quæ promittunt, nullum peccatum committunt. Ratio est, quia etsi vtantur verbo *promitto* illud tamen, tum ex parte intentionis Pontificum hunc modum viuendi approbatum, tum ex parte Prælatorum Ordinum in quorum manibus sit hæc professio non inducit obligationem ad culpam. Quare illud *promitto*, vel idem valet ac *propono*, vel si aliquo modo promissionem indicat, solum est promissio quædam communis, & generalis similis illi, quam in Baptismo omnes faciunt non peccandi, quæ non inducit specialem obligationem. Portell. in *Dub. Regul. verb. Tertiarij num. 5.* Peirinis *tom. 1. privileg. Minimorum. in Constit. 18. Iulij II. §. 2.*
20. Vnde quamuis obligatio Regulæ respectu Religiosorum aliquam culpam saltem venialem inducat, iuxta dicta *tom. 1. cap. 7.* respectu tamen Tertiariorum nullam culpam inducere videtur. Propter dicta *num. præced.* Et ideo Regula Nicolai IV. pro Tertiarijs Minorum nec etiam ad veniale obligat illos. Nam etsi Pontifex in ea declaret non obligare ad mortale, & nihil dicat de veniali, credo tamen ita fuisse receptam, vt nec ad veniale obliget, prout indicat Portell. *num. præcedenti*, & relatus Barbosa in *Collectan. Bullar. verbo Fratres, & Sorores Tertiariorum Ordinum*. Idem exprimitur clarè ab Innocent. VII. in Regula pro tertiarijs Dominicanorum, & à Martino V. in Regula pro Tertiarijs Seruitarum. Idem dico. De Tertiarijs nostri Ordinis, eo quòd ad instar Tertiariorum Prædicatorum, & Minorum approbentur à Sixto IV. De Tertiarijs Minimorum hoc etiam dicit Peirinis *num. præcedenti* adductus. De Tertiarijs quoque Augustinianorum etsi id mihi non constet, puro idem esse dicendum. Declarant tamen Innocent. VII. & Mart. V. in Regulis relatis, imò & Nicolaus IV. etiam in Regula adducta obligari. Tertiarios ad sustinendam pœnam illis infligendam à Superioribus, propter transgressiones Regulæ, quod idem dicendum de alijs Tertiarijs.
21. Facienda est huiusmodi Tertiariorum, siue virorum siue foeminarum professio in manibus alicuius Superioris eorù Ordinum, vel habentis à Superiore aliquo auctoritatem. Vnde in Regula Nicolai IV. pro Tertiarijs Minorum cap. 2. hoc munus dicitur pertinere ad Ministros ad receptionem talium deputatos, in Bulla etiam Sixti IV. vbi de nostris Tertiarijs verbis adductis *supra num. 11.* manifestè supponitur id munus pertinere ad Superiores ordinis, quod idem dicendum de Tertiarijs Prædicatorum, Augustinianorum, & Seruitarum, ac ita exprimitur in Bullis Innoc. VII. & Martini V. relatis. Fauer etiam decretum Sac. Congregationis Episcoporum, & Regular. afferendum infra vbi dicitur de Tertiarijs *Ad habitum admittantur à Superioribus Regularibus* (Capuccinis exceptis) *ad id privilegium habentibus*. Etsi enim expressè in his locis non fiat sermo de professione, sed de admissione, quia tamen principalior admissio fit in professione, ideo de illa videntur intelligenda.
22. Præcedere etiam debet professionem Tertiariorum aliquod tempus probationis ad modum Nouitatus. Sic enim decernitur in præd. Regula Nicolai IV. pro Tertiarijs Minorum *post unius anni spatium cum aliquorum Fratrum consilio recipiatur, &c.* & colligitur idem esse dicendum de tertiarijs aliorum Ordinum, tum quia illi sunt ad instar Tertiariorum Ordinum Minorum, tum quia cum in Bullis Pontificijs quibus conceditur prælati facultas recipienti Tertiarijs dicitur, vel supponitur illos debere esse personas idoneas, & pro talibus habitas, videtur quasi iure naturæ necessarium aliquod tempus ad iudicandum de idoneitate illorum. Inter huiusmodi qualitates pro Tertiarijs requisitas computandæ sunt illæ, quas Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium designauit anno 1616. de quibus infra *num. 29.*
23. Inferitur autem ex dictis huiusmodi Tertiarios, siue tertiarias, de quibus in præfenti, si ab eo statu recedunt etiam

in perpetuum, siue habitum deserentes, siue Matrimonio se copulantes non esse Apostatas. Quia apostasia est recessus à statu verè Religioso, horum autem status Religio non est, nec vt talis ab Ecclesia approbatus. Bannez 2.2. q. 12. art. 1. dub. 1. concl. 1. Sanchez li. 5. in decalog. cap. 8. num. 6. Peccabunt tamen tum contra votum simplex castitatis si illo emissio Matrimonium contraxerunt, tum in dimissione habitus, si illum in professione facta semper gestare promiserunt.

24 Inferitur etiam ex dictis valdè multumque differre hoc institutum Tertiatorum à Congregationibus, seu Confraternitatibus de quibus *cap. sequenti*. Nam Tertiatorum institutum est Ordo sub certis Regula, & ceremonijs ab Ecclesia approbatus, Confraternitatum autem, seu Congregationum institutum Ordo non est, cum non sit sub certa Regula, aut Ceremonijs ab Ecclesia approbatus, licet enim ex facultate à Pontificibus emanante instituantur, & aliquæ conditiones pro earum institutione, & conseruatione à Pontificibus etiam assignentur, vt cap. seq. dicitur, illæ autem non sunt Regula aliqua ex approbatus ab Ecclesia, sed mera statuta. Differunt etiam in professione, nam Tertiarij veram professionem, vel aliquorum vororum, vel saltem seruandi communia præcepta, vt dictum est, emittunt, non sic confratres. Tertio differunt ex parte habitus nam regulariter loquendo (vt omitamus abusus qui in hoc casu sæpius videntur) habitus Tertiatorum est quasi ipsemet habitus illius Ordinis, cuius sunt Tertiarij, accommodatus, & apratus modo sæculari, habitus verò Confratrum non est tam habitus, quàm signum habitus illius Ordinis. Confratres enim Confraternitatis Carmelitarum solum habent pro habitu paruulum scapulare Ordinis occultum, Tertiarij autem habitum, seu scapulare publicè gestant oblongum, imò tota ipsorum vestis similis esse debet habitui Religiosorum, saltem in colore, & materia. Vnde de Tertiarijs, ac Confratribus loquuntur Pontifices, ac de hominibus diuersorum institutorum, vt patet ex Iulio II. in Bulla supra num. 10. relata, vbi de Ordine S. Augustini loquens dicit in eo esse quatuor gradus, videlicet, Fratrum, Monialium, Mantellatarum, & sola zona præinctorum, per Mantellatas Tertiarias intelligens, per zona præinctos absque dubio Confratres. Idem habet Leo X. in alia Bulla in prædicto Bullario Eremit. S. Augustini in Leone X. num. 1. Idem etiam supponunt communiter auctores de Tertiarijs, ac Confratribus, tamquam de diuersis hominum generibus loquentes, vt patet inter alios in Ioanne Baptista Confessio in *Summ. declar. priuil. Maris magni* c. 15. & 16.

25 Nihilominus simpliciter, & absolutè dicendi sunt Tertiarij personæ sæculares non Ecclesiasticæ, sic enim supponunt Pontifices dum eorum Congregationem, seu Ordinem, sæcularium, vel Laicorum appellant. Vt sunt Paulus II. in Bulla *Exposcit vestra* num. 10. relata, & Leo X. in Concilio Lateranensi ex Bulla inferius num. 27. referenda, vbi eos ad onera quæ Laicis incumbunt perferenda tenent, & in foro sæculari coram iudicibus sæcularibus conueniri posse declarat, quod non fecisset, si eos personas Ecclesiasticas dici posse iudicaret. Imò hoc videtur fuisse intentum SS. Francisci, & Dominici qui hoc institutum saltem sub nomine Tertiatorum primi erexerunt, vt scilicet esset Congregatio quædam Laicorum, quæ suo etiam modo ad perfectionem tenderet, sicut tendunt Religiosi. Casarubius in *Compend. priuileg. Mendicant. verbo Tertiarij* num. 24. §. quoad primum gradum. Quo tamen non obstante inconueniens non est dicere Tertiarios posse appellari personas Ecclesiasticas secundum quid, & aliquo modo, tum quia annexæ sunt Ordinibus à Sede Apostolica approbatis. Tum quia eorum institutum est Ordo, vt dictum est supra num. 7. imò & Ordo approbatus, vt ibidem etiam dictum manet, tum quia mutant habitum, & statum, ac traditam sibi Regulam approbatam obseruant, ac aliqua, & multa participant de statu Religioso. (Rodriguez tom. 2. q. 65. art. 5.) ad modum quo supra eodem num. 7. dictum est Pinzocheras, seu Beatas vnum, vel duo vota emittentes in lata significatione, & analogicè Religiosas dici posse, vt habet Suarez loco citato, tum quia illos appellare videtur Ecclesiasticas personas Sixti I V. in Bulla *Sacrosancta* pro Tertiarijs Dominicanorum edita apud Ioan. Baptist. Confessio

in *Collectan. Litter. Apost. & priuileg. Regul. in Sixto IV.* num. 8.

26 Quamuis autem plura ipsis ab Ecclesia, & Summis Pontificibus antiquitus concessa sint, priuilegia, & immunitates, nam Sixt. I V. verbis adductis supra num. 11. nostris Tertiarijs concessit, [vt gaudere possint, & debeant tam exemptionis priuilegio quam omnibus immunitatibus, libertatibus, Indulgentijs, & alijs priuilegijs quibuscumque præfato Ordini B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli, eiusque Fratribus, ac personis per Sedem Apostolicam concessis, & quæ in posterum concedentur, quatenus huiusmodi exemptionis priuilegium, immunitates, libertates, Indulgentiæ, & quæcumque alia priuilegia ipsis Prioribus, & Fratribus Ordinis de Monte Carmeli competunt, vel competere possunt, seu poterunt, & Priores, & Fratres, ac loca ipsa esse capacia.] Idemque ferè pro Augustiniano- rum Tertiarijs conceditur à Paulo II. in Bulla *Exposcit vestra* supra num. 10. relata, & à Sixto IV. in Bulla *Dum vberes* anno 1474. edita apud Confessio in *Collect. litterar. Apostolic. & priuileg. Mendicant. in Sixto IV.* num. 20. & ante illos à Bonifac. IX. Martino V. Eugenio IV. vt habetur in nostro Mari magno Bulla 41. 42. & 43. licet solum loquantur de Tertiarijs fœminis, & pro Fratribus, & Sororibus tertij Ordinis Prædicatorum à Sixto IV. in Bulla *Sacrosancta* de qua supra num. præced. idem videatur cõcedi quoad priuilegia, & immunitates tam fori, quàm personarum, & rerum. Pro Minorum etiam, & eorumdem Prædicatorum Tertiarijs vtriusque sexus extat concessio in Bulla aurea, vt gaudeant eisdem priuilegijs concessis, & concedendis ipsismet Ordinibus. Vide Casarubium in *Compend. priuileg. Mendicant. verbo Tertiarij* num. 9. & Cordubam in *annotationibus ad Compend. ver. Tertiarij*. Quod etiam extendi videtur ad Minimos cum ipsi ex Iulio II. in Bulla *Dudum ad sacrum* anno 1506. edita amplissimam communicationem Priuilegiorum Mendicantium habeant.

27 Nihilominus Leo X. in Concilio Lateranensi, & Sacra Congregatio Concilij anno 1608. & Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium anno 1616. prædicta priuilegia moderati sunt. Etenim dictus Leo X. in Bulla *Dum intra mentis* data in publica sessione in Lateranensi Ecclesia celebrata die 19. Decembris anno 1516. quæ habetur in 1. tomo Bullar. inter Bullas Leonis X. num. 22. dum priuilegia Mendicantium moderatur sic de Tertiarijs loquitur. *Fratres autem, & Sorores tertij Ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pinzocora, Cordellati, & alij quocumque nomine nuncupati in proprijs domibus habitantes, sepulchram vbi voluerint eligere valeant. Sed die Paschatis tantum, Eucharistiam, necnon extremam vñtionem, ceteraque Ecclesiastica Sacramenta (penitentia Sacramentum dimittat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ Laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro seculari coram Iudicibus secularibus conueniri possint. Et ne censura vilescat Ecclesiastica, & minoris auctoritatis interditi sententia reputerentur, eisdem dicti tertij Ordinis, ad diuina audienda, in Ecclesijs suorum Ordinum temporè interditi nullatenus admittantur, si causam aederint interditi, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut danibus, auxilium, consilium, vel fauorem quoquo modo presterint. Collegialiter autem viuentes, seu cum Claustribus habitantes, ac mulierem virginalem, seu cœlibem, aut castam virualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, priuilegijs quib. fratres Ordinis cuius tertie Regule habitum gestant, gaudere debeant.*

28 Quale autem futurum sit illud votum mulierum de quo locutus fuerat, videlicet, an solemne, an verò simplex, quia de hoc dubium emergebat, declarata in alia Bulla *Nuper in sacro* in eodem loco Bullar. registrata, & anno 1518. edita. *Quod de voto solemni Religionis, minime intelligi debeat, ita vt mulieres virginalem, aut Cœlibem vitam simpliciter viuentes, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsum habitantes, priuilegijs, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.* Sed quia non obstante tali declaratione adhuc vertebatur in dubium, an sub illo voto simplici castitatis includerentur alia duo scilicet obedientiæ, & paupertatis, & dato quod non includerentur, an renouatū esset

esset privilegium illud exemptionis à Leo. X. concessum per Bullas Pij V. *Ea est officij nostri*, in 2. tomo Bullar. in Pio V. num. 63. ubi Fratrum, & Sororum tertij Ordinis reformatio habetur, & Gregor. XIII. quæ incipit *ex benigna*, quam refert Conferentius in *Collect. Litter. Apost. & priviileg. Mendic. inter Constitutiones Gregorij num. 7.* ideo ad Papam negotium deductum est, & eius solutio remissa Sacræ Congregationi Concilij, quæ respondit sub anno 1608. Fratres Tertiarios, Mantellatos, Cortigatos, aliosque similes ita demum Ordinis, cuius tertie Regule habitum assumpserunt, privilegij potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse si viri collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, sub dicto habitu vitam traduxerint. Quemadmodum cauetur Constit. Conc. Lateranen. sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fine. Hoc autem mulierum voto alia duo scilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi. Quinimo huiusmodi mulieres si vitam Virginalem, aut cælibem simpliciter expresserint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut proprijs domibus, vel seorsum habitantes, supradictis privilegij Ordinis cuius tertie Regule habitum deserunt exemptioneque ab Ordinarij iurisdictione frui debere quemadmodum idem Leo postea declarauit Constitutione edita 1. Martij anni 1518. Quod si Fratres, Sororesque tertij Ordinis quid amplius præterdunt vigore consuetudinis possessum suum prosequi in iudicio ordinario. Hæcibi. *Sola in tract. profess. Tertiariar. pag. 202.* Peirinis tom. 1. *priviileg. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. §. 7. num. 27. & 38.*

29 Cum autem adhuc nouæ difficultates orirentur circa prædictorum Tertiariorum privilegia Sac. Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium Præpositorum octo annis post supradictum decretum, anno videlicet 1616. statuit, iuxta multas eiusdem Congregationis responsiones, non posse Sacerdotes Regulares audire Confessiones Sacramentales mulierum tertij Ordinis quæ de penitentia dicuntur, nisi ab ordinario approbati fuerint ad Confessiones secularium audiendas, neque posse illas communicare in Paschate. Quoad sepulturam autem, & alia privilegia, Fratres Tertiarios, & similes ita demum Ordinis cuius tertie Regule habitum assumpserunt privilegij potiri, & ab Ordinarij iurisdictione exemptos esse si viri collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent, & mulieres Virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint, prout cauetur Constitutione Concilij Lateranen. sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fine. Hoc autem mulierum voto, alia duo scilicet paupertatis, & obedientiæ non contineri, & decedentes sine electione sepultura ita demum in Ecclesijs Ordinum sui habitus sepeliuntur, si communis sepultura pro ipsis in eis reperitur alias in Parochialibus sepeliuntur. Ad habitum admittantur à Superioribus Regularibus, exceptis Capuccinis, ad d. privilegium habentibus. Ad illum autem non admittantur nisi spectata vitæ fuerint, & annorum saltem 40. quæ de proprio habeant, ut inde sufficiat er viuere possint, & non cum alijs viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi coniunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat quam si ei de prædictis qualitatibus diligenti prævio examine constiterit. In habita verò deserendo omnino abstineant à velo supra caput, quod superiurum vocant, à pectorali, vulgo sotto gola, & à patientia. Supradictis vero decretis mulieres tertij Ordinis, quæ Collegialiter viuunt, non comprehenduntur, quinimo eas dispositioni Constitutionis Pij V. quæ incipit *Circa pastoralis* penitus subiicere expressè declarat. Erasmus Chochier in *tractat. de iurisdictione. Ordinar. in exempt. tom. 1. part. 1. quest. 17.* Peirinis tom. 1. *priviileg. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. §. 7. num. 39.* Barbofa in *Collect. Bullar. Verb. Tertiariae, & Tertiarij.*

30 Ex quibus decretis, ac Bulla Leonis X. in Concilio Lateranen. edita, plura sequuntur notata digna his temporibus pro huiusmodi Tertiarijs. Primum, tam Papam, Concilium, & SS. Congregationes supponere hoc Tertiarios, de quibus loquimur, tripliciter viuere posse, videlicet primo Collegialiter, secundo cum Claustralibus, tertio in proprijs domibus. Hi dicentur Collegialiter viuere qui in ali-

qua communi domo, aut Collegio sub habitu, & Regula Tertiariorum, non tamen ut Religiosi vixerint. Quare hi Tertiarij Collegialiter viuentes de quibus Papa, Concilium, & Sacræ Congregationes in præfenti nec sunt illi de quibus num. 1. & 5. dictum est esse verè, & propriè Religiosos, nec sunt illi de quibus num. 6. è contrario dictum est non esse verè, & propriè Religiosos etiam si tria vota essentialia Religionis emittant, eo quod illa non emittant sub aliqua Regula, aut Religione approbata, ac proinde huiusmodi virorum Congregationes abolitas esse à Pio V. Quod dixerim ne credatur Collegia seu domos communes Tertiariorum sub Regula, & habitu Tertiariorum degentes prohibita à Pio V. cum potius permessa videantur à Leone Papa, Concilio Lateranen. & Sacris Congregationibus adductis. Hi autem dicentur cum Claustralibus viuere qui sub Regula, & habitu Tertiariorum tantum, cum Religiosis tamen morantur. De quibus multi (inquit Peirinis tom. 1. *priviileg. Minim. supra*) in Religione Minimorum reperiuntur. Illi verò dicentur in proprijs domibus habitare, qui siue in proprijs, siue alienis domibus, sigillatim tamen, seorsum, & separatim ab alijs Tertiarijs viuunt, quales sunt multi præsertim in Hispania, & Italia.

31 Secundum, in prædicta Bulla Leonis, & decretis Sacrarum Congregationum diuersimodè decerni, de viris, ac feminis Tertiarijs. Ut enim viri Tertiarij privilegij quibus Fratres Ordinis cuius sunt Tertiarij fruuntur, requiritur quod Collegialiter viuant, aut cum Claustralibus habitent, ut dictum est, ita ut si separatim, seorsum, aut singulatione viuant non possunt prædictis privilegij frui, aut gaudere. Ita enim clarè decernitur in dicta Bulla Leonis, & decretis Sacrorum Congregationum. At vero ad hoc quòd feminae Tertiariae, Pinzocherae, Beatae, vel similibus nominibus cognominatae prædictis privilegijs fruuntur, seu vrantur, non requiritur, quod Collegialiter viuant, aut cum Claustralibus habitent, sed quod Virginalem cælibem, aut castam vidualem vitam ducant, voto simplici solius eiusdem Virginalis, cælibis, aut castæ Vidualis vitæ factò, & sub habitu illius Ordinis etiam si in consanguineorum, aut affinium, aut proprijs domibus, vel seorsum habitent. Ita enim etiam decernitur in prædicta Bulla, & decretis. Declaratum etiam dicitur à S. Congreg. non debere Episcopum explorare voluntates Tertiariarum si domi degunt, & ibi votum cælibatus emittunt. Barb. in *Collect. Bull. ver. Tertiariae, & Tertiarij.* Quod obiter animaduerto ne credatur huiusmodi Tertiarias esse veluti Moniales interrogandas ab Episcopis an coactæ, vel seductæ sint, sicut de Monialibus dictum manet 10. 1. c. 25. num. 12.

32 Tertium quod viri vxorati, aut feminae maticatae, à prædictis privilegijs Ordinum quorum sunt Tertiarij excluduntur, eo quod solum admittantur ad illa viri Collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus habitantes, qui, ut manifestum est, vxores habere non possunt dum taliter viuunt, & feminae quæ Virginalem cælibem, aut castam vidualem vitam ex voto ducunt, id est Virgines, solutæ, aut viduæ, quo denotatur maritatus excludi.

33 Quartum, quod huiusmodi Tertiarij, mares, aut feminae in proprijs domibus habitantes, sepulturam ubi voluerint eligere valent, ut habetur in Bulla Leonis, & Concil. Lateranen. Quod videtur positum à Papa, & Concilio, ne crederetur prædictos necessario sepeliendos esse in domibus Ordinum quorum sunt Tertiarij. Videtur etiam id intelligendum quoad feminas solum de illis quæ nec Virginalem cælibem, aut castam vidualem vitam ducunt ex voto, nam de huiusmodi quæ talem vitam gerunt videtur permitti sepeliri posse in Ecclesijs suorum Ordinum. Cafarub. in *Compend. priviileg. Mendicant. verbo mulieres, num. 6. & 7.* Quod tamen limitat S. Congregatio Episcoporum, & Regularium adducta de decedentibus sine electione sepulturae, & quando communis sepultura pro ipsis in eis reperitur. Ita ut etiam si sine electione sepulturae decederent, si tamen communis sepultura pro ipsis in Ecclesijs Ordinum, quorum sunt Tertiariae non reperitur, sepeliri debeant in Parochijs, ut in dicto decreto habetur. Gauancus in *Man. v. Tertiarij num. 11. & 12.* ubi etiam aliam declarationem Sac. Coogregat. refert. Declaratum etiam est a Sac. Congregat. apud Barbofam in *Collectan. Bullar. verbo Regulares quoad sepulturam* 3. posse Regulares in eorum Ecclesijs



Ecclesijs sepelire, absque Parochi interuentu Tertiarios collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus habitantes, nec non mulieres virginalem, aut cœlibem, aut castam vidualem, expressio voto, & sub dicto habitu vitam dicentes. Quod si Tertiarij, vel Tertiariæ his careant qualitatibus, non esse sepeliendos in Ecclesia Regularium, nisi ipsi dum vixerint in ea elegerint sepulturam, & tunc Parochum etiam esse adhibendum. Vide eundem Barbosam *ibidem verb. Tertiariæ, & Tertiarij.*

34 Quintum, quod quoad Sacramenta recipienda, licet viri Collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus habitantes, & feminae Virginalem, cœlibem, aut castam vidualem vitam ex voto ducentes, possint vti priuilegijs suorum Ordinum, tamen viri separatim viuentes, aut feminae prædictam vitam non gerentes, quales sunt maritatae, aut aliae, quæ non habent prædictum votum, Eucharistiam in die Paschatis, extremam vnctionem, & alia Ecclesiastica Sacramenta (Sacramento pœnitentiæ dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote suscipere tenentur. Ita enim decernitur in prædicta Bulla Leonis X. & Concilio Lateranensi. Casarubius in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. Mulieres num. 6. & 7. Rodriguez tom. 1. quest. Regular. q. 56. art. 10. Gauantus in Man. Episcop. verb. Regular. iura sub Episcop. num. 53.* Ex quo sequitur quod Eucharistiam ultra diem Paschatis, & Sacramentum pœnitentiæ semper possint recipere ab alio quam à proprio Sacerdote iuxta sua priuilegia. Declarauit autem prædicta Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, vt supra visum est. *Non posse Sacerdotes Regulares, audire Confessiones Sacramentales mulierum tertij Ordinis, quæ de pœnitentiâ dicuntur, nisi ab Ordinario approbati fuerint ad Confessiones secularium audiendas neque posse illas communicare in Paschato. Gauantus in Man. Episcop. verb. Regular. iura circa Tertiarias num. 1.* Ex quo videtur dicendum sub aliorum censura posse Sacerdotes Regulares audire confessiones Sacramentales virorum tertij Ordinis Collegialiter, aut cum Claustralibus viuentium, etiam si ab Ordinario approbati non fuerint (intellige, si ex vi priuilegiorum sui Ordinis id facere poterant) eo quod Sac. Congregatio solum requirit huiusmodi approbationem Ordinarij pro confessarijs audientibus Confessiones mulierum, non autem Virorum Tertij Ordinis. Neque obstat quod in Concil. Trident. *sess. 23. c. 15.* decernatur nullum Confessarium etiam Regularem posse audire Confessiones secularium, nisi vel habeat beneficium Parochiale, vel approbationem ab Episcopis. Hoc enim videtur intelligendum de communibus secularibus non de Tertiarijs Religionum, quia licet simpliciter seculares sint, sunt tamen aliquo modo personæ Ecclesiasticæ, & eiusdem Ordinis cum Regularibus eiusdem Ordinum. Sed vt dixi, aliorum sententiæ me submitto. Declaratum etiam est à Sac. Congregatione apud Barbosam in *Collect. Bullar. verb. Regulares 1.* Regulares non debere extra Conuentum ministrare Sacramenta suis Tertiarijs, præter Sacramentum Pœnitentiæ.

35 Sextum, quod licet quoad exemptionem à foro seculari, Ordinario, & oneribus quæ laicis incumbunt immunes non sint Tertiarij viri in proprijs domibus habitantes, & feminae prædictam vitam Virginalem cœlibem, aut castam vidualem, ex voto non ducentes, viri tamen Collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus commorantes, & feminae prædictam vitam &c. ex voto ducentes, ab eis liberi, & immunes sunt, si priuilegijs suarum Religionum, vt dictum est potiantur. Ita enim supponitur in prædicta Bulla Leonis X. & decretis Sacrarum Congregationum adductis. Extat etiam pro Tertiarijs viris habitantibus in domibus proprijs alia declaratio Sac. Congregat. Episc. & Regul. apud Gauantum in *Man. Episcop. v. Tertiarij num. 1.* Alia autem declaratio eiusdem Sac. Congregat. quam ibidem *num. 2.* affert idem Gauantus, qua decernitur, quod Tertiariæ non viuentes simul Ordinario subiectæ sint, intelligenda est iuxta sensum alterius declarationis superius allatæ, scilicet de Tertiarijs feminis non habentibus Virginalem cœlibem, aut castam vidualem vitam, ex voto. Vide eundem *ibidem num. 8. 9. & 10.*

36 Septimum, quod licet prædicti viri Collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus commorantes, & feminae prædictam vitam vt dictum est, ex voto gerentes, possint vti

priuilegijs suarum Religionum etiam quoad diuina audienda tempore interdicti in Ecclesijs illarum, illi tamen viri Tertiarij qui in domibus proprijs habitant, & mulieres Tertiariæ vitam illam Virginalem &c. ex voto non ducentes ad diuina audienda in Ecclesijs suorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicti, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus, auxilium, consilium, vel fauorem quoquomodo præstiterint. Ita in præd. Bulla Leonis X. Quo videtur denotari quod si prædicta non fecerint admitti possint, saltem ex vi istius Bullæ.

37 Octauum, (quod generaliter aduertendum est pro priuilegijs Tertiariorum) quod cum in dicta Bulla Leonis, & decretis adductis prædicta obseruari præcipiantur non obstantibus &c. ideo Tertiariorum priuilegia quatenus contraria fuerint prædictæ Bullæ, & decretis omnino irrita, cassa, & nulla censenda erunt.

38 Nonum, circa vltima verba prædicti decreti, ideo à Sac. Congregatione dictum esse prædictis decretis mulieres tertij Ordinis, quæ Collegialiter viuunt, non comprehenduntur, quoniam eas dispositioni Constitutionis Pij V. quæ incipit. Circa pastoralis penitus subiaccere, quia in prædicta Constitutione Pij V. quæ habetur in 2. tom. Bullarj num. 8. inter Bullas huius Pontificis, decernitur, quod mulieres Tertiariæ in Congregatione viuentes moneantur ab Ordinarijs, & Superioribus, vt votum solemne emittant, quod si non emiserint, non possint vllam aliam in futurum admittere. Quo videtur intetum Pontificis fuisse omnino extinguere Congregationes istas mulierum, votum solemne non emittentium, & ita declaratum dicitur à Sac. Congregatione anno 1596. Piaficus in *sua Praxi par. 2. cap. 3. num. 57.* Peirinis *tom. 1. priuileg. Minim. in Constit. 4. Sixti IV. §. 7. num. 35.* & propterea forsan à Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium ordinatum est vt in Ecclesijs Tertiariarum, quæ professionem solemnem non emittunt trium votorum, nec in claustra viuunt, non permittatur Eucharistia Gauant. in *Manual. Episcoporum verb. Eucharistia num. 3.*

39 Quoad priuilegium Canonis *Si quis suadente*, cum nihil dicatur in prædictis Bulla, & decretis, iudicandum est secundum Regulas iuris communis. Atque adeo dicendum Tertiarios viros Collegialiter viuentes, aut cum Claustralibus commorantes, aut Tertiarias, quæ Virginalem, cœlibem, aut castam vidualem vitam ducunt ex voto, & cum habitu gaudere hoc priuilegio. Cum etiam gaudeant alijs priuilegijs Ordinum suorum, iuxta dicta. Præsertim quia hoc non tam est priuilegium, quàm ius commune competens cunctis personis Deo dicatis. De alijs autem Tertiarijs vtriusque sexus, viris quidem separatim viuentibus, aut mulieribus sine tali voto vitam ducuntibus difficilior est responsio. Nihilominus probabile est etiam gaudere priuilegio dicto Canonis, cum sint personæ etsi non simpliciter Religiosæ, aut Ecclesiasticæ, aliquo tamē modo, & secundū quid tales, & Deo dicatæ, ac habentes modum viuendi approbatum à Sede Apostolica. Casarubius in *Compend. priuileg. Mendicant. verbo Tertiarij num. 24. §. aliter breuius.* Si tamen habitum proprium Tertiariorum, seu tertij Ordinis portant. Porcellus in *Dub. Regul. verb. Tertiarij num. 3.*

40 Inter qualitates requisitas vt Tertiarij siue mares, siue feminae ad habitum admittantur, computandæ etiam sunt illæ quas Sac. Congregatio Episcop. & Regul. circa feminas obseruari præcipit, vt dictum est *num. 29.* eæ autem sunt sex. Prima, quod non recipiantur ad habitum nisi *spektata vitæ fuerint*, id est, bonis moribus, seu virtutibus ornatae. Secunda, quoad ætatem quod sint *annorum saltem 40.* Tertia, quod habeant *de proprio vt inde sufficienter viuere possint.* Quarta, quod non habitent *cum alijs viris, quam cum consanguineis, vel affinis in primo tantum gradu.* Quinta, quando ab Ordinario loci licentia prius impetrata, (intellige recipiantur) qui non aliter eam concedat, quam si ei de prædictis qualitatibus diligenti præuio examine constiterit. Sexta, quod in habitu deferendo omnino abstineant à velo supra caput, quod *superiutum* vocant, & à pectorali, vulgo *sotto gola*, & à patientia. Cum autem in huiusmodi decretis non apponatur clausula irritatoria, nec vtatur Sac. Congregatio verbo *non possint admitti*, aut si-

milli, sed solum, non admittantur, videtur, defectum huiusmodi qualitarum, aut aliquatum ex ipsis non irritare professionem, seu receptionem predictarum mulierum, licet peccatum committant transgressores horum decretorum. Quoad id tamen de patientia quæ prohibetur deferri à mulieribus Tertiarijs, quod attinet ad Pinzocheras, seu Beatas nostri Ordinis videtur limitandum, vt scilicet non illam deferat eo modo quo Fratres, ac Moniales Ordinis, sed breuiore, & strictiore. Cum enim predicta patientia sit proprius habitus Ordinis nostri, & ex concessione Summorum Pontificum predictis Pinzocheris, seu Beatissimis habitibus Ordinis communicare possimas, credendum est S. Congregationem non voluisse vt abstinere omnino à tali patientia, sed solum modo dicto. Vnde Gauantus in Man. Episcoporum verbo Tertiarij notat ideo appositam esse hanc legem à Sac. Congregatione circa mulieres Tertiarias, ne videantur esse Moniales. Consonat alia declaratio Sac. Congregationis apud Barbosam in Collectan. Bullar. verbo Confratres, vbi asseritur posse Confratribus secularibus concedi habitum patientiæ, quæ solis Religiosis propriè conuenit. Si enim Confratribus id conceditur multo potiori ratione Tertiarijs concedi debet, qui magis accedunt ad statum Religiosum.

41. Subsistentur predicti Tertiarij, viti scilicet non collegialiter viuentes, & fœminæ non ducentes vitam cœlibem, Virginalem & castam modo dicto, directioni, & gubernationi Superiorum Ordinum quorum sunt Tertiarij, non quidem propter iurisdictionem, quam supra ipsos habeant, cum sint persona simpliciter sæculares, sed propter curam spirituales, & specialem diligentiam quam de salute spirituali ipsorum tenentur habere, cum sint aliquo modo membra Religionum, quarum sunt Tertiarij. Casarub. in Comp. priuil. Mendicant. verb. Tertiarij num. 24. §. Quoad primum gradum. Miranda in Man. tom. 1. quaest. 36. art. 6. Vnde illos punire non possunt, nec illi peccant non obediendo Superioribus. Port. in Dub. Regul. verbo Tertiarij num. 6. Loquendo autem de alijs Tertiarijs viris quidem collegialiter viuentibus, aut cum Claustralibus habitantibus, & mulieribus predictam vitam cœlibem &c. ex voto ducentibus, cum exempti sint à iurisdictione Ordinarij, & sæculari videntur (subiici iurisdictioni Prælatorum Ordinis, atque ita posse illos corrigere, punire, &c. sicut alios subditos Religiosos, ne dicamus eos sub nullius iurisdictione esse. Vnde propter hanc causam possunt illos priuare habitu Ordinis, vt docet Portellus vt supra num. 10.

42. Possunt nihilominus omnes isti Tertiarij ad instar modi, qui obseruatur communiter in Confraternitatibus habere veluti Superiores aliquos ex se ipsis, vt eorum curam habeant ad conuocandum eos, corrigendum, &c. Id enim rationi, & intentioni Summorum Pontificum hunc modum viuendi approbantium conueniens videtur. Casarub. in Comp. verb. Tertiarij vt supra. Hi autem vocantur ab Innoc. VII. in Bulla sæpius relata pro Tertiarijs Dominicanorum Magistri, siue Directores, respectu virorum. Priorissæ, seu Suppriorissæ respectu fœminatam. Et à Martino V. in Bulla etiam sæpius relata pro Tertiarijs Seruitarum, Correctores, Subcorrectores, seu Vicarij respectu virorum & Priorissæ respectu fœminatam. Qui Superiores ab ipsis Tertiarijs eligi, vel nominari debent, vel saltem à Superioribus Religionum cum consilio tamen ipsorum Tertiariorum, prout rationi, & æquitati congruum est, & supponunt Innocent. VII. & Martinus V. in Bullis relatis.

43. Quoad indulgentias concessa huiusmodi Tertiarijs, constat Clem. VII. concessisse moderno, & pro tempore Generali Ministorum, vt Tertiarijs plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam semel dimittat singulo quoque triennio largiri posset, ipsiisque Tertiarijs vt delicta dicti Generalis eligere possent vnum Confessorem idoneum eiusdem Ordinis qui eos ab omnibus casibus, etiã Episcopalibus, & censuris Ecclesiasticis absolueret posset, pœnitentiâ salutaris inuncta. Ita habetur inter priuilegia Ministorum apud Peirinis tom. 1. inter Constitutiones Clem. VII. num. 9. Sed quia hæc concessio non fuit viue vocis oraculo facta, ideo hoc tempore quo omnes huiusmodi concessiones vocis oraculo factæ à SS. D. N. Urbano reuocatae sunt, nihil valet. Si autem innotuerit ab aliquo Pontifice Confessarius ille approbatus debet esse ab Ordinario

nisi forsan pro Tertiarijs viris, vt dixi supra num. 34. Rursus quantum ad absolutionem à casibus Episcopalibus cauenda est transgressio decreti S. Congregationis sub Clem. VIII. & Urbano VIII. de quo tom. 1. cap. 19. num. 17. nisi forte dici posset huiusmodi Tertiarios predicto decreto non comprehendi, eo quod quamuis simpliciter sæculares sint, sunt tamen aliquo modo personæ Ecclesiasticæ, & eiusdem Ordinis, cuius sunt Tertiarij. Vide Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in constit. 9. Clem. VII. §. 2. Hæc autem intellige secundum moderationem factam à Leone X. & S. Congreg. de quibus, supra scilicet de Tertiarijs, de quibus ibi dicitur gaudere posse priuilegijs Religionum.

44. An Tertiarijs conueniant qualitates, quas supra dictum est esse necessarias ad fruendum priuilegijs Tertiariorum, Ordinarij loci iudicium spectandum est. Ex Sac. Congreg. Episcop. & Regul. apud Barbosam in Collect. Bullar. verb. Tertiaria, & Tertiarij.

## SVMMARIUM CAP. XV.

Nomen Confrater, vel confraternitas, alijs confratria vnde sumptum. n. 1.

Quid significet. ibid.

Quid sint huiusmodi confraternitates. n. 2.

Quæ sint dicenda priuilegia, Ecclesiastica, & Religiosa. num. 3.

An gaudeant priuilegio fori. n. 4.

An earum bona alienari possint sine solemnitate. ibid.

An sint immunes à solutione zabellarum. n. 5.

An gaudeant beneficio restitutionis. ibid.

An ad prescribendum contra ipsarum bona requiratur tempus 40. annorum. n. 6.

Quid antiquiores Pontifices circa earum institutionem decreuerint. n. 7.

Quid verò Clem. VIII. ibid.

Vna tantum confraternitas in vno loco instituenda. n. 8.

Quomodo id intelligendum. ibid.

De Ordinarij consensu. n. 9.

Cum litteris testimonialibus eiusdem. ibid.

Quæ priuilegia, & indulgentiæ, & quomodo eis communi-  
canda. n. 10.

An alijs potiri possint. n. 11.

Qualiter possint pro eisdem fieri statuta. n. 12.

Quomodo subiaccant correctioni Episcopi. ibid.

Formula prescripta à Clem. VIII. obseruanda. n. 13.

Quomodo gratiæ, & indulgentiæ promulganda. n. 14.

Quomodo Eleemosynas possint petere. n. 15.

In quæ opera eroganda. ibid.

Facultas confessorum confraternitatum. n. 16.

Quæ priuilegia dicantur esse in usu. n. 17.

Quæ censentur contraria Conc. Trid. n. 18.

Omnes confraternitates ante Clem. VIII. institutæ reno-  
uanda sunt. n. 19.

Alioquin nullius sunt roboris, & momenti. ibid.

Quid tamen circa hoc declaratum sit à S. Congregat. ibid.

Litteræ pro institutione confraternitatum omnino gratis  
danda. n. 20.

Pœna contra transgressores predictorum decretorum. n. 21.

Confraternitates contra presatam formam institutæ nullæ  
sunt, & irritæ. ibid.

Quæ circa confraternitates declarata sint à Sacra Con-  
gregatione. n. 22.

Quid circa earum præcedentiam. n. 23.

Num possint conuocare ad processiones. n. 24.

Processiones confraternitatum per quas vias extendenda.  
num. 25.

Qualiter accedere debeant ad funerals mortuorum.  
num. 26.

Quid de confraternitate Rosarij. ibid.

An possint aliquid recipere pro accessu. ibid.

Quod ius habeant DD. Episcopi visitandi confraternita-  
tes. num. 27.

Altaria, & cappellas illarum in Ecclesijs Regularium cõ-  
structa. ibid.

Contribuere debent pro Seminario puerorum. n. 28.

De capellanis confraternitatum. n. 29.

An possit dari aliquid pro receptione alicuius confratris.  
num. 30.

- An possit fieri statutum de hoc. *ibid.*  
 Confraternitates ditionis Mediolanensis qua statuta obseruent. num. 31.  
 De confraternitate Beatiss. Virgin. Mariae de Monte Carmelo. num. 32.  
 Quae gratia eidem concessa sint ab antiquioribus Pontifibus. num. 33.  
 Quid ei concesserit Urb. IV. num. 34.  
 An maneat in sua vi. *ibid.*  
 Quid Clem. VII. num. 35. & 36.  
 Ex ijs quaedam sublata sunt, alia moderata, alia manent in sua vi. num. 37.  
 Quid de illis Indulgentijs pro quibus manus adiutrices requiruntur. num. 38.  
 Gregor. XIII. concessiones. n. 39.  
 Pauli V. concessiones antiquioribus reuocatis. n. 40.  
 Indulgentia pro processione. n. 41.  
 Quae notanda circa praedicta. n. 42.  
 Habitus, seu scapularis gestatio. n. 43.  
 Descriptio in libro confraternitatis. n. 44.  
 Seruanda castitas. n. 45.  
 Recitandum Officium Canonicum, vel ieiunandum, &c. num. 46.  
 Quis institueri possit hanc confraternitatem. n. 47.  
 An haec facultas sit delegabilis. n. 48.  
 Concordia inter nostros, & RR. PP. Discalceatos. n. 49.  
 Qua conditione concedenda sit facultas instituendi confraternitates in alienis Ecclesijs. n. 50.  
 De grauissima Rosarij confraternitate. n. 51.  
 Indulgentiae illi concessae. *ibid.*  
 Sixti IV. approbatio pro usu recitandi Rosarium. n. 52.  
 Leon. X. concessio. *ibid.*  
 Innocent. VIII. concessio. n. 53.  
 Raimundi Cardinalis Legati concessio. n. 54.  
 Leonis X. approbatio, & concessio priuilegiorum. n. 55.  
 An pro receptione in confratres sit aliquid accipiendum. num. 56.  
 Praedicta confraternitas à S. Dominico instituta. n. 57.  
 Quid concesserit ei Clem. VII. n. 58.  
 Decretas statutas, & concessiones à Pio V. pro hac confraternitate facta. n. 59.  
 Sixti V. confirmatio. n. 60.  
 Notanda circa praedicta. n. 61.  
 Circa processionem huius confraternitatis declaratio. num. 62.  
 De confraternitate Chordae Seraphici P. S. Francisci. num. 63.  
 A Sixto V. instituta. *ibid.*  
 Gratia, & indulgentia eidem concessa. *ibid.*  
 Conditions ab hoc Pontifice pro ea designata. n. 64.  
 De confraternitate corrigiatorum Sancti Augustini. num. 65.  
 Quid concesserit Eugen. IV. pro illa. *ibid.*  
 Quid Greg. XIII. *ibid.*  
 Nihil debet solui pro aggregatione. *ibid.*  
 Vnio confraternitarum, Castellae Archiconfraternitatis Beatae Mariae de Consolatione Conuenus Bononiensis, num. 66.  
 Cum certis gratijs, & priuilegijs. *ibid.*  
 Concessiones Greg. XIV. & Greg. XV. n. 67.

## De Confratribus, & Confraternitatibus Regularium personarum, eorumque obligationibus, & Priuilegijs. Cap. XV.

**N**omen Confrater, vel Confraternitas, alijs confratria à con, & Frater vel Fraternitas compositum, significat coniunctionem, vel communionem in Fraternitate, sicut consanguineus, vel consanguinitas, Compater, vel Compaternitas significant coniunctionem, vel communionem in sanguine, vel paternitate, eo scilicet quod confratres, vel confraternitates coniunctionem, vel communionem aliquam habeant.

- 2 Sunt autem huiusmodi confraternitates Congregationes quaedam fidelium Laicorum ad pias, & deuotas exercendas actiones. Illae enim Congreg. metè prophanæ quæ neque auctoritate Episcopi, neque ad pias actiones exercendas sunt institutæ, quales sunt aliquæ congregationes Mercatorum, Artificum, Scholasticorum, &c. inter Confraternitates prout in presenti non numerantur. Huiusmodi autem confraternitates ad pias, & deuotas actiones exercendas ordinatæ, aliæ sunt à Regularibus institutæ, aliæ à Laicis; rursus aliæ Episcopi auctoritate, seu consensu institutæ sunt; aliæ verò solum priuatum personarum consensu. Item aliæ proprias Ecclesias, seu Oratoria habent; aliæ non nisi capellas, aut Altaria in alijs Ecclesijs. De quibus omnibus agendum.
- 3 Quamuis confraternitates Episcopi auctoritate institutæ pias, Ecclesiasticæ, & Religiosæ sint dicendæ, vt colligitur ex cap. de Xenodochijs tit. de Religiosis domibus, & c. Ad hæc eod. tit. Illæ tamen quæ absque Episcopi auctoritate institutæ fuerint, minimè Ecclesiasticæ, aut Religiosæ sunt censendæ: ex eo quod qualitatem hanc vt Ecclesiasticæ, seu Religiosæ fiant secundum Ius canonicum tribuere non possunt priuati absque Prælati auctoritate, ex dicto cap. Ad hæc de Religios. domibus. Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 75. à num. 25. Possunt tamen dici piæ cum in eis opera pietatis exercentur, & ad illa exercenda ordinatæ sint. Barbosa. *ibidem* num. 27. Personæ autem ipsæ confratrum non sunt dicendæ Ecclesiasticæ, cum nec habitum, nec statum mutant, nec se ita specialiter Deo deuoteant sicut requiritur ad Ecclesiasticæ personæ rationem. Capist. apud Rodriguez tomo 3. quest. Regul. quest. 21. art. 4. in fine.
- 4 Hinc prædictæ confraternitates Episcopi auctoritate institutæ gaudent priuilegio fori, itaut si ipsarum corpora conueniantur ad forum Ecclesiæ pertineat cognitio, quia verè sunt Religiosæ, & Ecclesiasticæ, similiter earum bona alienari non possunt sine solemnitatibus requisitis in rerum Ecclesiasticarum alienationibus, quia verè sunt bona Ecclesiastica. Bonacina de contractib. disp. 3. q. 8. punct. ... num. 21. Barbosa dicta allegat. 75. num. 31. Quod secus dicendum de alijs confraternitatibus sine consensu Episcopi institutis. Personæ autem confratrum non gaudent hoc priuilegio, cum non sint Ecclesiasticæ iuxta dicta supra.
- 5 A solutione etiam Gabellarum immunia sunt si vendantur bona prædictarum confraternitatum Episcopi auctoritate institutarum, cum sint Ecclesiastica, & ad pios vsus ordinata. Molina tom. 3. de iust. disput. 671. in princip. Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 75. n. 35. Quod etiam extendit ad bona illarum confraternitatum quæ Episcopi auctoritate institutæ non fuerint, eo quod in Authent. Item nulla communitas Cod. de Episc. & cler. exemptio à gabellis, & alijs tributis omnibus pijs locis, & causis concedatur, & huiusmodi confraternitatibus bona ad pios vsus destinantur. An autem gaudeant beneficio restitutionis in integrum idem Barbosa ut supra num. 36. An ex ijs quæ ipsis relinquuntur quarta canonica debeatur à num. 43. & an ex illis relictis quarta falcidia deduci possit num. 50.
- 6 Hinc etiam ad præscriptionem rerum pertinentium ad confraternitates, quæ Episcopi auctoritate institutæ sunt, tempus quadraginta annorum necessario requiritur, cum bona Ecclesiastica sint, & per consequens talium priuilegijs gaudere debeant. Constat enim res Ecclesiarum minori spatio quam 40. annorum præscribi non posse. Cap. ad aures, cap. Illud cap. De quarta, cum multis similibus de præscriptionibus. Nec improbabile hoc etiam priuilegium extendi ad bona quoque confraternitatum quæ ad pios vsus institutæ sunt, siue cum Episcopi auctoritate, siue sine illa. Molina de iustitia tract. 2. disp. 72. versu Hoc verò priuilegium. Barbosa dicta allegat. 75. num. 55.
- 7 Quamuis à pluribus Romanis Pontificibus nonnullis Regularibus Ordinibus, Sæcularibusque Congregationibus, eorumque Superioribus concessæ fuerint variæ facultates erigendi, vel instituendi confraternitates, vel etiam eas sibi aggregandi, eisque priuilegia, & indulgentias communicandi; cum nulla forma certa, vel ratio præscripta esset qua id fieri deberet, nonnullæ prauæ consuetudines irreperunt, multaque incommoda inde prouenerunt, siue negligentia Superiorum, siue aliorum officialium instituentium,

tuentium, erigentium, seu aggregantium prædictas Confraternitates. Propterea Clemens VIII. anno 1604. in Constitutione *Quæcumque à Sede* die 7. Decembris eiusdem anni edita, quæ habetur in 3. tom. Bullar. inter Constitutiones Clem. VIII. num. 115. & apud Quatantam in *Summa Bullar. verb. confraternitates*, quam postea confirmauit, & ad Canonicos, & Capitulum Ecclesiæ Lateranensis de Vrbe extendit Paulus V. in Bulla *Que salubriter* anno 1610. inter Bullas ipsius 3. tom. Bullar. num. 68. sequentia decreuit.

8 Primò, prædictos omnes facultatem habentes instituendi, erigendi, seu aggregandi Confraternitates, vnam tantum confraternitatem in eorum, & alijs Ecclesijs, & locis instituere, & aggregare posse. Gauantus in *Man. Episcop. verb. confraternitas num. 1.* Tamen à Sac. Congregatione super Indulgentijs declaratum, Superiores Regulares, quibus à Paul. V. concessa est facultas noua instituendi Confraternitates (qualis est Generalis Carmel. vt dicemus) posse super huiusmodi distantia inter confraternitates, tam quoad antiquas confirmandas, quam ad alias de nouo instituendas dispensare, ob iustam causam ab Ordinatio loci approbandam in scriptis. Ita indicatur in nostris Constitutionibus par. 4. c. 28. §. 2. Declarationem autem ipsam refert Laur. de Franchis in *controuers. Episcop. & Regular. fol. mihi 66.* Vbi simul habetur eandem Sac. Congregationem declarasse posse confirmari à Superioribus Regularium plures Confraternitates ab antiquo institutas canonicè in Ecclesijs Regularibus Collegiatis duodecim Fratrum, & in eodem loco, etiam si sint eiusdem nominis, & instituti, iuxta formam tamen huius Constitutionis: Confraternitatem tamen SS. Sacramenti conceditur erigi posse in omnibus Ecclesijs parochialibus. Laur. vt supra.

9 Secundò, huiusmodi Confraternitates institui, aut aggregari non posse à prædictis nisi consensu Ordinarij loci, & cum literis eius testimonialibus, quibus confraternitatis erigendæ, seu aggregandæ pietas, seu institutû, & Christianæ charitatis officia quæ exercere cupit, vel consuevit, commendentur. Ita scilicet vt cum confraternitas de nouo erigenda est, id non fieri possit sine consensu Ordinarij loci, Et cum literis eius testimonialibus quibus confraternitatis erigendæ, & instituendæ pietas, & Christiana charitatis officia quæ exercere cupit apud eos commendentur. Cû verò confraternitas non erigitur, aut fundatur, sed alij Archiconfraternitati aggregatur id non possit fieri nisi præuio similiter loci Ordinarij consensu, & cum eius literis testimonialibus quibus eiusdem confraternitatis, & congregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christiana charitatis officia quæ exercere consuevit, apud eos commendentur. Gauantus vt supra num. 3. Vide autem circa huiusmodi consensum Ordinarij dicenda infra num. 19. Cum verò ipsemet Pontifex institutiones, & aggregationes confraternitarum alio modo factas nullius roboris, & momenti esse declarauerit, vt inferius videbitur, iam Congregat. istæ sine consensu Ordinarij loci erectæ, aut erigendæ non erunt vocandæ confraternitates, nec priuilegijs, aut indulgentijs veris confraternitatibus concessis, de quibus etiam postea, gaudere, aut frui poterunt. Poterunt tamen vocari Congregationes piæ, seu pia loca, si ad piæ actiones gerendas ordinantur, vt dictum est superius. Declaratum etiam à S. Congregat. Episcoporum, Regularium, non licere Clericis Societatis Iesu, nec Regularibus Ordinis S. Dominici instituere confraternitates nouas secularium sine Ordinarij licentia. Barbosa in *collect. Bullar. verb. confraternitas*. An verò ad confirmandas antiquas confraternitates requiratur etiam consensus Ordinarij, vide dicenda infra num. 19. & Lauretum de Franchis ibi afferendum.

10 Tertio, decernit Pontifex in prædicta constitutione quod prælati, seu superiores confraternitates instituentes, vel aggregantes, illis ea tantum priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ipsi Ordini, Religioni, instituto, erigenti, iustituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & an specie, non autem quæ per extensionem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicare valeant. Gauantus in *Manual. Episcop. verb. confraternitates num. 4.* Vnde præ-

dicti institutores, vel aggregatores confraternitatum non possunt dicere. *Communicamus huic confraternitati omnes gratias, & priuilegia, indulgentias, &c. quæ tali Ordini, aut confraternitati sunt concessa, aut quibus per communicationem potitur.* Sed debent dicere. *Communicamus tales, & tales gratias Ordini, vel confraternitati nostris concessas, quæ sunt istæ, & istæ, &c.*

11 Hic tamen dubitari potest, esto non possint ab institutoribus confraternitatum communicari ipsis nisi solum gratiæ ipsi Ordini, vel Archiconfraternitati concessæ, non verò eæ, quæ per communicationem priuilegiorum ipsis competunt, an saltem ipsæ confraternitates institutæ illis potiantur. Ex vna enim parte videtur quod non, cum nulla alia ratione videatur prohibitum à Pontifice vt non fiat communicatio gratiarum, quæ solum per e communicationem priuilegiorum competunt institutorum Ordinibus, vel Archiconfraternitatibus, nisi quia non vult quod illis potiantur confraternitates institutæ, vel aggregatæ. Ex alia verò parte cum Pontifex non declarat se abrogare, aut cassare prædictas gratias quæ per communicationem priuilegiorum confraternitatibus competunt, videtur illis posse vt prædictas confraternitates institutas. Quæ posterior pars cum sit in materia fauorabili mihi probabilis videtur, & quod solum prohibuit Pontifex prædictam communicationem gratiarum solum per communicationem competentium Ordinibus, vel Archiconfraternitatibus instituentibus, vel aggregantibus confraternitates, tum propter tollendam confusionem quæ in communicatione gratiarum hoc modo facta reperitur, tum propter incertitudinem, quæ sæpius esse solet in tali communicatione priuilegiorum, seu gratiarum. Aliorum tamen iudicio rem relinquo.

12 Quarto, præcipit Pontifex, vt statuta talium confraternitatum instituentiarum, seu aggregandarum sint prius ab Episcopo Dicecesano examinata, & pro ratione loci approbata, & eiusdem Episcopi decretis, ac moderatiõibus, & correctionibus in omnibus semper subiecta remaneant. Loqui autem videtur solum Pontifex de illis statutis, quæ edita sunt ab instituentibus, seu aggregantibus dictas Confraternitates, & quæ illis impartiantur, vt patet ex textu Bullæ, non de illis statutis, quæ ipsæ Confraternitates institutæ pro suo bono regimine fecerint. Atque ita ex vi huius decreti non requirit prædictum Episcopi examen, vel approbationem ad ea statuta, quæ confraternitates ipsæ institutæ postea fecerint.

13 Quintò, ordinat vt prædicti confraternitatum institutores, seu aggregatores, in institutione, seu aggregatione ipsarum seruent formulam ab ipso Pontifice nouissimè approbatam, & secundum ipsam priuilegia, & indulgentias ipsis communicent nominatim, & expressè, vt supra dictum est. Quæ autem, & qualis sit ista formula de qua Pontifex hic loquitur, scire non potui. Verum tamen Flau. Cher. in *Compend. Bullar. super prædicta Bulla Clem. VIII. num. 115.* formulam quamdam refert quam dicit esse in vtu. Ea autem solum pro aggregatione Confraternitatum, non pro institutione facta videtur, etsi ex illa quoque qualis futura sit ea, qua pro institutione confraternitatum vt debent institutores dignosci potest.

14 Sextò, decernit vt prædictæ gratiæ, & indulgentiæ communicate præuia tamen recognitione Ordinarij loci (qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo illa iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum promulganda decernat) promulgati valeant. Gauantus vt supra num. 4. Vbi aduertendum non præcipi à Pontifice, vt Confraternitates non possent vt prædictis gratijs, & indulgentijs sine prædicta recognitione Ordinarij, &c. duorum de Capitulo, sed quod non possint illas promulgare, sine hac recognitione.

15 Præcipit septimò, vt licet Officialibus, & Ministris confraternitatum potestas sit excipiendi eleemosynas iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, hoc tamè sit, *remotis mensis, peluibus, & capsis, qua in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum confraternitatum, & congregationum publice ad hoc exponi consueuerunt.* Prædictas autem eleemosynas erogandas, & expendendas vult in reparationem, & ornatum Ecclesiarum dictarum Confraternitatum, tam instituentium, & aggregantium, quam institutarum, & aggregatarum, aut in alios earum pios vsus arbi-

- arbitrio Vicarij S. suae in Vrbe, & Ordinariorum locorum respectiue.
- 16 Declarat octauo, confessarios qui virtute priuilegiorum dictarum Confraternitatum eligi possunt, si fuerint saeculares debere esse approbatos a Vicario Urbis in ipsa Vrbe, & extra illam a locorum Ordinarijs. Si vero fuerint Regulares, non solum a praedicto Vicario Urbis, & Ordinarijs locorum respectiue, sed etiam a suis Superioribus. Insuper quod praedicti Confessarij Confratres confitentes absolue- re valeant a criminibus, casibus, & censuris, iuxta formam dumtaxat dictorum priuilegiorum [quatenus tamen (inquit Pontifex) sint in vsu, & Sacris Concilij Trident. decretis, ac Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non aduersentur, nec reuoca- ta, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint, for- mam, & tenorem dumtaxat absolue- re valeant. Decernimus insuper, vt ijdem confessarij praedictos Confratres cuiuscumque gradus, status, conditionis, & praeminentiae, etiam si speciali nota dignae fuerint, a casibus contentis in litteris quae die Cenae Domini legi consueuerunt, nec- non violationis immunitatis, & libertatis Ecclesiasticae, & clausurae Monasteriorum Monialium, si videlicet sine ne- cessaria, & vrgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa, & licentia concessa abutentes, praedicta Monasteria ingressi fuerint, nec non violentae manus inie- ctionis in Clericum, & singularis certaminis, seu duel- li, ac ab alijs etiam casibus tam a nobis quam a praedicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectiue reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam a quavis excommunicatione ab homine lata absolue- re, & super ir- regularitatibus, tum ex aliquo defectu prouenientibus qua occasione delicti contractis cum aliquo dispensare praetextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint.]
- 17 Circa quae valde vtile erit cognoscere quando priuilegia dicantur esse in vsu Religionum, vel Confraternitatum, quod non modo pro hac materia, sed pro alijs etiam defer- uire potest. Primo ergo illa priuilegia dicantur esse in vsu Religionum, vel Confraternitatum, quae sunt in viridi obser- uantia, & quibus Religio vel Confraternitas actualiter vtitur, hoc enim certum est apud omnes. Secundo etiam dicantur esse in vsu Religionis, vel Confraternitatis, quan- do et si illis non vtantur illorum tamen scientiam, aut cog- nitionem non habent, aut si habent, non est oblata occa- sio illis vtendi, aut fuit impedimentum ad vtendum illis, tunc enim quasi habitualiter dicantur esse in vsu. Tertio etiam dicantur esse vsu, quando et si Religio, aut confraternitas illis actualiter non vtatur, etiam data occasione, & potentia ad illud, & cum illorum noticia, contra illa tamen non est praescriptum tempore legitimo: cum enim priuilegia Religionum sint quaedam bona ipsarum, & contra bona ipsarum, vt potest Ecclesiastica non detur praescriptio iure communi nisi spatio 40. annorum. *accedenti de pri- uileg. de quo etiam supra num. 6. ideo contra priuilegia Regularium non datur praescriptio nisi dicto spatio, dum autem non est praescriptum contra illa, dicantur esse in vsu saltem habitualiter, quatenus potest esse vsus illorum, sic sentio probabile sub doctiorum censura. Ita enim colligo ex Cordaba in Compend. priuileg. verb. Absolutio quoad saeculares l. §. quoad §. 19. Rodriguez tomo 1. quest. Regul. quest. 8. artic. 3. 4. 5. Pottellus in Dub. Regular. verbo priuilegij cessatio per non usum num. 57. & 58. Peirinis to. 1. priuileg. Minimor. in Constit. l. 5. l. 11. §. 3.*
- 18 Similiter circa illud quod in constitutione Clementis dicitur de huiusmodi priuilegijs Religionum, & Confraternitatum, quod scilicet possint illis vti Confessarij dum- modo non aduersentur decretis Concil. Tridentini dubitari potest tam pro hac, quam pro alijs materijs, quae decreta sint ista, quibus aduersantia priuilegia tolluntur. Pro quo notandum, quod inter decreta Concilij alia sunt quibus ita aliquid decernitur, vt tamen priuilegia contraria non reuocentur, alia vero quibus etiam priuilegia contra- ria reuocantur. Quando ergo Papa confirmat priuilegia, quatenus decretis Concil. Tridentini non aduersantur, in- telligendus est de illis decretis quibus priuilegia reuocan- tur, non de illis quibus et si aliquid decernatur id non est cum reuocatione priuilegiorum. Cum enim priuilegia non reuocet, videtur relinquere illa in sua vi, & quod dicta de-

creta solum pro non priuilegiatis locum habeant. Sic senti- unt probabiliter. Rodriguez tomo 1. quest. Regul. quest. 8. artic. 6. Portel. in dub. Regul. verbo priuilegij confirmatio num. 61. & fauet Suarez lib. 8. de legib. cap. 8. ad finem. Stando ergo in hac sententia probabile est priuilegia circa absolutionem confratrum quibus non vti permittit Pon- tifex confessarijs ipsorum in hac constitutione, intelligi illa quae aduersantur decretis Concil. Trident. habentibus de- rogationem priuilegiorum in contrarium, non autem de illis quae aduersantur alijs decretis non habentibus praedi- ctam derogationem priuilegiorum. Vide dicta capit. 1. num. 58.

- 19 Praeterea non decernit Pontifex, vt omnes Confrater- nitates quae vsque ad illud tempus institutae, & aggregatae erant, nouas institutionum, & aggregationum litteras iux- ta formam ab ipso praescriptam infra annum si in Europa sint, & infra biennium si extra Europam a die publicatio- nis praedictae Constitutionis imperrare tenerent, alioquin (inquit) dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, & quaecumque communicationes priuilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessa nullius sint roboris, & momenti, ac reuocatae, & aboli- tae censeantur eo ipso. Ex quo inferitur Confraternitates quaslibet ante huius constitutionis promulgationem ere- ctas, seu aggregatas si in praedicto spatio temporis vnus, vel duorum annorum respectiue innouatae non fuerint iuxta formulam ab ipso Pontifice praefixam, nullius mo- menti, aut valoris esse saltem in ratione confraternitatum, & quantum ad indulgentias, & priuilegia titulo confrater- nitatum concessa. Vnde a Reuerendis. Generali Theodo- ro Stratio pro Ordine nostro prouisum est, vt praedictae confraternitates de nouo instituere iuxta praedictam Clement. VIII. formulam, litteris super hoc ad Prouin- ciales missis. Extat tamen declaratio Sac. Congregationis super indulgentijs, quam refert Laureus de Franchis in controuers. Episcop. & Regul. pag. mibi 65. in qua decernit- ur, Superiores Regulares, quibus concessa est a Papa fa- cultas noua instituendi Confraternitates secundum for- mam huius constitutionis posse confirmare sine Ordinarij consensu confraternitates iam pridem ante publicationem illius canonice erectas in proprijs Ecclesijs Regularibus Collegiatis vbi ad minus essent duodecim Religiosi de fa- milia; ad instituendum autem nouas Confraternitates in Ecclesijs siue saecularibus, siue Regularibus, & confir- mandum antiquas in Ecclesijs vbi non sunt praedicti duo- decim Religiosi, requirit praedictum consensum Ordinarij cum alijs requisitis. Circa quam declarationem notandum eam editam fuisse anno 1607. sub Paulo V. Cum autem ipse Paulus in Bulla afferenda infra num. 40. facultatem no- uam concesserit sub anno 1606. Generali nostro, & eo ab- sente Vicario generali instituendi confraternitates iuxta praescriptum Constit. Clem. VIII. ideo gratia concessa in hac declaratione vti possunt nostri generales.

20 Decimo statuit Pontifex in dicta Constitutione, vt lit- terae pro institutione, seu aggregatione dictarum Confraternitatum, & communicatione gratiarum gratis omnino, ac nulla prorsus mercede etiam a sponse dantibus accepta expediri, & concedi debeant. Gauantus in Manuali Epi- scoporum verbo Confraternitates num. 5.

- 21 Ac demum vndecimo contravenientes quoslibet Mini- stros, Superiores, & Officiales Ordinum, seu Archiconfraternitatum, aut confraternitatum, priuationem officiorum quae obtinent, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda solum a Summo Pontifice relaxanda declarat incurrisse eo facto, ac institutione Confraternitatum, & communicationes gratiarum, & priuilegiorum aliter factas nullius esse roboris, & momenti. Quomodo autem huius- modi poenae priuationis, & inhabilitatis intelligenda sint, & a quibus dispensari possent constat ex dictis tom. 1. cap. 10. num. 30. 31. 35. Pro Confraternitatibus autem institutis, aut aggregatis contra formam huius constitutionis cum nullae, & irritae declarentur, nullum aliud remedium super- est, nisi quod de nouo instituantur, & aggregentur iuxta praedictam formam, vt superius dictum est, vel confir- mentur, si adsint conditiones requisitae a Sac. Congrega- tione in declaratione allata num. praecedent. alias in malo statu

statu conscientiarum Superiores ad quos id spectat versantur tum quia contra Pontificiam intentionem confraternitates ab ipso reprobatae sunt, tum quia falsò eis communicatas esse indulgentias, & gratias predicant.

- 22 Præterea circa confraternitates sunt multa, & diuersa statuta, & decreta à S. Congregatione Episcoporum, & Regularium edita. Primum, quod non licet Regularibus instituire confraternitates cum vsu sacrorum sine Ordinario loci S. Congregatio 6. Decembris 1616. Gauantus in *Man. Episcoporum verbo Confraternitas n.2*. Secundum, quod Officiales quot annis eligantur, & cum secretis suffragijs. Eadem S. Congregatio 18. Iulij 1594. Gauantus *ut supra n. 10*. Tertium, quod electio Officialium ad confratres, confirmatio autem ad Episcopum spectat, exceptis ijs, quæ sub immediata Regum potestate existunt. Eadem S. Congregatio 11. Augusti. 1617. Barbofa in *Collect. Bullar. verb. Electio*. Gauantus *ut supra n. 11*. Quartum, quod nihil inde emolumenti accipiatur neque Officiales ipsi eligant successores. Eadem S. Congregatio 24. April. 1585. Gauantus *ibid. num. 13*. Quintum, quod in Oratorijs confratrum non retineatur Eucharistiæ Sacramentum. Eadem S. Congregatio 21. Martij 1594. Gauantus *ibid. num. 21*. Additur in alia S. Congregationis decisione apud Barbosam in *Collect. Bullar. v. Confraternitas*, non posse id fieri à confraternitatibus Laicorum, nisi ex causa, & licentia Ordinarij. Sextum, quod neque exponatur Oratio quadraginta horarum sine licentia Episcopi. Eadem S. Congregatio 20. Augusti. 1601. Gauantus etiam *ibid. num. 27*. Septimum, quod Parochus intra cuius fines est Ecclesia Confraternitas debet adesse funeribus quæ fiunt in dicta Ecclesia, & idem debet cantare Missas solemnes, alioquin canter Capellanus. Eadem S. Congregatio 20. Aug. 1601. Gauantus *ut supra n. 41*. Cui consonat alia S. Congregationis declaratio 18. Maij 1602. de qua idem Gauantus *v. Parochorum munerum n. 21*. Octauum, quod non instituantur Confraternitas in Ecclesia Monialium. Eadem S. Congregatio Episcoporum, & Regularium 6. Nouembris 1595. Gauantus in *prædicto Manuali Episcoporum verbo Monialium clausura num. 15*.
- 23 Circa earum præcedentiam Gregor. XIII. anno 1583. decreuit eas præcedere debere, quæ sunt in possessione, & vbi de huiusmodi possessione non constat eas quæ prius factis sunt. Gau. in *Man. Episcoporum verb. præcedent. n. 2*. & 3. Si autem contingeret quod Confraternitas quæ prius quam altera factis vsa est, ad processionem accederet sine sacro, non gauderet prærogatiua præcedentiæ. Siquidem præcedentiam obtinere volens habitum suo gradui conuenientem gestare debet. Butr. in *cap. 1. per illum tex. de auct. & vsu pallij num. 8*. quem citat ad hoc Præposit. in *cap. Concilia 7. §. Episcopos dist. 17. n. 3*. & alios allegat Gratian. in *Disceptat. forens. cap. 298. sub num. 65*. Ita Flauius Casarub. in *Compend. Bullar. in Bulla 84. Gregor. VIII.*
- 24 Non possunt Confraternitates cogi ab Episcopo accedere ad Processiones. Sic enim fuit receptum à S. Congregatione Concilij ad Episcopum Scalensem, vt refert Quaranta *verbo præcedentia in fine*, & Gauantus *verbo processio num. 13*. Nisi adit conluetudo, vt colligitur ex quadam declaratione S. Congregat. apud Barbosam in *Collectan. Bullar. verbo Confratres*. Possunt tamen ab ipsis inuitari prout etiam declaratum referunt Franciscus Leo in *thesaur. par. 1. cap. 8. num. 18*. & Barbofa *de offic. & potest. Episcopi allegat. 78. num. 24*. Quando autem accedunt ad processionem publicas incedunt ante Regulares, vt declaratum refert idem Barbofa in *Collect. Bullar. verb. Confraternitas*.
- 25 Processiones confraternitatum non debent extendi per vias, sed circa muros Regularium, qui eas regunt. Ita enim dicitur decisum à S. Congregationibus. Gauantus in *Manual. Episc. verb. Processio n. 49*. Quo tamen non obstante video hic Romæ insignem confraternitatem B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo in S. Mattini de Montibus Cœnobio sitam extendere processionem quæ fit à prædicta Confraternitate in mense Iulij vsque ad Basilicam S. Mariæ Maioris, & per vicinas plateas. Vnde vel speciali concessione, vel consuetudine id haberi credendum. Declaratum etiam dicitur à S. Congreg. posse confraternitates

Laicorum, & eorum Capellanos facere solitas processiones, quando non sunt in parochiali, & primaria Ecclesia, & in eorum Ecclesia prædicare facere à Prædicatore approbato ab Ordinario, & benedicere palmas, ignem, & aquam. Barbofa in *Collectan. Bullar. verb. Confraternitas*.

- 26 Non possunt eadem confraternitates accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, & expressè vocentur, & quando accedunt in actu associationis cadauerum nullo modo possunt erigere Crucem. Ita enim decisum dicitur à S. Congregatione. Barbofa *de offic. & potest. Parochi c. 26. num. 61*. Video tamen Pium V. in Bulla anno 1569. edita quæ habetur in 2. tom. Bull. inter Bullas huius Pontificis n. 86. decreuisse posse confratres confraternitatis Rosarij B. V. Mariæ ad quascumque processiones accedere & in quibus corpora defunctorum ad sepeliendum deferuntur cum eorum insignijs, cuiusuis etiam Superioris licentia minimè requisita. Quando autem accedunt non debent soluere Parocho quartam funeralem de candelis. Sic enim decisum est à S. Congregatione Episcop. & Regular. apud Barbosam *de offic. Parochi cap. 25. num. 40*. Similiter cum accedunt ad prædicta funeralia mortuorum, possunt recipere aliquid non per modum pretij, quia hoc esset simoniacum, cum esset vendere rem spiritualem, scilicet orationes, vel suffragia pro pecunia, sed per modum congruæ sustentationis, vel eleemosynæ. Suarez *to. 1. de Relig. lib. 4. de simoniac. 15. n. 7*.
- 27 Habent Episcopi ius visitandi Confraternitates laicorum ijs exceptis quæ sub Regum immediata protectione sunt. Ita enim habetur in Concil. Trid. *sess. 22. c. 8*. Barbofa *de offic. & potest. Episcopi alleg. 75. num. 2. 16. & 19*. Item confraternitates laicorum erectas in Ecclesijs Regularium non obstante quacumque contraria consuetudine. Ita enim decreuit S. Congregat. Episcop. & Regular. 17. Iulij 1615. Altaria tamen, & capellas in Regularium Ecclesijs etiam per secularium confraternitates constructas visitare non potest Episcopus. Ex declaratione S. Congregationis Episcop. & Regul. Barbofa in *Collect. Bullar. verb. Altare*. Quod intellige quatenus spectant ad Regulares ipsos, etenim prout spectant ad Confratres Capellæ ipsorum possunt ab Episcopo visitari. Ex alia declaratione eiusdem S. congreg. apud eundem Barbosam *ut supra verb. confraternitas*. [Notanda etiam est alia declaratio Sacre Congregationis Episcoporum & Regularium 31. Ianuarij 1642 qua declarauit Ordinarium non posse visitare confraternitatem quandam erectam in quadam Ecclesia PP. Dominicanorum, qui faciebant totam expensam altarium dictæ confraternitatis, eò quod ipsa nullos redditus haberet; sed totam facultatem visitandi dictam confraternitatem apud Superiorem Monasterij manere.
- 28 Tenentur confraternitates habentes redditus Ecclesiasticos etiam intra Regularium Ecclesias existentes contribuere pro seminatio puerorum, de quo Concil. Trident. *sess. 23. cap. 18*. Ita enim dicitur decisum à S. Congregatione. Barbofa *de offic. & potest. Episcopi allegat. 77. num. 10. & in Collectan. Bullar. verbo Confraternitas*. vbi etiam aliam decisionem S. Congregationis affert qua id magis explicatur. Gauantus in *Man. verb. Seminarium Clericorum num. 33*.
- 29 Pro capellanis confraternitatum declaratum est à Sac. Congregatione. Primò, capellanos Societarum, qui habent curam celebrandi Missas per totum annum non debere prohiberi ab Archipresbyteris Ecclesiarum, vbi sunt fundatæ Societates, quin ipsi etiam celebrent in diebus festis ipsarum Societarum. Secundò, Capellanos confraternitatum non posse suo arbitrio sine expressa licentia Episcopi processiones facere. Barbofa in *Collect. Bullar. verb. Capellanus*. Tertio, non posse prædictas confraternitates per suos capellanos in Ecclesijs quas habent facere solemniter celebrare, confessiones audire, sepelire Sacramenta ministrare, & similia, quæ ad solum Parochum spectant, absque expressa licentia Ordinarij, & Parochi. Barbofa *ut supra v. Confraternitas*.
- 30 Pro receptione alicuius confratris videtur dari non posse aliquid tanquam pretium, quia hoc olet simoniacum, cum simoniacum sit dare pretium pro re spirituali. Esse autem confratrem multa iura spiritualia inuoluit, vide-

videlicet ad priuilegia, indulgentias, & gratias Confraternitatis. Vnde non placet quod in contrarium docet Sanchez 10.1. *consil. moral. lib. 2. c. 3. dub. 23. n. 8.* Eo ductus fundamento quod Confraternitas non est Religio, sed Congregatio ad benefaciendum. Etsi enim ita sit, nihilominus, quia Confraternitatibus adiuncta sunt prædicta iura spiritualia, ideo materia simoniae reputanda sunt. Potest tamen dari aliquid pro dicta receptione per modo elemosynæ, vel alio simili titulo, quia id nullo modum est illicitum. Nauar. *de Oratione in Miscellaneo mibi 6. de Psalterio, & Rosario num. 1.* An autem licitum sit statutum confratriæ, quo præcipitur ne quis intret eam nisi certum quid soluat. Nauar. *in dicto Miscellaneo num. 4.* respondet negatiuè. Mibi tamen placet speculatiuè loquendo licitum esse tale statutum, dummodo illud quod datur non detur vt pretium receptionis, vt dictum est, sed propria aliqua causa videlicet pro alendis pauperibus, aut simili, & quod tale statutum non intelligatur nisi solum pro ijs qui facultatem habent soluendi illam quantitatem, ne excludentur pauperes à pijs operibus, quæ in confraternitatibus fiunt. Syluester *verbo Confraternitas n. 2.* In praxi autem si tale statutum approbatum fuerit ab Episcopo, vel legitima consuetudine introductum seruari debet. Sanchez *vt supra.* Vide Laurentum de Franchis *in controuers. Episcop. & Reg. pag. mibi 70.*

- 31 Pro confraternitatibus ditionis Mediolanensis edita sunt multa decreta, & statuta à Concilijs Prouincialibus Mediolanensibus quæ hic placuit inferere, quia etsi in alijs locis obligatio non inducant pia tamen documenta omnibus præbent. Primò ergo decernitur, vt electio officialium fiat præsentem Parocho, vel alio Sacerdote deputato ab Episcopo, nisi aliud videatur Episcopo. Secundò, quod electione officialium prorogata sine Ordinarij licentia, acta omnia sint deinceps nulla. Tertiò, quod non admittantur in confraternitatibus, qui doctrinam ignorant christianam. Quartò neque homines facinorosi. Quintò, neque tui pis vitæ, aut infamiae labe notari. Sextò, qui adscripti, & moniti non se emendant, amoueantur. Septimò, amictus ne detur alicui nisi præsentem Parocho, vel alio Sacerdote, qui amictum stara prece benedicat. Octauò, neque amictum domi, aut alibi quam in schola asseruet, & confratriæ dimittatur, quocumque casu ille recedat. Nonò, arma ne quis gerat vna cum sacro amictu. Decimò, si concedatur in Oratorijs seruari Eucharistiam, Sacerdos ibi ab Ordinario approbatur resideat. Vndecimò, prohibetur item processio Sanctissimi Sacramenti. Duodecimò, in Dominicis, & festis diebus Missæ sacrificium ne fiat ibi nisi tempore, & hora ab Ordinario præferibenda. Decimò tertiò, feria quinta, & Sabbato sancto nec ibi Missa celebretur, neque cuiquam, ne ipsi quidem Confratribus à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusuè, Eucharistiam ministrare liceat. Quarto decimò, neque in Natali Domini, Ascensione, Pentecoste, Assumption. B. Virginis, & omnium Sanctorum festo. Quinto decimò, nullæ benedictiones ibi fiant candelarum, ramorum, ouorum, frugum sub pena Sacerdoti benedicenti suspensionis à diuinis eo ipso, confratribus autem arbitrio Episcopi. Sextò decimò, officium B. V. tantum, & submissa voce recitent, non autem cantent. Decimo septimò, Vesperas eodem modo. Decimo octauò, officia recitent, vel ante, vel post officia Cathedralis, & Parochialis Ecclesiæ, neque impediant Doctrinam Christianam. Decimò nonò, non benedictionem, neque thurificationem sibi inuicem, vel alijs impartiantur. Vigesimo, neque liceat sine licentia Episcopi quærere elemosynam. Vigesimo primò, oncribus satisfaciant, aut in propria Parochiali, aut in Ecclesijs intra eius Parochiæ fines ab Episcopo designatis, nisi testatores aliud statuerint. Vigesimo secundò, anniuersaria, & quæ septimo, vel trigesimo die fiunt officia in Parochialibus fiant, nisi habeant ius sepulturæ. Vigesimo tertiò, & tum Parocho quoque præsentem, qui officium peragat, & quando scilicet ibi cadauer est sepultum. Vigesimo quartò, duplicata eo casu detur Parocho elemosyna. Vigesimo quinto, ne inuident Confratrem, tacitè, vel expresse, vt ibi eligat sepulturam in eorum Ecclesijs in quibus est ius sepulturæ sub pena excommunicationis la-

tæ sententiæ. Vigesimo sexto, & quicquid inde detrimenti caperit Ecclesia Parochialis, seu alia cui sepeliendi ius competeat, totum refarciant. Vigesimo septimò neque possint associare funus vllum nisi qui obiit vnus sit ex ipsis, vel facultatem in scriptis obtinuerint ab Ordinario, quibus casibus nihil consequantur. Vigesimo octauò, Psalmodia ad mortuorum corpora, thurificatio, atque asperio laicis Confratrib. ne permittatur. Vigesimo nonò, sepultura nemini in eorum Oratorijs Ecclesijsue concedatur, nisi Episcopo constet id eis licere, vbi verò ius sepulturæ concessum est Confratribus, nemini alij, neque iure electionis, sed neque ipsis quidem Confratribus nisi per sex menses ante obitum sint adscripti. Trigesimo, ad solemnes Cleri processiones accedant. Trigesimo primò, fiat processio quotannis ab omnibus simul Confratribus in Ciuitate, in Diocesi verò in proprijs locis, sumpta ab ipsè Sac. Communione, in gratiarum actionem de dono indulgentiæ concessò à Sede Apostolica. Trigesimo secundò, dignior locus detur antiquiori Confratriæ quæ habitum prius assumpserit de Episcopi, aut Papæ facultate, & solita fuerit ante obite supplicationes, licet tempore sit inferior, & minoribus gaudeat priuilegijs. Trigesimo tertiò, cum processiones agunt, Sacerdotem secum habeant. Trigesimo quartò, neque Crucem quæ per Clericos præferri solet, deferant, sed imaginem Crucifixi, & Sanctorum. Trigesimo quinto, noctu ne obeant ipsi processiones sine licentia Episcopi, & cum certis regulis. Trigesimo sexto à laicis confratrib. non celebrentur exequia. De quibus, & alijs ad intentum Gau. *in Man. Episc. v. Confraternitates.*

- 32 Loquendo autem specialiter de confraternitatibus Ordinum Mendicantium, ea quæ sub Vexillo B. V. Mariæ de Monte Carmelo militat, antiqua valdè in Ecclesia Dei est, cum constet Greg. decimum tertium in Bulla *Vt laudes* anno 1577. edita retulisse, & confirmasse indulgentias eidem Confraternitati concessas ab Hadriano II. Stephano V. Sergio III. Ioanne X. & II. Sergio IV. & Innoc. IV. Maximè ipse Innocent. IV. qui anno 1243. Pontificatum ascendit Confratriam dictam ingredientibus tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxauit, vt refertur à Greg. XIII. in præd. Bulla, & Sixto V. in Bulla *Dum attentata* ann. 1477. Insuper Urb. IV. qui sub ann. 1261. Pontifex factus est concessit Fratribus nostris ann. 1. sui Pontificatus, vt Confratrum possent audire Confessiones, vt refertur ab eodem Sixto IV. in alia Bulla etiam sub titulo *Dum attentata*, anno 1476. Vt enim in nostris Annalibus to. 2. dicimus hæc Confraternitas propagari cepit tempore B. Simoni Stoch Ordinis Generalis, qui priuilegium scapularis, & adiutorium Fratrum, & Confratrum post mortem à B. Virgine impetrauit. Huius enim singularis priuilegij occasione magnopere euulgata est B. Virginis deuotio, & Confraternitas, Cui etiam plures Summi Pontifices magna priuilegia concesserunt.

33 Primò enim Innocentius IV. vt dictum est, & ante ipsum Hadrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. & XI. & Sergius IV. vt refertur in prædicta Bulla Gregor. XIII. omnibus Christi fidelibus verè penitentibus contritis, & confessis qui Confratriam Ordinis assumerent, & eam intratè tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt. Quia tamen Paul. V. ann. 1606. vt infra videbitur omnes indulgentias Confratrum antiquas cassauit, nouis alijs adiunctis, & concessis, ideo hæc remissio peccatorum quæ verè indulgentia est, pro vt concessa ab hoc Pontifice nullius est momenti. Maiorem tamen indulgentiam Paulus Pontifex concessit, videlicet plenariam, ingredientibus prædictam Confraternitatem, vt ex dicendis constabit.

- 34 Deinde Urb. IV. ann. 1. sui Pontificatus magnam Fratribus, & Confratribus nostris concessionem fecit, videlicet quod Sacerdotes Ord. nostri possent confratrum nostrorum ad se recurrentium confessiones audire, de suorum (id est ipsorum confratrum) Prælatorum licentia, nisi ea forte talia commisissent propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda. Huic concessionem (inquit Catar. *in Comp. prim. Mend. v. absolutio, quoad secularis.*) non reperitur similis in priuilegijs Mendicantium. Ea .n. conceditur vt sine vlla approbatione Ordinarij possint Fratres nostri sacularium confessiones audire, & à casibus etiam Episcopalis absoluerent. Sed quoad primum derogatum est per Concil. Trid.

Trid. vt dictum est to. 1. cap. 19. à n. 2. Quoad secundum verò etiam est omnino sublatum propter decreta SS. Congreg. adducta cod. c. 19. n. 17.

35 Præterea Clemens VII. ann. 1530. pridie Idus Augusti in Bulla *Ex Clementi* quæ habetur in 1. tomo Laertij Cherubini inter Bullas huius Pontificis num. 31. plures gratias, & indulgentias Confraternitatibus nostris concessit. Primo etenim singulare illud priuilegium de adiutorio à B. Virgine præstando animabus Fratrum, & Confratrum, post eorum mortem approbavit, & innouauit. Id autem priuilegium illis verbis à Pontifice in Bulla relatis continetur. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Nicolai Audeth Generalis, ac Prouincialium, & Priorum domorum Ordinis B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, necnon Confratrum vtriusque sexus Confraternitatum in Ecclesijs domorum eiusdem Ordinis institutarum, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felic. recordat. Ioannes XXII. & Alexand. V. Roman. Pontif. prædecessores nostri vniuersis, & singulis Christi fidelibus qui Confraternitatem de Monte Carmelo ingredi, seu Confratrum Confraternitatum huiusmodi numero ascribi, ipsiusque Ordinis statuta obseruare, ac habitum dicti Ordinis deferre, & que Fratres, & Sorores dicti Ordinis appellare, ita quod si mulier Virgo castitatem, vidua verò continentiam, coniugata tamen matrimonij iura prout Sancta Ecclesia præcipit tempore earum ingressus inuoluntate seruare velle promitterent, & obseruarent, tertiam partem suorum peccatorum in Domino relaxarunt, ac ipsa gloriosissima Dei Genitrix semper Virgo Maria, ipsorum Confratrum, seu Religiosorum, ac Sororum animas, post eorum transitum, suis intercessionibus continuis, pijs suffragijs, & speciali protectione adiuuabit. Quodque Fratres ipsi gratiarum earundem prædecessorum participes fieri volentes, horas Canonicas, iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto ordini, concessam, & ordinatam recitare, ignari verò litterarum, diebus quibus Sancta Ecclesia ieiunare præcipit, ieiunare, necnon quarta feria, & Sabbatho toto tempore vitæ eorum præterquam die qua aliquarum ex ferijs prædictis natiuitatem Domini Nostri Iesu Christi occurrere contigerit, à carnibus abstinere deberent. Hæc ibi.

36 Inferius etiam amplissima hæc priuilegia eidem Confratribus concessit. Omnibusque, & singulis vtriusque sexus Confratribus, & cuiilibet eorum, aliquem Presbyterum idoneum sæcularem, vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium, & de obseruantiam regularem in suum possint eligere Confessorem, qui vita eis comite, eos & eorum quemlibet à quibusvis etiam maioris excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa pro tempore latis, & quibus etiam pro tempore ireturi fuerint, etiam si illorum absolutio Sedi prædictæ specialiter, vel generaliter (præterquam per litteras in Cœna Domini legi solitas) reseruatæ foret, ac quorumcumque votorum, & iuramentorum, necnon Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, peritiorum, simonia, & homicidij, mentalis, vel casualis reatibus, manuum violentarum in quas vis personarum Ecclesiasticarum, non tamen Episcopos, vel eorum Superiores de præterito iniectioibus, ieiuniorum, horarum Canonicarum, diuinorum officiorum, ac penitentiarum iniunctarum, in toto, vel in parte omissionibus, omnibusque alijs eorum peccatis criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam talibus propter quæ Sedes prædicta merito consulenda foret, in casibus dictæ Sedi qualitercumque reseruati (exceptis contentis in dictis litteris Cœna Domini) semel in vita, & in mortis articulo, de alijs verò dictæ Sedi non reseruatis casibus toties quoties opportunum fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis absoluerit, illisque pro commissis penitentiam salutarem iniungere. Vota verò visitationis quæcumque ultra marina (liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Vrbe, ac S. Iacobi in Compostella, necnon Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, & iuramenta quæcumque sine terrij præiudicio relaxare, ac omnium eorum peccatorum

semel in vita, & in mortis articulo, vt præfertur, etiam si tunc non subsequatur, plenariam remissionem, & absolutionem auctoritate Apostolica impendere possit. Licetque omnibus, & singulis vtriusque sexus Confratribus prædictis, & cuiilibet eorum, habere Altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc congruentibus, & honestis, etiam non sacris, & quauis etiam Apostolica auctoritate interdictis, seu tempore cessationis à diuinis, dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto, seu cessationi, & per eos non stet quominus pareatur Apostolico interdicto, etiam antequam illucescat dies, circa tamen diurnam lucem, seu circa meridiem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, in eorum presentia, clausis ianuis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce Missas, & alia diuina officia per Sacerdotes sæculares, vel Regulares huiusmodi celebrare, ac quocumque tempore Eucharistiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica à quocumque maluerint Presbytero idoneo, & vbiicumque sine Rectoris Parochialis Ecclesiæ præiudicio, recipere, & administrare liberè, & licitè valeant, & si contingat, eos, vel eorum aliquem, tempore interdicti huiusmodi ab humanis decedere, corpora eorum Ecclesiasticæ cum aliqua honesta tamen funerali pompa tradi possint sepulturæ. Quodque singulis quadragesimalibus, & alijs cuiuslibet anni temporibus, & diebus Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum Almæ Urbis Romæ, & extra illius muros, vnam, vel duas Ecclesias, aut vnum, duos, vel plura Altaria in partibus illis, vbi eos, seu eorum aliquem residere, seu quo declinare contigerit, quas, vel quæ ipsi, vel quilibet eorum duxerint eligendas, vel eligenda deuotè visitando, tot, & singulas, ac similes indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur quas consequerentur, si singulis diebus eadem singulas dictæ Urbis, & extra eam Ecclesias pro Stationibus huiusmodi deputatas personaliter visitarent. Hæc ibi.

37 Circa quæ notandum aliqua ex istis omnino sublata esse, alia moderata, alia verò in sua vi, & robore permanere. Primum enim illud de eligendo confessore, intelligendum est dummodo ille sit approbatus ab Ordinario iuxta decretum Concil. Trid. *sess. 23. c. 15.* & Bullam Clementis VIII. prout supra n. 16. dictum manent. Similiter quoad censuras, & casus reseruatos à quibus absolui posse à prædicto confessario Confratres concedit hic Pontifex, vide limitationem Clementis VIII. loco citato, quoad hoc enim priuilegia hæc Clementis VII. etiam moderata sunt. Vide etiam dicta to. 1. c. 19. n. 20. Quoad illud de facultate commutandi vota, & iuramenta exceptis illis de quibus ibi est sermo, non video vllam reuocationem, & ita manet, vt credo, in sua vi. Notandus tamen error qui in prædicta Bulla quoad hoc punctum videtur esse. Cum enim dicitur. *Vota vero visitationis quæcumque ultra marina (liminum Beatorum Petri & c. exceptis)* errore Scriptoris ita factum esse videtur, ita vt dici deberet: *Vota vero quæcumque (visitationis ultramarina, liminum Beatorum Petri, & c. exceptis.)* Intentum enim Pontificis illud videtur esse, vt quæcumque vota exceptis visitationis ultra maris, liminum Apostolorum, S. Iacobi in Compostella, Religionis, & castitatis possent commutari in alia pietatis opera. Hic enim est communis modus concedendi hanc facultatem. Alias enim si prout in prædicta Bulla iacet esset legendum sequeretur posse prædictos confessarios commutare Confratrum vota visitandi S. Sepulchrum, non autem recitandi semel coronam Virginis quod est absurdum. Circa illud priuilegium pro tempore interdicti modo ibi assignato non videtur fuisse renouatum à Concil. sed in suo vigore permanere. Etsi enim Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 12.* iusserit interdicta omnia à Regularibus obseruari debere, tamen nec ibi nec in *cap. 22.* vbi reuocantur priuilegia contraria, loquitur de Confratribus, aut Confratribus, sed solum de Religiosis. Illud verò de Altari portatili ea parte qua dicitur etiam in locis non sacris posse esse vsum illius, videtur reuocatum à Concil. *sess. 22. in decret. de obseruand. & vitand. in celebration. Missarum,* quatenus ibi ordinatur *ne in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedi-*



*cata oratoria*, Sanctum Sacramentum peragatur cum reuocatione priuilegiorum in fine. Quamuis hoc non sit ita certum vt oppositum probabiliter dici non possit, asserendo Concilium solum loqui contra eos, qui regulariter, aut continuò vtuntur prædicto Altari portatili extra Ecclesiam, non de ijs qui in casu particulari, & raro contingenti, scilicet, in casu interdicti, eo vtuntur. Illud de sepultura tempore interdicti non video esse reuocatum. Fauet Gauantus in *Man. Episcoporum verbo interdictum num. 50.* Reuocata tamen sunt illæ Indulgentiæ pro diebus Stationum Romæ à Paulo V. vt inferius dicitur.

38 Demum idem Pontifex concedit in dicta Bulla omnibus alijs, qui gratis eorumdem Confratrum gaudere voluerunt, vt aliquam eleemosinam, siue charitatem prout eis, ac præfidentibus Confraternitatum huiusmodi visum fuerit, dando, & largiendo gratiarum huiusmodi participes fiant. Quia tamen Pius V. anno 1567. in Bulla *Essi Dominici*, quæ habetur in 2. tom. Bullar. inter Bullas ipsius n. 30. omnes indulgentias pro quibus portigendæ sunt manus adiutrices cassauerit, & annullauerit, ideo prædicta concessio, saltem quoad Indulgentias nullus est roboris, & momenti, nisi forsitan ea faciant in quæ Greg. XIII. infra referendus huiusmodi Indulgentias propter eleemosynas, & manus adiutrices lucrandas, commutauit. Et hoc non quoad Indulgentias personales, quia istæ sunt postea à Paulo V. reuocatae, & coarctatae, sed quoad locales, v.g. pro Ecclesijs nostras visitantibus. Quoad alia verò priuilegia, non video tam manifestam derogationem in dicta Bulla Pij V. & propterea nihil audeo decernere aliorum iudicium expectans.

39 Postea Greg. XIII. anno 1577. in Bulla *Vt laudes referens gratias*, & priuilegia Ordini, ac Confraternitatibus nostris concessa, quæ approbat, & confirmat sic dicit. *Idemque Ioannes XXII. pro animabus quæ in Purgatorio existunt, & habitum huius Religionis gestant, vel eorum Confraternitatem ingressi fuerint, vel Confratrum numero ascripti in honore eiusdem B. Mariæ Matris Dei, die Sabbati post eorum transitum, intercessionibus continuis pijs suffragijs, & meritis, ac speciali protectione adiuvandis publicauit, corroborauit, & confirmauit.* Inferius etiam quæ Clemens VII. post Ioannem XXII. & Alexand. V. Fratribus, & confratribus, concessit referens, ea etiam approbauit, & confirmauit, clausula tamen porrigendi eleemosynas, & manus adiutrices, dempta, & in alia opera commutata. Videlicet, *quod hi Christi fideles, qui illas consequi voluerint, Ecclesias visitando sint contriti, & confessi, ac loco eleemosynæ prædictæ iuxta prædecessorum prædictorum voluntatem eroganda septies orationem Dominicam, itidemque salutationem Angelicam, recitent, vel habitum dicti Ordinis sicut in litteris Apostolicis piæ memoriæ Ioannis Papa XXII. ac Alexandri V. necnon Pij V. prædecessorum nostrorum continetur gesserint, vel vespere pro defunctis recitent, aut ante SS. D. N. Iesu Christi Corpus terram exosculetur, ac pro hæresum extirpatione, sanctæque Mariæ Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumque Principum pace, & vniõne pijs ad Deum preces effundant, & alias iuxta dictorum prædecessorum nostrorum litterarum seriem orent, aliæque peragam.* Hæc Greg. XIII. in præd. Bulla.

40 Tandem Paulus V. Romæ apud S. Petrum die 30. Octob. anno 1606. in Bulla *Cum certas*, reuocatis, cassatis, omnibus, ac singulis indulgentijs, peccatorum remissionibus, ac penitentiarum relaxationibus concessis confraternitati nostri Ordinis, nouas has indulgentias ipsi concessit, his verbis. Omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, dictam Confraternitatem vbique locorum, tam hæcenus canonicè (vt præfertur) institutam, quam deinceps vt infra instituendam de cætero ingredientur, & habitum receperint, die primo eorum ingressus si verè penitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint plenariam. Ac tam ipsis pro tempore describendis quam iam descriptis in dicta Confraternitate Confratribus, & Confororibus, etiam verè penitentibus, & confessis, ac Sacra Communione resectis, qui in festo principali Commemorationis eiusdem Beatæ Mariæ, die 16. mensis Iulij, aut iuxta ritum nonnullorum locorum die Dominica immediatè sequenti celebrati

solito Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione, pijs ad Deum preces effuderint, etiam plenariam. In mortis quoque articulo eisdem vtriusque sexus confratribus, qui penitentes, & confessi, ac Sanctissima Communione resecti, nomen Iesu ore, si potuerint, sin autem corde deuotè inuocauerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, necnon ipsis confratribus, & confororibus qui similiter penitentes, & confessi, ac Sacra Communione resecti Processioni in vna Dominica cuiuslibet mensis per dictam confraternitatem, de Ordinarij licentia faciendæ deuotè interfuerint, & ibi (vt præfertur) orauerint, septem annos, & totidem quadragenas. Ipsi verò, qui ab esu carnis his diebus quibus confratres dictæ Confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies. Qui autem qualibet die septies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ad honorem septem gaudiorum eiusdem Beatæ Mariæ Virginis recitauerint quadragesima dies, nec non etiam qui cum habitu eisdem Confraternitatis penitentes, & confessi semel in mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & vt præfertur, orauerint, quinque annos, & totidem quadragenas. Ijs verò confratribus, & confororibus qui penitentes, & confessi in qualibet ex festiuitatibus eiusdem Beatæ Mariæ Virginis dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia, vel Capella dictæ Confraternitatis deuotè sumpserint, & vt supradictum est, orauerint, tres annos, & totidem quadragenas, qui autem cum lumine dictum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum quando ad infirmos deferretur comitati fuerint, & pro eisdem infirmis pijs ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragenas. Qui verò corpora defunctorum, tam Confratrum, & Confororum quam aliorum ad sepulturam associauerint, & pro eorum animabus ad Deum orauerint, centum dies. Quoties verò prædicti confratres, & conforores officium eiusdem B. M. Virg. deuotè recitarint centum dies. Qui verò Missis, & alijs diuinis officijs in Ecclesia, vel capella, aut oratorio dictæ confraternitatis pro tempore celebrandis, & recitandis siue congregationibus, publicis, vel priuatis eiusdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales, vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis proprijs, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procurauerint, aut deuium aliquem ad viam salutis reducerint, & ignorantem Dei præcepta, & ea quæ ad salutem sunt docuerint, aut quocumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum ceteris diebus de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis penitentijs in forma Ecclesiæ cõsuetæ relaxamus. Ac dilecto filio nunc, & pro tempore existenti Priori Generali dicti Ordinis Carmelitarum, vel illo absente eius Vicario Generali, huiusmodi Confraternitatem B. M. de Môte Carmelo vbiuis locorum extra Urbem erigere, & instituire, illiq; omnes supradictas Indulgentias, & gratias spirituales (seruata tamen forma præscripta in Const. felic. record. Clementis prædecessoris super dictarum confraternitatum aggregationibus, & institutionibus edita) communicare similiter liberè, & licitè possit, & valeat auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatem concedimus, & impartimur.

41 Quia tamen in hac Bulla ipsis confratribus, & confororibus assistentibus Processioni in vna Dominica cuiuslibet mensis per dictam confraternitatem faciendæ septem annos, & totidem quadragenas concesserat, vt præmissum est, postea sub anno 1609. plenariam Indulgentiam eisdem concessit, verè tamen penitentibus, confessis, & Sacra Communione resectis, & orantibus pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Mariæ Ecclesiæ exaltatione. Item anno 1614. supplicante Theodoro Stratio eo temporis Procuratore Generali, nunc verò Priore Generali Ordinis extendit prædictam Indulgentiam ad Confraternitates omnes sub in-

uocatione B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo in quamque Mundi parte de cætero canonicè erigendas.

- 42 Circa prædictas autem Pauli V. Indulgentias aliqua notanda. Primum, quod per huiusmodi reuocationem Indulgentiarum non sunt reuocatae, aut cassatae illæ quæ concessæ erant Ecclesijs Ordinibus nostris, iuxta dicta *to. 1. c. 3. num. 19.* Pro quo vide Gauantum in *Man. Episcop. verb. Indulgentia num. 25.* Secundum probabile forsan esse, nec etiam reuocatas esse Indulgentias concessas confratribus defunctis, aut in articulo mortis constitutis, propter ea quæ dicta sunt citato loco, in hoc tamen aliorum iudicio me remitto. Tertium, quod licet ad lucrandas prædictas Indulgentias, sufficiat facere ea quæ à prædicto Pontifice designantur, ad fruendum tamen singulari priuilegio, quod vulgo Bullæ Sabbathinæ nuncupatur, videlicet, de auxilio, & patrocinio à B. Virgine præstando animabus Confratrum in Purgatorio existentibus post ipsorum mortem præcipuè die Sabbathi requiruntur sequentes conditiones.
- 43 Prima est, habitum, seu scapulare B. Virginis in vita gestare. Ita enim habetur in Bullis Ioannis XXII. Alexand. V. Clemen. VII. Gregor. XIII. ac in decreto S. Inquisitionis Romanæ, anno 1613. qui habitus, seu scapulare coloris grisei debet esse, & saltem pro prima vice ab aliquo Prælato Ordinis, seu ab ipso auctoritatem habent benedictum. Declaratur autem in nostris Constitutionibus *par. 4. cap. 28. num. 6.* Superiorem qui potest habitum benedicere, & hanc facultatem delegare esse Generalem Ordinis pro tota Ecclesia, Prouinciales pro suis Prouincijs, Priores verò locales posse quidem id facere per se ipsos non tamen alijs delegare hanc facultatem. Debent autem dari tale scapulare, vel habitum à Superioribus Ordin. colligitur à simili de chorda D. Franc. quam debere similiter à Superioribus eiusdem Ordinis dati confratribus eius confratriæ expressit Sixtus V. in Bulla *Diuina charitatis*, anno 1587. apud Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. q. 58. artic. 1.* Vbi etiam de benedictione talis chordæ à Superioribus faciendæ. Hic autem notandum à S. Congregatione declaratum esse, prout refert Barbofa in *Collec. Bullar. verb. confratres*, posse concedi confratribus sæcularibus habitum patientiæ, quæ solis Religiosis propriè conuenit. Quod intelligo quoad formam, & materiam, non quoad longitudinem, seu latitudinem.
- 44 Secunda, saltem ex consuetudine, & conformiter ad nostras Constitutiones *par. 4. cap. 28. num. 7.* imò conformiter ad Bullam Pauli V. supra *n. 40.* describi in libro confraternitatis. Quia tamen in Bulla Greg. XIII. & verbis adductis *n. 39.* sub disunctione ponitur, vel ingredi confraternitatem, vel confratrum numero ascribi, non videtur prædicta conditio essentialis, licet sine dubio obseruanda pro maiori cautela, maxime quia similis conditio pro confraternitate chordæ S. Francisci videtur necessaria, vt asserit Rodriguez *to. 1. q. Regul. quest. 58. artic. 1.* & pro omnibus confraternitatibus id habet Flavius Cherubinus in *Compend. Bullar. in Sixto V. n. 12. scholio 2.*
- 45 Tertia, seruare castitatem respectu eo statum in quo sunt confratres, & consorores. Hæc enim conditio à Summis Pontificibus relatis designatur. Quæ non sic est intelligenda, vt Confraternitatem ingredientibus, teneantur votum castitatis emittere, quemadmodum Fratres in professione, sed quod castitatem pro suo statu colant. Nec ita est intelligenda quod statum mutare nequeant. Confratres enim soluti, & Consorores Virgines ad nuptias transire possunt, & tunc ad conjugalem castitatem, non ad Virginalem tenebuntur. Vnum etiam aliud pro hac (idem dico pro sequenti) conditione aduertendum est, quod scilicet quamuis aliquis humana fragilitate ductus semel, bis, aut pluries contra castitatem peccauerit, si tamen peniteat, firmiterque proponat iterum eam seruare, vt huius priuilegij particeps efficiatur, non propterea incapax ipsius efficietur.
- 46 Quarta conditio est, recitare officium Canonicum, si illud recitare nouerint, sin autem non nouerint, loco officij, Ecclesiæ ieiunia obseruare, & feria 4. & Sabbatho à carnibus abstinere, nisi vbi in his diebus Natiuitatis Domini festum inciderit. Sic enim habetur in prædicta Bulla Clem. VII. referentis Ioannem XXII. & Alexand. V. & in *Summa Lexana. Tom. II.*

decreto adducto S. Inquisitionis Romanæ anno 1613. & indicatur in sectionibus officij Commemorati, solemnibus B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo à S. Congregatione Rituum approbatis. Licet autem in prædicta Clem. VII. Bulla ex Ioanne XXII. & Alexand. V. dicatur hoc officium debere esse *horas Canonicas iuxta formam ab Alberto Patriarcha dicto Ordini concessam, & ordinatam*, quia tamen in prædicto decreto S. Inquisitionis Romanæ dicitur. *Officiumque paruum recitauerint*, denotari videtur, Ecclesiæ auctoritate qua pollet explicasse officium illud canonicum ad lucrandum hanc gratiam requisitum sufficienter suppleri per officium paruum B. Virginis, ita vt non recitantibus magnum officium, sufficiat paruum B. Virginis recitare. Probabile etiam confessorios posse cum legitime impeditis prædicta requisita in alia opera pia æquiualentia commutare. Id enim de benignissima Virgine Maria hanc gratiam concedente, & de Summis Pontificibus etiam approbantibus credi debet.

47 Solus Pater Generalis Ordinis pro tempore existens, & in sua absentia eius Vicarius Generalis, ex indulto Pauli V. potest ubique locorum extra Urbem seruata forma præscripta à Clem. VIII. de qua infra, Confraternitates habitus erigere, & instituere, illisque Indulgentias, & gratias spirituales auctoritate Apostolica liberè, & licitè commutare. Vicarius autem Generalis Congregationis Mantuanæ, vt pluries declarauit Sac. Congregatio super indulgentijs, solum in Ecclesijs ipsius Congregationis ex indulto eiusdem Pauli V. Quoniam autem in Ordine nostro duo alij sunt supremi Generales præter nostrum Discalceatorum primitiuam Regulam profitentium, vnus Congregationis Hispaniæ, alter Congregationis S. Eliæ, eadem Sacra Congregatio super Indulgentijs declarauit vnumquemque eorum liberam habere facultatem instituendi ubique locorum Confraternitatem nostram. Ita in nostris constitutionibus *par. 5. c. 28. n. 1.* Quæ placuit hic transcribere pro maiori luce dicendorum.

48 Dubitari tamen potest an Pater Generalis (idem dico de PP. Generalibus PP. Discalceatorum, & Vicario Generali Congregat. Mantuanæ respectu) possint confraternitates nostras instituendi facultatem alijs delegare. Videtur enim probabile quod sic, quia iuxta dicta *to. 1. cap. 18. num. 4.* Commissarius ex priuilegio perpetuo potest alijs suas vices delegare, facultas autem hæc instituendi confraternitates est priuilegium perpetuum, præsertim quia Paul. III. concessit Generali Societatis, vt omnes gratias concessiones, & indulta sibi concessa à Sede Apostolica exercere possit per Vicarios, aut personas ad id sibi bene visas. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 22. num. 8.* Similiter Sixt. V. in Bulla *Dum ineffabilia* ann. 1586. edita quæ est in 2. tom. Bullar. inter Bullas Sixti V. n. 21. facultatem concessit omnibus Fratribus Ordinis Prædicatorum designandis à Generali, vel Vicario Generali eiusdem Ordinis instituendi confraternitates Rosarij vbi que. His enim priuilegijs videtur vti posse Generales Ordinis nostri. Nihilominus Reuerendissim. Theodorus Stratus generalis Ordinis cautius, & prudentius per se solum instituit etiam absens confraternitates, in illis scilicet locis, quos Prouinciales designant, committendo tamen ipsis vt loca designent cum conditionibus à Clem. VIII. requisitis.

49 Item cum vnica tantum instituti nostri confraternitas erigi possit in eodem loco, iuxta dicta supra ex Clem. VIII. n. 8. ideo ad conseruandam bonam pacem inter nostros, & Patres nostros Discalceatos ann. 1616. die 24. August. Romæ Reuerendiss. Magister Sebastianus Fantonus Prior generalis Ordinis, Reuerendiss. P. Fr. Ferdinandus à S. Maria præpositus generalis nostrorum PP. Discalceatorum Congregat. S. Eliæ, ac admod. R. P. Franciscus à Sanctiss. Sacramento Procurator Generalis Congregationis Hispaniarum eorundem PP. Discalceatorum in hanc deuenerunt concordiam his verbis descriptam in Bulla Pauli V. *Ad ea per que* anno 1617. die 24. Aprilis quæ prædicta concordia ab hoc Pontifice approbatur, & confirmatur. Ideo prædicti Patres Reuerendiss. P. Magister Generalis, & Reuerendiss. P. Præpositus generalis, & Procurator Generalis Hispaniæ sub vna Beatissimæ Virginis tutela militantes, vt charitas mutua sine vllius offensione

- foueat; sponte, &c. & omni &c. nominibus prædictis conueniunt, & pacifcuntur hoc proposito medio, videlicet, vt vbi Fratres Carmelitani erectam iam habeant confraternitatem possint. Discalceati sanctum Scapulare peccatis concedere, sodalesque ita admittere, vt eo ipso confraternitati Patrum Carmelitarum adscripti censentur, & sint, & easdem indulgentias, priuilegia, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta consequantur modo quo supra. Item quoad processiones tam præcipuam mensis Iulij ad Sanctissimæ Virginis Commemorationem solemnem fieri solitam, quam alias, quæ in aliqua Dominica singulorum mensium fiunt, quibus assistentibus confratribus, & confororibus plenaria Indulgentia per SS. D. N. Paulum Papam V. sub die 3. Augusti 1609. in perpetuam concessa est, & postea ab eodem sub die 19. Iulij 1614. ad omnes in posterum erigendas in quavis mundi parte confraternitates extensa, ita pariter conueniunt, & pacifcuntur, vt vbi confraternitas in domibus Patrum Discalceatorum fuerit erecta, nolintque ipsi dictam processionem, seu processiones facere possint PP. Carmelitani eam, vel eas celebrare, illique vel illis assistentes confratres lucentur Indulgentiam, ac si in eorum domo esset confraternitas, & e conuerso si in domibus PP. Carmelitarum fuerit erecta confraternitas, nolintque ipsi processionem celebrare, possint PP. Discalceati eam facere, confratresque assistentes consequantur Indulgentiam prædictam, quia sic inter eos actum &c. Hæc ibi. Habetur hæc Bulla in lib. cui titulus est *Præuilegia Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum* a pag. 126.
50. Statuta etiam sunt hæc pro institutione prædictarum confraternitatum in nostris constitutionibus p. 4. cap. 28. num. 3. Et ne, quod in fauorem nostræ Religionis à Summis Pontificibus concessum fuit aliquando in illius detrimentum vergat Reuerendis. Pater in posterum confraternitatem nostram in exteris Ecclesijs præsertim aliorum Regularium non instituat, nisi sub hac expressa conditione, quod si temporis successu nostra Religio domum in eodem loco fundauerit, institutio confraternitatis in aliena Ecclesia facta eo ipso penitus expiret, nulliusque reddatur valoris, & momenti, & valeat P. Generalis nouam erectionem in nostra Ecclesia seruatis seruandis facere: & nisi etiam sub iuramento promittant tum Superiores exterarum Ecclesiarum in quibus instituenda fuerit confraternitas, tum confratres, quod nec directè, nec indirectè, nec per se, nec per alios vllò vnquam tempore impediant, quominus possimus nos, si se obtulerit occasio, nouum ibi Monasterium acquirere, imò expressè protestentur se ad id quatenus opus fuerit, ex nunc pro tunc suum præbere consensum. Hæc ibi. [Vnde declaratum video à Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium sub 15. Septembris 1674. confraternitatem nostram erectam in quadam Ecclesia Patrum Augustinianorum suspendi debere, vt possit institui in Ecclesia nostri Ordinis.]
51. Grauißima Rosarij B. Virginis Mariæ confraternitas, quam clarissima Dominicanorum PP. familia habet, iuxta Nau. in *Miscellaneis de Psalterio, & Rosario Virginis Matris Miscellaneo* 4. cæpit ann. 1476. à quodam egregio Doctore Prouinciali eiusdem ordinis nomine Iacobo Spenger, qui simul vocatur Prior Monasterij Prædicatorum Coloniae, quibusdam Statutis super ingressu, & obligatione Confratrum adiecti, quam Alexander Legatus ad instantiam Imperatoris Federici III. & eius vxoris Augustæ confirmauit, & indulgentias auxit. Hæc autem indulgentiæ, prout constat ex Bulla Leonis X. inferius referendæ sunt, confratribus, seu confororibus in singulis quinque B. Virginis Mariæ festiuitatibus, scilicet Annuntiatione, Visitatione, Assumptione, Natiuitate, & Purificatione centum dies Indulgentiæ, & quoties Rosarium per se, vel per alium legerent, vel legi facerent, seu Sabbatis, & festiuis diebus decantationi *Salve Regina*, quod in dicta Ecclesia cantabatur, interessent, quadraginta dies.
52. Deinde Sixtus IV. in Bulla *Ea que ex fidelium*, anno 1479. in 1. tom. Bullar. inter Bullas eiusdem Sixti n. 18. ad instantiam Ducis, & Ducissæ Britannicæ approbauit antiquum vsum orandi qui dicitur Psalterium, seu Rosarium B. Virginis, quo scilicet tones Angelica Saluatio *Ante*

- Maria dicitur, quot sunt Psalmi in Psalterio Dauidico scilicet 150. singulis decem Salutationibus orationem Dominicam semel præponendo, concedens insuper pro quolibet quinquagena prædicti Psalterij quinque annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ. Constat etiam ex Leone X. in Bulla *Pastoris æterni* anno 1520. edita in *Appendic. ad Bullarium num. 2. inter Bullas Leonis* eundem Sixti. IV. voluisse, & ordinasse, quod omnes, & singuli confratres vtriusque sexus confraternitatem prædictam seruantes tam in dicta Ciuitate Colonensi, quam vbiicumque locorum verè penitentes, & confessi, qui orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam prædictam modo præmissa dicerent in singulis Natiuitatis, Annuntiationis, Assumptionis eiusdem B. V. Mariæ festiuitatibus Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum consequerentur.
53. Successiue Innocentius VIII. cum anno 1483. vel 1484. Bartholomæus de Comatijs Generalis eorumdem Patrum Dominicanorum Capitulum Generale Romæ celebraret, vt constat ex prædicta Bulla Leonis X. Bartholomæo Generali viua vocis oraculo, omnibus qui tunc erant, & in futurum essent de dicta confraternitate, & per hebdomadam dicerent Psalterium B. Mariæ Virginis huiusmodi plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, semel in vita, & semel in mortis articulo, ac etiam receptis per litteras ad beneficia dicti Ordinis, non autem quæstu, sed deuotionis causa, concessit, de qua concessione per litteras testimoniales ipsius Bartholomæi sui secreti sigilli seu signati vidualis impressione munitas constat.
54. Insuper, vt etiam ex eiusdem Leonis Bulla constat *Raymundus tit. S. Mariae noue Presbyter Cardinalis tunc per Germaniam dictæ Sedis Legatus, eisdem Confratribus, & confororibus, pro quolibet Rosario centum dies Indulgentiarum perpetuo, & similiter plures, ac diuersi locorum Ordinarij singuli Indulgentiam 40. dierum concesserunt, prout etiam in Raymundi Cardinalis Legati, necnon Alexandri Episcopi, & Nuncij, & Ordinariorum huiusmodi singulis desuper confectis litteris dicitur plenius contineri.*
55. Post quæ idem Leo X. in Bulla relata confraternitatem, ritum, seu modum orandi, & prædictas Indulgentias per Sixtum, Innocentium, Legatum, & Ordinarios prædictos concessas approbauit, aliasque Indulgentias, & priuilegia his verbis concessit. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Ioanni Duci, Mariæ Ducissæ, Sibillæ Marchionissæ, Ioanni Præposito, Priori, ac Fratribus Prædicatoribus, & eorum singulis, ac vnuerfis, alijsque vtriusque sexus Christi fidelibus dictæ confraternitatis confratribus, & confororibus, vbi libet existentibus, tam præsentibus, quam futuris, verè penitentibus, & confessis, seu confitendi proposito habentibus, qui ter in hebdomada dictum Rosarium deuotè orauerint, vt præfertur pro quolibet vice alios decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis penitentibus misericorditer in Domino relaxamus. Ac quod omnes prædicti eorum singuli in Pascha Resurrectionis, & festiuitatibus prædictis, ac tribus diebus singulis festiuitatum earundem præcedentibus, cuiusque Presbytero domus Ordinis Prædicatorum Fratrum professorum per eorum singulos pro tempore eligendos peccata sua confiteri valeant, ipseque Presbyter eorum confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis excommunicationibus, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, & promulgatis, necnon sacrilegijs, incestibus, adulterijs, penitentiarum iniunctarum, & diuinorum officiorum, & ieiuniorum omissionibus, alijsque eorum peccatis, criminibus, excessibus, delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, in singulis etiam Sedi Apostolicæ referuatis casibus (contentis in Bulla singulis annis diæ Conæ Domini legi consueta, dumtaxat exceptis) absolueret, & eis pro commissis penitentiam salutarem iniungere, ac iuramenta quæcumque sine alicuius præiudicio relaxare, & vora quæcumque (vtramque, visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli, præfatorum, ac S. Iacobi in Compostella, necnon Religionis, & castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia

- alia pietatis opera commutare liberè possit, Ordinarij, & Archidiaconi loci, ac Rectorum parochialium, & cuiusuis alterius licentia desuper minimè requisita. Qualiter autem hæc priuilegia absoluedi Confratres moderata, vel ablata iam sint vide dicta supra num. 37.
- 56 Ordinavit insuper, ac statuit, pro receptione, & conscriptione aliquorum Confratrum, siue Confororum in dicta Cōfraternitate, nihil omnino temporale exigi debere, sed sponte oblata dumtaxat recipi posse. Vide d. sup. n. 30.
- 57 Refert etiam idem Pontifex prædictam Confraternitatem iam olim prout in historijs legitur a S. Dominico institutam fuisse, & in diuersis mundi partibus prædicatam sequentibus signis. Quod etiam corroborant, quæ de hac historia referunt Dominicani Patres, specialiter Abrahamus Bzouius tom. 13. *Annal. circa ann. 1213. numer. 9. & sequentibus*, ubi de quadam victoria meritis Beatæ Virginis Dei Matris accepta, alijsque miraculis Rosarij institutum comprobantibus, ex varijs auctoribus agit.
- 58 Postea Clemens VII. in Bulla *Est temporalium*, anno 1534. edita, in tom. 1. Bullar. inter Bullas huius Pontificis num. 40. dictam Confraternitatem, Indulgentias, & priuilegia illi à Prædecessoribus concessa approbavit, & confirmavit. Declarauit etiam satis esse Rosarium in hebdomadæ cursu recitari, & quia Leo X. concesserat visitantibus quinque Altaria cuiuscumque Ecclesiæ, vel vnum, aut duo quinquies si quinque defuissent, Indulgentias Stationum Almæ Vrbs, idem approbavit, & confirmavit. Item auxit Indulgentias concessas à Sixto IV. recitantibus Rosarium Beatae Virginis. Animaduertit autem Laertius Cherubinus Collector Bullarum in hac Bulla Clem. VII. eam approbatam fuisse à Paulo III. & Iulio III.
- 59 Item sub anno 1569. Pius V. duas edidit Bullas, seu Constitutiones circa huiusmodi Confraternitatem. Priorem 28. Iunij, & posteriorem die 17. Septembris, quæ habetur in 2. tom. Bullar. inter Bullas huius Pontificis n. 86. In priori decernit solum Priorem Generalem, aut ab eo deputatos, & Ambrosium Saluim Provinciale provincie Neapolitanæ posse Confraternitatem prædictam in quibuscumque Ecclesijs erigere, nullum Confratrem pro ingressu in Confratram aliquid soluturum, posse Confratres ad quascumque processiones accedere, & in quibus corpora Defunctorum ad sepeliendum deferuntur, cum eorum insignijs, cuiusuis etiam Superioris licentia minimè requisita, prohibens ne dictis Generali, seu deputatis, & Ambrosio prædicto, aut ipsis Confratribus in præmissis aliquid molestiæ inferatur, ac illis concedens Indulgentias à Prædecessoribus, præsertim Leone X. concessas. In posteriori autem prædictum Psalterium, seu Rosarium B. Virginis omniaque in dulta Indulgentias, & priuilegia per quoscumque Summos Pontifices, seu Legatos concessa confirmavit, & approbavit, facultatem percipiendi legata concessit, ac sequentes Indulgentias concessit his verbis. Et insuper quo quisque ad se numero Confratrum præfatorum aggregandum, promptior, & alacrior fiat. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Confratribus prædictis per deputatos prædictos descriptis, verè pœnitentibus, & confessis qui prima vice qua descripti fuerint, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua Ecclesia, aut Capella dictæ Confraternitatis perceperint, & vnam saltem quinquagenam Rosarij recitauerint, & pro tranquillitate Sanctæ Matris Ecclesiæ orauerint, necnon qui in mortis articulo constituti salutaris pœnitentiæ, & viatici Sacramento muniti fuerint plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Qui verò in Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, Annunciationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ præfatum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, & partem Rosarij, vt præferatur, recitauerint, decem annos, & totidem quadragenas. Eisdem autem Confratribus qui in reliquis Domini Nostri IESU Christi, & Beatæ MARIE Virginis præfatorum festis diebus in quibus Sacra ipsius Rosarij mysteria recensentur, vnam saltem Rosarij quinquagenam recitauerint, necnon alijs omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, etiam non confratribus qui in eiusdem

Summa Lezana. Tom. II.

Rosarij Processione, quæ mense quolibet fieri consuevit deuotè interfuerint, & pariter confratribus præfatis qui ipsum Rosarium integrum qualibet hebdomada deuotè recitauerint, septem annos, & totidem quadragenas de iniunctis sibi pœnitentijs, etiam misericorditer in Domino relaxamus. Hæc ibi.

- 60 Præterea Sixtus V. in Bulla *Dum ineffabilia* anno 1586. edita quæ est in 2. tom. Bullar. inter Bullas Sixti n. 21. confirmavit, & approbavit Indulgentias, priuilegia, & indulta dictæ confraternitati à suis Prædecessoribus concessa, & pro potiori cautela ea de nouo concessit, & innouauit. Facultatem item concessit Fratribus dicti Ordinis Prædicatorum per magistrum, & Vicarium Generales pro tempore deputandis instituendi prædictas confraternitates Rosarij eiusque erectis omnes gratias, & indulta elargiendi. Insuper sequentes eisdem confratribus indulgentias concessit, ijs verbis. De omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis vtriusque sexus confratribus singularum confraternitatum Rosarij huiusmodi, tam habentium erectarum, quam in posterum erigendarum, vt præferatur, vbicumque nunc, & pro tempore existentibus, & in dictis confraternitatibus pro tempore descriptis, & describendis, itinerantibus, vel nauigantibus, ac seruientibus, totum Rosarium, infirmis verò, aut alijs legitimè impeditis tertiam eius partem deuotè recitantibus, necnon temporibus debitis, & ab Ecclesia statutis, confitendi, & communicandi firmum propositum habentibus, qui Capellam B. MARIE Rosarij in Eccl. ipsius B. MARIE supra Mineruam de Vrbe eiusdem Ordinis Prædicatorum institutam, vel alias Eccles. seu Capellas vbicumque dictæ confraternitas canonicè fundata fuerit ijs diebus quibus festa mysteriorum eiusdem Rosarij celebrantur visitare, & processioni, quæ prima Dominica cuiuslibet mensis fieri solet, interesse non poterint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem auctoritate, & tenore prædictis, concedimus, & elargimur. Illisque omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones etiam plenarias alijs confratribus, & Sororibus, capellas, seu Ecclesias Rosarij huiusmodi dictis diebus visitantibus, ac dictæ Processioni interessentibus, specialiter, vel generaliter concessas, & in futurum concedendas, in omnibus, & per omnia, perinde, ac si dictas capellas, seu Ecclesias dictis diebus personaliter visitarent, & processionibus huiusmodi interessent auctoritate, & tenore prædictis communicamus, ac communicatas esse specialiter, vel generaliter decernimus, & declaramus. Hæc ibi.

- 61 Circa prædicta notandum primò S. Congregationem Episcoporum declarasse 13. Maij 1603. facultates concessas PP. Dominicanis pro Societate Rosarij locum non habere in Societatibus eiusdem extra eorum Ecclesias. Gaudent in *Man. Episcopor. ver. Confraternitates* n. 8. Notandum 2. Ioannem XXIII. concessisse Fratribus Ordinis Prædicatorum, quod confratres ipsorum possent sepelire tempore interdicti in Ecclesia, vel Cæmeterio eorumdem Fratrum nisi fuerint excommunicati publicè, vel nominatim, ibiq; diuina celebrare seu audire. Ita *Caesar. in Comp. priu. Mendic. verb. Interdictum* 3. n. 5. iungens quod cum prædicti Prædicatores hac gratia frui vellent, re discussa in insigni vniuersitate Salmantina declaratum fuit solum debere ista concessione vt iuxta cap. *Vt priuilegia de priuilegijs, & excessibus* eos confratres, qui adhuc manentes in sæculo eorum Ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari, & qui bona sua dederunt inter viuos, tenerent sibi usufructu, sic n. deciditur in dicto c. *Vt priuilegia*. Verumtamen cum concessio Ioannis XXIII. posterior fuerit hac decisione iuris communis non video cur iuxta illam debeat intelligi. Dubium tamen mihi ingerit an hi confratres Fratrum Prædicatorum sint ijdem, ac confratres Rosarij. Hoc tamen scire spectat ad prædictos Patres. Tertio notandum, quod quamuis Paulus V. omnes, & singulas Indulgentias tam confraternitati Rosarij, quam alijs confraternitatibus à suis prædecessoribus concessas reuocauerit, nouas indulgentias, & priuilegia concedens postea tamen ad instantiam Ordinis Prædicatorum dictam reuocationem ad terminos iuris reduxit,

Q 4 con-

- concedens, & indulgens, vt Rosarij confraternitas vti posset, & gaudere Indulgentijs alijs eidem à Summis Pontificibus concessis, prout antea utebantur, & non alijs. Hoc patet ex Bulla eiusdem Paul. V. *Cum olim* anno 1608. edita.
- 62 Circa processionem autem huius Confraternitatis notandum quod licet, iuxta dicta *to. 1. c. 12. n. 41.* à S. Congregat. declaratum sit non licere Regularibus facere processiones sui Ordinis extra Ecclesias suas, & ambitum illius, circa processionem tamen Rosarij, refert Festus in *Constit. sui Ordinis p. 1. cap. 23.* declarasse S. Congregationem posse dictam processionem fieri per totam Ciuitatem si ita habeat consuetudo à 10. retro annis seruata, in quatuor festiuitatibus B. V. Mariæ, nimirum. Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis.
- 63 Circa Confraternitatem chorde Seraphici Parris S. Francisci constat ex Sixto V. in Bulla *Diuina charitatis altitudo* anno 1587. edita quæ habetur apud Rodrig. *to. 1. q. 9. Regul. q. 58. artic. 1.* & in Bullario eiusdem Auctoris *tom. 2. Bulla 8. in Sixto V.* eam institutam fuisse ab eodem Sixto V. in Ecclesia S. Francisci Assisiensis, in qua sub Altari maiori corpus eiusdem S. Francisci requiescit, concessisseque facultatem Clementi Bontadesio Generalis Minorum prædictam Confraternitatem instituendi in quibuscumque Ecclesijs eorumdem Minorum tam Conuentualium, quam de obseruantia, & Capuccinorum cum varijs Indulgentijs, & peccatorum remissionibus. Sequentes autem exprimit idem Pontifex in dicta Bulla ijs verbis: *Necnon de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate, consisteritque sexus Confratribus Chordigerorum huiusmodi præter Indulgentias Religioni præfate concessas in mortis articulo, necnon quoties processionibus Archiconfraternitatis Chordigerorum huiusmodi singulis mensibus fieri solitis interfuert isdem quidem Confratribus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem perpetuo concesserimus.* Bulla autem eiusdem Sixti, qua prædictam Confraternitatem erexit habetur in 2. tomo Bullar. inter Bulla Sixti n. 13. vbi etiam varias Indulgentias eidem Confraternitati concedi præsertim eas, quæ Archiconfraternitati Confalonis concessæ erant, nec reuocata.
- 64 Declarat autem idem Pontifex chordam debere esse cinctam, & susceptam à Superioribus Ordinis. Deinde vult esse benedictam ab eisdem Superioribus, Guardianos etiam atque Præsidentes intelligendo. Requiritur etiam vt ipsi Confratres in Confratram ingrediantur, & in libris ipsius scribantur. Rodrig. *vt supra tom. 1. q. 9. Regul. q. 58. art. 1.* Flavius Cherubinus in *Comp. Bullar. in Sixto V. n. 13. scholio 2.* [Pro indulgentijs autem huius Confraternitatis chorde S. Francisci, consule Portellum in *Responsion. moral. tom. 2. casu 44.*]
- 65 Circa Confraternitatem Confratriæ Corrigiatorum S. Augustini, notandum quod Eugenius IV. Romæ ann. Domini millesimo quadringentesimo trigesimo confirmauit licentiam datam à Fratre Gerardo de Ariminio Generali Ordinis Eremitarum D. Augustini Fratri Cesario de Roma eiusdem Ordinis Professo, vt Corrigiatorum posset instituere Confratras, Postea auctoritate Greg. XIII. Prior Generalis Ord. Fratrum Erem. D. August. Confraternitatem vtriusque sexus fidelium Cincturatarum, & Cincturatarum S. August. & S. Monicæ nuncupatam in Ecclesia S. Iacobi Ciuitatis Bononiensis fundatam auctoritate Eugenij IV. vniuit simili Confraternitatis sua inuocatione B. Mariæ Virg. de Consolatione nuncupatæ, in eadem Ecclesia canonicè instituta. Quam vnionem, & incorporationem Greg. XIII. Romæ apud D. Petrum sub annulo Piscatoris die 10. Iunij an. Incarnationis Dominicæ 1575. Pontificatus sui anno 4. motu proprio, & ex certa scientia confirmauit, & idem Gregor. XIII. in quadam Bulla data Romæ apud D. Petrum sub annulo Piscatoris die 12. Nouemb. anno Domini 1578. Pontificatus sui anno 8. præcipit in virtute S. Obedientiæ omnibus ad quos spectat, ne dictæ Confraternitates sic vt præfertur pro tempore aggreg. t. ad quidquam soluendum dictæ Confraternitati S. Iacobi ratione aggregationis huiusmodi soluere teneantur. Hec ad litteram Rodrig. *to. 1. q. 58. art. 2.*
- 66 Postea verò Gregor. Petrechinus Cardinalis auctoritate Apostolica sibi concessa, rescriptum in forma Breuis edidit. Quo in omnibus Ecclesijs Domorum, & Conuentuum Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Prouincia Castellæ iam erectis, seu de cetero erigendis, ac earum singul. s. vnâ Confraternitatem vtriusque sexus Christi fidelium Corrigiatorum, seu Cincturatarum D. Augustini, eiusque D. Mariæ Monicæ in Capella, seu Altari à Priori, & Conuentu specialiter ibi eligendo de nouo perpetuo, & ad perpetuam rei memoriam gratis, vbique, & alias seruata forma dictarum litterarum Papæ Gregor. XIII. erexit, & instituit, & fundauit, ac erectam, fundatam, & institutam censerit, & omnino esse voluit, illasque, & earum singulas sic vt præfertur erectas, & fundatas Archiconfraternitati B. Mariæ Virg. de Consolatione Corrigiatorum, seu Cincturatarum S. Augustini, & eius Mariæ S. Monicæ, in Ecclesia Domus, seu conuentus Fratrum S. Iacobi dicti Ordinis Bononiensis, vt præfertur, instituta specialiter, & expressè etiam gratis, & perpetuò aggregauit, vniuit, & incorporauit. An singularum confraternitatum sub dicta inuocatione erectarum huiusmodi vtriusque sexus confratribus, & eorum quibuslibet omnia, & singula priuilegia, concessiones, & indulta tam spiritualia, quam temporalia, ac etiam peccatorum remissiones, & Indulgentias etiam plenarias, & perpetuas, vel quascumq; alias qualitercumque, & quomodolibet qualificatas, & nuncupatas per quoscumque Summos Pontifices litteris Apostolicis varijs temporibus singulis Archiconfraternitatis prædictæ confratribus quomodolibet, & ex quavis causa concessa, & largitas perpetuò etiam communicauit, & ad singulas ex nunc dicta auctoritate Apostolica extendit, & ampliauit, illisque omnibus, & singulis eorum quibuslibet gaudere debere, & de illis alijsque spiritualibus suffragijs, operibus meritorijs dictæ Archiconfraternitati, & illius vtriusque sexus confratribus concessis, & per eos aliosque totius Ordinis Eremitarum D. Augustini Fratres vbilibet pro tempore quomodolibet participes fecit, & participare debere dicta auctoritate Apostolica declarauit. Hæc etiam idem Rodrig. *dicto artic. 2.*
- 67 Postea etiam Greg. XIV. in Bulla quæ incipit *Cum sicut accepimus* declarauit posse confratres vtriusque sexus corrigiatorum D. Augustini vti frui, & gaudere indulgentijs, gratijs spiritualibus Ordini eiusdem S. Augustini concessis omniumque bonorum, quæ sunt in dicto Ordine participes esse, dummodo inter alia tenerentur quotidie recitare tredecim *Pater noster*, & totidem *Aue Maria*, & vnum *Salve Regina* pro salute Romani Pontificis, ac fœlici statu S. Mariæ Ecclesiæ, vel nescientes dicere ipsum *Salve Regina* loco ipsius quinque *Aue Maria*. Ampliorem quoque gratiam quarundam Indulgentiarum in alia Bulla concessit idem Pontifex eidem confraternitati, prout refert Rodrig. *vt sup. artic. 2.* Omnium tandem gratiarum, & priuilegiorum huius confraternitatis approbatio, & confirmatio habetur ex Greg. XV. in Bulla *Inunctis nobis* in Bullar. Eremitar. S. Augustini Laurentij Empoli *in eodem Greg. num. 2.* [Demum circa titulos quibus vocari solent confraternitates laicorum, notanda est declaratio Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, qua 23. Martij 1640. declarauit pro Fratribus conuentualibus Spoletini quod quadam confraternitas S. Iosephi titulo cognominata in Ecclesia Parochiali erecta, relinqueret præfatum titulum, eò quod prius erecta fuerat alia confraternitas apud prædictos Patres sub eodem titulo.]

## SUMMARIUM CAP. XVI.

Familiars, seu seruitores Regularium qui dicantur. n. 1.

Quid ad illos requiratur. ibid.

Non sunt persone Regulares. n. 2.

An sint persone Ecclesiasticæ. ibid.

Quarta priuilegia eisdem à Summis Pontificibus sunt concessa. n. 3.

Quid concesserit Alexand. IV. Seruitoribus Hospitalis S. Ioannis. n. 4.

Quid idem Alexander pro seruitoribus Fratrum Minorum. n. 5.

Quid Urbanus IV. pro familiaribus Carmelitarum. num. 6.

Quid Clem. IV. pro seruitoribus Minorum. n. 7.

Quid

Quid Martinus V. pro Familiaribus Monachorum S. Benedicti. n. 8.

Quæ Sixtus IV. pro Carmelitarum seruitoribus. n. 9.

Quid Iulius II. pro Minorum Famulis. n. 10.

Quid Leo X. pro eisdem. n. 11.

Specialiter pro tempore interdicti ab Alexand. IV. Clem. IV. Sixt. IV. n. 12.

Innocentij V. concessio pro Familiaribus Carthusiensium. ib. Urb. V. pro eisdem. ibid.

Concessio pro Familiaribus Fratrum Predicatorum. ibid.

Qualiter ea moderata sint à Leone X. in Concil. Lateran. num. 12.

A Conc. Trid. sess. 24. c. 11. n. 14.

Quomodo ea intelligenda. ibid.

Quæ ex dictis priuilegijs modo subsistant. n. 15.

Possunt Familiares dictas condiciones habentes à Regularibus recipere Sacramenta. ibid.

Ut recipiant Sacramentum pœnitentiæ necessaria est in confessorio approbatio Ordinarij. n. 16.

An oppositum sit probabile. ibid.

An confessorij possint eos absoluerè à casibus Ordinarij referuatis. n. 17.

Quid de Sacramento Matrimony. n. 18.

Quid de Sacra Eucharistia tempore Paschatis. n. 19.

Quid de Sacramento extremae unctionis. n. 20.

An pro administratione Sacramentorum Eucharistiæ & extremae unctionis Familiaribus requiratur Episcopi approbatio. n. 21.

An sepultura possit illis concedi. n. 22.

An possint excommunicari, aut interdici ab Episcopo, quando, & quomodo. n. 23.

Quibus priuilegijs frui possint præsertim in mortis articulo. num. 24.

Quid de Indulgentijs dicendum. n. 25.

An possint in illegitimitate dispensari. n. 26.

Quid possint facere tempore interdicti. n. 27.

An ea veniant intelligenda etiam de Seruitricibus Monialium. n. 28.

Impediaturne ista per Bullam Cruciate in locis ubi publicatur. n. 29.

Secluso omni priuilegio an possint Missis inseruire tempore interdicti. n. 30.

Qui assumpti sunt in fraudem legis ut potiuntur dictis priuilegijs, non potiuntur illis. n. 31.

Nec etiam qui seruiunt particularibus Religiosis non designatis à Prælatis. n. 32.

An gaudeant familiares Regularium facultate habendi conseruatores. n. 33.

Non possunt familiares Fratrum uti suis priuilegijs contra ipsos Fratres. n. 34.

Secus esset si talia priuilegia essent illis aq̄e principaliter concessa. ibid.

Quid si Fratres perdididerint talia priuilegia. n. 35.

## De familiaribus, seu Seruitoribus Regularium personarum, eorumq; priuilegijs. Cap. XVI.

**F**amiliares, seu Seruitores Regularium in præsentia appellantur illi qui ipsi inserviunt, & cum illis cohabitantes, ita ut sint ipsorum quasi commensales. Ita enim colligitur ex cap. ultim. de verbor. significat. in 6. Rota Roman. diuers. p. 2. decis. 303. n. 2. Suar. 4. to. de Rel. tr. 10. lib. 9. c. 4. n. 14. Barbosa de offic. & potest. Episcopi alleg. 5. n. 2. Non tamen videtur simpliciter necessarium, ut aliquis familiaris censetur, quod propter stipendium, vel mercedem inserviat. Nam si aliquis gratis seruire velit Monasterio familiaris utique erit. Felinus c. in litteris. Suar. ut supra. Requirit tamen videtur ad familiaris rationem in præsentia, quod continuò, vel quasi continuò in Regularium domibus cohabitet. Quia alias non vocabitur de familia ac per consequens nec familiaris. Prout in simili de familiari Episcopi loquuntur Bonacina de Sacrament. disp. 8. q. unica punct. 4. n. 18. Barbosa ut sup. n. 6. Sed ægrotus, & qui pro aliquo tempore ad propria negotia, vel Mo-

nasterij pertractanda absens est familiaris nomen non perdit. Glossa in cap. ult. de verbor. significat. in 6. & Suar. ut supra.

2 Constat huiusmodi familiares Regularium personas Regulares non esse, cum vota solemnia, ut supponimus non emittant. An autem Ecclesiasticæ personæ dicendæ sint, dubium esse potest, cum pertineant ad personas Ecclesiasticas, & sint quasi bona ipsarum. Nihilominus esto quod secundum quid Ecclesiastici iuris dici possint, propter rationem allatam, absolutè tamen, & simpliciter dicendi sunt sæculares, seu laici, quemadmodum etiam familiares Episcoporum, qui alias clerici non sunt, ut supponitur in declaratione Sac. Congreg. Episcop. & Regul. apud Barbofam in Collect. Bullar. ver. familia, in qua dicitur, familiares Episcopi etiam laicos fori priuilegio gaudere, quo supponitur Episcoporum familiares, si alias clerici non fuerint, pro laicis personis haberi.

3 Nihilominus varia, ac plurima eisdem seruitoribus, seu familiaribus Regularium, seu potius ipsis Regularibus in ordine ad prædictos Summi Pontifices concessere priuilegia, quæ placuit primum referre, ut postmodum, quænam ex illis, aut quomodo reuocata sint, dici possit. Alexand. IV. Generali, Prouincialibus, Prioribus, & Fratribus Carmelitis concessit facultatem eis ministrandi Ecclesiastica Sacramenta, ac tradendi eos Ecclesiasticæ sepulture sine alieni iuris præiudicio. Habetur Bulla in Mari magno Ordinis n. 18. & illius meminit Casarubius in Compend. priuileg. Mendican. verbo familiares, seu famuli Fratrum n. 2. Rodrig. to. 2. q. Regular. q. 67. art. 1.

4 Idem Alexand. IV. confirmauit litteras Honorij, & Innocentij Prædecessorum, quibus auctoritate Apostolica interdixerunt ut nemini liceret sine speciali mandato Romani Pontificis seruitores Fratrum Hospitalis S. Ioannis siue Clericos, siue laicos, donec in seruitio domus fuerint, excommunicationi, vel interdicto subijcere, & si quæ sententia in præfatos aliter lata fuerit, eam irritam esse, & inanem censuit. Casarubius in Compend. priuileg. Mendic. verb. familiares n. 10.

5 Idem etiam Alexander concessit quod si quando in personas, vel terras, ubi residere Fratres Minores excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri Fratrum seruitijs deputati, negotiorumque suorum gestores, seu Procuratores, & operarij qui in locis Fratrum huiusmodi operibus eorum personaliter constituti insisterint, prædictis sententijs excommunicationis, vel interdicti obnoxij nullatenus habeantur, ibique possint audire diuina iuxta formam quæ à Sede Apostolica est concessa eo casu, scilicet tempore interdicti, nisi prædictæ personæ causam dederint, vel excommunicati, seu interdicti contingat. Casarubius in Compend. priuileg. Mendic. verbo interdictum 3. n. 1.

6 Similiter Urb. IV. concessit Presbyteris Ordinis nostri, ut famulatum nostrorum audire possent confessiones de suorum licentia Prælatorum, & eis pro commissis pœnitentiis salutarem iniungere, nisi forte talia commississent propter quæ Sedes Apostolica esset merito consulenda. Habetur Bulla in eodem Mari magno Ordinis num. 19. Illius etiam meminit idem Casarubius in Compend. priuileg. Mendicant. ver. absolutio quoad sæculares 1. num. 9.

7 Item Clemens IV. concessit Fratribus Minoribus, ut his qui in eorum morantur obsequijs cuncta libere ministrare possent Sacramenta, & ipsos cum decesserint in suis cœmeterijs sepelire. Item quod si quando in terras, in quibus resident Fratres Minores, vel in earum personas, excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri seruitijs Fratrum deputati, negotiorum quoque gestores, & operarij, qui in locis Fratrum pro eorum operibus personaliter continuo extiterint, huiusmodi sententijs obnoxij minime habeantur, ibique possint audire diuina, iuxta formam quæ ipsis in locis in eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi ijdem causam dederint, vel contingeret eisdem excommunicari specialiter, seu interdicti. Casarubius in Compend. priuileg. Mendic. verb. familiares, seu famuli fratrum n. 3. & 4. adiungens etiã n. 5. Greg. XI. fecisse similem concessionem familiaribus ordinis Prædicatorum, etsi non explicet an extendatur ad eamque concessionem Clem. IV. Sorb. in Adnotationibus ad Compend. ver. familiares.

Item

- 8 Item Martinus V. concessit Monachis S. Benedicti obsequantia Hispan. vt confessiones quorumcumque familiarium suorum, tam laicorum, quam Regularium, & secularium intra, & extra septa suorum Monasteriorum commorantium audire, nec non dictis familiaribus tam intra, quam extra septa praefata commorantibus, Ecclesiastica Sacramenta quoties fuerit opportunum ministrare valerent. *Casarubius in Compend. priuileg. Mendic. verb. familiares num. 10.*
- 9 Maximè tamen Sixtus IV. in Bulla *Dum attenda*; quae est Mare magnum Carmelitarum ipsis pro suis seruitoribus, & familiaribus hæc concessit. His verò qui vestris immorantur obsequijs cuncta liberè ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decedunt in vestris ceterijs sepelire. Si quando autem in terras in quibus resideris, vel in earum personas excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari, pueri vestris seruitijs deputati, negotiorum vestrorum Procuratores, & operarij qui in vestris locis eorum operibus personaliter continuò insisterint huiusmodi sententia obnoxij minimè habeantur, ibique possint quemadmodum Fratres diuina audire, iuxta formam quæ locis ipsis, & eorum vtriusque sexus personis in eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi eidem interdicto, causam dederint, vel excommunicari specialiter, vel interdicti contingat eosdem. Hæc ibi.
- 10 Postea Iulius II. Bulla *Dudum* concessit, quod famulorum Ordinis Minimorum, & ceteri eiusdem ordinis habitum portantes, & in articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes omnibus, & singulis priuilegijs Ordini illi concessis gaudere possent. *Casarub. in Compend. priuileg. Mendic. verbo familiares num. 8. & Peirinis tomo 1. priuileg. Minim. in Iulio II. constit. 1.*
- 11 Eisdem quoque Minimis Leo X. in Bulla *His que* anno 1517. edita apud Peirinis to. 1. priuileg. *Minim. inter Constitutiones Leonis X. num. 4.* hanc amplam concessionem fecit. [Vt Fratres Ordinis Minimorum huiusmodi dictarum domorum famulorum pro tempore in habitu seculari eis deseruentium quoties opus fuerit, etiam Paschatis tempore, & in mortis articulo in eorum domibus, & Ecclesijs huiusmodi confessiones audire ipsique, & eorum cuilibet Eucharistiæ, extremæ vnctionis Sacramenta ministrare; ac illis, & cuilibet eorum inhumationis, & sepulturæ beneficia, cuiusuis licentia super hoc minimè requisita impendere licitè valeant. Ita quod singulae personae huiusmodi, & prout dicti fratres, priuilegijs, & indultis huiusmodi in eorum mortis articulo frui, & gaudere valeant, ac si eis expressè concessa fuissent, eisdem auctoritate, & tenore praesentium extendimus, & ampliamus.]
- 12 Specialiter pro tempore interdicti non pauca Summi Pontifices ijs Regularium familiaribus priuilegia concesserunt. Etenim præter Alexandrum IV. num. 5. relatum, Clem. IV. n. 7. & Sixtum IV. n. 9. Eugenius IV. concessit Monachis S. Benedicti Congregationis Hispaniæ, quod tempore interdicti generalis, vel specialis à iure, vel ab homine quomodocumque lati, liberè, & licitè in suis Monasterijs, siue Ecclesijs, aut Capellis eorundem possent recipere ad audiendam Missam, & alia diuina officia omnes, & singulos familiares, Officiales, & Sernitores, quorumlibet Monasteriorum huiusmodi, ac eis Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta ministrare, eorumque corpora tumulare, seu tumulari facere, dum tamen nullus istorum dederit causam interdicto, secreto tamè modo, ianuis clausis, & campanis non pulsatis. Item Innoc. V. concessit Carthusiensibus, vt tempore generalis interdicti liceret eis recipere ad diuina familiares suos, & alios seculares infra septa Prioratum, & domorum suarum habitantes. Similiter Urbanus V. concessit praefatis Carthusiensibus, vt personas dicti Ordinis cum seruitoribus suis aliunde venientibus, & mercenarios in grangijs, & cellarijs suis residentes possent tempore interdicti recipere ad diuina, dummodo huiusmodi interdicti causam non dederint, nec id eis contingat specialiter dici. *Casarub. in Compend. priuileg. Mendicant. verbo interdictum 3. n. 11. 12. & 13.* Similiter Alexand. IV. vel VI. in Bulla *Vt in vestris* apud Peirinis to. 1. priuileg. *Minim. inter Constit. Alexandri V. num. 4.* Fratribus Ordinis Prædicatorum concessit, quod si quando in personas, vel terras vbi residerent, excommunicationis, vel interdicti sententia contingeret promulgari, pueri illorum seruitijs deputati, & operarij qui in locis ipsorum eorum operibus personaliter constituti institissent, huiusmodi sententijs obnoxij non haberentur, ibique possent audire diuina iuxta formam quæ in locis ipsis eo casu à Sede Apostolica esset concessa, nisi eidem causam dedissent, vel excommunicati specialiter, seu interdicti essent.
- 13 Moderata postea sunt huiusmodi prædicta priuilegia pro Regularium familiaribus ipsis concessa. Primò enim Leo X. in Concilio Lateranensi anno 1516 Bulla *Dum intra mentis*, apud Peirinis to. 1. priuileg. *Minim. inter Constit. Leonis X. num. 26.* declarauit Regulares non posse ministrare Sacramenta eorum obsequio insistentibus, nisi illorum durante obsequio, & quod operarij eorum seruitijs insistentes sententijs excommunicationis promulgatis illaqueati essent, & esse censerentur, si illis causam dedissent, aut dantibus, cõsiliu, auxilium, vel fauorem præstitissent.
- 14 Maximè tamen moderata sunt à Concil. Trident. *sess. 24. cap. 11.* his verbis. [Quoniam priuilegia, & exemptiones quæ varijs titulis plerisque conceduntur hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere cognoscuntur, decernit Sancta Synodus, vt si quando iustis, grauib, & fere necessarijs suadentibus causis aliquos honorarijs titulis Prototoriatus, Acolitatus, Comitatus Palatini, Capellani Regij, aut alijs huiusmodi in Rom. Curia, vel extra insignibus decernendos esse placuerit, necnon alios, cuiuscumque Monasterio oblatos, vel quomodocumque addictos, aut sub nomine seruientium militijs, aut Monasterijs, Hospitalibus, Collegijs, aut quocumque alio titulo assumi, nihil ex ijs priuilegijs detractum esse Ordinarijs intelligatur, quo minus ijs, quibus ea iam concessa sunt, vel in posterum concedi contingerit ipsis Ordinarijs, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis plenè in omnibus, & quoad capellanos Regios iuxta Constit. Innoc. III. quæ incipit *Cum capella*, subiecti existant, exceptis tamen ijs qui prædictis locis, aut militijs actu seruiunt, & intra eo septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt, siue ijs qui legitime, & secundum Regulam earundem militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debeat, non obstantib. &c.] Circa quæ Concilij verba notandum primo, tres illas conditiones requisitas à Concilio scilicet, actu seruire Religiosis, & intra eorum septa, ac domos residere, ac sub eorum obedientia viuere requiri coniunctim, seu copulatiuè, vtiur enim Concilium particulis *et, & que*, quæ coniunctionem significant. *Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in Constit. I. Iulij II. §. 15.* Secundò, verba illa, subque *eorum obedientia, &c.* non intelligi de obedientia religiosa, sed de obedientia seruili qualem habent serui respectu Dominorum suorum. Alias prædicti familiares non seculares, sed fratres essent, constat autem ex sequentibus verbis Concilium distinguere illos ab eis qui veram professionem fecerint. *Suarez 4. to. de Relig. tract. 10. lib. 9. c. 4. num. 11.* Terriò probabile esse Concilium non loqui de quibuscumque priuilegijs, sed de illis tantum quæ *perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere cognoscuntur*, vt idem Concilium in principio illius capituli dicit. Quare illa priuilegia familiarium Regularium quæ nihil horum parturite possint, qualia erunt Indulgentiæ, & similes remissiones peccatorum non videntur modificatæ à Concilio, sed derelicta in sua vi iuxta tenorem ipsorum. *Rodrig. tom. 1. q. Regul. q. 55. art. 21.*
- 15 Ex his ergo colligi potest quibus priuilegijs gaudeant, aut gaudere possint huiusmodi familiares, seu seruitores Regularium habentium dicta priuilegia, vel communicatione cum illis in priuilegijs. Primò enim familiares, seu seruitores prædicti qui iuxta moderationem Leonis X. num. 13. allatam actualiter prædictis Regularibus inseruiunt, & qui iuxta moderationem etiam Concilij Tridentini num. 14. adductam actu illis seruiunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt possunt à prædictis Regularibus Sacramenta recipere. Sic enim concesserunt Alexand. IV. Carmelitis, vt *visum est n. 3.* Clemens IV. Minoribus, vt supra num. 7. est dictum, Sixtus IV. Carmelitis, vt ex num. 9. constat Martinus V. Benedictis num. 8. & Leo X. Minimis num. 11. Est etiam id conforme iuri communi in Clementina *Religiosi de priuilegijs* & ex-

- Et excessibus privilegiorum. cap. 1. ubi cum interdictum fuisset Religiosis Sacramenta fidelibus ministrare sine licentia Parochi subditur §. fin. Sanè Religiosis illis quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex premissis volumus quoad hoc præiudicium generari. Rodriguez tom. 2. q. Regular. q. 67. art. 1. Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in Constit. Iulij II. §. 15. n. 1. Portellus in Dub. Regul. verb. famul. n. 1.
16. Ut autem Sacramentum poenitentiae familiaribus prædictis dictorum Regularium ministraretur necessaria est in confessorio approbatio ab ordinario. Constat enim ex Concilio Tridentino. sess. 23. cap. 15. nullum etiam Regularem posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, &c. idoneus iudicetur. Rodrig. to. 2. q. Regular. q. 67. art. 1. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 10. lib. 9. c. 4. num. 18. Nihilominus non caret probabilitate asserere prædictos Regulares approbatos à Prælati Ordinis solum, absque eo quod approbationem ab Ordinarijs habuerint, posse audire confessiones prædictorum suorum familiarium. Nam cum non solum ex priuilegijs, sed etiam ex iure communi Clement. Religiosi §. sane, ut num. 15. dictum est id possint facere, videtur non derogatum à Concilio Tridentino, quod ut quidam volunt nihil innouauit quoad hoc sed ius antiquum explicauit. Craz lib. 2. de statu Relig. c. 6. dub. 1. concl. 1. Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in constit. I. Iulij II. §. 15. n. 12. Hoc autem præcipue est verum loquendo de familiaribus, qui sunt verè de familia Regularium, & commensales: Ita enim decisum dicitur à S. Congregatione Bullarium Rodriguez to. 2. in Gregor. XIII. in fine. Peirinis ut supra, Barbosa de offic. & potest. Episcop. alleg. 25. n. 65. & in Collect. Bullarum verb. Confessorios primo, ubi hanc declarationem S. Congregationis affert. Confessorij Regularium in Monasterijs, & Collegijs Regularium, ubi regularia instituta seruantur, possunt absque licentia Episcopi audire confessiones eorum secularium, qui sunt verè de familia, & communes commensales, non tamen illorum, qui tantum deseruiunt in Monasterijs. Vide Armentariz locis ab eodem Barbosa relatis.
17. Volunt aliqui dictos Confessorios absolueri posse prædictos familiares à casibus locorum Ordinarijs reseruat. Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in Constit. I. Iulij II. §. 15. n. 14. Sed in primis non video circa hoc speciale priuilegium à Summis Pontificibus antiquioribus concessum. Etsi enim Urbano IV. n. 6. adductus facultatem dedit Carmelitis nostris absoluedi familiares suos, nisi forte talia commisissent propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda. Hæc tamen concessio reuocata videtur per decreta S. Congregationis de quibus to. 1. c. 19. num. 15. dictum est. Deinde est quod Clem. VIII. id concesserit Carthusiensibus, ut habet Peregrinus 1. part. sui Compend. rit. absolutio quoad faculares §. 7. nihilominus decreto S. Congregationis Regularium sub SS. Domino nostro Urbano de quo tom. 1. c. 19. num. 17. dixi talis concessio videtur reuocata.
18. Quamuis autem generaliter ex vi dictorum priuilegiorum concedatur prædictis regularibus facultas administrandi Sacramenta suis familiaribus cum conditionibus tamen assignatis, nihilominus quoad Sacramentum matrimonij vagat hæc concessio. Ratio est, tum quia Concilio Tridentino. sess. 24. c. 1. ad hoc Sacramentum requirit presentiam Parochi, tum quia Sacramentum proprie non ministratur à Sacerdotibus, sed ipsi contrahentes sunt ministri ipsius, tum quia, ut patet, cum hac limitatione intellecta semper sunt prædicta priuilegia. Et ita ubi Regulares Parochi officium non exercent, nec suorum familiarium Matrimonij assistere poterunt Suarez 4. tom. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 4. num. 19. 20. 21.
19. Cum autem in priuilegio illo Leonis X. pro Minimis de quo num. 1. dicatur eos posse suis familiaribus etiam Paschatis tempore Eucharistiam, & alia Sacramenta ministrare, dicendum videtur tam prædictos Minimos, quam quoscumque alios Regulares cum ipsis communicatione priuilegiorum habentes id posse facere. Cum nullam videam huius priuilegij reuocationem, & conforme sit iuri communi in Clement. Religiosi §. sane.
20. Siciliter, quoad extremæ vnctionis Sacramentum illud

- possunt ministrare prædicti Regulares ad id priuilegium habentes iuxta dicta superius, vel qui cum ipsis communicant in priuilegijs præfatis, suis familiaribus præfatas conditiones habentibus. Ex prædictis priuilegijs Alex. IV. pro Carmelitis Clem. IV. pro Minoribus, Martini V. pro Benedictinis, & Leonis X. pro Minimis. Rodriguez tom. 2. q. Regul. quest. 67. art. 1. Vnde priuilegium quoddam Nicolai Franci Nuncij Apostolici cum potestate legati à latere concessum Benedictinis Hispaniæ administrandum Sacramentum extremæ vnctionis illis qui intra septa Monasteriorum infirmati fuerint, non tam videtur intelligi de familiaribus habentibus prædictas conditiones à Leone X. & Concilio Tridentino assignatas, quia pro istis iure communi est id concessum, quam de alijs secularibus quos intra dicta Monasteria infirmati contingerit. Rodriguez ut supra, & tom. 3. q. 79. art. 1. Dubitari tamen potest an inter viarum vocis oracula recensendum, & per consequens his temporibus inutile.
21. Pro administratione autem prædictorum Sacramentorum Eucharistiae, & Extremæ vnctionis familiaribus nulla requiritur approbatio ab Episcopo, cum iure communi pro illis non requiratur, sed solum potestas Ordinis, quæ est in omnibus Sacerdotibus, & iurisdictionis quam Summi Pontifices concedunt dictis priuilegijs. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 10. lib. 9. c. 4. num. 17.
22. Pariter etiam quoad sepulturam poterunt Regulares habentes præfata priuilegia, vel cum ipsis communicantes in priuilegijs ipsam concedere prædictis familiaribus, qui præfatas conditiones habuerint. Ita enim habetur ex confessionibus Alexan. IV. & Sixti IV. pro Carmel. Clem. IV. pro Minoribus, & Leonis X. pro Minimis. Rodriguez tom. 2. quest. Regul. quest. 67. art. 2. Portellus in Dub. Regul. verb. sepultura num. 2.
23. Non possunt prædicti familiares, seu seruitores eorum durante obsequio iuxta limitationem Leonis X. adductam, & acti in seruientes, & intra Regularium septas, seu domos residentes, ac sub eorum obedientia viuentes, iuxta limitationem Concilio Tridentino adductam, ab Episcopis excommunicari, aut interdicti nisi causam dederint excommunicationi, aut dantibus, consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint, iuxta limitationem Leonis X. etiam adductam, aut nisi specialiter excommunicari, aut interdicti contingeret. Ita enim habetur ex confessionibus adductis Alexand. IV. pro Fratibus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Minoribus, & Dominicanis, Clem. IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, eisque gaudere possunt tam illi, quam qui cum ipsis communicant in priuilegijs. Rodriguez to. 2. q. Regul. q. 67. art. 3. Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in Constit. I. Iulij II. §. 15. num. 13. Portellus in Dub. Regul. verb. famul. num. 4.
24. Idem super prædicti familiares Minimorum, & aliorum Regularium habentium communicationem in priuilegijs cum ipsis præfatas conditiones habentes sui possunt in eorum mortis articulo priuilegijs, & indultis Fratrum concessis, Ita enim concessit Iulius II. in Bulla Dudum n. 10. relata: estque magnum priuilegium, etsi illud non extendendum credo nisi solum ad ea quæ pertinent ad animarum ipsorum salutem: extenditur tamen id priuilegium ad cæteros seculares habitum Ordinis portantes, & in articulo mortis in domibus Fratrum sepulturam eligentes, propter concessionem eiusdem in Iulij II. in dicta Bulla Rodriguez to. 2. q. Regul. q. 67. art. 2. Peirinis to. 1. priuileg. Minim. in præd. Bulla Iulij II. §. 15. num. 18.
25. Pro indulgentijs tamen eisdem familiaribus concessis consule Rodrig. to. 2. q. Regul. q. 67. art. 3. Cauendum tamen est an illæ concessiones quas ibi refert viarum vocis oracula sint, quia si talia fuerint nullius momenti erunt hoc tempore, quo à SS. D. N. Urbano VIII. reuocata sunt, iuxta tom. 1. cap. 3. num. 21.
26. Volunt quidam posse Regulares quosdam dispensare cum prædictis familiaribus (quod intelligi de habentibus conditiones assignatas superius) in illegimitate, seu natalium defectu proueniente etiam ex incestuoso, vel alio quouis damnato, sacrilego, atque illicito coitu, ad hoc quod possent qualecumque beneficium regulare cum cura, & sine cura quorumcumque Monasteriorum, vel Prioratuum obtinere dummodo beneficium perpetuum non sit. Ex priuilegio Pauli



- Pauli III. Hieronymianis concessio. Rodriguez to. 1. q. Regul. q. 13. art. 23. Portellus in Dub. Regular. verb. illegitimus num. 13. Sed tamen cauendum est an hoc priuilegiū sit solum viuz vocis oraculo concessum, quod mihi constare non potuit. Si enim tale fuerit nullius est momenti his temporibus propter dicta, sicut etiam nullius est momenti aliud Sixti IV. Priuilegium, quod refert idem Rodriguez to. 1. q. 62. art. 6. quo conceditur Fratibus Minoribus facultas absoluendi familiares à quibuscumque peccatis, & cœsuris &c. ac dispensandi in irregularitatibus, quia hæc concessio est viuz vocis oraculo facta, vt habet Casarubius in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Absolutio extraordinaria quoad fratres, propterea enim notat illam litteram, O, quæ apud ipsum denotat viuz vocis oraculum. Placet tamen quod ipse Rodrig. subiungit dicto to. 1. q. 13. art. 24. scilicet quod prædicta dispensatio (casu quo fieri posset ex vi talis priuilegij) dari posset extra Capitulum, cum talis concessio nihil tale dicat de capitulo, & limitatio Greg. XIV. circa legitimationem, seu dispensationem illegitimum in Capitulo, facienda solum loquatur de Fratibus non de familiaribus. Vide alia apud eundem *ibidem*.
- 27 Maximè tamen præfati familiares Regularium conditiones sæpius assignatas habentes possunt tempore interdicti generalis in Ecclesiis Regularium quorum sunt familiares audire Missam, & alia diuina Officia iuxta formam, qua ipsi Regulares id facere possunt, nisi interdicto causam dederint, aut ipsi essent specialiter excommunicati, aut interdicti. Id enim constat ex priuilegijs superius adductis videlicet Alex. IV. pro Dominicis, Clem. IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, Innocentij VI. & Urbani V. pro Carthusiensibus, ac Eugenij I. V. pro Benedictinis Hispaniæ. Qualiter autem eo tempore, aut quo modo liceat Regularibus diuina Officia celebrare dictum est to. 1. c. 21. num. 19. & 20. Eo etiam tempore possunt dictis familiaribus administrari Sacramenta, & si moti contingerit concedi sepultura. Ita enim habetur in prædicta concessione Eugenij IV. & in alia Clem. IV. pro Minoribus. Hi autem priuilegijs gaudere possunt tam nominati Regulares, quam alij, qui cum ipsis habent communicationem priuilegiorum. Casarub. in Compend. priuileg. mendicant. verb. interdictum 3. Rodriguez to. 2. q. Regul. q. 114. art. 1. Corduba in Annotationibus ad Compendium verb. interdictum 3. Sorbus *ibidem* §. 5. Tertiarij.
- 28 Ea porò quæ dicta sunt de familiaribus Religiosorum tempore interdicti, intelligenda etiam videntur respectiue de seruitricibus Monialium dictorum Ordinum eisdem conditionibus suppositis. Ratio est, quia Moniales regulariter gaudent priuilegijs Religiosorum sui Ordinis respectiue, ac per consequens etiam ipsarum seruitrices. Sorbus in *Addit. ad comp. priuileg. mendicant. verb. interdict. 3. §. 5. Tertiarij, & §. 6. notandum*. Pro quo etiam extant aliqua priuilegia præsertim Leonis X. apud Casarubium in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. interdictum 1. num. 25. & interdictum 2. num. 11.*
- 29 Similiter ea quæ dicta sunt de priuilegijs horum familiarium tempore interdicti intelligi debere pro illis locis in quibus non publicatur Bulla Cruciatæ, in locis enim ubi publicatur, cum per illam suspendantur priuilegia Mendicantium quoad sæculares non possunt illis vtī, volunt alij, specialiter Sorbus in *Additionib. ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. interdictum. 3. §. 2. conclusio*. Rodriguez in *explicitat. Bullæ Cruciatæ §. 5. a num. 39.* Sed tu vide dicta c. 1. num. 59.
- 30 Secluso autem omni priuilegio, & stando in iure communi, cum Religiosi iuxta dicta to. 1. c. 21. num. 19. & 20. possint tempore interdicti modo ibi assignato Missas celebrare, possunt pro inseruiendis Missis vtī eisdem famulis, vel pueris sæcularibus qui necessarii ad id fuerint. Iuxta doctrinam Nauart. in *Manual. c. 27. num. 181.* Sorbus in *Compend. priuileg. Mendicant. verb. interdict. 3. §. Tertia conclusio*.
- 31 Generaliter etiam aduertendum illos seruitores, vel familiares Regularium, qui etsi actu inseruiunt, & cum alijs assignatis conditionibus, assumpti tamen sunt in fraudem legis, vt potiantur dictis priuilegijs, non potiri illis, quia fraus nulli prodesse debet. Nauart. in *Man. c. 27. num. 180.* Rodriguez tom. 2. q. Regul. q. 67. art. 1.
- 32 Neque etiam videntur posse frui dictis priuilegijs familiares, seu famulos dictorum Regularium, qui seruiunt particularibus Religiosis ex eorum libito assumptos, & non à Prælati designatos, sed tantum illos qui, vel inseruiunt toti communitati, vel Conuentui, vel etiam particularibus Religiosis designati tamen à Prælati, vel Superioribus. Hos enim solum approbat Religio, & ita solum pro illis intelligenda sunt Summorum Pontif. priuilegia Rodriguez to. 2. q. Regul. q. 67. art. 1.
- 33 Gaudere etiam videntur aliqui familiares quorundam Regularium, & aliorum qui cum illis communicationem habent priuilegiorum facultate habendi Conseruatores, qui eos defendant in manifestis iniurijs, seu violentijs, iuxta limitationes factas, tū à Summis Pontificibus Clem. VIII. & Greg. XV. tum à Sac. Congregatione: propter priuilegia Pij V. pro Dominicis, & quia illud dubiæ auctoritatis est saltem propter priuilegium Greg. XIII. pro Iesuitis. Rodriguez to. 1. q. Regul. q. 65. art. 17. Portellus in *Dub. Regular. verbo Conseruatores num. 10.* Vide dicta in cap. 10. num. 65. & cautè procede, vt ibi dixi.
- 34 Circa hæc tamen & alia similia priuilegia notandum non posse familiares fratrum vtī suis priuilegijs contra ipsos Fratres. Quia quod in fauorem ipsorum Fratrum principaliter concessum est (quod scilicet ipsorum familiares vtantur ipsorum priuilegijs) non debet contra ipsos, seu in eorum dispendium retorqueri, iuxta Regulam Iuris. Corduba in *Additionib. ad Comp. priuileg. Mendicant. verb. Communicatio priuilegij §. Tandem quoad hanc. Cofettius in Summar. priuileg. Maris magni cap. 5. Rodriguez to. 1. q. Regul. q. 55. art. 21.* Secus dicendum esset si huiusmodi priuilegia æque primo, principaliter, & independenter à Regularibus essent concessa familiaribus prædictis. Tunc enim æqualiter, & ex æquo essent participabilia tam à familiaribus, quam à Fratibus, & ita vtī possent illis etiam contra prædictos Fratres Corduba, & Rodriguez *ibidem*.
- 35 Similiter si fratres perdiderint talia priuilegia per non usum, reuocationem, aut alio modo etiam familiares illa perderent. Quia ea communicantur familiaribus dependenter à fratribus, & accessorium sequitur principale. Corduba in *Additionibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. communicatio priuileg. §. Tandem quoad hanc, Rodriguez tom. 1. q. Regul. q. 55. art. 21.*

## SUMMARIVM CAP. XVII.

- Etiam pro Procuratoribus Regularium Summi Pontifices priuilegia concesserunt. num. 1.  
 Qui sint tales Procuratores. *ibid.*  
 Quæ priuilegia concesserit Clemens IV. Procuratoribus Fratrum Minorum. num. 2.  
 Quid Innocentius VI. Augustinensibus pro suis Procuratoribus. *ibid.*  
 Quid Sixtus IV. pro Procuratoribus Carmelitarum. *ibid.*  
 Quid idem Sixtus IV. pro Procuratoribus minorum tempore interdicti. num. 3.  
 Quid Alexand. IV. Fratibus Predicatoribus pro suis Procuratoribus. *ibid.*  
 Quid Iulius I. pro Procuratoribus Ordinis Minorum. num. 4.  
 Quid Martinus IV. pro Procuratoribus Minorum in Curijs Ecclesiasticis. *ibid.*  
 Qualiter hæc moderata sint à Leone X. in Concil. Lateranen. num. 5.  
 An etiam moderata sint à Concil. Trid. *ibid.*  
 Quid possint prædicti Procuratores tempore interdicti. n. 6.  
 An eo tempore possint illis administrari omnia Sacramenta, & concedi Ecclesiastica sepultura. n. 7.  
 Quid si lata fuerit sententia excommunicationis, vel interdicti, an ea comprehendantur dicti Procuratores. n. 8.  
 Quibus gratijs fruuntur Procuratores Minorum. n. 9.  
 Quibus Aduocati Carmelitarum. n. 10.  
 An medici fratrum minorum aliqua gratia perfruuntur. num. 11.  
 Syndaci fratrum minorum sub procuratoribus videntur comprehendendi. n. 12.  
 Qua auctoritate potiantur. *ibid.*  
 Quibus priuilegijs. num. 13.

Qualiter

Qualitere ea intelligenda. *ibid.*  
An suspendantur per Bullam Cruciate. n. 14.

## De Regularium Procuratoribus, seu negotiorum ipsorum gestoribus, ipsorumque priuilegijs. Cap. XVII.

- 1 **S**ollicitè, & accuratè Summi Pontifices vetustiores, Regulares, præsertim Mendicantes, propensiori charitate, & paterno affectu amplectentes, attendentes insuper illos suis sanctis studijs, honestisque laboribus salutem animarum procurare, plura, variaque priuilegia ne dum ipsis, sed ipsorum Tertiarijs, Confratribus, Conseruatoribus, & familiaribus contulerunt, vt ex dictis constare poterit. *Iustus enim & honestus labor præmijs, ac splendore decoratur, vt dicebat Cicero l. de Orat.* Propterea etiam Procuratoribus secularibus, seu gestoribus negotiorum ipsorum, aliqua etiam priuilegia dederunt, quæ in hoc capite discutienda sunt, videndum quænam illorum, aut qualiter reuocata, vel non fuerint. Sunt autem Procuratores illi qui aliena negotia mandato sibi à Domino facto gerenda suscipiunt. *cap. saluator 1. q. 3. in li. 1. ff. de Procurator. Rodrig. 10. 3. q. Regul. q. 40. vel 41. art. 1.*
- 2 Primò enim Clem. IV. concessit Minoribus, quod si quando in terras in quibus resident ipsi fratres, vel in earum personas, excommunicationis, seu interdicti sententia contingerit promulgari, negotiorum gestores huiusmodi sententia obnoxij minimè habeantur. *Casarubius in Comp. priuil. Mendicant. verbo familiares n. 4.* Eandem etiam concessionem fecit Alexand. I V. eidem negotiorum gestoribus, seu Procuratoribus fratrum Minorum. *Casarub. in Comp. verb. interdictum 3. n. 1.* Similiter idem Clem. IV. concessit quod Procuratores negotiorum fratrum Minorum possint tempore interdicti in locis prædictorum Fratrum audire diuina, nisi ipsi Procuratores causam dederint interdicti, vel excommunicari specialiter, seu interdici contigerit eosdem. *Casarubius in Compend. priuil. Mendicant. verb. Procurator es num. 2.* Item Innocentius VI. concessit Fratribus Augustinianis quod tempore interdicti possint Procuratores iurati negotiorum Conuentuum, & locorum dicti Ordinis etiam si sæculares, & laici existant, interesse diuinis Officijs vnà cum prædictis fratribus, dummodo ipsi non dederint causam interdicti, nec sint specialiter interdicti. Idem *Casarubius num. 6.* Præterea Sixtus IV. in Bulla *Dum aruenta*, quæ est Mare magnum Carmelitarum, pro tempore etiam interdicti concessione Innocentij IV. Alex. IV. & Greg. XI. extendendo ad Procuratores, & Aduocatos, ac negotia gerentes sic habet. Et quia ex concessione continetur dictorum Innocentij IV. Alexand. I V. & Greg. XI. prædecessorum quod liceat eis cum interdictum generale terræ fuerit, dummodo causam non dederint interdicti, clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, submissa voce, Missas, & alia diuina Officia celebrare: eorundem fratrum deuotionis non plenè consulitur, concessionem eandem extendendo, eidem Fratribus, vt liceat eis habere Altare portatile cum debita reuerentia, & honore, super quo in locis ad hoc conuenientibus, & honestis, præterquam in Ecclesijs ab Ordinarij obedientia non exemptis, quoties id eis contigerit interdicti, possint Missas, & alia diuina Officia in quorumcumque præsentia celebrare, & interdicti tempore ad diuina huiusmodi cum eis mantellatas, & pinzocheras, ac oblatas, commissaque personas, & ipsorum fratrum, ac Monasteriorum Monialium Ordinis prædicti Procuratores, Aduocatos prædictos, & negotia gerentes vtriusque sexus admittere, præfatis scientia, motu, & auctoritate indulgemus. *Hec ibi.*
- 3 Item idem Sixtus IV. Fratribus Minoribus concessit posse tempore interdicti admittere ad diuina Procuratores ipsorum. *Casarub. vt supra num. 7.* Præterea Alexand. IV. in Bulla *Venerabilis* apud Peirinis to. 1. priuileg. *Minim. inter Constitutiones Alexand. V. I. num. 4.* concessit fratribus Ordinis Prædicatorum, quod si quando in personis, vel terras in quibus residerent excommunicationis, seu interdicti sententia contingerit promulgari, Procuratores negotiorum ipsorum huiusmodi sententia obnoxij nullatenus

haberentur, & in ipsorum locis audire possint diuina iuxta formam quæ in locis ipsis in eo casu à Sede Apostolica est concessa, nisi eisdem causam dedissent, vel excommunicari specialiter, aut interdici contigeret.

- 4 Item Iulius II. in Bulla *Alias venerabilem* apud Peirinis to. 1. priuil. *minim. inter Constitut. Iulij II. num. 4.* decreuit quod Procuratores, & Procuratrices, Tutores, & Tutrices domorum Ordinis Minimorum, omnium, & singulorum ipsorum ieiuniorum, orationum, & sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum in toto Ordine faciendorum, & recitandorum participes forent, & illis communicata esse deberent. Item Martin. 4. concessit Procuratoribus fratrum Minorum in curijs Ecclesiasticis, & ciuilibus laborantes pro defensione Ordinis prædictorum Fratrum, Ecclesiarumque suarum, singulis annis indulgentiam centum annorum. *Casarubius in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Procuratores num. 4.* quod etiam num. 5. refert fecisse Nicolaum I V.
- 5 Aliquatenus moderata hæc sunt à Leone X. in Concilio Lateranensi, & Bulla *Dum intra mentis*, vbi statuit Procuratores, & negotiorum gestores Regularium Mendicantium sententia excommunicationis promulgatis illaqueatos censendos, si illis causam dedissent, aut dantibus, consilium, auxilium, vel fauorem præstitissent. Moderata etiam videntur decreto Concil. Trident. *sess. 24. c. 11. adducto c. præcedenti num. 14.* quatenus dicit omnes quomocumque Monasterijs addictos Ordinarijs subiectos esse debere, exceptis ijs qui actu seruiunt Monasterijs, & intra eorum septa, ac domos resident, subque eorum obedientia viuunt. Sed in hoc loco non videtur loqui Consilium nisi de illis qui seruiunt, aut addicti sunt tamquam famuli, aut seruitores, non de Procuratoribus, aut negotiorum gestoribus, qui regulariter loquendo maioris notæ, & æstimationis sunt quam prædicti famuli, aut seruitores, & ideo ipsorum priuilegia non videntur à Concilio modificata, aut coarctata saltem in foro conscientia solum ad eos qui actu seruiunt Monasterijs, & intra eorum septa, aut domos resident, & sub obedientia ipsorum viuunt.
- 6 Possunt ergo in foro conscientia prædicti Procuratores Regularium habentium dicta priuilegia, vel communionem priuilegiorum cum ipsis, tempore interdicti generalis ad diuina Officia cum ipsis Regularibus adesse, ex concessionibus adductis Alex. IV. pro Dominicanis, Sixti I V. pro Minoribus, & Carmelitis, & Innocentij V. I. pro Procuratoribus iuratis Augustinianorum, ac Clem. IV. etiam pro Minoribus. Si tamen causam interdicti non dederint, aut non sint specialiter interdicti, aut excommunicati. Sorbus in *Annotationibus ad Compend. priuileg. Mendicant. verb. interdictum 3. §. 5. Tertiary*. Quomodo autem Regularibus liceat celebrare Officia diuina eo tempore dictum est *to. 1. c. 21. num. 19.*
- 7 Posse etiam prædictis Procuratoribus Regularium tempore interdicti administrari omnia Sacramenta, & cõcedi Ecclesiasticam sepulturam, si decesserint è vita, tenet Sorbus in *Annotationibus ad Compend. priuileg. mendicant. verb. interdictum 3. §. 5. Tertiary*. Verum tamen non video expressum priuilegium quoad hoc pro prædictis Procuratoribus, & ita non est id faciendum, nisi constet de illo, & quod non sit viua vocis oraculum. Neque sequitur ex doctrina tradita *cap. præcedenti pro familiaribus*, quia isti Procuratores, & negotiorum gestores non sunt propriè famuli, aut familiares Monasteriorum, neque etiam sequitur ex eo quod ipsis concedatur, vt dictum est, posse assistere diuinis, quia vt bene Portellus in *Dub. Regular. verbo interdictum num. 72.* tria ista per interdictum prohibita, scilicet Sacramenta, diuina, & sepultura, sunt diuersa, & vno concessio non conceditur aliud.
- 8 Si tamen in terris vbi fratres degunt generaliter lata fuerit sententia excommunicationis, vel interdicti, non comprehenduntur dicti Procuratores, seu negotiorum gestores in foro conscientia nisi causam dedissent, aut excommunicarentur, vel interdicerentur specialiter. Ita enim habetur ex concessionibus Alex. IV. pro Dominicanis, Clem. 4. pro Minoribus, & Sixti 4. pro Carmelitis, quibus etiam fruuntur aliæ Religiones quibus communicata sunt priuilegia Mendicantium.
- 9 Fruuntur etiam Procuratores domorum Minimorum, & alij

& alij aliorum Regularium habentium communicatione in priuilegijs cum illis illa gratia à Julio I. ipsi concessa, quod scilicet omnium, & singulorum ieiuniorum orationum, & Sacrificiorum, ac quorumcumque aliorum bonorum operum, quæ in Religionibus quarum sunt Procuratores fiunt participes reddantur.

10 Ex speciali etiam illo priuilegio Sixti IV. adducto num. 2. etiam Aduocati Carmelitarum (idem dico de alijs Religiosis cum ipsis communicationem priuilegiorum habentibus) possunt admitti modo dicto tempore interdicti ad diuina. Sorbus in *Annotat. in Compend. priuileg. Mendic. verb. interdictum* 3. §. 5. *Tertiary*, Portel. in *Dub. Regul. v. interdictum* num. 70.

11 Pro Medicis etiam ordinarijs fratrum Minorum referatur priuilegium Alexand. VI. quod illis dicitur concessisse priuilegia, & gratias quibus gaudent Syndici, & Procuratores. Quia tamen mihi non constat an priuilegium hoc sit necne viuæ vocis oraculum (quia si tale fuerit nullius est momenti hoc tempore) ideo nihil affirmare, vel negare possum in hac difficultate. Vide Rodriguez *to. 2. q. Regul. q. 114. art. 3.*

12 De Syndicis autem fratrum Minorum (qui sunt Procuratores Sedis Apostolicæ ipsius nomine constituti ad Fratrum negotia expedienda) loquendo, videntur sub procuratoribus constitui, ita vt quæ de procuratoribus dicta sunt illis applicari possint. Vnde Rodriguez *tom. 3. q. 40. vel 41. art. 1.* eos vocat propriè procuratores. Quod confirmat priuilegium Sixti IV. in Bulla aurea, vbi concedit quod procuratores, & Syndici Monialium S. Claræ, & Tertij Ordinis Fratrum, & Sororum S. Francisci eisdem priuilegijs, gratijs fauoribus, concessionibus, indultis spiritualibus, & temporalibus procuratoribus, & Syndicis Fratrum Minorum, & Prædicatorum, concessis, & concedendis gaudent. Cafarubius in *Comp. priuileg. Mendicant. verb. Procuratores fratrum* num. 10. & *verbo Communicatio priuileg. num. 2.* Ex quo videtur haberi eos vt veros procuratores iudicandos. Nihilominus peculiatia quedam ipsis competunt tam quoad eorum auctoritatem quam quoad priuilegia illis concessa quæ breuiter expedienda sunt, cum de hoc patres ipsi Minores multa, & doctissime scripserint. Quo ad auctoritatē enim ex Bullis Summorum Pontificum illis competit recipere, vendere, dispensare, alienare, iudicialiter repetere, &c. nomine Papæ, & Ecclesiæ bona pertinentia ad ipsos Fratres. Sorbus in *Annotationib. & Comp. priuileg. mendicant. verb. Procuratores fratrum* §. ita quod Syndicus Portellus in *dubijs Regul. verb. Syndicus*, & in *additione ad idem verbum*.

13 Quoad priuilegia autem Sixtus IV. in Bulla Aurea, concessit, vt dictum est, Syndicis Monialium S. Claræ quod eisdem priuilegijs, immunitatibus, gratijs, fauoribus, concessionibus, indultis, spiritualibus, & temporalibus concessis, & concedendis Procuratoribus, & Syndicis fratrum Minorum, & Prædicatorum gaudent. Cafarubius in *Compend. priuileg. mendicant. verb. Procuratores fratrum* n. 10. Rodriguez *to. 3. q. Regul. q. 39. art. 3.* Similiter Clem. VII. in Bulla *Dum consideramus* anno 1526. edita apud eundem Rodriguez *ibid. art. 4.* concessit vni Syndico, & Procuratori Ordinis Minorum cum illius vxore, & liberis, quod de cetero omnibus, & singulis indulgentijs, & peccatorum remissionibus, fauoribus, & gratijs quibus Fratres Ordinis obseruantie prædictorum vtuntur, potiuntur, & gaudent, seu vti, potiri, & gaudere poterunt, fruuntur. Cafarubius *vt supra* num. 12. Rodriguez *ibid.* Insuper idem Clem. VII. in eadem Bulla magnam concessionem illis fecit, quod scilicet in quibusuis causis, & rebus ipsos concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, non nisi coram Iudicibus Cōseruatoribus domorum illorum, quarum Syndici fuerint de iustitia respondere teneantur, præcipiens sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, vniuersis, & singulis iudicibus commissarijs Ecclesiasticis, & secularibus quacumque auctoritate fungentibus, ne de causis contra dictos Syndicos motis, & mouendis directè, vel indirectè se intromittere audeant. Cafarub. *ibid. num. 17.* Rodrigu. *etiam ibid.* Hoc tamen priuilegium non videtur intelligendum nisi de causis prædictos Syndicos tangentibus, quatenus Syndici sunt, non quatenus tales personæ sunt, vel ad minus standum est consuetudini cum sit magnum priuilegium, &

valde exorbitans à iure communi. Portellus in *Dub. Regul. verb. Syndicus Minorum* num. 5.

14 Notandum priuilegia horum secularium videri solum intelligenda pro locis in quibus non publicatur Bulla Cruciatæ, in locis enim vbi publicatur, cum per illam suspendantur priuilegia Mendicantium quoad seculares, videtur non posse Procuratores istos illis vti, vt volunt plures, specialiter Sorbus in *Addition. ad Compend. priuileg. Mendicant. verbo interdictum* 3. §. 2. *conclus.* Rodriguez in *explicita. Bulla Cruciatæ* §. 5. à num. 29. Verumtamen vide dicta c. 1. num. 59. & iuxta ea intelliges quænam, aut qualia ex istis priuilegijs suspendantur, vel non in dictis locis, in quibus publicatur Bulla Cruciatæ, pro huiusmodi Procuratoribus.

### SVMMARIVM CAP. XVIII.

Duo sunt genera beneficiorum, secularium, & Regularium. num. 1.

Que sunt beneficia secularia, & que Regularia. *ibid.*

Cur Regulares non debeant habere beneficia secularia. *ibidem.*

Quid sit vtrumque beneficium. *ibid.*

Regulares capaces sunt beneficiorum Regularium. n. 2.

Debent prouideri Regularibus eiusdem Ordinis cuius sunt. num. 3.

Non possunt duo Religiosi diuersorum Ordinum permutare beneficia. *ibid.*

Debent Religiosi quibus conceduntur esse professi. n. 4.

Vel saltem professuri. *ibid.*

An sufficiat esse tacitè professus. *ibid.*

Nec Religiosus vnus Monasterij capax est beneficij Regularis alterius Monasterij. n. 5.

Non sunt beneficia Regularia Regulariter loquendo beneficia simpliciter. num. 6.

Sed tantum manualia. *ibid.*

Quando sunt talia. *ibid.*

Prouisio beneficiorum Regularium electiuorum pertinet ad capitulum conuentus. n. 7.

Ad quem pertineat prouisio beneficiorum Regularium colatiuorum. *ibid.*

Requiritur semper pro illis examen, & approbatio Episcopi. num. 8.

Subsunt Regulares beneficiati iurisdictioni Episcopi in ijs que spectant ad id munus. n. 9.

Quid dicendum de Regularibus inseruientibus beneficijs simplicibus. n. 10.

Non debent vocari ad concursus. n. 11.

Cogi possunt Religiosi ad acceptandum beneficium Regulari. num. 12.

Dummodo possint ibi sustentari. *ibid.*

Debet eis assignari congruum salarium. *ibid.*

Tenantur Religiosi beneficiarij votis generalibus Religionibus, & alijs obligationibus aliorum quatenus non repugnant muneris quod gerunt. n. 14.

Quid de Officio diuino, habitu portando, & Socio habendo. *ibidem.*

Cui acquirant ea que acquirunt. n. 15.

De fructibus beneficij quibus debeant prouidere. *ibid.*

An teneantur obedire Superioribus Regularibus. n. 16.

Quo tempore vacant ista beneficia. n. 17.

An possint amoueri Religiosi beneficijs seruientes. *ibid.*

Que causa requiratur vt amoueanur. *ibid.*

Num vacent talia beneficia morte Abbatis, vel Superioris. num. 18.

An beneficia Regularia electiua possint tolli absque causa. num. 19.

Quid si talia beneficia fuerint aliquando perpetua. n. 20.

Quid si illa fuerint à Papa concessa. n. 21.

Quid quando concessionem illorum accedit confirmatio Papalis. num. 22.

Priuilegium Benedicti 12. ad intentum. n. 23.

An possint Ecclesie vni Monasterijs. n. 24.

Quid de beneficijs dicendum maxime post Concil. Trident. *ibidem.*

Casu quo vniantur à quibus gubernari debeant. n. 25.

Quid declaratum à S. Congregatione. n. 26.

Quid

Quid etiam circa visitationem Ecclesiarum unitarum monasterijs. n. 27.

Quid circa salarium. ibid.

Bona acquisita à Religioso in beneficio an possint deferri an Monasterium. n. 28.

An possit idem Religiosus habere duo beneficia. n. 29.

Eo ipso quòd Ecclesia Monachis concessa est conceditur facultas conferendi ipsam, & ponendi in ea Rectorem. num. 30.

An beneficia Regularia possint seminario uniri. n. 31.

Quid possint Religiosi in Indijs circa beneficia. n. 32.

In qua debeant beneficiarij Regulares redditus suos expendere. num. 33.

Illegitimi an sint capaces beneficiorum. n. 34.

Beneficiarij ex Carmelitis assumpti non admittuntur in capitulis, nisi de consensu Generalis. n. 35.

Quomodo intelligendum privilegium Calixti III. n. 36.

An Regulares sint capaces pensionis. n. 37.

An prouisi de beneficijs Regularibus teneantur facere professionem fidei. n. 38.

Collatores beneficiorum nihil accipere possunt. n. 39.

An teneantur regulares beneficiarij adire congregationes casuum conscientie. n. 40.

## De beneficijs Regularibus. Cap. XVIII.

**D**uo sunt genera beneficiorum, sæcularium, & Regularium. Beneficia sæcularia dicuntur, quæ sæcularibus dari solent ex debito, institutione, aut legitima consuetudine. Regularia verò quæ Religiosis addicta sunt ex fundatione Ordinarij, aut superioris institutione, aut legitima etiam consuetudine. Rodriguez 10. 1. q. Regular. q. 34. art. 1. Suarez 10. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 19. num. 2. In præfenti solum est sermo de beneficijs Regularibus, nam de sæcularibus loquendo iam diximus 10. 1. c. 2. num. 17. quod quæuis Religiosi capaces sint ad illa possidenda de facto tamen illis non conceduntur sine Papæ licentia, vel dispensatione. Suarez ut sup. n. 26. & 27. [Sicque etiam video declaratum à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium 26. Ianuarij 1635. Sed nota quæ dico de Canonicis Regularibus hoc 2. 10. in Addit. ad n. 6. c. 3. Excipe etiam casum necessitatis quando scilicet necessitas urget, nec essent aliqui sæculares idonei pro beneficijs sæcularibus obtinendis, tunc enim Regularibus conferri possent, sicut è conuerso. c. inter quatuor. de relig. domib. Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. Gloss. 8. num. 43. Garzia de beneficijs p. 7. c. 10. num. 16. Tamburinus de iure Abbat. 10. 3. disp. 9. quest. 2. n. 5.] Ratio autem quare prædicta licentia, vel dispensatio requiratur ad hoc ut Religiosus beneficium sæculare obtineat, sumitur, tum ex parte ipsius beneficij, quod petit conferri ijs quibus iure, vel consuetudine est destinatum, tum ex parte ipsius Religiosi, quia cum eius status non ordinetur ad huiusmodi Clericorum ministeria gerenda non debet se in illis immiscere, solum ergo agemus de beneficijs Regularibus. Definitur autem beneficium prout abstrahit à sæculari, & Regulari hoc modo. *In recipiendi redditus ex bonis Ecclesiarum ratione spiritualis officij, Ecclesiastica auctoritate constitutum.* Layman in Theolog. moral. 4. tract. 2. c. 1.

2 Regulares ergo capaces sunt beneficiorum Regularium, quod ex ipsis terminis est manifestum, cum beneficia ista solum Regularibus conferantur, & ab eis solum ministrentur, ex hoc enim euidenter sequitur capaces esse illorum. Syluest. verbo religio 6. Nau. Comment. 5. de regularibus num. 23. Et vltius declaratur, quia nihil est in Religioso quod repugnet beneficij Regularis administrationi. Obedientia enim votum non repugnat, cum beneficia hæc voluntate Superiorum concedantur, nec castitas ut per se patet, nec paupertas, cum beneficiarius Regularis nihil proprij habeat, sed tantum vltimam administrationem, seu dispensationem bonorum beneficij.

3 Debent tamen prouideri beneficia Regularia non Regularibus alterius Ordinis, sed ipsismet eiusdem, cuius sunt. Ita enim habetur c. cum singula 32. de præbend. in 6. & in Concilij Trident. sess. 14. c. 10. Rodriguez tom. 1. q. regul. q. 34. art. 3. Vnde non possunt duo Religiosi diuersorum Or-

dinum permutare beneficia Regularia quæ possident, etiã de licentia suorum Superiorum. Quia neuter est capax beneficij alterius Ordinis, nec Superior vnus habet auctoritatem supra beneficium alterius. Sanch. lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 31.

4 Debent etiam Religiosi quibus conceduntur esse professi, vel saltem habitum Religiosum susceperunt, & in ea Religione professuri. Ita enim habetur in Concil. Trident. sess. 14. c. 10. & declarasse dicitur Sacram Congregationem. Quod sic videtur intelligendum, quod scilicet, si isti Religiosi professi non sint, beneficia regularia ipsis concedi non possunt nisi conuentione facta, ut intra certum tempus ad Religionem suscipiendam, & proficiendam teneantur, sicut beneficia curata dantur non Sacerdotibus sub ea conditione dantur, ut intra certum tempus ad sacerdotium promoueantur. Sanchez lib. 7. in Decalog. c. 4. num. 24. Vide etiam Barbotam in Collectan. Bullar. verb. beneficium regulare 5. vbi aliquas etiam affert Sac. Congregationis declarationes ad intentum. Adit Rodriguez 10. 1. q. regul. q. 34. art. 3. debere tales esse expressè professos. Vide declarationem S. Congregat. apud Gonzal. ad Reg. 8. Cancellariae gloss. 8. num. 78. Barbotam in Collect. Bullar. verb. Abbata.

5 Similiter nec Religiosus vnus monasterij capax est Beneficij Regularis alterius monasterij eiusdem Ordinis. Ita enim habetur c. cum singula 5. prohibemus de præbendis in 6. Rodriguez 10. 1. q. Regular. q. 34. art. 8. Sanchez lib. 7. in decalog. c. 29. num. 29. Quare non possunt duo Religiosi diuersorum Monasteriorum eiusdem Ordinis permutare beneficia Regularia quæ possident de licentia suorum Superiorum. Quia neuter est capax alterius beneficij, & Superior vnus non habet auctoritatem supra beneficium alterius. [Vnde nec Summus Pontifex solet concedere licentiam Regularibus assequendi beneficium alterius Religionis, nisi transferendo illos ad Monasterium, ad quod spectat illud beneficium. Barboza de iure Ecclesiastico lib. 3. c. 13. num. 159. Tamburinus de iure Abbat. tom. 3. disp. 9. quest. 6. num. 8.]

6 Non sunt beneficia Regularia Regulariter loquendo dicenda beneficia simpliciter, sed solum manualia. Ratio est, quia regulariter non sunt firma, & perpetua, qualia sunt beneficia secularia, sed amouibilia a voluntate Superioris, cum Regularis ex eo quod beneficium accipiat non eximat a sui Superioris obedientia, qui potest illum à beneficio amouere. Rodriguez 10. 1. q. Regular. q. 34. art. 2. Sanchez lib. 7. in Decalog. c. 29. num. 106. Dixi regulariter, quia aliquando beneficia regularia non sunt manualia, & amouibilia, & tunc erunt simpliciter beneficia: videlicet quando vel ex institutione eorum, vel ex recepta consuetudine, vel ex privilegio Pontificio fuerint perpetua. Nauarrus Comment. 2. de Regularibus. n. 6. Suarez 4. 10. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. num. 20. Similiter quando beneficij Regularis collatio non pleno iure spectat ad Superiorem Monasterij, vel ipsius monasterij, sed simul ad Episcopum, vel alium prælatum, tunc tale beneficium perpetuum erit, & simpliciter beneficium, non manuale, seu amouibile. Suarez ut supra num. 23. In dubio autem omnia beneficia præsumuntur sæcularia. Thomas Zerola in praxi Episc. 2. p. verb. beneficium vers. 19. Ac per consequens perpetua. [Vt autem beneficium aliquod mutetur ex sæculari in Regulare, aut è contra, aliqua conditiones requiruntur. Prima, ut tempore ad legitimam prescriptionem à iure petito administratum sit, per Regulares quidem ut ex sæculari fuit regularis, & per sæculares ut ex Regulari, fiat sæculare. cap. Ad aures. c. De quarta de prescrip. Secunda, ut possidentes beneficium sint in eo instituti, si enim de facto abique vlla institutione illud possiderent non posset habere locum hic transitus c. Cum de beneficio. de præbend. in 6. Tertia est ut sint in eo beneficio instituti Vtiores. c. Cum de beneficio relato. Quarta, est quod transeat beneficium in Regulare ut administraretur à Regularibus tamquam Regulare, non tamquam sæculare. Quinta est, ut conferens animo & intentione beneficium conferat, ut velit imprimere illum statum beneficio, quem exprimit, ita ut in collatione dicat Regulari confero tibi beneficium sæculare, & sæculari confero tibi beneficium Regulare. Vltima est, ut id beneficium Regulare possideatur bona fide à sæculari, & sæculare à

lare à Regulari. Quia possessor malæ fidei nullo tempore præscribit. De ijs Sanchez lib. 7. in decalog. c. 29. num. 16. & sequentibus, & Tamburinus de iure Abbat. to. 3. disp. 9. q. 3. ex alijs.]

7 Prouisio beneficiorum Regularium quæ electiua vocantur, id est, quæ per electionem Canonicam suffragijs electorum fiunt, pertinet ad capitulum Conuentus, accedente confirmatione Superioris, sicut generaliter quidquid fit per electionem à Regularibus. Prouisio autem beneficiorum Regularium quæ collatiua vocantur, quia scilicet instar secularium conferuntur auctoritate Superioris, spectat, vel ad Superiorem solum, vel ad Superiorem cum capitulo, iuxta varia statuta, & consuetudines Religionum. Vbi autem de his non constaret, stando in iure communi pertinet ad Superiorem cum consensu maioris partis Conuentus, cum sit hæc ex rebus grauioribus Monasterij Sanchez lib. 7. in decalog. c. 29. num. 108. Suarez to. 4. de Religion. tract. 8. lib. 3. c. 19. num. 4. Vide declarationem Sac. Congregat. apud Barbosa in Collect. Bullar. ver. cura animarum.

8 Semper tamen requiritur examen, & approbatio Episcopi pro huiusmodi beneficiarijs Regularibus curam animarum habentibus, Franciscus Leo in thesauro fori Ecclesiastici p. 1. c. 3. n. 20. Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 74. num. 18. & 24. Dicitur etiam declaratum à Sac. Congregatione. Concilij quod quoties denuo Religiosi ad curam animarum exercendam deputantur, esse iterum ab Episcopo examinandos, & approbandos, Barbosa in Collect. Bullar. ver. Abbas 1. §. ultimo. Vtrumque autem colligitur ex Tridentin. sess. 25. c. 11. illis verbis. Nec ibi aliqui etiam ad nutum ammonibiles deputent nisi de eiusdem (scilicet Episcopi) consensu ac præuio examine, &c.

9 Item prædicti beneficiarij Regulares subiecti immediate iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in his quæ ad curam, & Sacramentorum administrationem pertinent. Ita enim colligitur ex Tridentino sess. 25. c. 11. & ex declaratione Sac. Congregationis apud Barbosa in Collect. Bullar. ver. fratres S. Ioannis Hierosolymitani, & clarius habetur ex Constitut. Gregor. XV. de exemptorum priuilegijs, quæ extat 4. to. Bullar. inter Bull. huius Pontificis num. 18. ubi sic habetur. Statuimus, & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quam seculares quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum secularium Monasterijs, seu domib. Regularibus, aut quibusuis alijs Ecclesijs, vel beneficijs siue Regularibus siue secularibus incumbentem exerceant, siue alias Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent præuio Episcopi licentia, & approbatione, siue quoquomodo in dicta cura exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant, in his quæ eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimode iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diocessani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plene in omnibus subiciantur. Barbosa de offic. & potest. Episcopi part. 3. alleg. 74. num. 18. & 27. Nota tamen hanc Constitutionem suspensam esse pro Regnis Hispaniarum, ut diximus tom. 1. c. 19. num. 35.

10 Ceterum loquendo de Regularibus inseruientibus de licentia suorum Superiorum beneficijs simplicibus, quæ tamen membra sunt Monasteriorum, seu Religionis, declaratum video à Sac. Congregatione non posse visitari ab Ordinarijs. Armendariz in additionibus ad recopilat. leg. Nauarr. lib. 1. tit. 6. de visitat. lib. 5. §. 2. num. 96. Barbosa in Collect. Bullar. ver. Regulares 1.

11 Non tamen debent vocari ad concursum per edicta Regulares electi, vel nominati ad Beneficia Regularia seruienda, sed sufficit quod examinentur, & approbentur ab Ordinarijs. Ita enim determinatum est à S. Congregatione Concilij, ut testatur Sixtus V. in Bulla Ex iniuncto in Bullario Rodriguez to. 2. Bulla 22. in Sixto V. ubi ad instantiam Congregationis S. Benedicti Portugaliæ id decernit. Habetur id etiam ex alia declaratione eiusdem Sac. Congregat. apud Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. gloss. 6. num. 162. & Barbosa in Collect. Bullar. ver. examen.

12 Cogi potest Religiosus à prælato ad acceptandum beneficium Regulare. Quia hoc præceptum iustum est, nec excedit latitudinem obedientiæ Religiosæ, cum gubernatio

beneficiorum Monasterij valde pertineat ad vtilitatem eiusdem. Nauar. Comment. 4. de Regularib. num. 23. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 19. num. 5. quod extenditur etiam ad beneficium tenue, & paucos redditus habens, dummodo possit ex illis sustentari Religiosus. Propter eandem rationem. Nauar. & Suarez ut sup. Rodriguez tom. 1. q. Regular. q. 34. art. 3. Addit non posse cogi ad accipienda beneficia secularia, nec Regularia aliorum Ordinum, nec alterius Monasterijs eiusdem Ordinis. Sed hæc limitanda sunt, nam, ut credo, cogi potest Religiosus ad accipienda prædicta omnia, si ab habente auctoritatem illa conferantur, & cedat in bonum, & vtilitatem suæ religionis, quia hoc concernit Regulam, quam professus est Religiosus, & cum prædictis conditionibus res est licita, & honesta talia beneficia acceptare.

13 Debet assignari prædictis Religiosis seruientibus Beneficijs, seu Ecclesijs Parochialibus congruum salarium pro ipsorum sustentatione, ne salarij paruitate aliunde quærere vnde viuant, & curam animarum negligenter curare cogantur. Colligitur ex Conc. Trident. sess. de reformatione c. 7. Rodriguez to. 1. q. Regular. q. 36. art. 2. referens concessionem Sixti V. Congregationi S. Benedicti Portugaliæ factam, qua illis conceditur ut salario decenti beneficiarijs designato, reliqui fructus in vsu Monachorum conuerti possint, & aliam cuiusdam Rainutij Papæ auctoritate potentis Congregationi S. Elisi circa huiusmodi salaria, pacta pro illis tribuendis, & non maioribus, etiam locorum Ordinarijs, & illorum visitatoribus aliter præcipientibus. Quia tamen hæc posterior concessio contraria videtur decreto Concilij Tridentini adducto, idem cautè in hoc negotio procedendum, maximè quia non constat an sit viuæ vocis oraculum quia si talis esset nihil valeret, iuxta dicta to. 1. c. 3. num. 21. De priori autem concessione Sixti V. constat fuisse per Bullam quam refert idem Rodriguez in Bullar. tom. 2. inter Bullas Sixti V. num. 24. Vbi vterius Pontifex statuit ne in dictis Ecclesijs Monachi ad vitam instituantur, & quod prædicti Presbyteri seculares ab Ordinarijs locorum approbati sint, insuper quod salarium illud bene visum sit eidem Ordinarijs. Vide dicenda infra num. 27.

14 Religiosi sic Beneficiarij non solum tenentur votis Religionis generalibus, præcepto portandi habitum, vocis specialibus suorum Ordinum, sed & obseruantijs Regularibus, & Constitutionibus suarum Religionum, quatenus non repugnant muneris quod gerunt, iuxta dicta tom. 1. c. 17. num. 16. cum verè maneant subiugo Religionum suarum, quantum in priuata domo, & extra Monasterium fieri potest. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 19. num. 6. Non tamen tenentur soluere Officium diuinum iuxta ritum suarum Religionum, sed Ecclesiarum quibus seruiunt ut etiam loco citato diximus, ubi etiam quid de Socio sit dicendum. Si tamen redditus, seu salarium pro socio habendo non sufficerent ab hoc onere immunes erant, nisi in casu, quod socius alio honesto modo sustentari posset.

15 Quæ adquirent hi Beneficiarij intuitu Ecclesiæ cui seruiunt, eidem Ecclesiæ adquirent, quæ autem adquirent non intuitu Ecclesiæ cui seruiunt, sed intuitu Religionis cuius sunt, vel aliunde, adquirent Religioni. Hoc enim suadetur tum ex æquitate rationis, tum ex ijs quæ diximus prædicto to. c. 17. num. 15. & 16. de quo etiam Sanchez lib. 7. in decalog. c. 32. num. 76. Suarez 4. to. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 19. num. 8. De fructibus autem Beneficiorum quibus potiuntur, cum concedantur intuitu Ecclesiarum, quibus seruiunt, debent tamquam boni dispensatores primum prouidere ipsi Ecclesijs, deinde pauperibus sibi subiectis, si quid verò postea super fuerit, licet securius sit debere eo Ecclesijs suas augere, probabile tamen est posse suo Monasterio donare, quia est opus Religionis, & misericordiæ nullo iure prohibutum, sed potius, ut apparet, permittum, eo ipso quod prædictorum bonorum sunt dispensatores. Suarez ut supra num. 10.

16 Similiter hi Religiosi Beneficiarij licet quod ea quæ pertinent ad statum Religiosum, & obseruantiam Regulare, seu quæ non contradicunt beneficijs quæ obtinent teneantur obedire suis superioribus, cum verè illis sint subiecti, in his tamen rebus quæ fuerint contrariæ, seu repugnantes prædictis beneficijs, cum ipsi ex iustitia ratione muneris suscepti toneantur facere quicquid ad illa spectat, non debent

bent obedire suis Prælati. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. num. 18. In his autem quæ pertinent ad utilitatem beneficiorum, & rectam ipsorum administrationem tenentur obedire illi, vel illis, cui, vel quibus subiecta est illa Ecclesia, scilicet Prælati Ordinis, si illi pleno iure subiecta fuerit, Episcopo, si ipsi subijciatur, vel utriusque si ad verumque spectat. Suarez *ut supra* num. 19. Rodriguez tom. 1. q. Regul. 9. 34. art. 6. & 7.

17 Vacant beneficia Regularia manualia collatiua quoties Superior reuocat collationem. Hoc enim est esse manualia, scilicet pendere à nutu Superioris. Federicus in tract. permutacionum quest. 16. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 107. Etiam si beneficium collatum sit à Superiore pro toto vitæ tempore, quia non obstante tali concessione manet beneficium sub Superioris potestate. Selua de beneficijs 3. parte quest. 68. num. 4. Sanchez *ut supra* num. 124. Etiam si Superior promiserit se non reuocaturum concessionem, quia talis promissio est irrita, cum sit contra ius, & naturam beneficij manualis, quod petit esse reuocabile ad nutum Superioris. Selua *ut supra* quest. 69. num. 1. Sanchez *ut supra* num. 125. Imò ad hoc quod talis reuocatio valida sit non requiritur aliqua causa, quia Prælati utitur iure suo erga rem, & personam sibi subditam. Sanchez *ibid.* num. 111. Additur ex declaratione Sacræ Congregat. Concilij posse Abbates Ordinum inuito Episcopo reuocare absolute ad Monasterium Religiosos exercentes curam animarum in Ecclesijs, quæ sunt vnitæ ipsis Monasterijs. Barbosa in Collectan. Bullar. verb. Abbas 1. Ad hoc autem quod licitè, & prudenter fiat reuocatio requiritur aliqua causa rationabilis, non quidem culpa ipsius beneficiarij, sed quæcumque utilitas, vel commoditas Religionis, aut Ecclesiæ, prudens enim gubernatio id exigit. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. num. 21. Si autem scandalum, aliquid, vel infamia Religiosi beneficiarij sequatur ex tali reuocatione tunc requiritur maior causa, vt scandalo, vel infamiae obuietur. Casu etiam quo constaret reuocationem factam esse malo animo, malicia, aut odio posset Religiosus spoliatus implorare auxilium Superioris Prælati contra eum qui prædicto modo ipsum spoliavit beneficio. Lessius 2. de iustit. & iure cap. 41. dub. 12. num. 98. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 115. In alijs tamen occasionibus etiam si sine causa spoliatur Regularis beneficio non potest agere contra Superiorem spoliantem coram Superiori prælati, nisi solum proponendo, aut supplicando pro restitutione. Sanchez *ibid.* Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 19. num. 21. Quod est verum quamuis collatio spectet ad Abbatem, & Conuentum, quia etiam in tali casu Abbas solus potest reuocare Monachum beneficiarium, cum hæc sit natura beneficij manualis. Sanchez num. 112.

18 Non tamen vacant prædicta beneficia Regularia morte Abbatis, vel superioris conferentis. Quia per solam mortem non inducitur reuocatio cap. si delegatus de offic. delegat. in 6. Abbas cap. finali num. 6. de præcarijs. Felini. cap. per tuas num. 4. de maior. & obed. Secus si beneficij concessio esset solum ad beneplacitum Abbatis, vel Superioris, quia beneplacitum expirat morte concedentis cap. si gratiosè, de rescript. in 6. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 113.

19 De beneficijs autem Regularibus electiuis multi dicunt absque legitima causa tolli non posse à beneficiarijs, ac proinde esse perpetua. Ita aliqui Canonistæ quos sequitur Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 118. Sed mea videri consuetudo, tum patriæ, tum Religionis in hoc attendenda est, multa enim officia in religionibus per electionem concessa reuocari possunt, saltem à supremo Prælati sine alia causa, quam ea quæ spectet ad bonum regimen Ordinis.

20 Quoties autem beneficia huiusmodi Regularia fuerint perpetua, & non manualia, scilicet ex institutione, consuetudine, vel priuilegio Summi Pontificis, non possunt Religiosi illa possidentes remoueri, sine culpa ipsorum. Quia hæc est qualitas, aut natura beneficij perpetui. Selua de beneficijs 3. par. quest. 69. num. vlt. Nauarrus comment. 2. de Regularib. num. 65. Vnde in talibus casibus potest Religiosus spoliatus agere contra Superiorem spoliantem, vt potest contra iniustè procedentem. Nauarrus *ibidem*. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 122. & 123. Idem dico quan-

Summa Lezana Tom. I I.

do talium beneficiorum collatio non pertinet pleno iure ad Superiorem Religionis, sed simul ad Episcopum, vel alium Prælatum. Sicut enim ea non possunt per solam voluntatem à Superiore Ordinis prouideri, sic nec ab ipso tolli. Vnde sunt perpetua. Suarez 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 3. c. 19. à num. 22.

21 Quando verò huiusmodi beneficia Regularia ex natura sua manualia à Papa immediatè conferuntur, si dentur cum clausula vt retineantur toto vitæ tempore reuocari non poterunt ab inferiori Prælati, cum euidenter constet de voluntate supremi Prælati quod non reuocentur. Innocentius capit. cum inter R. statim in principio de elect. Felinus capit. constitutus num. 10. de rescript. & capit. per tuas num. 4. de maior. & obedient. Si verò non apponatur talis clausula mihi probabilius est posse reuocari. Quia cum natura dictorum beneficiorum sit esse manualia, & amouibilia, si Pontifex oppositum non explicet censendus est noluisse illorum naturam alterare, sed relinquere illam vt prius, maximè cum hoc cedat in fauorem obedientie promissæ à religiosa cui Pontifices fauent semper nisi aliud expriment. Abbas cap. ad nostram num. 7. Lopus allegat. 26. & alij.

22 Idem dico quando concessioni factæ à Prælati beneficij Regularis manualis alicui Religioso accedit confirmatio Pontificia, potest enim etiam tunc Prælati reuocare concessionem, cum per talem confirmationem Pontificiam nisi aliud in ipsa exprimat, non alteretur, aut mutetur natura ipsius beneficij. Quod etiam intelligo (quidquid in contrarium dicant Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 130. & alij ab ipso citati) adhuc in casu quo Pontifex ex certa scientia confirmaret concessionem. Propter rationem adductam, & quia certa scientia Papæ confirmatis solum iuuat ad hoc quod rescriptum, vel Breue non possit argui de surreptione.

23 Fauet ad intentum Extrauagans Rursus Benedicti 12. vbi determinatur quod habentes Beneficia in ordine Monachorum nigrorum S. Benedicti ex collatione, prouisione, vel ordinatione Sedis Apostolicæ, vel Legatorum, seu executorum, vel prouisorum eiusdem Sedis, vel per litteras prædictorum, subsint in omnibus, & per omnia suis prælati, & possint ab eis reuocari prout si ea haberent à suis Abbatibus. Sanchez lib. 7. in decalog. c. 29. num. 137. Consultantur etiam aliorum Ordinum Monachorum priuilegia.

24 Licet Episcopus stando in iure communi antiquo posset vnire Ecclesias suæ Diocesis ex capit. sicut vnire de excess. Prælat. & capit. exposuisti de præbendis, vt fatentur communiter Doctores, & posset etiam consequenter vnire alicui Religioni Ecclesiam, seu Beneficium suæ Diocesis, vt constat ex Clemen. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Azorius tomo 2. institut. moral. lib. 6. capit. 28. questio. 19. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 147. & sequentibus, id tamen modo post Concil. Trident. dupliciter limitatum est, primò, vt Beneficium non sit extra Diocesim, in qua est Monasterium, etenim in eodem Concilio sess. 14. cap. 9. id prohibetur. Secundò, ne Beneficium illud vniendum sit curatum, quia id etiam interdicitur in Concil. sess. 24. capit. 13. Cum autem solum in prædictis duobus casibus limitauerit, aut abstulerit Concilium Episcopis auctoritatem vniendi, dicendum est in alijs casibus posse ea vti, ac per consequens vnire Beneficia Monasterijs sicut iam etiam factum ab Archiepiscopo Hispanensi refert Sanchez numero 187. Poterunt ergo Beneficia simplicia vniri Monasterijs, prout colligitur ex dicta Clemen. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Idem Sanchez tomo 1. consil. moral. lib. 2. capit. 2. dub. 3. Debet autem talis vnio fieri ex causa legitima. Syluester in Sum. verbo alienatio questio. 12. Videtur autem id proprium esse Episcoporum, vt colligitur ex capit. sicut vnire de excess. Prælat. Azor. tomo 2. institut. moral. lib. 6. capit. 28. Licet Sanchez etiam Abbatibus, & alijs Prælati iurisdictionem, quasi Episcopalem habentibus hanc etiam facultatem concedat in Ecclesijs plenè sibi subiectis num. 160. Vbi in sequentibus de conditionibus ad id necessarijs.

25 Casu autem quo siue ab Episcopo, siue à Papa hæc vnio beneficiorum monasterio fiat gubernari poterunt per Religiosos

- ligiosos sicut alia beneficia Regularia, iuxta dicta in superioribus. Fauent Felinus *cap. in nostra Corol. 40. num. 42. notab. 3. de rescript.* Selua *de beneficijs 3. part. q. 11. num. 126.* referens quamdam Rotæ decisionem. Manebunt autem subditi suo praelato sicut de alijs beneficiarijs Regularibus dictum est *num. 14. & 16.*
- 26 Hinc declaratum dicitur à S. Congregat. Concilij Canonico Regularium iussu sui Superioris degentem in ædibus Parochialis Ecclesiæ Congregationi unitæ, in qua curam animarum exercet, & Sacramenta administrat, si delictum non concernens curam animarum, nec administrationem Sacramentorum commiserit, non posse ab Episcopo puniti vigore decreti Concil. *cap. 3. sess. 6. Barb. in Collect. Bull. v. Canon. Regul. 15.* Quod etiam videtur dicendum de alijs Regularibus seruientibus similibus Parochijs iuxta dicta *to. 1. c. 11. n. 8.*
- 27 Declaratum etiam dicitur, posse Ordinarios locorum visitare curatas Ecclesias si sint unitæ Monasterijs, & in eis ponere Vicarios perpetuos, siue temporarios, iuxta dispositionem *cap. 7. sess. 7. Concil. Tridentin.* Ita ex declaratione S. Congregat. Garzia *de benefic. par. 11. cap. 2. num. 12.* Barbosa *in Collect. Bullar. verb. Curati.* Pro salario autem illis assignando vide Bullam Pij V. *Ad exequendum* in 2. tom. Bullar. num. 47. quæ et si reuocata fuerit à Gregor. XIII. in Bulla *In vniuersa* num. 9. inter Bullas Gregorij, nihilominus in suo robore manere dicitur, tum ob reuocationem ipsius ab eodem Gregor. factam, tum ob declarationem Sac. Congregat. De quo Gonzalez *supra* 8. *regul. Cancellar. de mens. & alternat. gloss. 5. s. 4. num. 79.* Cherubin *in Compend. Bullar. supra dictam Bullam 47. Pij V. Laureus de Franchis in controuersis Episc. & Regul. pag. mihi 14.*
- 28 Religiosus reuocatus à beneficio Regulari quod gerebat potest ea bona quæ habebat ex prædicto beneficio vsui suo applicata ad Monasterium deferre. Quia etsi fuerint ex fructibus beneficii cum sibi fuerint legitime applicata sequuntur ipsam quocumque ierit. Debent ergo cum ipso ad monasterium venire, non vt liberam eorum administrationem sicut prius habeat, sed vt incorporentur cum alijs bonis Monasterij, iuxta præscriptum Regule, & Constitutionum. Suarez 4. *tom. de Relig. tractat. 8. lib. 3. cap. 19. num. 11.*
- 29 Duo, vel plura beneficia eidem Regulari à Superiori Ordinis concedi non possunt nisi vnum ex eis ab alio dependeat, vel adiuuicem sint annexa. Ita enim decidit *cap. cum singula in princ. de prebend. in 6. Rodriguez tom. 1. quest. Regul. quest. 34. art. 9.* Vnde ad id requiritur Sedis Apostolicæ auctoritas, vt ibidem habetur. Nauarr. *Comment. 4. num. 23. de Regular.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 22.* Layman *in Theolog. moral. lib. 4. tractat. 2. cap. 8. num. 8.*
- 30 Eo ipso quod Ecclesia concessa Monachis est ipso iure intelligitur concessa ipsi facultas conferendi ipsam, & constituendi in ipsa Rectorem. Ita post alios Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 36. art. 1.* afferens pro hoc puncto privilegia Leonis X. Camaldulensibus Iulij 11. Oliuetanis, & aliorum Pontificum.
- 31 Beneficia Regularia siue dentur in titulum, siue in commendam non possunt seminario vniri, secus verò si statum mutauerunt. Ex decisione S. Congregat. apud Barbosam *in Collect. Bullar. verb. Beneficium. regul. 5.*
- 32 Ex concessione Pij V. anno 1567. ad instantiam Philippi 2. Hispaniarum Regis possunt Capitula omnia Prouincialia Indiarum quorumcumque Ordinum etiam non Mendicantium dare licentiam suis Fratribus, vt officium Parochi exerceant, Sacramenta ministrando, & cet. In quo etiam includitur facultas prædicandi, sepeliendi Indos, asportandi eorum corpora. Cruce alta, habendi scholas puerorum. Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 35. art. 1.* Vbi alia ad intentum.
- 33 Possunt prædicti beneficiarij Regulares tam liberè impendere de redditibus suis in elemosynas, & pia opera, præsertim spectantia ad suas Ecclesias, sicut & beneficiarij secularis. Ratio est, quia etsi non sint Domini illorum reddituum, sunt tamen Procuratores, & economi, & dispensatores illorum. Nauarr. *commentar. 2. n. 6. fin. corollar. 9. de Regul.* Rodriguez *ex to. 2. q. Regul. q. 58. art. 8.* Non ta-
- men propterea possunt facere expensas superfluas, aut donationes illicitas, sed eas tantum quæ necessariae, vtilis, vel conuenientes fuerint beneficijs, quæ possident, & statum ipsorum. Vnde licitè possunt disponere de prædictis bonis ad moderatam sustentationem secundum statum, elemosynas, & pia opera. Grassis *1. p. deci. lib. 3. c. 5. n. 43.* Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 6. n. 14.* Nec assentior alijs, qui dicunt non obligari hos Religiosos beneficiarios constitut. Clem. VIII. *de larg. munerum.* Bonac. *de largit. munerum punct. 2. num. 2.* Etenim quantum ad donationes superfluas, & illicitas eodem modo ac alij astringuntur prædicta constitutione, neque est aliqua ratio cur quoad illas eximantur.
- 34 Illegitimi non sunt capaces ante dispensationem cum illis factam alicuius beneficii secularis, siue Regularis. Ita habetur *ex cap. 1. & cap. finali de filijs Presbyterorum.* Rodriguez *tom. 1. quest. Regul. quest. 13. art. 11.* Nec etiam Vicariatus Episcopalis, cum dignitas quædam sit, à qua arcentur. Abbas *in cap. 1. de filijs Presbyterorum.* Rodriguez *tom. 1. q. Regular. q. 13. art. 13.* [An autem idem dicendum sit de excommunicatis, suspensis, interdictis, ita vt illi inhabiles etiam sint ad beneficia etiam Regularia, dico 3. *to. verbo Beneficium, & Beneficiarij num. 4. & sequentibus.* An verò hæresis, Apostasia, Sodomia, simonia, concubinitus, per iurium, & similia crimina reddant inhabiles ad beneficia, præter ea quæ dico in speciali de illis in hac summa, consulte Barbosam *de iure Ecclesiastico lib. 3. cap. 13. num. 130. & sequentibus.* ac Tamburinum *de iure Abbat. tom. 3. disp. 9. quest. 7.* post plures Rotæ decisiones, & alios Authores quos referunt.]
- 35 Prædicti Beneficiarij regulares ex ordine nostro assumpti etiam si Beneficia dimiserint, in capitulis, vel Congregationibus Ordinis non admittuntur nisi de consensu Generalis, iuxta dicta *to. 1. c. 16. num. 24.* ex privilegio Calixti III. quod habetur in Mari magno ordinis Bulla 39. vbi hæc ad intentum. Hac irrefragabili constitutione perpetuo valitura constituimus, statuimus, ac etiam ordinamus, quod nullus dictorum professorum beneficia secularia, seu etiam Regularia, ex nostra, vel prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, aut Sedis Apostolicæ, vel legatorum eius concessione, vel indulto, aut alias quouis modo in titulum, vel in commendam pro tempore obtinentium aut qui futuris temporibus qualibet obrinebant, etiam si illa, simpliciter, vel alio quouis modo dimiserint, in prædictis capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, aut Congregationibus, seu negorij, officijs, vel alijs administrationibus dicti ordinis, nisi Generalis pro tempore consensu interueniente quomolibet admittantur, sub excommunicationis pena quam admittit, & admittentes, prout in his scriptis ferimus, incurrant ipso facto, & si dicti beneficiarij vltro admitti quouis quæsito colore contra voluntatem Generalis prædicti procurauerint, simili modo irregularitatis, & inhabilitatis maculas incurrant, beneficijsque per eos obtentis ipso facto priuati existant, & alijs personis idoneis per illos ad quos ipsorum collatio pertinere dignoscitur conferantur, dictique beneficia, seu officia ambientes, vel procurantes perpetuo inhabiles, & ineligibiles absq; alicuius regressus spe maneant, & pro talibus perpetuo habeantur. Quæ etiam confirmans Sixti IV. in Bulla *Dum attenda* hæc etiam habet. Prouidam verò Calixti Pape III prædecessoris præfati constitutionem quæ incipit *Ad futuram rei memoriam Ad Roman. Pontificum*, qua voluit quod nullus dicti ordinis professorum Beneficia secularia, seu etiam Regularia quorumcumque Romanorum Pont. aut Sedis Apostolicæ, vel legatorum eius concessione, vel indulto quouis modo in titulum, vel commendam pro tempore obtinentium, aut que futuris temporibus quomolibet obtinebunt, etiam si illa simpliciter, vel alio quouis modo dimiserint, in capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, aut Congregationibus, seu negorij, officijs, vel alijs administrationibus dicti ordinis, nisi Generalis pro tempore consensu interueniente, quomolibet admittatur sub excommunicationis pena quæ admittit, & admittentes ipso facto incurrant auctoritate, scientia, & motu prædictis etiam in Archiepiscopali, & Episcopali dignitate fulgentibus, aut Monasteria aliqua vel Prouinciam in commendam obtinentibus locum habere decernimus, atque prædictas litteras, & omnia, & singula in eis contenta ad eos qui in dignitatibus huiusmodi sunt

sunt constituti extendimus; distinctè præcipiendo sub pœnis in dicta constitutione contentis omnibus, & singulis prædicta beneficia, aut dignitates quavis auctoritate, vel indulto obrinentibus, vt nullo modo de administratione Fratrum, aut domorum, aut Prouinciarum, seu Conuentuum, aliorumque bonorum se impediunt absque dicti Ordinis Magistri Generalis expressa licentia, non obstantibus quibuscumque litteris etiam à Sede Apostolica impetratis, vel impostum impetrandis, quibus ex certa sciētia, & motu proprio derogamus, & per præsentis derogati volumus, etiam si de illis habenda foret mentio specialis, vt singula bona Ordinis videlicet Prouinciæ, Ecclesiæ, domus, & supposita, & vtiusque sexus professi, vt tenentur, sub integra Magistri Generalis existant obedientia.

36 Cæterum verba illa Calixti 3. *Et si dicti beneficiati, &c.* dubia mihi sunt, an scilicet solum intelligantur de ijs quæ beneficiati cum sint procurant admitti in prædictis Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus prout videtur textus requirere, an verò etiam de ijs qui procurant ad prædicta beneficia promoueri, vt ibi dicitur *contra voluntatem Generalis*. Et licet ad vtrumque sensum faciliè trahi possent, credo in priori sensu sumenda, illa autem quæ sequuntur, scilicet, *dictique beneficia, seu officia ambientes, vel procurantes, &c.* ad vtroque extendi; per verbum *beneficia* ad eos, qui illa ambiunt, vel procurant, & per verbum *officia* ad eos, qui beneficiati cum sint, officia nihilominus Ordinis procurant, qui omnes grauissimis illis pœnis à Pontifice afficiuntur.

17 Non sunt capaces Regulares pensionis propriè dictæ super beneficio Regulari sui Monasterij ponendæ à Superiori ipsius sine dispensatione Sedi Apostolicæ. Primò, quia attento Romanæ Curie vsu, propriæ, & veræ pensiones, quibus beneficia ipsa onerantur ad certam redditum partem alteri dandam sola Pontificia auctoritate conceduntur, vt dictum est *cap. 2. num. 20.* Secundò, quia in *Clem. vnica, de supplen. neglig. Prælator.* ita videtur decerni. *Archidiaconus c. fin. num. 2. de offic. Ordin. in 6. Sanchez lib. 7. in decal. cap. 29. num. 95.* Loquendo autem de impropria pensione quæ scilicet non imponitur beneficio, sed ipsi beneficiario, credo posse imponi à Prælato Regulari conferente Religioso beneficium Regulare, si videlicet ex causa rationabili imponat illi vt partem fructuum beneficiij soluat alicui Religioso, vel det pro fabrica Monasterij, vel alterius operis pijs, amouibilibiter à voluntate ipsius Superioris. Ratio est, tum quia hoc nullo modo est contrarium voto paupertatis, aut obedientiæ Religiosæ, quin potius illis conforme, tum quia in hoc casu beneficium non est eo onere pensionis affectum sed persona, tum quia secundum aliquos id etiam possunt facere Episcopi, tum denique quia cum beneficia Regularia non conferantur vt perpetua, sed vt manualia, sicut ipsa subsunt dispositioni Superioris, ita & fructus illorum, ac per consequens poterit de illis disponere quando, & quomodo voluerit. Poterit ergo de prædictis fructibus partem aliquam applicare alij Religioso, vel pio operi. *Azor. to. 2. instit. moral. lib. 8. cap. 6. q. 1. vers. extra omnem controuersiam. Lessius secundo de iust. c. 41. dub. 11. num. 94. Sanchez vt supra num. 99.* Idque, vt audiui vsu receptum est in Religione S. Spiritus in Saxia, vt à Reuerendis. Præceptore huius Religionis beneficia huiusmodi cū talibus pensionibus conferantur, idque fieri posse consultus à quodam Religioso illius respondi.

38 Prouisi de beneficijs Regularibus videntur etiam obligati ad professionem fidei faciendam, sicut & alij quicumque prouisi de beneficijs quibuscumque curam animarum habentibus, iuxta Concil. Tridentini decretum *sess. 24. cap. 12.* Concilium enim loquitur de quibuscumque prouisis ad beneficia curam animarum habentia, quamuis non exprimat an id de beneficijs sæcularibus solum, an verò etiam de Regularibus intelligi debeat. Desidero tamen aliorum sententiam in hoc audire, cū nullum vsque modo viderim.

39 Collatores beneficiorum quacumque dignitate præfulgeant nihil pro collatione, seu quavis alia dispositione beneficiorum quouis quæsitio colore, directè, vel indirectè, etiam sub nomine annatæ, aut cuiusuis alterius portioni fructuum à sponte dantibus, vel offerentibus accipere, aut exigere possunt. Ita enim habetur ex declaratione Sac. Congregationis. *Garzia de benefic. part. 8. capit. 1. num. 75.*

Summa Lexana. Tom. II.

76. Barboza in *Collectan. Bullar. verb. collatio.* Apud quos etiam de Notarijs, à quibus fiunt instrumenta collationis.

40 Videtur teneri prædictos beneficiarios curam animarum gerentes adire Congregationes, quæ iussu Episcopi ad casus conscientiæ differendos habentur, etiam si sint in Parochialibus Hierosolymitanæ Religionis. Tum ex dictis *tomo primo cap. 19. num. 44.* tum ex declaratione Sac. Congregat. apud Barboza in *Collectan. Bullar. verb. Congreg. diuers. 5.*

SUMMARIVM CAP. XIX.

- Quæ Monasteria habere possint bona stabilia. n. 1.*
- Quæ bona Fratribus sint permissa. n. 2.*
- Per bona stabilia quæ intelligantur. n. 3.*
- Monasteria immobilium capacia an, & quando possint possidere feudum. n. 4.*
- Quid sit feudum. ibid.*
- Quotuplex est seruitium per feudum requisitum. ibid.*
- Quid quando feudum habet dignitatem annexam. ibid.*
- Capacia etiam sunt emphyteosis. n. 5.*
- Quoties pensionis solutio non repugnat illis. ibid.*
- Quid sit emphyteosis. ibid.*
- An possint dare bona immobilia Monasteriorum in feudum seu emphyteosim. ibid.*
- Capacia etiam sunt iurisdictionis temporalis. n. 6.*
- Item possidendi maioratus. n. 7.*
- De quibus maioratibus id intelligendum. ibid. & num. 8.*
- An Regnum, Ducatum, Marchionatum, &c. n. 8.*
- An maioratus institutos fauore agnationis. n. 9.*
- An fidei commissa. n. 10.*
- Quid sit fideicommissum. ibid.*
- Capacia item sunt possidendi ius patronatus. n. 11.*
- Item ius nominandi ad emphyteosim. n. 12.*
- Tribus etiam modis acquirere possint. n. 13.*
- Donatione, emptione, & successione. ibid.*
- Quæ domus Religiosæ, acquirere non possint successione. ibidem.*
- Iura feudorum acquirere possunt. n. 14.*
- Iura etiam emphyteosis. n. 15.*
- Quando id intelligendum. ibid.*
- Item iurisdictionem temporalem. n. 16.*
- Quando succedens in maioratus. n. 17.*
- Quid de alijs maioratibus. n. 18.*
- An possint eos acquirere emptione, vel donatione. n. 19.*
- An possint dicta Monasteria primogenia instituere. ibidem.*
- Quomodo acquirere possint fideicommissa. n. 20.*
- Quomodo iura Patronatus. n. 21.*
- De quibus, aut quomodo. ibid.*
- An donatione, seu translatione eorum qui illa habebant. num. 22.*
- Quid quando ius patronatus competit Monasterio solum ratione persona Religiosi. n. 23.*
- An succedant prædicta monasteria in ius nominandi ad emphyteosim. n. 24.*
- An succedant in legitimam debitam professo. n. 25.*
- An in iura suutatis, & agnationis, iura sanguinis, & cognitionis, &c. n. 26.*
- Transseantne ad prædicta monasteria bona quæ habebat professus in seculo cum pacto non alienandi. n. 27.*
- An illa quæ habebat grauatus eo onere, vt si moreretur absque filijs transirent ad aliquem tertium. n. 28.*
- Quid dicendum de usufructu quem habebat ille qui professionem emisit. n. 29.*
- Quid dicendum de precario. n. 30.*
- Transseunt ad prædicta monasteria omnia bona de quibus Religiosus ante professionem non disposuerat, siue ab ipsa sunt acquisita. n. 31.*
- Potest ne contraria consuetudine derogari huic iuri succedendi. n. 32.*
- An id fieri possit iure ciuili. n. 33.*
- Non succedunt prædicta monasteria in beneficia Nouitij. num. 34.*
- Nec in bona professi qui tempore Nouitatus renunclauit illis. n. 35.*

R 2 Nec



- N**ec in bona Nouiti quæ sunt legitima filiorum quos habet in saculo. n. 36.
- N**ec in bona Professi quæ sunt legitima patri. n. 37.
- A** quo tempore debeantur talia bona tradi patri. n. 38.
- N**ec etiam succedent ante mortem patris in hereditatem quæ contingeret poterat filio post patris mortem. n. 39.
- N**ec etiam succedent in bona relicta Religioso substitutis alijs post ipsum. n. 40.
- N**ec in usum fructura quem habet pater in bonis aduentitijs filij. num. 41.
- A**n succedant in ius petenda renouationis emphyteosis, aut in ius retractus sanguinis. n. 42.
- Q**uid si aliquis professus est propter dolum, & cupiditatem Prelati ad illius bona inhiantis. n. 43.
- A**quirere etiam possunt prædicta Monasteria bona temporalia, si heredes instituantur. n. 44.
- C**apacia etiam sunt legati. n. 45.
- L**egata relicta particularibus Religiosis transeunt ad monasteria. n. 46.
- L**egata relicta ad certum usum an possint ad alios applicari. num. 47.
- A**n bona inuenta quorum Dominus ignoratur illis applicari possint. n. 48.
- Q**uid de aliquibus privilegijs Religionum sentiendum. *ibid.*
- Q**uid de bonis incertis, male acquisitis ex contractu, furto, aut alia defraudatione. n. 49.
- Q**uid de bonis monasteriorum Monialium destitutorum. num. 50.
- D**amnificantes, seu occupantes bona Regularium quibus penitus subiaceant. n. 51.
- A**dministratio bonorum monasterij ad quæ pertineat. n. 52.
- A**dministratio tres actus includit. n. 53.
- A**lienare quæ bona possint Religiosi. n. 54.
- P**resertim donando illa. *ibid.*
- D**e alienatione bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum. n. 55.
- Q**ui contractus nomine alienationis intelligantur. *ibid.*
- T**ransferre etiam bona unius monasterij in aliud fieri non potest à Regularibus. n. 56.
- A**lienari possunt ab ipsis sine S. Congregationis licentia mobilia non pretiosa. n. 57.
- I**tem mobilia etiam pretiosa quæ seruando seruari non possunt. *ibid.*
- Q**uid de mancipijs. *ibid.*
- Q**uid de oblationibus factis sacris Imaginibus. *ibid.*
- I**n quibus casibus etiam de immobilibus facere possunt Regulares alienatione sine licentia S. Congregationis. n. 58.
- A**n pecunia prohibita sit alienari, & quando. n. 59.
- A**n repudiari possit, seu non acceptari legatum, vel hereditas. num. 60.
- N**on effugiunt penas Extravaganis, & decreti S. Congregationis, qui res monasteriorum alienant dicentes id facere saluo S. Apostolica consensu. n. 61.
- Q**uæ solemnitas requiratur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum. n. 62.
- A**n quoad hæc reuocata sint privilegia Regularium. *ibid.*
- Q**uanto tempore præscribitur contra bona Regularium. n. 63.

## De bonis, & possessionibus quibus capacia sunt Monasteria Regularium personarum, seu in quæ succedere possunt, & de eorum administratione. Cap. XIX.

**C**um certum sit ex dictis *ta. i. c. 6. n. 5. & in hoc to. c. 1. n. 2.* omnia Monasteria Regularium etiam Mendicantium tam virorum, quam mulierum (exceptis Capucinis S. Francisci Minoribus de obseruantia, qui à Concilio Tridentino excepti sunt, & domibus professis Societatis Iesu, ac etiam Conuentibus nostrorum PP. Discalceatorum Hispaniæ propter peculiare ipsorum leges) posse bona stabilia, seu immobilia possidere, & multo magis bona mobilia, ideo de huiusmodi bonis in præsentia dicendum. Primum in genere de bonis quibus capacia sunt. Secundò, de modis

quibus ea acquirere possunt. Ac tertio, ad quem, vel quos pertineat illorum administratio.

**2** Est autem sermo de ipsis Monasterijs, aut Conuentibus, non de fratribus, aut religiosis in particulari, quia de istis dictum est *to. i. c. 6. num. 19.* non posse se habere bona aliqua immobilia, etiam à voluntate Superiorum dependentia, vel reuocabilia, iuxta decreta Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum ibi adducta, nisi forsitan per accidens in aliquo casu, vt ibi etiam à *num. 21.* dictum manet, posse tamen mobilia bona, ad usum facti reuocabilem, & amouibilem rerum necessariorum statuti, & personæ habere, iuxta ibidem dicta *num. 3. & 16.* De Religiosis autem Societatis Iesu qui sola biennij vota emiserunt specialis est ratio propter specialem modum paupertatis huius Religionis, de quo Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 27.*

**3** Per bona autem stabilia quæ prædicta Monasteria Regularium possidere possunt, intelliguntur domus, vineæ, prata, prædia, annui redditus, census, iura, & actiones ad aliqua faciendum, vel recipiendum quæcumque bona, siue mobilia, siue immobilia. Abbas *in cap. Nulli de reb. Eccles. non alienand. num. 9. & 10.* Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 27. num. 16. & 17.* Vnde per stabilia bona non solum intelliguntur ea quæ fixam habent radicem, vt sunt fundi, prædia, domus, sed etiam iura fructifera, vt sunt census quibus annui redditus correspondent, seruitutes, & similia bona, quæ incorporalia dicuntur. Suarez *de defens. fidei, lib. 4. c. 18. num. 1.*

**4** Capacia item sunt prædicta monasteria, quæ in communi bona immobilia possidere possunt, possidendi etiam feudum, quando seruitium petatum in feudo est tale quod possit à monasterio exhiberi, secus autem quædo tale est, quod exhiberi nequeat. Pro quo notandum feudum esse ius habendi rem aliquam immobilem quoad dominium vtile cum onere obsequij, vel seruitij exhibendi principali habenti dominium directum talis rei. Quando ergo tale obsequium, vel seruitium exhibendum est tale, quod à monasterio exhiberi possit, tunc capax erit feudi, secus verò quando non potest ab ipso exhiberi. Ratio est, quia feudum habet annexum illud onus, quando ergo monasterium capax est subeundi tale onus, capax etiam erit feudi, quædo autem incapax est oneris subeundi, incapax quoque erit feudi. Molina *to. 1. de iustitia disp. 140. ver. Regulam, Lessius 2. de iust. c. 41. dub. 10. n. 84.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 15. n. 36.* Extrat insuper privilegium Celestini v. suæ Congregationi, de quo Rodriguez *to. 1. q. 38. art. 3.* vbi etiam de alijs circa hoc. Tunc autem erit Monasterium capax talis oneris subeundi cum seruitium præstandum patrono directo feudi est reale consistens in pecunia, vel alia re tradenda, vel si sit personale non dedecet religionem illud subire, vel calu quod dedecet, possit per substitutum exhiberi. Sanchez *vt supra.* Vnde feudum pererit seruitium incertum ad arbitrium domini capacia non sunt monasteria, cum possit tunc à domino postulari seruitium quod non possit, vel non deceret à monasterio exhiberi. Menochius *conf. 54. n. 15.* Sanchez *vt supra n. 44.* Limitatur tamen tradita doctrina de capacitate monasteriorum ad possidendum feudum ad feudum quod non habet dignitatem annexam cuius incapax est monasterium, vt regni, Ducatus, marchionatus, & Comitatus. Cum enim monasteria capacia non sint huiusmodi dignitatum, vt dicitur inferius *n. 8.* sic neque feudi cui annexæ sunt. Molina *vt supra.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 8. q. 5.* Quando autem succedat monasterium in feudum Nouiti dicitur *infra num. 14.*

**5** Capacia etiam sunt prædicta monasteria bona immobilia possidentia emphyteosis, sicut, & feudi, quoties pensionis solutio non repugnat, aut esset indecens monasterijs. Pro quo etiam notandum, emphyteosim esse ius habendi rem aliquam immobilem quoad dominium vtile cum onere soluendi realem aliquam pensionem domino in recognitionem directi dominij. Quoties ergo talis pensionis solutio non repugnat, aut indecens est monasterio, capax erit emphyteosis. Ratio est, quia cum generaliter loquendo prædicta monasteria capacia sint possidendi bona immobilia, cum emphyteosis inter illa numeretur, nec possit esse aliqua ratio specialis, illa, nisi repugnantia, aut indecentia solutionis pensionis, si hæc non est, nulla erit. Nauarrus *comment. 2. num. 55. fin. de Regular. Azor. tom. primo instit. moral.*

*moral. lib. 12. capit. 8. questio. 4.* Possunt etiam dare bona immobilia monasteriorum tam in feudum, quam in emphyteosim, quod intellige seruata solemnitate requisita pro alienatione bonorum Ecclesie de quo infra à num. 54. & *tomo 1. cap. 10. à num. 1.* Pro quo videtur extare priuilegium Leonis X. Societati Charitatis de Vrbe, quod refert Rodriguez *tomo 1. quest. Regul. q. 38. art. 2. ex Compend. priuilegiorum Societatis Iesu.* Licet dubitem an illo possint frui Regulares. Casu autem quod emphyteuta, ille scilicet, qui habet bona illa à principali domino, pensionem non soluat, cadere in commissum, & posse expelli auctoritate praelati, habent plures, & habetur ex priuilegio Pij V. concessio Fratribus SS. Trinitatis. Syluester *verb. emphyteu. n. 2.* Rodriguez vt supra.

- 6 Sunc quoque capacia prædicta Monasteria iurisdictionis temporalis, prout colligitur *ex cap. cum dilectus de ordine cognit. ex cap. Abbate sanè de sentent. & re iudicat. in 6.* & ex quadam lege recopilationis *L. 4. tit. 3. lib. 1. recop.* Experientia quoque ipsa qua constat in partibus Hispaniarum multa Monasteria possidere villas, & castra cum iurisdictione. Et ratio est, quia nihil est in iurisdictione temporalis quod impediatur quominus Monasterijs conuenire possit. Si enim dicatur indecens esse Religiosos secularia negotia pertractare, aut iurisdictionem criminalem exercere, maxime ubi interuenit causa sanguinis, id solum probat hanc iurisdictionem à Religiosis mediari solum, & per substitutos, aut delegatos exerceri debere, quod est verum & colligitur *ex c. finali ne Clerici, vel Monachi in 6.* Rodriguez *to. 2. q. Regul. q. 78. art. 12. §. neque obstat alia decretalis.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 15. num. 12.*
- 7 Pariter etiam videtur dicendum prædicta Monasteria possidendi Maioratus capacia esse, tam loquendo de Maioratus non habentibus iurisdictionem temporalem annexam, quam de illis qui habent illam. Tum quia capacia sunt quorumcumque bonorum, & iurium immobilium, vt colligitur *ex authent. in reff. C. de Sacrosancta Ecclesia, & Conc. Trident. sess. 25. c. 3.* Tum quia nihil est in maioratibus quod repugnet statui Religioso Monasteriorum, vt discurrunt per singula patebit, & constat ex dictis *num. præced.* Rodrig. *to. 2. q. Regul. q. 78. art. 12.* post alios. An autem de facto in huiusmodi maioratus succedant monasteria dicetur inferius num. 17. Intelligitur autem doctrina tradita de maioratibus inferioribus, non de his qui summam dignitatem, aut iurisdictionem annexam habent pro qua petita videatur industria personæ singularis, propter dicenda num. sequenti.
- 8 Nihilominus non videntur prædicta monasteria habere posse, aut capacia esse habendi maioratus illos, qui summam, aut supremam dignitatem, aut iurisdictionem habent annexam, vt sunt Regnum, Ducatus, Marchionatus, Comitatus. Ratio est, quia huiusmodi dignitates, seu maioratus, ea munera, & ministeria habent annexa, quæ vix, aut nullo modo pro substitutis personas exerceri possint, vt propterea tam iure gentium, quam ex institutione harum dignitatum videantur personales, & ad illas industria personarum requisita, ita vt per substitutos administrari non possint. Rex enim personaliter debet adesse Curie, Comitibus, bello &c. Duces etiam, Marchiones, & Comites personaliter seruire debent exercitui, assistere Regi, Curie, bello &c. Glossa *c. scripsit. verb. dignitates 27. q. 2.* Tiraquell. *de nobilitat. c. 26. n. 3.* Molina *lib. 1. de primog. c. 13. num. 18.* Specialiter aliqui qui sustinent posse monasteria maioratus alios inferiores possidere id negant de istis. Auendagno *iunior L. 40. Tauri glos. 4. num. 39. & 45.* Rodriguez *to. 2. q. Regul. q. 78. art. 12. paragr. prætere a licet,* ubi inquit. Hoc autem cessat in primogenijs, quæ dignitates has supremas annexas non habent, sed tantum Vassallos, & iurisdictionem, cuius iurisdictionis seruidium, & ministerium non est personale, & per substitutos potest exerceri.
- 9 Probabile etiam valde est prædicta monasteria capacia etiam esse habendi maioratus institutos favore agnationis, familieque conseruanda, durante scilicet vita Religiosi, cui talis maioratus competeat. Ratio est, quia Religiosus non perdit iura sanguinis, nec ex eo quod Religiosus est, desinit esse de genere, familia, & agnatione sua, nec perdit nobilitatem quam habebat, vt dixi *tomo 1. cap. 2. num. 16.* ergo ratione ipsius capax erit Monasterium possidendi huiusmodi maioratus, cum monasterium possideat illa bona, seu iura quæ Religiosis competunt, aut competere possunt siue ante, siue post professionem. Quod intellige pro tempore quo viuunt Religiosus, ita vt post illius mortem transeat maioratus ad alium agnatum vocatum in institutione illius. Rodriguez *tomo 2. quest. Regular. quest. 78. articul. 12. paragr. neque etiam obstat,* & probabile id putat, etsi probabilius contrarium, Sanchez *lib. 7. in Decalog. capit. 15. num. 19.*

- 10 Multo magis certum est prædicta Monasteria capacia esse habendi, aut possidendi fideicommissum (id est ius habendi aliquam hæreditatem alicui relictam eo onere vt alteri postea restituatur) ratione Religiosi ad quem spectabat, etiam si illud relictum esset familie, aut agnatis. Ratio est, quia cum Religiosus familiam, & agnationem seruet, vt *num. præced.* dictum est, & ex alia parte monasteria capacia sint cuiuscumque hæreditatis Religioso competentis, absdubie ratione illius capax erit talis fideicommissi. Manrica *de coniectur. ult. voluntat. lib. 8. tit. 12. num. 25. & 27.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 25. num. 21.*
- 11 Sunt quoque præfata Monasteria capacia habendi Ius patronatus, quod vt dixi *cap. 11. num. 1.* non est aliud, quam potestas præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum in Ecclesia pro eo quod eam fundauit, vel construxit, vel dotauit. Ratio est, quia nihil est in tali iure patronatus, vel exercitio ipsius quod repugnet Religiosorum domibus, vel indecens illis sit, cum ergo ex alia parte prædicta monasteria capacia sint quorumcumque iurium, seu bonorum etiam immobilium, capacia etiam erunt huiusmodi Iuris patronatus. Et ita id supponunt Lambertinus *de iure patronat. lib. 1. par. 1. quest. 8. art. 9. num. 7.* Rodriguez *tomo 2. q. Regul. q. 122. art. 2.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 14. num. 5.* quomodo autem in illud succedat inferius num. 21. dicetur.
- 12 Insuper præfata monasteria capacia sunt habendi ius nominandi ad emphyteosim, quam Religiosi habebant ante professionem. Nihil enim est in hoc iure, aut exercitio ipsius quod repugnet, vel indecens sit monasterijs, casu ergo quod Religiosi ante professionem tale ius habuissent cum post professionem nullum temporalium bonorum ius maneat in ipsis, sed totum transeat ad monasterium, transibit etiam, & istud. Molina *to. 2. de iustit. disp. 482. vers. vtrum autem Religiosus.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 14. num. 16. & 17.* [Vnde de moniali quadam olim coniugata, quæ in tali statu non fecit nominationem in re emphyteutica, prout poterat facere, non posse illam facere postea dum est monialis, resoluit Portellus in *Resolutionib. moral. tom. 2. casu 38.*] Quando etiam succedat in hoc ius monasterium dicetur infra num. 24.
- 13 Prædicta autem bona, seu iura, quibus capacia esse monasteria Regularia, quæ immobilia possidere possunt dictum est, tribus præsertim modis, aut aliquo ipforum, acquirunt à monasterijs, videlicet donatione, emptione, & successione, ad quos tres modos acquirendi reduci possunt alij. His autem modis acquirere posse monasteria constat tum ex iure communi, & praxi Ecclesie, tum ex multis priuilegijs Religionum. Praxis Ecclesie nota est apud omnes. Ius commune habetur *in cap. nullum 18. quest. 2. de quo Suarez 3. tomo de Relig. lib. 2. capit. 26.* Priuilegia quoque Religionum multa afferri possent, de quibus Casarubius *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Bona, verb. Eleemosyna, verbo Hereditas, verb. Legatum, & verb. Possessiones Fratrum.* Portellus *in Dub. Regular. verbo Bona verba, verb. Eleemosyna, & verb. Legatum.* Excipitur ab hoc ultimo acquirendi modo qui est per successione religio Societatis Iesu quoad collegia, etsi enim annuos redditus, & bona stabilia possideant, nihilominus priuata sunt iure succedendi in bona suorum religiosorum, iuxta dicta *cap. 1. num. 7.* Quod idem dico de Collegijs nostrorum PP. Discalceatorum Congregationis Hispanie, nequeunt enim in Fratrum hæreditatem succedere, vt ibi diximus. Prædicta ergo Collegia, quantum ad hoc punctum succedendi intelligi debent excepta. De alijs est sermo in præfati.
- 14 Igitur acquirere posse prædicta Monasteria iura feudorum, seu feuda ipsa, successione, eo quod aliquis feudum possidens ingrediatur, & profiteatur Religionem, patet,

- ret, quia cum Monasteria succedant in omnia iura professi, quibus capacia sunt ipsa Monasteria, cum illa capacia sint possidendi feudum, quando seruitium per illud postulatum est tale, ut ab ipsis exhiberi possit, iuxta dicta *num. 4.* abdu- biè transibit etiam feudum talis professi, cum alijs ipsis bonis ad Monasterium. Confirmatur, quia Nouitius minime amittit feudum per ingressum Religionis, sicut nec alia bona, cuius signum est, quod egrediens Religionem retinet omnia illa. Ergo, quemadmodum cum profiteretur Religio- nem in alia bona ipsius succedit Religio si est capax succe- dendi, sic & in feudum, ac perinde successione acquirat Monasterium feudum. Azor. *to. 1. institut. moral. lib. 12. c. 8. q. 5.* Rodriguez *to. 1. q. Regular. q. 38. art. 3. § 10. 2. q. 62. art. 10. § 9. 78. art. 12. vers. Tercio probatur.* Posse etiam do- natione acquiri constat ex priuilegio Celestini V. facto Cõ- gregationi Celestini, de quo Rodrig. dicto *tom. 1. q. 38. art. 3.* Vbi etiam de alio simili priuilegio concessio Congre- gationi S. Georgij in Alga. Emptione autem posse acquiri, constat ex dictis, quæ enim successione, & donatione ac- quirere possunt Monasteria, etiam emptione acquirunt, po- sita ipsorum capacitate.
- 15 Idem etiam de emphyteosi dicendum videtur, posse sci- licet prædicta Monasteria bonorum immobilium capacia acquirere illam successione, ob professionem videlicet in Religionem alicuius talem emphyteosim possidentis, quando scilicet, ut dictum est *num. 5.* pensio soluenda non est inde- cens, aut repugnans Monasterio. Cum omnia iura, & bona professi, ut dictum est, ad Monasterium transeant. Nauarr. *Comm. 2. num. 55. fin. de Regular.* Molina *to. 1. de iust. disp. 140.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 15. à num. 53.* apud quos etiam, quæ & qualis sit hæc emphyteosis, in quam Mona- steria prædicta succedant. Posse etiam illam acquirere Monasteria donatione sibi ab alijs facta, vel etiam emptione ex eo constat, quod in eo nulla apparet repugnantia, aut indecentia, quate id fieri non possit.
- 16 Pariter de iurisdictione temporali dicendum est, eam sci- licet acquirere posse prædicta Monasteria bonorum immo- bilium capacia, tum successione ratione Nouitij in Reli- gione profitentis, tum emptione, & donatione, cum in hoc nulla sit repugnantia, aut indecentia. Maxime quia cum possint his tribus modis acquirere villas, castra, seu pagos quibus annexa est talis iurisdictione temporalis, eisdem etiam modis illam acquirunt.
- 17 De Maioribus autem loquendo quamuis, ut dictum est *n. 7.* prædicta Monasteria aliquos illorum habendi ca- pacia sint, quasi in acta primo, & in potentia, nihilominus in illos non succedunt ratione professorum in Religionem. Primò, quoties à primo maioratus institutore adiecta est clausula ne in illum succedant Monachi. Talis enim condi- tio iusta est, & valida, cum non eo tendat, ut à statu Mo- nachali retrahat, sed ut familia conseruetur. Couarrub. *lib. 1. variar. c. 19. num. 10.* Molina *to. 1. de iust. disp. 207. concl. 2. § 3. to. disp. 623. num. 3.* & alter Molina *de Hispan. pri- moz. lib. 2. c. 12. num. 54.* In tali autem casu statim à die pro- fessionis possessoris maioratus deuoluitur ipse maioratus ad sequentem vocatum, non aliter, quam si possessor natu- raliter mortuus fuisset. Ea enim professio equiparatur mor- ti naturali quemadmodum ergo si talis possessor maioratus naturaliter moreretur deuolueretur ad sequentem vo- catum, sic etiam in præsentem cum Monasterium sit exclu- sum. Molina *to. 3. de iust. disp. 623. num. 2.* Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 15. num. 10.* Secundò, etiam si à primo instituto- re maioratus non sit apposta prædicta clausula exclusiua monachorum, quoties verisimiliter præsumitur ex signis, vel conditionibus in institutione positis nullatenus voluisse prædictum institutorem, ut maioratus ad monasteria per- ueniret. Cum enim talis voluntas rationabilis sit, valida erit, sicut dictum est de voluntate expressa per clausulam excludentem. Molina *lib. 1. de primogenijs cap. 13. à num. 81. vsque ad 94.* Grassi *2. p. decif. lib. 3. cap. 19. num. penult.* Molina *Societat. Iesu. to. 3. de iust. dicta disp. 623. num. 4.* Quo etiam casu iudicandus erit professus maioratum ob- tinens quasi naturaliter mortuus, & transibit maioratus ad alium vocatum, ut dictum est supra, propter eandem rati- onem. Signa autem talis voluntatis institutoris maiora- tus erunt, si perat arma, & nomen suum à successoribus in maioratu obseruari, saltem eo modo honorifico, ac splen- dore, quo à Religiosis id fieri nequeat, aut non deceat. Si habens filium monachum tempore quo instituebat maio- ratum nullam de ipso mentionem fecit, sed solum de alijs filijs, filiabus, aut consanguineis. Si perat quod successor in maioratu vadat personaliter cum Rege ad bellum, & simili- lia. Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 15. num. 23. § 26.*
- 18 In alios autem maioratus in quorum institutione nõ ap- ponitur clausula expressè exclusiua Monachorum, neque sunt signa præsumptionis, talis exclusionis, siue habeant, si- ue non habeant annexam iurisdictionem, dummodo non sint ex illis qui summam dignitatem, vel iurisdictionem important, de quibus supra *num. 8.* succedere possunt præ- dicta Monasteria. Ratio est, quia cum illorum capacia sint iuxta dicta *num. 7.* & ex alia parte regula generalis sit ex *authent. ingressi Cod. de Sacrosanct. Eccl.* quod Monaste- ria in omnia professi bona, & iura succedant, non est cur à tali successione excludantur, maxime quia priuari Mona- steria tali successione quædam pœna videatur iuris com- munitis restrictiua, pœna autem interrogari nequit nisi sit in iure expressa. Quæ sententia, quoad maioratus iurisdictione carentes receptissima est apud auctores. Molina *lib. 1. de primogenijs cap. 13. num. 95.* & alter Molina Iesuita *tom. 3. de iust. disp. 623. num. 3.* Quoad maioratus verò iurisdic- tionem habentes est probabilissima, Auendagnus *in iuror. lib. 40. Tauri Gloss. 4. num. 39.* Rodriguez *latè, & doctè 2. to. q. Regul. q. 78. art. 12.* vbi in fine concludit ita iudicatum esse in Senatu Pintiano in causa cuiusdam maioratus.
- 19 Ex quibus constat prædicta Monasteria acquirere posse successione, & in persona professorum in aliquos, & plures maioratus succedere. An verò similiter eos possint ac- quirere emptione, vel donatione, pender ex cognitione naturæ dictorum maioratum, de quo alias. Cum autem capacia sint saltem aliquorum, ut dictum est, nisi natura ipsorum maioratum repugnet, etiam emptione, vel donatione eos acquirere poterunt. Idem etiam videtur concedi de institutione primogenij, etsi enim Religiosus particula- ris primogenium instituere non possit quia est actus do- minij, & quia is qui non potest contrahere, nec ultimam voluntatem facere, primogenium instituere non potest, ut docent Tapia *authent. ingressi verb. ideoque nec de his c. 1. num. 73.* Molina *to. 3. de iust. disp. 604. num. 4.* de Mo- nasterijs autem cum capacia sint dominij, & possint con- trahere, videtur posse illud instituere, saltem in iure com- muni naturali stando. Quamuis quia primogenium est res prophana abstinere ab ipsius institutione debeant etiam Monasteria, nisi ea pia aliqua, & honesta causa. Molina *lib. 2. de primog. c. 9. n. 67.* & alter Molina Iesuita *d. disp. 604. n. 5.*
- 20 Pari etiam ratione possunt prædicta Monasteria fidei commissa successione acquirere, cum capacia sint illa pos- sidendi, iuxta dicta *supra num. 19.* & tenet Mantica, & Sanchez *ibidem relati.* Emptione quoque, & donatione illa etiam acquirere posse videtur, nisi obstat natura, aut qua- litas ipsorum.
- 21 De iure patronatus loquendo cum illius capacia sint præ- dicta monasteria, iuxta dicta *supra num. 11.* ideo successio- ne acquiri potest ab ipsis, sicut, & alia professi iura, ut Lam- bertinus, Rodriguez, & Sanchez *ibid. relati* docent. Intel- ligendum autem hoc erit de iure patron. seu presentandi, quod iure singulari, aut personali pertinebat ad professum, si n. illud cõpetebat ipsi nõ iure singulari, aut personali, sed quatenus erat in sæculo pars alicuius cõmunitatis, vel Col- legij, eũ ratione professionis desinat esse talis pars, non trã- siet ad monasterium. Glossa *in c. beneficium v. conferendũ in additionib. de Regul. in 6.* Sanchez *lib. 7. in decalog. cap. 14. num. 1.* Similiter acquireretur monasterio ius patronatus quod acquireret monachus iã professus fundans, cõstruens vel dotans Ecclesiam. Cum quidquid monachus acquirat monasterio acquirat. Lambertinus *de iure patron. lib. 1. par. 1. q. 8. art. 9. num. 7.* Addit Sanchez *vt supra num. 4.* id esse quando monachus ex legitima licentia fundaret, construc- ret, vel dotaret Ecclesiam, Verumtamen etiam si non adsit talis licentia, sed demum, quod monachus sine illa illegiti- me, vel peccaminose contra votum obedientiæ, vel pau- peratis fundaret, construeret, vel dotaret talem Ecclesiam, adhuc ius patron. quod acquisierat tranfit ad monasterium, iuxta dicta *to. 1. c. 6. num. 40.* Præterea acquirere possunt successione prædicta monasteria ius patronatus quod est annexum

- annexum aliquibus bonis professi in quæ succedunt ipsa Monasteria. Cum enim accessorium sequatur naturam principalis, si Monasterium succedit in bona professi, succedet etiam in ius patronatus illis annexum. *Rodrig. 10. 2. q. Reg. q. 122. artic. 2.*
- 22 Acquirere etiam possunt prædicta Monasteria ius patronatus donatione, seu translatione facta ab eo qui illud habebat, & erat patronus cum facultate donandi. Cum enim illius habendi capacia sint, iuxta dicta supra num. 11. non est aliqua ratio quare ipsis donari non possit, modo tamen assignato *cap. 11. num. 10.* Non tamen possunt acquirere illud emptione cum sit inuendibile, & materia simonia, iuxta dicta eodem *c. 11. n. 7.*
- 23 Quando ius patronatus competit Monasterio solum ratione personæ Religiosi in ipso professi, ita ut illud sit annexum personæ, sequitur ipsam, ita ut post mortem ipsius expiret ius patronatus, & ipso translato ad aliud Monasterium transeat idem ius cum illo, si autem est annexum bonis, durat quantum durant illa bona. Quorum ratio est, quia accessorium, & annexum alicui sequitur ipsum. *Rodriguez 10. 2. q. Regul. q. 122. artic. 2. Sanchez lib. 7. in decal. c. 14. n. 6.* Ad quem autem pertineat ius præsentandi quando ius patronatus transit ad Monasterium ratione personæ Religiosi an scilicet ad illum, an verò ad Monasterium dictum *c. 11. n. 11. 15. & 16.*
- 24 Succedent etiam prædicta Monasteria in ius nominandi ad emphyteusum comperens professionem emittenti, iuxta dicta supra n. 12. quod intellige nisi tale ius sit personale, vel ex coniecturis eliciatur electam esse industriam personæ. Emptione etiam, & donatione etiam acquiri potest ad prædictis Monasterijs, cum in hoc nulla sit repugnantia, vel indecentia.
- 25 Succedent insuper prædicta Monasteria in legitimam debitam professo, cum succedant in omnia iura ipsius. Sed hic notandum nequaquam patre superstito deberi legitimam filio professo, eo quod uiuentis nulla sit hæreditas *L. qui superstitis ff. de acquir. here. & L. 1. §. si impuberi ff. de col. lat. bonor.* & tradunt Decius, Felinus, & alij quos refert *Tapia authent. ingressi verb. sua c. 4. n. 10.* quod videtur limitandum nisi pater vergeret ad inopiam dissipando bona sua, aut in casu quo filius existens in sæculo posset à patre postulare legitimam. His enim casibus etiam Monasterium posset petere legitimam filij uiuente patre, cum ius filij translatum sit in Monasterium. *Tapia ibid. n. 11. Sanchez lib. 7. in decalog. c. 10. n. ult.*
- 26 Præterea succedent in iura suitatis, & agnationis, iura Sanguinis, & cognationis, qualitates, & prærogatiuas professi, quatenus, & eo modo quo ipsi, & Monasterijs ipsis competere possunt. Constat *ex l. fin. C. de Episc. & Cleric. contabit. Nam ex infra dicendis. Mant. de Coniectur. ult. volum. lib. 8. tit. 12. n. 25. Mol. lib. 1. de primog. c. 13. n. 47.*
- 27 Transeunt etiam ad prædicta Monasteria bona illa quæ habebat professus in sæculo cum pacto non alienandi, nisi per tale pactum exprimeretur hæc transactio. Quia si talis expressio non habetur, nomine alienationis solum videtur importari alienatio voluntaria, non illa quæ per legem inducta est, qualis est de qua in præseti *Molin. lib. 1. de primog. c. 13. n. 77. Tapia authent. ingressi verb. sua c. 12. n. 38.*
- 28 Transeunt præterea ad dicta Monasteria bona illa quæ habebat aliquis grauatus eo onere, ut si moreretur absque filijs transiret ad aliquem tertium, & ipsis nullis filijs relicto Monasterium ingreditur. Ratio est, quia ita deciditur in *authent. de sanctiss. Episcop. paragr. sed & hoc præfenti, quæ approbatur c. in præsentia de approbat. & c. omni Pontificum consensu.* Cuius etiam decisionis ratio est, quia vel Monasterium habetur loco filij, ut tradunt post alios. *Molina lib. 2. de primog. c. 9. n. 4. Lessius 2. de iustitia c. 41. dub. 41. n. 84.* vel quod ea conditio si absque liberis decesserit videatur turpis, utpote auertens à Religioso statu, ac per consequens habeatur pro non adiecta, ut habent etiam *Angelus verb. hæres. n. 21. & ibid. Tabiena q. 16. n. 17. Armilla verb. hæreditas n. 22.* vel quia ita præsumitur voluntas testatoris, aut relinquentis talia bona, ut volunt *Molina to. 1. de iust. disp. 190. vers. quando quis, Sanchez lib. 7. in decalog. c. 16. n. 8.* Adde oppositum esse dicendum in casu quo constaret expressè de voluntate testatoris, aut relinquentis talia bona. *Sanchez ibid. n. 12.*
- 29 Item transit ad prædicta Monasteria usus fructus quæ habebat ille qui professionem emisit in illis. Cum enim *auth. ingressi. C. de sacros. Eccles.* decidatur omnia bona, iura & actiones monachi transire in Monasterium, nec ibi, aut alibi excipiatur usus fructus, idem de illo dici debet. *Syluester verbo Religio 6. q. 1. dicto 2. & verbo hæreditas n. 1. q. 7. & verbo Religio n. 21. Nauarrus Comment. 2. n. 38. de regular. Grassis 2. p. decis. lib. 3. c. 19. n. 43.* Quod etiam videtur verum de patris usu fructu in filij bona aduentitia, quando talis pater professionem emittit, cum nulla sufficiens ratio discriminis inter hunc, & alios usus fructus assignari possit. *Molina to. 1. de iust. disp. 9. ad finem. & disp. 140. column. 4. Lessius 2. de iust. c. 41. dub. 10. n. 83.*
- 30 Transeunt etiam videtur ad prædicta Monasteria præcarium quod erat illius qui Religiosus effectus est, cum sit eadem ratio de hoc ac de alijs iuribus. *Sanchez lib. 7. in decalog. c. 15. n. 60.* Nota autem præcarium esse ius habendi aliquam rem solum pro tempore quo is qui eam concessit voluerit. *De quo Azor. tom. 3. lib. 7. Bonacina de contract. q. 14.*
- 31 Denique generaliter loquendo prædicta Monasteria succedunt in omnia Religiosi bona de quibus ipse ante professionem legitime non disposuerat, siue ab ipso quomodolibet ante, vel post professionem acquisita sunt, iuxta dicta ex illa generali regula. Quidquid Monachus acquirat Monasterio acquirat *to. 1. c. 6. n. 40.* Constat quoque hoc ex *S. Si qua mulier auth. de sanctis Episcop. & §. illud quoque auth. de Monachis, & auth. si qua mulier. & auth. ingressi. C. de Sacros. Eccles. & c. Si qua mulier, & c. qui a ingredientibus 19. q. 3. Nauarrus Comment. 2. de Regular. n. 55. Sanchez lib. 7. in decal. c. 12. n. 4. [Lugo de iust. & iure to. 1. disp. 3. sect. 9. n. 190. & 192. Et ratio omnium est quia cum religiosus per professionem se totaliter Deo dedit, consequenter etiam dedicat ei omnia quæ possidet, & ita monasterium succedit in omnia iura, & facultates quæ professo competere possunt. *Rodrig. 10. 2. q. Regular. q. 80. art. 2. Tamburinus de iure Abbatum 10. 3. disp. 11. quest. 4. n. 7.*] Unde in his, in quæ ex professi persona succedunt, illis actionibus agere possunt quæ professio ante ingressum competent. Si quidem in omnia eius iura succedunt. *Syluest. verb. religio 6. q. 2. Angelus in summa verb. religio n. 59.* [Ut verò sciatur quæ bona sunt illa quæ ex filio familias in Religione professo transeant cum ipso ad Religionem, notandum ex communi Doctorum sententia, quadruplex esse filij familias peculium nempe castrense, quasi castrense, aduentitium, & profectitium. Castrense dicitur illud quod in castris, seu bello acquiritur. Quasi Castrense, quod ex publico aliquo officio. Aduentitium, quod neque ex bello, neque ex officio aliquo publico, nec ex bonis paternis aut patris intuitu, sed aliunde acquiritur, ut donatione, legato, successione materna, opera propria, aut ex artificio. Profectitium verò quod pecunijs aut rebus patris, aut patris occasione acquiritur. Ex quibus peculijs Castrense, & quasi Castrense pertinent ad filium quoad proprietatem, & usumfructum. Aduentitium pertinet ad filium quoad proprietatem, & ad patrem quoad usumfructum. Profectitium verò pertinet ad Patrem tam quoad proprietatem, quam quoad usumfructum. Ergo ad intentum filio familias professo transeunt cum ipso ad Religionem peculium Castrense, & quasi Castrense: quia hæc sunt omnino ipsius filij. Profectitium nullo modo transit ad Monasterium, quia est omnino patris. Aduentitium autem transit quoad proprietatem ad Monasterium, cum quoad proprietatem sit filij. In quo conueniunt DD. specialiter *Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 13. num. 37. & Lugo to. 1. de iust. & iure, disp. 3. sect. 9. n. 196.* An verò trahat quoad usumfructum, etiam aliqui affirmant, merito tamen communis sententia tenet contrarium, scilicet, non transire hoc modo ad Monasterium, sed manere apud patrem, eo quod re vera hoc modo sit patris, & pertineat ad patriam potestatem quæ non soluitur per professionem filij. *Sanchez sup. n. 39. post plures alios, quos sequitur Lugo sup.**
- Dubitari autem solet, An libri quos pater filio dederat studiorum causa transeant cum ipso ad Monasterium. Et dicendum quod si filius erat iam Doctor, & iam exercebat munus aliquod in Republica, vel in procinctu erat ad illud

- Iud exercendum, tunc libri illi censentur ut bona Castrensia filij, & ipse veluti emancipatus, ac proinde transibunt cum ipso ad Monasterium. Si verò nondum absoluerat sua studia censentur bona profecticia, sicut & alia supellex à patre filio concessa, ut potè manenti sub patris potestate, ac proinde non transibunt cum filio ad Monasterium. Ita Lugo supra ex doctrina Molin. *to. 1. de iustit. & iure, disp. 239.*
- Nota præterea probabile valde esse bona quæ acquirunt Nouitij tempore Nouitiatu esse bona quasi Castrensia, eo quod Nouitij per Nouitiatum veluti egressi sunt de patria potestate, & censentur Clerici, quorum priuilegium est, ut quæ post Clericatum acquirant sint bona quasi Castrensia, ac proinde etiam talia bona transibunt cum ipsis ad Monasterium, si professionem emiserint. Sanchez *dicto c. 12. n. 46. Lugo sup. n. 196.*
- 32 Potest tamen contraria consuetudine legitime præscripta derogari huic iuri succedendi prædicta Monasteria in bona suorum professorum, sicut derogatum dicitur apud Gallos, ita ut ipsorum bona pertineant ad consanguineos propinquiores. Ratio est, quia hoc ius succedendi, etsi satis conforme sit iuri naturæ, cum ratio postulet, ut qui se dicat Deo, omnia etiam sua ipsi etiam dedit, nihilominus solo iure humano, ut patet ex locis citatis *n. præced. introductum est, iuri autem humano consuetudo legitime præscripta derogare potest. Couar. de pactis p. 3. §. 2. n. 4. ad fin. et c. 1. sine de testam. Azor. to. 1. instit. mori lib. 12. cap. 8. quest. 1.*
- 33 Quamuis autem iure Pontificio abrogari possit tale ius succedendi in bona professorum causa rationabili subsistente cum Pontifex dominus sit, vel supremus administrator bonorum Ecclesiæ, iure tamen civili id fieri non potest, quia cum Principes temporales, à quibus dimanat ius civile non habeant iurisdictionem in Ecclesiasticas personas, aut bona ipsarum, neque etiam habent potestatem ad auferendum id quod ab Ecclesia Monasterijs est concessum. Couarub. *de pactis 3. p. §. 2. n. 4. vers. Illud sane. Rodriguez tom. 2. q. Regul. q. 77. artic. 2. Sanchez lib. 7. in decalog. c. 12. n. 18. plures alios referens, & impugnans oppositum sentientes.*
- 34 Non tamen succedunt prædicta Monasteria in beneficia Nouitij qui in illis emisit professionem vacant enim talia beneficia per professionem, ut habetur ex *cap. Beneficium de Regul. in sexto*, ut dictum est *tom. 1. c. 2. n. 17.* nec in pensiones, propter eandem rationem. Gygaz *de pensionib. q. 5. n. 6. Sanchez lib. 7. in decal. c. 4. n. 13. Vide dicta hoc 2. tom. c. 2. n. 21.*
- 35 Nec etiam succedent prædicta Monasteria in bona professi quando ipse tempore Nouitiatu modo assignato *to. 1. c. 24. n. 32.* vel alio modo ante ingressum in Religionem renunciauit hereditati suæ, aut bonis quæ ad ipsum pertinebant. Eo enim ipso quod talem renunciationem legitime fecit nullum ius remanet in ipso ad prædicta bona, ac per consequens nec Monasteria in illa succedent. Quia tamen adhuc facta renunciatione hereditatis remanet in renunciante ius ad aliqua alia bona, ideo in ipsa succedet Monasterium. Quæ autem sint hæc bona non comprehensa in renunciatione hereditatis, tractant. Azorius *to. 2. instit. moral. lib. 2. c. 28. q. 8. Molina to. 2. de iust. disp. 579. Rodrig. to. 2. q. Reg. q. 78. artic. vlt. Sanch. lib. 7. in decal. c. 7.*
- 36 Nec etiam succedent prædicta Monasteria in illa bona Nouitij professionem emittentis quæ sunt legitima filiorum quos habet in sæculo. Prædicta enim bona non spectant ad ipsum professum, sed ad filios ipsius, ac per consequens, nec ad Monasterium, quod solum succedit in iura professi. A quo autem tempore debeat dicta legitima filijs, an scilicet à tempore professionis patris, an solum post mortem ipsius? Probabilius est, statim ac parens proficetur deberi. Talis enim professio est quædam mors civilis ipsius, & ratione illius fictione iuris definit esse in rerum natura. Syluester *verbo hereditas 1. q. 7. n. 10. dicto 6. & verb. Religio 6. q. 1. dicto 1. Angelus in summa verb. Religiosus n. 49. & verb. hereditas n. 22. Nauar. commen. 2. n. 48. & 54. de Regularib. Quod etiam verum habet in filijs illegitimis in regnis in quibus succedunt in bona parentum. Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 8. q. 7. Molina tom. 1. de iust. disp. 140. vers. à regula illa.* Tempore*
- etiam quo illa bona possidentur à Monasterio tenetur ministrare alimenta filijs illius professi, quando scilicet pater eos tenetur alere, quia succedit Monasterium in onera bonorum illius professi, & talia bona sunt adstricta huic oneri. Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 10. n. 8.* Pro quora autem bonorum parentis professi assignanda filijs in alimenta, vide Syluestrum, & Angelum *ut supra.*
- 37 Pariter nec succedent in ea bona professi quæ sunt legitima patris ipsius, propter eandem rationem, quia scilicet talia bona non ad filium professum, sed ad patrem spectant.
- 38 Debentur etiam ea bona à tempore professionis filij sicut dictum est supra de professione patris, propter eandem rationem. Tapia *authent. ingressi verb. suaca. 4. fin. C. de sacrosanct. Eccles. Azor. to. 1. instit. moral. lib. 12. c. 8. q. 8.* Interim tamen tenebitur Monasterium alimenta patri præbere, sicut etiam dictum est supra de filijs, cum eadem sit ratio. Sanchez *lib. 7. in decalog. c. 10. n. 11.*
- 39 Nec etiam succedent ante mortem patris in hereditatem quæ contingere poterat filio professi post eiusdem patris mortem. Quia cum ius succedendi non competat alicui nisi post obitum eius cui succedendum est, professus nequit hoc ius in Monasterium transferre ante obitum illius cui succedit. Glossa *final. c. vincto 18. q. 1. Felinus c. in presentia n. 56. de probat.*
- 40 Similiter nec succedent propter professionem Religiosi in bona relicta illi substitutis alijs post ipsum. Ratio est, quia cum in hac institutione non claudatur conditio *si absque liberis decesserit*, non militat in illa dispositio *cap. in presentia de prob. et §. sed et hoc presentia authent. de sanctis Episcop. de qua supra n. 28.* quæ loquitur existentibus huiusmodi conditione. Talia ergo bona non venient ad Monasterium nisi solum pro tempore vitæ talis professi, & post illam ab substitutos Molina *to. 1. de iust. disp. 190. colum. penult. Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 16. à num. 80. et 82.*
- 41 Item nec succedent in usum fructum quem habet pater in bonis aduentijs filij, filio professionem emittente. Quia professio facta à filio iuri patris quod antea habebat derogare non potest, nec patri adimere ius quod in filijs bonis acquisierat. Syluester *verb. Religio 6. q. 1. dicto 5. Azor. to. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 8. §. Tertio queritur, et to. 2. lib. 2. c. 22. §. Quinto queritur.*
- 42 Præterea nec videntur succedere posse in ius petendæ reuocationis emphyteosis, nec in ius retractus sanguinis quæ habebat ille, qui in Religionem ingressus est. Videtur enim cessare rationem horum iurium quæ est ne res illa à proprio sanguine, seu genere alienetur, cum ille professus non iam sibi, sed Monasterio acquirit, & Monasterium non sit de genere, aut familia illius. Sanchez post alios *lib. 7. in decal. c. 14. n. 24. 26. & 27.*
- 43 Qualiter etiam non succedant Monasteria in bona Religiosi, qui etsi valide professus est, tamen id fuit propter fraudem, dolum, & cupiditatem Prælati ad illa inbianis. dictum est *to. 1. c. 2. n. 19.*
- 44 Acquirere etiam possunt prædicta Monasteria bonorum immobilium capacia bona temporalia iure hereditario, seu ut hæredes, si tales ex testamento instituantur Religiosi ipsorum. Ita enim colligitur ex *l. fi. §. hoc etiam. C. de Episcop. et Cleric. vbi decernitur quoslibet tales Religiosos esse successionis hereditariæ capaces. Et ratio est, quia id non repugnat voto paupertatis, cum ipsi Religiosi non sibi, sed Monasterijs acquirant, quæ tamen, ut dictum est in *hoc cap. num. 1.* illa possunt possidere. Nauar. *comment. 2. num. 42. de Regul. Molina to. 1. de iust. disp. 140. colum. 8. vers. non solum bona, et disp. 154. post principium.* Extenditur etiam hoc ad Collegia Societatis Iesu & ad domos professorum, etsi enim prædicta Collegia in suorum bona non succedant, ut dictum est supra *nu. 13.* possunt tamen institui hæredes, similiter, licet domus professorum immobilia possidere non possint, ut dictum est *cap. 7. num. 7.* hæredes quoque possunt institui, siue bonorum mobilium, siue stabilium, non ut illa retineant, sed ut vendant. Molina *tom. 1. de iust. disput. 195. vers. à regula proposta. Sanchez lib. 7. in decalog. ca. 27. num. 1. et 15.* Non tamen extenditur ad Minores de obseruantia, & Capuccinos, quia hoc est illis expressè prohibitum ab Ecclesia*

clesia in e. exijt de verbor. significationib. in 6. Rodriguez tom. 2. quest. Regul. quest. 78. art. 1. Sorbus in Compend. priuil. Mendicant. verb. hereditas. Vide dicta 10. 1. cap. 6. num. 45.

45. Capacita etiam sunt predicta Monasteria, quae immobilia possident legatis. Quippe certa res est ijs omnibus posse legari, qui possunt haeredes institui, vt expressè habetur *Inst. de legatis §. legari, & l. regia tit. 9. par. 6.* predicta autem Monasteria, vt visum est, haeredes possunt institui. Extenditur hoc ad Minores de obseruantia, & Capuccinos, etenim etsi illi, illorumque Monasteria haeredes institui nequeant, legari tamen illis potest. *cap. exijt. de verbor. significat. in 6.* Et ratio, est quia legatum est quaedam donatio à defuncto relicta ab haerede praestanda §. *legatum, insti. de legat. & l. regia tit. 9. par. 6.* at predicti Patres, eorumque Coenobia capacia sunt, vt sibi donetur, ergo, & quod sibi legerur, Rodriguez tom. 2. q. Regul. q. 125. art. 6. Sorbus in Compend. priuil. Mendic. verb. legata. Portellus in Dub. regul. verb. legatum. Extenditur etiam ad domos professas Societatis Iesu, etenim etiam illae legata recipere possunt, sicut & institui haeredes, vt n. preced. dictum est, esto bonorum immobilium capaces non sint, vt ibidem etiam dictum.

46. Legata relicta particularibus Religiosis transeunt ad Monasterium, cum ipsi acquirant quiddam acquirunt, iuxta dicta 10. 1. c. 6. n. 4. Vbi etiam n. 26. quid dicendum sit de legato relicto Religioso ea conditione, vt ad ipsum, non autem ad Conuentum spectet, maxime si testator vltterius procedat dicendo se velle, vt dominium illius rei pertineat ad Religiosum, & quod si secus fiat pertineat ad extraneum. Vide ibi dicta.

47. Legata relicta Monasterijs ad certum vsum verb. g. pro indumentis Fratrum posse conuerti à Praelatis in alium vsum, v.g. panem, & vinum emendum, tenent Rodriguez 10. 2. q. Regul. q. 125. art. 9. & Peirinis 10. 1. priuil. Minims. in Constu. II. Iulij II. par. 126. n. 72. Sed tu vide dicta 10. 1. cap. 18. n. 94. Neque enim iure communi id fieri potest, solus enim Papa potest vltimam testatoris voluntatem alterare. Rodriguez ibid. Nec de hoc video solidum aliquod priuilegium, quae enim ibi adducuntur à Rodriguez, & Peirinis sunt viuae vocis oracula quae hoc tempore nihil valent, vt sepe dixi. Priuilegium autem Iulij II. quod ibi affert Peirinis satis obscurum est, & limitatum. Sunt tamen docti aliqui qui putant legatum relictum pro indumento Fratrum posse conuerti in cibis ipsorum, etiam stando in iure communi. Ijs tamen non assentior, propter dicta, nisi in casu talis necessitatis in qua prudenter existimari possit voluntatem testatoris eam fuisse.

48. Applicari etiam possunt Monasterijs egenis Regulariū bona inuenta quorum dominus facta sufficienti diligentia pro ipso inueniendo ignoratur. Cum enim talia bona restitui debeant pauperibus (Lessius lib. 2. de iust. cap. 14. n. 49. Molina 10. 3. disp. 746.) non est cur excludantur Monasteria egena necessarijs carentia. Bonacina de contract. disp. 1. q. 3. punct. 4. num. 5. post alios. Si autem lege, vel consuetudine introductum, vt inuenta cuius, facta sufficienti diligentia, ignoratur dominus, alicui pio operi applicentur, ita est faciendum. In Hispaniarum verò Regnis applicata sunt aliqua ex huiusmodi inuentis Religionibus SS. Trinitatis, & S. Mariae de Mercede, Pontificia, & Regia auctoritate, ita scilicet vt habeant ius illa petendi, ac propterea si alij operi pio non sint applicata ab inuentoribus, sed maneant in propria specie, teneantur reddi petentibus, cum illis sint applicata. Rodriguez 10. 1. q. Regul. q. 38. art. 4. Extat etiam concessio Clem. IV. pro Minoribus, quod scilicet cum aliqui assumentium habitum ipsorum fuerint obligati ad restitutionem aliquorum bonorum diuersis personis, quae sciri, & inueniri non possunt Ministri, & Custodes, & eorum Vicarij, eorumque singuli in locis sibi commissis possint bona huiusmodi in pios vsus conuertere, prout secundum Deum viderint expedire. Rodrig. vt sup. Casarub. in compend. priuileg. Mendic. verb. bona n. 4. Similis etiam concessio extat Sixti IV. pro Carmelitis, qua Generali, Prouinciali, & Prioribus localibus concedit quod predicta bona Ordinem ingredientium possint in pios vsus conuertere, Cord. in Annotat. ad compend. priu. Mendic. Circa concessionem au-

tem Clem. IV. (& idem est de concessione Sixti IV.) aduertit Rodrig. vt supra solum pro Minoribus qui de rebus intrantium in Religione nihil accipere possunt deseruire, non pro alijs Religionibus, quia secundum ius commune id fieri potest. Verumtamen etiam pro alijs Religionibus, Carmelitarum scilicet, & eorum qui cum ipsis in priuilegijs communicant, deseruit, nam licet iure communi predicta bona inuenta, & incerti domini applicari possint pauperibus, ac per consequens monasterijs egenis, & necessarijs carentibus, vt dictum est, non tamen diuitibus, & in nullo egentibus (si talia fuerint aliqua Monasteria) pro istis ergo dici potest deseruire talem concessionem. Licet hoc solum sub dubio dictum sit, & sub doctorum censura.

49. Idem dicendum de alijs bonis incertis male acquisitis ex contractu, furto, aut alia defraudatione, quorum facta diligenti inquisitione ignoratur dominus, posse scilicet applicari Monasterijs egenis Regularium. Tum quia possunt applicari pauperibus, vt habent Lessius lib. 2. de iust. cap. 14. dub. 6. Bonac. de contract. disp. 1. q. 3. p. 4. n. 8. & 9. Tum ex priuilegio Alexand. IV. pro Minoribus, quomodo ipsi quam alij qui cum ipsis communicationem priuilegiolorum habent participare possunt. Concessit autem illis vt de male acquisitis, & incertis relictis possint recipere quaecumque eis data fuerint. Casarub. in Compend. priuil. Mendic. v. Bona n. 2. Rodrig. 10. 1. q. Regul. q. 38. art. 1. Portell. in dub. Regul. v. Bona n. 3.

50. Applicari etiam possunt bona Monasteriorum Monialium destitutorum Monasterijs Fratrum aliquarum Religionum, & earum quae cum ipsis communicationem priuilegiolorum habent. Etenim Carmelitis nostris id concessit Sixtus IV. in Mari magno verbis allatis 10. 1. cap. 25. n. 48. & quoad Monasteria S. Clarae Minoribus fere similia, quod idem dicitur haberi in Mari magno Praedicatorum, & Augustinianorum. Additur tamen in predicta concessione pro Carmelitis, & Minoribus. *Prouiso tamen quod eorum (scilicet monasteriorum praedictorum monialium) Ecclesia, & Oratoria ad prophanos vsus non redigantur, sed in illis quandoque diuina officia celebrentur.* Quae clausula conformis est Sacris Canonibus. Nam 19. q. 3. cap. qua semel Monasteria numquam possunt fieri saecularia, habitacula, & res quae ad ea pertinent reseruari debeant. Casarub. in compend. priuil. Mendic. verb. bona n. 7. Rodrig. 10. 1. q. Regul. quest. 38. art. 6.

51. Contra damnificantes, seu occupantes bona Regularium varijs pœnis Summi Pontifices procedunt. Primò enim Eugenius IV. concessit Congregationi Montis Oliueti quod quaecumque persona bona mobilia, seu immobilia, possessiones, domos, molendina, aquas, piscaria, iura, iurisdictiones, & alia quaecumque ad praefatam Congregationem, & illius Monasteria pertinentia, perturbare, vel fatigare praesumpserit, nisi infra tres dies postquam huiusmodi certior facta fuerit se correxerit, aut debitam cautionem de restituendo, & satisfaciendo non praestiterit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, à qua nisi à Summo Pontifice, aut in mortis articulo beneficium absolutiois nequit obtinere. Compend. Societ. & Cisterc. Rodrig. tom. 1. q. Regul. q. 38. artic. 7. Portell. in dub. Regul. v. bona num. 1. Item Iulius II. similia concedens praecipit omnibus Christi fidelibus, vt nemo ipsorum, bona Ordinis S. Augustini occupare, seu damnificare auderet, quod tam de attinentibus ad personas Fratrum, quam de pertinentibus ad loca, seu Conuentus, & possessiones eorumdem intelligi voluit, & quod si contrarium facientes admoniti à Fratribus praedicti Ordinis non restituerent omnia integrè, aut vexare destiterint infra tridui spatium, excommunicationis sententiam incurrant, à qua non nisi per Summum Pontificem absolui possint. Casarubius in Comp. priuil. Mendic. v. Bona n. 10. Rodrig. vt supra.

52. Iuxta primaeuam institutionem Religionum tota administratio bonorum Monasterij erat apud Abbatem, seu Superiorem, vt colligitur ex cap. Nullam 18. q. 2. Cum enim illa non posset commodè per totam communitatem exerceri congruens fuit alicui committi, & maxime Praelato, vt debitus ordo, & perfecta obedientia in omnibus seruaretur. Suar. 4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 26. Nau. Comment. 3. de Regul. n. 5. & 6. Quod intelligitur tam quoad acquisitionem, seu receptionem, quam quoad con-

seruationem, seu alienationem. Suar. *ibid.* Nunc autem attendendum est ad leges, vel Constitutiones Religionum, vel consuetudines rationabiles in ipsis receptas, quibus limitatur, vel declaratur dicta auctoritas Superiorum Monasteriorum. Vide dicta *tom. 1. c. 18. n. 13.* Et nota administratores bonorum Monasteriorum non teneri reddere rationem Ordinarijs. Ex declarat. Sac. Congregat. apud Barbof. *in Collect. Bullar. v. Administratores.* Possunt etiam amoueri ad nutum Superiorum, tum ex Conc. Trid. *sess. 25. c. 2.* tum ex alia declaratione apud eundem Barbof. *verbo officiales.*

53 Administratio autem praedictorum bonorum Monasterij tres praecipue actus includit, scilicet receptionem, conseruationem, & alienationem. Sub prima comprehenditur omnis modus acquisitionis praedictorum bonorum. Sub secunda, omnis actio quae pertinet ad gubernationem, beneficentiam, augmentum, custodiam, & vsum talium bonorum. Sub tertia autem omnis consumptio, distractio, seu alienatio. Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 26. n. 1.* De prima dictum est in toto hoc capite, vbi de ijs quae Monasteria acquirere possunt manet discussum. De secunda etiam consequenter est dictum, nam ea quae possunt acquiri, seu possideri, consequenter possunt conseruari, gubernari, custodiri, &c. Solum ergo restat aliquid dicendum de tertia.

54 Et primo loquendo de bonorum mobilium alienatione dicendum generaliter posse praedicta Monasteria, vel ipsorum Superiores iuxta varias Religionum leges, vel consuetudines de illis disponere, alienando, distrahendo, consumendo, vendendo fideliter tamen, & in vtilitatem Monasterij. Ita enim colligitur ex *cap. nullam 18. q. 2.* & ex ratione ipsa qua constat, bonum regimen Monasterij tam in spiritualibus, quam temporalibus consistere non posse sine huiusmodi facultate. Suar. *4. to. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 26. n. 8.* Est autem hic solum sermo de bonorum mobilium non praetiosorum alienatione, quia mobilia praetiosa sunt quasi immobilia quantum ad alienationem, & de illis postea. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. alienatio n. 42.* Barbofa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 95. n. 39.* Rursus sermo est, stando in iure communi, nam propter Constitutionem Clement. VIII. de largitione munerum 3. tom. Bullar. inter Constitutiones ipsius num. 28. valde stricta, & coarctata est huiusmodi facultas quantum ad dandum, vel donandum aliqua, vt patet illis verbis: *Regularibus personis vtriuslibet sexus omnem, & quancumque largitionem, & missionem munerum penitus interdiximus. Sub qua prohibitione comprehendimus volumus omnia, & singula Capitula, Conuentus, & Congregationes tam singulorum Conuentualium, Monasteriorum, Prioratum, Propositarum, Praeceptoriarum, Domorum & locorum; quam Prouincialia, aut Generalia cuiuslibet Prouinciae sine vniuersi Ordinis, Societatis, aut instituti, eorumque vel earum Camerarios, Commissarios, & quoscumque officiales, & singulares personas, ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum huiusmodi Superiores quascumque dignitates obtinentes, etiam Generales, & Prouinciales, Magistros, Ministros, & quocumque nomine Praefectos, necnon Conuentuum, Monasteriorum, Prioratum, Propositarum, Praeceptoriarum, Domorum, & locorum quorumcumque Abbates, Praepositos, Praeceptores, etiam maiores, Guardianos, Ministros, Rectores, atque Abbatissas, Priorissas, & alio quouis titulo Praesidentes tam ipsi Regularibus, quam laicorum Ordinarijs, seu quibusvis Superioribus subiectas vtriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus deputatos. Adeo vt nemo vnquam eorum, vel earum directe, vel indirecte, palam, vel occulte tam communi, quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, vel consuetudinis seu verius corruptelae, aut alio praetextu, vel quacumque causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione re mature discussa vniuersi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit quaequam tale attentare valeat. Id autem ita absolute, & generatim verum intelligatur, vt neque omnino sit, quaequam donare tam ex fructibus, redditibus, & prouentibus collectis, vel contributionibus, aut obligatoribus, sine elemosinis, aut subsidijs certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, mensijs, seu maf-*

*sa communis, vel cuiusvis fabricae, & Sacristiae, quorum bona communiter, vt praefertur, administrantur, seu quae rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecunijs etiam quae a singulis quouis modo acquisita in commune conferenda omnino sunt. Nec se per viam voluntariae contributionis in commune congerantur. Nec si forsitan priuatum, & nominatum cuiuslibet Religioso a suis Superioribus, vel a proprijs affinis, propinquis, familiaribus, amicis, aut beneuolis, vel a pijs Christi fidelibus etiam elemosinae, aut charitatis, & illius propriae personae intuitu attributa, seu quoquo modo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, domui, aut loco acquisita, eique vt ad libitum de eis disponat per Superiores concessa fuerint, praeterquam leuiora esculenta, aut poculenta, aut ad deuotionem, vel Religionem pertinentia munuscula, communi tantum, numquam vero particulari nomine (vbi Superiori de consensu Conuentus videbitur) tradenda, sed & huiusmodi missiones munerum ipsis Religiosis vtriuslibet sexus, non solum per se, verum etiam per alios tam directe quam indirecte prohibitas declaramus. Quia tamen haec Constitutio in aliquibus locis non satis vsu recepta est, vel ad minus non eo rigore quo verba ipsius sonant, ideo ab illius expositione superfedendum duxi. Illam vero exponunt Sossa *in Speciali Tractatu de hac re.* Sorb. *in Comp. privileg. Mendicant. verb. dare.* Bonacina *in Speciali etiam tractatu de hac re.* Diana *in tract. 6. de perpet. Religiosa, & alij.**

55 Circa alienationem autem bonorum immobilium, & mobilium praetiosorum Monasteriorum, de quibus diximus *to. 1. c. 10. in n.* non posse fieri a Regularibus quantumuis priuilegiatis sine licentia S. Congregationis Concilij, exceptis casibus a iure permissis, quia res est multis, & quotidianis difficultatibus implicata, aliqua vterius animaduertenda sunt. Primo ergo notandum prohibitio- nem de rebus Ecclesiae non alienandis, de qua in presenti, comprehendere etiam domus, praetiosas Societatis Iesu, prout declaratum dicitur a S. Congregat. Concilij. Barbofa *in Collect. Bullar. verb. Donus.* Secundo notandum nomine alienationis in presenti intelligi actum, quo dominium rei directum, aut indirectum, vtile vltra fructus, possessio, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. Rodriguez *to. 1. q. Regul. q. 27. art. 1.* Bonacina *tract. de alien. bonor. Eccles. q. vnica punct. 2. n. 1.* Vnde non solum donatio, aut venditio, seu alius quilibet contractus gratuitus, aut onerosus quo rei dominium in alterum transfertur, prohibita sunt dictis Regularibus sine praedicta licentia, sed etiam omnis alius contractus, vbi transfertur dominium vtile, retento directo. Quaranta *in Summ. Bullar. verb. alienatio num. 15. & 16.* Prohibita etiam est pignoratitio, vt dixi dicto *c. 10. n. 4.* Locatio, seu conductio vltra triennium, modo ibi designato. Impositio census sui vitalitij, aut acceptio pecuniarum ad cambium cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis, vt dicto *cap. n. 3.* dictum est. Prohibetur etiam hypotheca, tum quia expressè ponitur inter contractus prohibitos tam in Extrauagati *Ambitosa*, quam in decreto S. Congregationis, tum quia qui non potest alienare, nec etiam potest hypothecare. Barbofa *de officio, & potest. Episcopi Allegat. 19. num. 85.* Quod tamen intelligo de hypotheca speciali, quando scilicet aliqua res in speciali hypothecaretur, non de hypotheca generali quando omnia bona subiiciuntur hypothecae. Molina *de contractibus disp. 466. num. 2.* Layman *in Theolog. mor. lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 2.* Licet alij etiam ad hypothecam generalem hoc extendant. Quaranta *vt supra n. 17.* Similiter concessio in feudum, vel emphyteusim nisi concurrentibus tribus conditionibus simul, scilicet in casibus a iure permissis, de bonis solitis ab antiquo concedi in emphyteusim, ac cum euidenti Ecclesiae vtilitate. Quaranta *vt supra num. 39.* Barbofa *de officio, & potest. Episcopi, vt supra n. 22.* Item alienatio rei iterilis, seu iteris mobilis. Bonacina *vt supra n. 9.* Quaranta *n. 37.* Declaratum etiam dicitur a S. Congreg. Episcop. & Regular. non conuenire Regularibus stabilia vendere pro fabrica Monasterij, vel ad effectum emendi census. Barbofa *in Collect. Bullar. verb. stabilia.* Item alienari non possunt sine praedicta licentia bona mobilia praetiosa, vt dictum est dicto *c. 10. n. 4.* illa scilicet quae seruando seruari possunt, vt col-

colligitur ex prædicta Extravag. *Ambitiosa*. Couar. 2. *variari*. c. 17. n. 2. Bonacina de *Contractibus* disp. 3. q. 8. punct. 4. n. 4. & in *Tract. de alienat. bonor. Ecclesiast.* disp. 2. q. *unica* punct. 2. n. 2. Barbosa de *offic. & potest. Episcop.* vt supra n. 39. Illa autem bona dicuntur seruando seruari posse, quæ per triennium durant, vsu non consumuntur, vel fructificanc, vt sunt vasa aurea, vel argentea, grex pecudum, armentum bouum &c. Bonacina, & Barbosa relati. Peirinis *tom. 1. priu. Minim. in Const. IX. Jul. II. n. 10.*

56 Pariter etiam prohibitum est Regularibus, iuxta dicta *10. 1. c. 18. n. 13.* transferre bona vnius Monasterij in aliud, loquendo de bonis immobilibus, aut mobilibus prætiosis, quæ scilicet seruando seruari possunt, cum ista translatio sit quadam alienationis species. Bonacina de *alienat. bonor. Ecclesiast.* disp. 2. q. *unica* punct. 2. n. 9. Quate aliqua priuilegia Religionum quibus id permitti videtur, de quibus Rodriguez *10. 2. q. 125. art. 9.* & Peirinis *10. 1. priuileg. Minim. in Const. II. Julij II. n. 76.* quoad huiusmodi bona transferenda vacant propter decretum Sac. Congregationis adductum, quo reuocantur omnia priuilegia Regularium in ordine ad alienationes prædictorum faciendas. Non vacant tamen quoad translationem bonorum mobilium non prætiosorum, aut prætiosorum, quæ seruando seruari non possunt. Horum. n. alienatio non est prohibita Regularibus vt inferius dicitur. Idè dico de permutatione, seu commutatione, quia permutatio est alienatio. Quaranta in *Sum. Bullar. ver. alienatio n. 15.* Vnde non potest fieri à Regularibus sine licentia Sac. Congregationis, nisi de rebus mobilibus non prætiosis, aut quæ seruando seruari non possunt. Idem de præcario, seu præcaria dicendum, quia etiam per illud, vel illam transfertur res quoad dominium vitale. Riccius in *praxi fori Ecclesiast. decis. 64.* Quaranta vt supra n. 15. Idem dico de iuribus, actionibus, seu seruitutibus quæ sunt quædam bona incorporalia, ac per consequens comprehenduntur generali prohibitione. Syluester *verb. alienatio q. 10.* Bonacina vt supra n. 19. Idem de Oratorio, seu Capella Ecclesiæ, etsi enim possit vsus sepulture alicui in illis concedi, nam ad hunc vsum ordinantur, non tamen possunt vendi sine prædicta licentia Sac. Congregationis, quia sunt bona immobilia Regularia, Riccius *dec. 42.* Quaranta vt supra n. 29. Bonac. etiã vt supra n. 12.

57 Nihilominus alienari possunt à Regularibus sine S. Congregationis licentia mobilia non prætiosa, vt dictum est supra n. 54. v. g. vinum, frumentum, vestes tritæ, & alia huiusmodi. Quia in decreto S. Congregationis dicto *cap. 10. n. 2.* adducto solum prohibetur bonorum mobilium prætiosorum alienatio sine eiusdem S. Congregationis licentia. Alienari quoque possunt sine prædicta Congregationis licentia bona mobilia etiam prætiosa, quæ tamen seruando seruari non possunt. Ratio est, quia etsi hoc non exprimitur in dicto decreto Sac. Congregationis, colligitur tamen ex Extravaganti *Ambitiose* quam roborare curat prædictum decretum; etenim in prædicta Extravaganti expressè conceditur alienatio illorum, quæ seruando seruari non possunt. Molina de *contractibus* disput. 465. n. 1. Quæ autem sunt ista quæ seruando seruari non possunt, dicendum est ea esse, quæ non durant triennio, vel vsu consumuntur, & non fructificant. Riccius *prax. fori Ecclesiast. decis. 62. in 1. edit. & resolut. 59. in 2.* Barbosa de *offic. & potest. Episcopi* alleg. 95. n. 28. Vnde declaratum dicitur à S. Congregatione posse Superiores Monasteriorum, non obstante decreto de rebus Regularium non alienandis, ex fructibus bonorum pingues elemosynas facere, puta decem rubiorum tritici, & similia quia fructus non comprehenduntur in dicto decreto. Barbosa in *Collect. Bullar. verb. Superior Regularis.* Similiter pecunia data pro dote Monialis; quamuis non possit alienari, aut distrahi in alios vsus, quam de fructibus illius sustentari possit, potest tamen absque licentia S. Congreg. infumi in emendo agro, vel vinea, vt de fructibus ipsius Monialis sustentetur. Bonacina de *alienat. bonor. Ecclesiast.* disp. 2. q. *unica* punct. 2. n. 5. Computantur etiam inter bona mobilia non prætiosa, seu quæ seruando seruari non possunt mancipia, & his similia, cum morbis, mortis, & alijs similibus casibus sint obnoxia. Secus autem quando illa sunt annexa, vel affixa prædijs, aut domibus tamquam illorum partes, tunc etenim sicut ipsa prædia, & domus sunt bona immo-

bilis, & sic ista inter immobilia numerantur. Mol. de *contractibus* disp. 465. Bonacina vt supra n. 4. Pariter etiam computantur inter bona mobilia non prætiosa oblationes sacræ Sacris Imaginibus Sanctorum, quæ in aliquibus Ecclesijs reseruantur, nisi fortè sint aureæ, vel argenti magni valoris. Riccius vt supra *dec. 102.* Bonacina vt supra. Possunt etiam accomodari ad breue tempus bona monasteriorum, ita vt merus vsus illorum concedatur, non autem dominium directum, aut indirectum, cum per dictam Extravagantem, & decretum S. Congregationis solum alienationes prohibeantur, id autem quod accomodatur, non alienatur. Riccius *decis. 74. & 68.* Bonac. vt supra n. 32.

58 Imò etiam tam de rebus immobilibus, quam mobilibus, prætiosis facere possunt Regulares alienationes sine licentia S. Congreg. primò quando res est relicta Monasterio per fideicommissum cum onere, quod post aliquod tempus alij restituatur, transacto enim illo tempore res iam non est Monasterij. Quaranta in *Summa Bullar. verbor. alienatio n. 45.* Barbosa de *offic. & potest. Episcopi* alleg. 95. n. 61. vbi hunc casum refert inter eos qui iure sunt permitti. [Ad quod reducitur etiam casus quo res relicta esset Monasterio cum obligatione illam permutandi; aut cum res ex necessitate debet alienari, v. g. quia est indiuisum in manu secularis, qui illam vult vendere; aut cum venit ad Monasterium cum pacto reuocandi illam. De ijs casibus late & doctè Bordonus in  *suis Resolutionibus Resolut. 27. à num. 3. vsque ad 12.* ex alijs Authoribus.] Secundo, quando res iniuste detinetur à Monasterio. Quaranta *ibid. n. 43. §. 11. limita.* Tertio probabiliter, saltem secundum aliquos, in remissionem caducitatis emphyteutæ. Quaranta vt supra n. 44. Barb. etiam, vt supra n. 64. & 65. qui etiam hunc casum ponit inter eos, in quibus fieri potest alienatio siue Sedis Apostolicæ consensu. Licet oppositum securius, & probabilius censeam, cum talis remissio sit remissio iuris rei immobilis competentis Monasterio, quæ est quædam species alienationis. Vide in simili dicenda n. 60.

59 De pecunia autem an prohibita sit alienari, cum ex vna parte comprehendi videatur inter mobilia prætiosa, quæ seruando seruari possunt, ex alia verò inter mobilia non prætiosa communiter reputetur, quia de se non fructificat, aliqua dicenda sunt. Et primò, pecunia, quæ ad quotidianos vsus necessaria est, & pro quotidianis necessitatibus deseruit inter mobilia non prætiosa, quæ seruando seruari non possunt, connumeratur, ac proinde alienari potest sine prædicta S. Congregationis licentia. Syluester *verb. alienatio n. 7.* Quaranta in *Summa Bullar. verbor. alienatio n. 25.* Bonacina de *alienat. bonor. Ecclesiast.* disp. 2. q. *unica* punct. 2. num. 5. Pecunia autem quæ destinata est ad emptionem stabulium, censuum, vel mobilium prætiosorum, vel quæ est fructifera, seu non otiosa, qualis est pecunia in montibus, vel censibus collocata, vel in banchis camporum cum utilitate reposita, inter bona immobilia, seu mobilia prætiosa, quæ seruando seruari possunt, connumeratur, ac per consequens sine dicta licentia alienari non potest. Syluester, Quaranta, & Bonacina relati. [Et Tamburinus de *iure Abbat. 10. 3. disp. 13. q. 1. n. 4.* licet Bordonus supra n. 51. oppositum teneat loquendo præsertim n. 52. de pecunia consignata in banco S. Ambrosij Mediolanensis siue à particulari Religioso, siue à Conuentu. Melius loquitur num. 55. dum pecuniam quæ peruenit ad Monasterium ex extinctione census alicuius, dicit non posse alienari, sed iterum inuestiri debere: quia annui redditus computantur inter immobilia.] Idem dico de magna quantitate pecuniæ, quæ seruatur in aliquo Monasterio, scilicet, non posse alienari absque assensu Sedis Apostolicæ. Et ita fuit resolutum à Rota Romana in vna Venetiarum vbi fuit quoque dictum hoc procedere licet præfata pecunia esset conuertenda in utilitatem Ecclesiæ. Barbosa de *offic. & potest. Episcopi* alleg. 95. n. 43. Similiter idem quoque asserendum de pecunia data pro dote Monialis, maxime cum detur Monasterio vt de fructibus ipsius illa possit sustentari, illa enim non potest expendi nisi in eos vsus pro quibus data est. Bonacina vt supra, & de *Contractibus* disp. 3. q. 8. punct. 4. n. 2.

60 An autem Prælati Monasterij cum ipso possit repudiare, seu non acceptare legatum, vel hæreditatem monasterio relicta, non incurrendo in pœnas dictæ Extravag. *Ambitiose*



*bitiosa*, aut decreti S. Congregationis? Licet multi satis probabiliter teneant partem negatiuam, vt sunt Molina de *Contract. disp. 468. n. 11.* Nihilominus etiam est probabile posse id fieri non incurrendo dictas penas. Ratio est, quia in dicta Extrauag. & decreto solum prohibentur alienationes, non acceptatio autem, seu repudiatio rei non incorporata, non est alienatio, *L. alienationis ff. de verbor. signif.* quia alienatio est distractio rei iam appropriata. Legatum autem, vel hereditas non sunt appropriata nisi quando sunt acceptata. Riccius in *praxi fori Ecclesiast. decis. 96. in 1. editio. & in 2. decis. 82.* Quaranta in *Summa Bullar. verb. alienatio n. 43.* Barbosa de *offic. & potest. Episcop. alleg. 95. n. 52.* Vbi etiam hunc casum refert inter eos qui iure sunt permitti. Verum quidem est posse Prælatum, imò & ipsum monasterium grauiter peccare non admitrendo tale legatum, vel hereditatem, nisi ex causa valde rationabili id fieret, Prælatum quidem contra iustitiam, quia ex iustitia tenetur consulere vtilitati proprii monasterij, monasterium autem contra charitatem, vel aliam virtutem prodigè renunciano emolumento, quod ex illa hereditate, vel legato successoribus euenire posset. Bonac. de *contract. disp. 3. q. 8. punct. 4. n. 38.* Posset propterea forsitan monasterium postea vti priuilegio restitutionis in integrum. Molina, & Bonacina, vt supra, Layman. in *Theolog. moral. lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 7.* Dixi autem satis probabile esse incurri dictas penas Extrauag. *Ambitiosa*, & decreti S. Congregationis à Prælato qui repudiaret talem hereditatem, vel legatum, quia quamuis dominium illius non sit acquisitum monasterio, est tamen illi acquisitum ius ad rem illam habendam, quemadmodum ergo si Prælatus renunciaffet iuri cuiuscumque monasterij incurreret dictas penas, sic renunciano huic iuri, & ita in hanc partem magis inclinor, prout etiam faciunt Quaranta vt supra, relatus, & Barbosa etiam relatus *num. 54.* cum Naldo, & alijs. [Consequenter etiam videtur Prælatos Regulares posse transigere super re litigiosa, aut quæ sit magni dispendij monasterio. Ratio est, quia res litigiosa non dicitur Religioni incorporata, ac per consequens videtur posse illi cedere, præsertim ad euitandum detrimentum quod ex lite proueniet monasterio. Bordon. *Resol. 27. n. 59.*]

61. Notandum non effugere penas Extrauagantis, & decreti Sac. Congregationis eos Regulares, qui res monasteriorum alienant, aut contractum celebrant alienationis, dicentes id facere saluo Sedis Apostolicæ, aut Sacre Congregationis consensu. Ratio est, tum quia protestatio est contraria facto, tum quia quoties aliquid pertinet ad formam actus debet ipsum actum præcedere, consensus autem Sedis Apostolicæ pertinet ad formam alienationis rerum Ecclesiasticarum. Quaranta in *Summa Bullar. verb. alienatio n. 8. & 9.* Peirinis *to. 1. prius. Minim. in Constit. IX. Iulij II. n. 14.* Bonacina de *alienat. bonor. Eccles. disp. 2. q. unica punct. 4. n. 5.* Si tamen non tradatur possessio rei alienatæ non incurrentur dictæ penas, quia tunc possessio manebit apud monasterium, & ille cui traditur talis res solum habebit ius ad illam, & conditionatum, nempe supposito assensu Sedis Apostolicæ, non absolutum, aut ius in re.

62. Præterea aduertendum quod licet iure communi ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiratur iuris solemnitas, quæ continet quatuor, scilicet, auctoritatem Prælati, tractatum circa alienationem faciendam, consensum Capituli, & subscriptionem singulorum saltem per notarium. Quaranta in *Summ. Bullar. verb. alienatio n. 4.* Peirinis *to. 1. prius. Minim. in Constit. IX. Iulij II. n. 7.* Verum tamen quia plures Religiones priuilegia habent ad faciendum alienationes sine prædicta solemnitate, qualiter Carmelita habent a Greg. XIII. in Bulla *Ex incumbenti* anno 1576. in 2. to. Bullar. n. 34. facultatem illas faciendi, dummodo sint in commodum, & vtilitatem monasteriorum, & ex consensu duarum ex tribus partibus Fratrum,

vel Monialium, accedente etiam consensu, vel ratificatione Generalis, insuper Religiosi Societatis Iesu alium etiam modum solemnitatis habent ab eodem Greg. XIII. illis præscriptum, de quo Molina de *contract. disp. 468. §. Quarta conclusio.* Ideo quælibet Religio, iuxta formam priuilegiorum quæ habet post Extrauagantem *Ambitiose* à Sede Apostolica impetrata potest facere prædictas alienationes, habita tamen licentia Sedis Apostolicæ, vel Sac. Congregationis, cum quoad illud reuocata non sint eorum priuilegia, si illa habent. Decretum enim S. Congregationis Concilij, de quo sæpe dictum est, & relatum *to. 1. c. 10. n. 2.* solum reuocare videtur priuilegia Regularium quantum ad hoc quod est facere alienationes sine consensu eiusdem S. Congregationis, non quantum ad alia quæ pertinent ad solemnitatem illarum. [Pro Religionibus autem non habentibus priuilegium ad alienandum cum sola licentia Sedis Apostolicæ; notandum ad talem alienationem requiri quatuor prædicta, scilicet, auctoritatem Prælati, tractatum circa alienationem, consensum Capituli, & subscriptionem singulorum, saltem per Notarium. De quibus conditionibus non solum Quaranta, & Peyrinis, sed etiam Tamburinus de *Iure Abbat. to. 3. disp. 17. q. 4.* Maximè nota quod quando, alienatio fit interueniente Papæ auctoritate tunc neque consensus, neque tractatus requiruntur: quia Papæ auctoritas facit inferioris auctoritatem cessare. Vnde tunc solemnitates non requiruntur. Tamburinus *supr. n. 9.* ex Panormitano, Rebuffo, Riccio, & Rotæ decisione. Quæ maximè dixerim propter Religionem nostram, in qua video in vsu esse vt alienationes solùm fiant de licentia Sedis Apostolicæ omiffa omni alia solemnitate. Semper tamen requiritur consensus Prælatorum Superiorum, scilicet, Generalis, vel saltem Prouincialis. Tum ex vsu Religionum. Tum ex aliquibus priuilegijs ipsarum. De quibus idem Tamburinus *supr. q. 8.* Similiter etiam requiritur semper ad tales alienationes legitima causa, ita vt ea non subsistente illæ inualidæ. Bordon. in  *suis Resolutionibus, Resolut. 27. n. 21. & sequentibus*, vbi etiam de quatuor alijs conditionibus assignatis, & n. 26. an posita licentia Papæ alia conditiones sint requisitæ.]

63. Non præscribitur contra bona Regularia cum sint etiã Ecclesiastica nisi spatio 40. annorum *c. de quarta de prescription. & hoc est de iure communi.* Ex priuilegio autem Eugen. IV. concessio Monachis Congregationis S. Iustinæ Ordinis S. Benedicti maior gratia ipsi, & alijs Religionibus communicationem priuilegiorum cum ipsi, habentibus conceditur per hæc verba, prout ex Bulla ipsius Eugenij in Bull. Rodrig. *to. 1. Bulla septima inter Bullas Eug. n. 7.* habetur. *Insuper cum plerumque contingat in Curia, aut neglectu Prælatorum qui hætenus bona Monasteriorum dictæ Congregat. antequam præfata Congregat. vniuerentur gubernant, aut post modum ex ignorantia, vel alia quauis causa à plerisque ipsorum Monasteriorum bona in præiudicium animarum suarum indebitè detineri, & occupari, præsertim sub colore prescriptionis, aut alias quocumque modo ex quo non modica ractura consuevit præfatis Monasterijs euenire. Nos volentes de remedio opportuno prouidere in fauorem obseruantie Regularis, ex certa scientia, motu proprio, ac de plenitudine potestatis Apostolica, volumus; statuimus, & decernimus quod contra præfata Congregationis Monasteria, loca, personas, & bona aliqua non currat prescriptio, nisi post lapsum sexaginta annorum, quod quidem indultum tam in casibus, rebus, & bonis præteritis, quam futuris potestatis, & scientia similibus extendi, & locum habere omnino volumus. Rodrig. *tom. 3. q. Regul. q. 35. art. 2.* Portel. in *dub. Regul. verb. prescriptio*, apud quos etiam alia priuilegia habentur quæ non refero, quia mihi non constat an sint, vel non sint viuz vocis oracula concessa, & per consequens his temporibus inualida.*

Laus Deo, Beatissimæque Virgini Mariæ de Monte Carmelo.



